P. OVIDII NASONIS

OPERA OMNIA.

VOL. VII.

P. OVIDII NASONIS

OPERA OMNIA

EX EDITIONE BURMANNIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

NOTITIA LITERARIA

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SEPTIMUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1821.

METAMORPHOSEON LIB. VII.

FAB. I. 1 *Jamque fretum Minyæ*] Populi sunt Thessaliæ Minyæ. *Pagasæa puppe*] Argo nave. *R.* *Pagasæa*] Fabricata sub Pagaso promontorio et opp. Thessaliæ. Ἐπίνειον τῶν φερῶν Παγασαί. Strabo lib. IX. Ἀκρωτήριον Μαγνησίας· ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεπῆχθαι τὴν Ἀργώ. Scholiastes Apollonii l. I.

3 *Phineus visus erat*] Sic plerique veteres: unus Leidensis, *jussus erat:* unus meus *ausus:* duo Medic. *Phineus ultus erat;* eleganter. Val. Flaccus l. IV. sub finem de Amyco, 'Nec vero præcepta mihi suprema tyranni Fata queror, bellove magis lætarer et armis Occubuisse meis; quam lege quod occidit ultus Ipse sua.' Sic 'inultus' quoque tam active quam passive sumitur. *Heins.* *Phineus*] Phineus rex Arcadiæ Plexippum et Pandiona, ex Cleopatra Boreæ et Orithyiæ filia natos, falso ab Harpalice, Diodoro, Idæa, superinducta iis noverca, insimulatos occæcavit. Quam impietatem cæcitatis talione ulti Dii Harpyias insuper immittunt qui cibos ipsi appositos raperent fœdarentque. Sed vide Diodorum l. v. cap. de Argonautis; et Palæphatum de Phineo. *Juvenesque*] Argonautis a Phineo benigne exceptis et de itinere atque expeditione admonitis, Calais et Zetes alati Boreæ filii, Harpyias ad Ins. Plotas inde Strophades dictas fugarunt.

4 *Virgineas*] Æneid. III. 212. *Farn.*

6 *Phasidos*] Fl. Colchidis in Euxinum mare se exonerantis.

7 *Phryxeaque*] Aurei arietis, quo huc vectus est Phryxus, vellus: vers. penult. lib. præced. et infra.

8 *Voxque datur Minyis*] *Lexque* cum primo Gronovii: et *numeris laborum*, non *Minyis*, cum vetustioribus majori ex parte. Vide Notas Pont. II. 9. Florent. S. Marci, *Visque datur.* Heins. *Lexque*] Jasoni aureum vellus nomine Peliæ poscenti respondit Æetes, Non hoc licere aut posse reddi, priusquam tauros quis ignivomos domuisset, draconem vigilem custodem cecidisset, dentes ejus seminasset, natosque inde terrigenas stravisset. Apollon. III. 405. Pindarus Pyth. IV. *Farn.* *Lexque datur numeris*] Hoc est, responsum datur ab Æeta, magnos inesse labores in rapiendo vellere aureo significans.

9 *Concipit interea*] Juno et Pallas, de Jasone sollicitæ propter certamina tam periculosa illi ab Æeta proposita, Veneri persuaserunt, ut Cupidinem ad Medeam mitteret, qui Jasonis amore ipsam inflammaret. *Æetias*] Medea, Æetæ regis Colchorum filia. *R.*

12 *Nescio quis Deus obstat*] Sic de Didone Virgil. Æneid. I. 'hæc oculis, hæc pectore toto Hæret, et interdum gremio fovet, inscia Dido Insideat quantus miseræ Deus.' *Mirumque quid hoc est*] Alii *mirorque;* frustra: duo Vossiani *quis hic est:* *quid hic* Rottendorph. Lovan. *quod hoc sit.* Scribe, *mirumque, nisi hoc est.* Mirum est, inquit, nisi amo; ita veteres loquebantur. Plautus Amphitr. Act. I. Sc. 1. 'Mirum, ni hic me quasi murænam exossare cogitat:' et paulo ante, 'Mira sunt, nisi invitavit sese in cœna plusculum:' et sæpe alibi. Sic et *mirum quin*, passim, apud eundem: ut Amphitr. Act. II. Sc. 2. 'Mirum, quin te adversus di-

cat.' Sulpicius Servastus de Cupiditate in Catalectis Pithœi, 'Mirum, ni pulchras artes Romana juventus Discat, egregio sudet in eloquio.' *Heins.*

14 *Nimium mihi dura videntur*] *Tibi* Langermannianus codex: et mox duo Medicei, *si posses, sanior esses;* ut pergat Medea ad se ipsam sermonem convertere. Adi Notas ad Epist. x. 75. *Idem.*

19 *Sed trahit invitam*] *Gravat* Florentinus S. Marci, primus Vatican. prior Hamburgensis et unus Bononiensis: ut apud Senecam Hercule Furente, 'quæ domum clades gravat.' Ita frequenter veteres. *Idem. Nova vis*] Magna amoris potentia mihi nunquam ante hac experta.

20 *Video*] Euripidis Hippol. 380. Τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα, καὶ γιγνώσκομεν, Οὐκ ἐκπονοῦμεν δέ. *F. Video meliora, proboque*] Ex Græco: Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω κακὰ, Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

25 *Quid enim*] Τίπτε με δειλαίην τόδ' ἔχει ἄχος, εἴθ' ὅγε πάντων Φθίσεται ἡρώων προφερέστατος, εἴτε χερείων; Ἐῤῥέτω, &c. Medea apud Apollonium III. 464. *Farn.*

26 *Quem nisi crudelem*] *Quam* probe unus Vossianus pro diversa lectione: et tum mox quoque *quam non;* quomodo Lovaniensis, et unus Mediceus. *Heins.*

28 *Forma movere potest*] *Ore* multi ex melioribus: quod si admittimus, versu proximo pro *taurorum ore* erit reponendum *igne*, cum prim. Moreti, Oxon. prim. Hamburg. et aliis duodecim. *Afflabitur aura* Grævianus pro diversa lectione. *Idem.*

35 *Cur non*] Ista eodem compendio exprobrantur Jasoni a Medea Euripidis, vs. 477. Ἔσωσά σε'....Πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην Ζεύγλῃσι, καὶ σπεροῦντα θανάσιμον γύνη. Δράκοντά θ', ὃς πάγχρυσον ἀμφέπων δέρας, Σπείραις ἔσωζε πολυπλόκοις ἄϋπνος. Imitatur Seneca in Medea, vs. 466. *Farn.*

36 *Terrigenasque feros*] Homines e terra natos. *Insopitumque draconem*] Pervigilem.

37 *Di meliora velint*] Puto, *Di meliora, velim,* ex veteri formula, 'Di meliora,' vel 'Di melius;' cui 'ferant' vel 'dent' subintelligitur: sic Græcis εὐφήμει. Virgil. 'Di meliora piis.' Cicero Philipp. VIII. 'Ergo habet Antonius, quod suis polliceatur? quid nos? numquid tale habemus? Di meliora.' Val. Maximus IV. 3. 'Sophocles ætate jam senior, cum ab eo quidam quæreret, an etiamnum rebus Venereis uteretur, Di meliora, inquit.' Idem Valerius VI. 1. sub finem: neque aliter Livius non uno loco. De Sophocle narrationem Valerius ex Catone Ciceronis hausit, ille ex sui Platonis libro primo de Republica: uterque 'Di meliora' in responso Sophoclis reddiderunt, quod apud Platonem, εὐφήμει, ὦ ἄνθρωπε. Noster Art. Am. 'Di melius, quam nos moneamus talia quenquam:' et, 'Di melius: vix hoc nupta tenere potest.' Lucanus l. II. 'Dii melius, belli tulimus quod damna priores.' Lib. III. 'Di melius, quod non Latias Eous in oras Nunc furor incubuit;' atque ita sæpe: sic et 'Di bene;' de quo diximus Trist. l. I. El. 2. 41. *Heins.*

41 *Pœnæ*] Aut dolori quo afficiar ex illius amore, aut supplicio quod de me pater sumet.

44 *Ea gratia formæ*] Quia præcesserat, 'sed non is vultus in illo,' ne bis idem dicat, videtur rescribendum, *ea gratia morum.* Heins.

46 *Et dabit ante fidem*] Et antequam illi opem feram jurejurando promittet me sibi uxorem futuram. *R. Fidem*] Quam spondet ille, Argon. Apoll. III. 1078. et apud Val. Flaccum VII. 498. 'Per te quæ superis, Divisque potentior imis, Perque hæc, virgo, tuo redeuntia sidera nutu, Atque per has nostri juro discriminis horas: Unquam ego si meriti sim

noctis et immemor hujus, Si te sceptra, domum, si te,' &c. *Farn.*

48 *Tibi se semper debebit Iason*] Sic Virgil. XII. 'Turnum jam debent hæc mihi sacra.' Et X. 'soli mihi Pallas debetur.' Et in Propert. I. Eleg. 6. similis elegantia: 'illa meam mihi jam se denegat.' Juven. Satyr. III. 'Nil tibi se debere velit:' et Sat. VI. 'ut se tibi semper Imputet.'

49 *Perque*] Τιμήεσσα γυναιξὶ καὶ ἀνδράσιν αἰδοίη τε Ἔσσεαι, &c. Apollon. ναὶ σώτειραν Ἀργοῖ καὶ προπόλοις. Pindarus Olymp. XIII. *Farn.*

51 *Germanam*] Chalciopem. *Fratremque*] Absyrtum.

54 *Sororis*] Chalciopes, quæ Phryxo nupserat, et de filiis patrimonium petentibus solicita, opem artemque sororis Medeæ implorabat. *Farn.*

56 *Servatæ pubis Achivæ*] Cave admittas, quod in plurimis exstat membranis, *puppis Achivæ.* Apud Val. Flaccum simili modo non semel peccatur; ut initio l. VI. ubi, *Graiamque absumere pubem,* pro *puppem,* scribendum: ut et l. V. 620. 'Promissaque vellera pubi Thessalicæ.' Et l. IV. 'Mox abit, et sociæ victor petit agmina pubis.' Apud Statium quoque l. V. Sylv. Epicedio Filii, 'Non ego mercatus Pharia de pube loquaces Delicias' legendum: sic *primo* pro *Brimo* apud Propertium II. Eleg. 2. et infra hoc libro apud nostrum *flumina Phœbes* pro *Bœbes* constanter in membranis. *Heins.*

58 *Cultusque artesque virorum*] *Locorum* plerique vetustiores; quod impense placeret, nisi jam præcessisset, 'Notitiamque loci melioris:' sed forte illic *soli* reponendum. Vide quæ notavi IV. 765. *Colonum* primus Medic. Bernegger. et unus Moreti. Trist. III. 8. ex vestigiis veterum librorum, 'Cumque solum, moresque hominum, cultusque locorum Cernimus.' *Idem.*

61 *Et vertice sidera tangam*] Illi vertice sidera tangere dicuntur, qui sibi felices videntur.

62 *Nescio qui montes*] Cyaneas petras innuit, quæ et Symplegades dicuntur. *R.* *Mediis*] Symplegades, Cyaneæ, ins. in maris Euxini ostio, quæ longe navigantibus modo coire modo disjungi videntur. Pindarus Pyth. IV. Συνδρόμων κινηθμὸν ἀμαιμάκετον Ἐκφύγειν πέτραν. *Mediis incurrere in undis Dicuntur montes*] Codices majori ex parte *occurrere:* secundus et tertius Palat. primus Basil. Rottendorph. et decem alii, *concurrere;* vere: ita de Cyaneis cautibus passim scriptores. Noster Amor. l. II. 'Quæ concurrentes inter temeraria rupes Conspicuam fulvo vellere vexit ovem.' Et Metamorph. l. XV. 'timuit concursibus Argo Undarum sparsas Symplegadas elisarum.' Virgil. Æn. IX. 'credas innare revulsas Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.' Statius Theb. XI. 'Cyaneos vetuit concurrere montes.' Juvenal. Sat. XV. 'vel concurrentia saxa Cyaneis.' Claudian. lib. II. in Eutrop. 'Concurrere freti fauces:' et initio libri de bello Getico 'Deceptum vagæ concursum rupis' dixit agens de Argonautis. Accius Argonautis apud Ciceronem l. II. de Natura Deorum 'undas concursantes.' Plinius IV. 13. 'Cyaneæ, aliis Symplegades appellatæ, traditæque fabulis inter se concurrisse.' Mela II. 7. 'Contra Thracium Bosporum duæ parvæ parvoque spatio distantes, et aliquando creditæ dictæque concurrere, et Cyaneæ vocantur et Symplegades:' sic et Hyginus Fab. 19. neque aliter passim Valerius Flaccus. Theocritus Idyll. XXII. πέτρας εἰς ἓν ξυνιούσας appellavit; a concurrendo συνδρόμιδες dictæ. *Heins.* *Montes mediis concurrere in undis*] Redeatur ad Epist. XII. vs. 121.

63 *Charybdis, Scylla*] Virgil. Æn.

III. 420. quæ nos ibi. *Farn.*

67 *Per freta longa ferar*] *Trahar* secundus Vatic. pri. Basil. opt. Thuan. et duo alii: ut l. VIII. ‘puppimque amplexa recurvam Per freta longa trahar.’ ‘Ferar’ paulo ante præcesserat. *Heins.*

69 *Conjugiumne putas*] *Vocas* secundus Mediceus, Neap. et duo alii: ut apud Virgil. ‘Conjugium vocat: hoc prætexit nomine culpam.’ *Idem.*

74 *Hecates Perseidos*] Hecate filia fuit Persæ Solis filii: vide Natal. l. III. Mythol. 5. et 15. *Ibat ad*] Admonuerat Jasonem Argus filius Chalciopes, Medeam, Ἠερίην Ἑκάτης ἱερὸν μετὰ νηὸν ἰοῦσαν....ἐπεί ῥα θεῆς αὐτὴ πέλεν ἀρητεῖρα. Apol. III. *Hecates*] Soli in Scythis duos fuisse filios refert Diodorus l. V. Æetem et Persen; Æeta in Colchis regnavit, in Taurica Perses; crudeles ambo efferique. Ex Perse Hecate orta est, immanitate patrem superans, et venefica; patrio more advenas Dianæ sacrificare solita, veneníque varias species a se mistas in advenis experiri. Patre sublato regni habenas sumpsit, patruo Æetæ nupsit, cui tres peperit liberos, Circen, Medeam, Ægialeum, qui aliis dictus Absyrtus. Aliter Hesiodus in Theogonia, Ἠελίῳ δ' ἀκάμαντι τέκε κλυτὴ Ὠκεανίνη Περσηΐς, Κίρκην τε, καὶ Αἰήτην βασιλῆα. Αἰήτης δ'....Γῆμε Εἰδυῖαν...Ἡ δέ οἱ Μήδειαν...Γείνατο. Idem alio in loco Theog. ait, Asterien ex Perse peperisse Hecaten, Τὴν περὶ πάντων Ζεὺς Κρονίδης τίμησε· πόρεν δέ οἱ ἀγλαὰ δῶρα, Μοῖραν ἔχειν γαίης τε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης, &c. Ita ut in sacris invocetur Hecates nomine. Eandem esse volunt cum Diana, Proserpina, Luna, dicique quod ἑκὰς, id est, longe radios jaciat, uti soror Apollinis. *Farn.*

75 *Umbrosaque silva tegebat*] *Tegebant* primus, et multi alii. *Heins.*

76 *Et jam fortis erat, pulsusque resederat ardor*] *Fractus erat* multi veteres ex melioribus: *residerat* etiam Bernegger. et tres nostri. Puto, *Et jam fortis erat, fractusque residerat ardor.* Idem.

77 *Exstinctaque flamma reluxit*] *Revixit* longe elegantius primus Gronovii, Arondel. et alii complures. Remed. Amor. ‘Ut pæne exstinctum cinerem si sulphure tangas; Vivet, et e minimo maximus ignis erit.’ Fast. III. ‘Quos sancta fovet ille manu, bene vivitis ignes, Vivite inexstincti flammaque duxque precor.’ Plaut. Aulularia, ‘Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo.’ Propertius IV. Eleg. 3. ‘Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem:’ atque ita passim optimi Latinitatis auctores; ut et contra *mori.* Noster Amor. libro I. 2. ‘Vidi ego jactatas mota face crescere flammas, Et vidi nullo concutiente mori.’ Martiali quoque Epigr. IV. 4. ‘spurcæ moriens lucerna Ledæ.’’ Sic ‘vivens favilla’ et ‘viva flamma’ apud Nostrum in Fastis: ‘Viva lucerna’ apud Horatium; ‘vivi carbones’ apud Petronium; et apud Capitolinum in Pertinace, ‘vivacissimi carbones.’ *Idem.*

78 *Erubuere genæ*] *Et rubuere* meliores: et mox *Ut solet a ventis,* non *Utque solet ventis.* Idem.

82 *Sic jam lenis amor*] *Lentus* primus Reg. et tres alii: de quo ad Epist. Sapphus et Remed. vs. 768. *lætus* Genev. Cæterum versus proximus pro spurio ἐς κόρακας ablegandus. *Idem.*

83 *Specie*] Pulchritudine.

84 *Et casu*] Imo Juno ‘lumenque juventæ Purpureum et lætos oculis adflarat honores:’ Ἔνθ' οὔπω τὶς τοῖος ἐπὶ προτέρων γένετ' ἀνδρῶν,...Οἷον Ἰήσονα θῆκε Διὸς δάμαρ ἤματι κείνῳ, Ἠμὲν ἐς ἄντα ἰδεῖν, ἠδὲ προτιμυθήσασθαι. Apollon. III. 918. *Farn.*

88 *Nec se declinat*] Nec oculos suos ab illo avertit spectando.

90 *Submissa voce*] Ne ab aliis quæ dicebant perciperentur. *R.* Πρὸς

αὐτῆς Ἑκάτης μειλίσσομαι, ἠδὲ τοκήων, Καὶ Διὸς, ὃς ξείνοις ἱκέτῃσί τε χεῖρ' ὑπερίσχει. vs. 985. et deinceps. *Farn.*

94 *Triformis Deæ*] Hecates, quæ et Luna, et Diana, et Proserpina creditur esse. *R.* *Triformis*] Vide quæ ad vs. 417. lib. II. et quæ ad Hippolytum Senecæ vs. 417. *Farn.*

96 *Perque patrem soceri*] Per Solem Æetæ patrem, quem sibi socerum Medeæ conjugio cupiebat. *Cernentem cuncta*] Omnia aspicientem: nam Sol omnia et audit et videt. *R.*

97 *Et tanta pericula*] *Per tanta* primus Gronov. tert. Medic. et tres alii; et deinde *recedit* pro *recessit* cum iisdem et optimo Thuan. *Heins.*

98 *Cantatas*] *Φάρμακον προμήθειον*, quo qui ungitur, neque vulnerabilis fuerit, neque obnoxius igni, illo die superior omni vi futurus. Apollonius III. 843. *Νάφθαν* a Græcis dici Medeæ olim refert Suidas. *Farn.*

101 *Sacrum Mavortis in arvum*] In sacrum Martis campum. In illo namque vellus aureum super fago arbore collocatum a pervigili dracone servabatur. *R.* Ibi sub jugum tauri missi, et dentes serpentis seminati fuere. Lucus autem Martis, in quo vellus aureum servabatur, alio loco, et ab urbe Colchorum aliquantum remotiore fuit. *Micyll.*

103 *Sceptroque insignis eburno*] *Innixus* in nonnullis veterum: ut lib. I. 'Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno.' *Heins.*

104 *Adamanteis*] *Παπτήνας δ' ἀνὰ νειὸν ἴδε ζυγὰ χάλκεα ταύρων, Αὐτόγυόν τ' ἐπὶ τοῖς στιβαροῦ ἀδάμαντος ἄροτρον*, &c. Apollon. III. 1282. et Pindarus Pyth. IV. *Ἀλλ' ὅτ' Αἰήτας ἀδαμάντινον ἐν Μέσσοις ἄροτρον σκίμψατο, Καὶ βόας οἳ φλόγ' ἀπὸ ξανθᾶν γενύων πνέον καιομένοιο πυρός.*

105 *Æripedes*] *Χαλκείας δ' ὁπλαῖς, ἀράσσεσκον χθόνα*, &c. Habentes pedes ex ære solidos, a Vulcano scil. factos: ut *Χαλκόποδες ἵπποι*, Homero; non a cursu celeri; ut 'aëripides cervi.' Jos. Scal. ad Auson. lib. I. 6. *Farn.*

106 *Herbæ Ardent*] *Arent* malim: vide Notas lib. VIII. 289. *Heins.*

107 *Silices fornace*] Periphrasis est calcis, quæ fit lapidibus ita excoctis, ut nihil humoris retineant, in quos quidem si immittatur aqua, cum quodam stridore et ignem concipiunt, et dissolvuntur. *R.*

114 *Fumificis*] Furnum efficientibus. Spondeo autem in quinta carminis sede usus est poëta, ut boum mugitus exprimeretur.

115 *Nec ignes Sensit anhelatos*] Frustra plurimi veterum, *ullos anhelatus* vel *illos anhelantes.* Noster Epistola Medeæ, ut jam vidit Naugerius, 'Isset anhelatos non præmedicatus in ignes Immemor Æsonides.' Fast. IV. de Ætna, 'Cujus anhelatis ignibus ardet humus.' Sic et 'anhelatæ flammæ' Ausonio in Mosell. Præterea *sentit* legendum cum nonnullis. *Heins.*

118 *Suppositosque*] Tauros hosce interpretatur Diodorus lib. V. satellitum regis Taurici excubias; draconem, sacerdotem Martis, custodiæ templi præfectum: Phryxi pædagogum appellat Arietem: vel etiam avectum narrat Phryxum navi, cujus insigne erat aries. *Farn.*

120 *Mirantur Colchi*] Colchi Scythiæ sunt populi, Ægyptiorum coloni. *R.* *Minyæ clamoribus augent*] *Implent* prim. Reg. tert. Mediceus, et quinque alii; recte: ne bis idem dicat. 'Implere' pro hortari; apposite apud Virg. l. VII. 'Turnus Rutulos animis audacibus implet.' Silius libro I. 'Attollitque animos hortando et talibus implet.' Lib. V. 'Nunc hos nunc illos adit atque hortatibus implet.' Lib. VIII. 'blandis hortatibus implet.' Val. Flaccus lib. IV. 'defert celeranda parentis Imperia, atque alacrem lætis hortatibus implet.' Et libro II. 'Hanc superincendit Venus, atque his vocibus implet.' Statius Theb. X. 'sic ille truces hortatibus

implet Labdacidas.' Paulo aliter sumitur apud Virgilium lib. XI. 'Turnum in silvis sævissimus implet Nuncius.' Idem Statius lib. VII. 'venit attonitæ Cadmeius heros Obvius, et raptam lacrymis gaudentibus implet.' Sic 'Muneribus Deos implere' infra hoc ipso libro. Epicedio Drusi, 'Gradivumque patrem donis implere parabas.' Val. Flaccus lib. II. 'tum voce Deos, tum questibus implent.' Et 'implere spes,' 'vota,' et similia. *Heins.*

122 *Vipereos*] Partem dentium serpentis a Cadmo interfecti ad Æëtem miserunt Pallas et Mars. ὀδόντας Ἀονίοιο δράκοντος, ὃν Ὠγυγίῃ ἐνὶ Θήβῃ Κάδμος, &c. Apollon. III. 1176. Vide lib. III. 105. Sopitus enim hic draco, non interfectus est. *Farn.*

123 *Semina præcincta*] Infecta potenti veneno, ut ex quibus homines armati sint nati. *R.* *Semina mollit, &c.*] Mori vulgo dicuntur semina in terram jacta, cum mollescere et diffundi incipiunt, cum comprehendunt, ut loquitur Columella. *Pont.*

126 *Perque suos numeros*] Per suas omnes particulas.

131 *Peracutæ cuspidis hastas*] *Præacutæ* ex scriptis plerisque: sic 'præacutæ sudes' Sallustio apud Servium, et Ammiano l. XVIII. 'præustæ sudes' Virgilio. *Heins.*

133 *Pelasgi*] Minyæ Thessali.

134 *Ipsa quoque*] Medea.

137 *Gramina*] Herbæ. *R.* *Carmen Auxiliare*] Reservare sibi solebat Medea carmen magicum potentissimum, quod tanquam arietem et machinam extremam adjuvandis veneficiis adhiberet. Hoc ab effectu 'Auxiliare' et 'secretas artes' idonee nominat Poëta. *Pont.*

139 *Ille*] Ita enim edoctus fuerat a Medea. Apollon. lib. III. vs. 1055. Αἴκεν ὀρινομένους ποτέας νειοῖο δοκεύσῃς, Λάθρη λᾶαν ἄφες στιβαρώτερον· οἱ δ' ἂν ἐπ' αὐτῷ, Καρχαλέοι κύνες ὥστε περὶ βρώμης, ὀλέκοιεν Ἀλλήλους. Conjectum ab Jasone in vulgus seditionis semen innuitur, unde mutuo inter se civilique bello interierunt, ut lib. III. 118. *Farn.*

145 *Obstitit incepto pudor*] Etiam hunc versum meo tolle periculo. *Heins.*

147 *Affectu tacito*] Amore occulto. *Et Diis auctoribus horum*] Diis inferis, Hecatæque inprimis.

149 *Pervigilem*] Draco hic, ut habet Diodorus lib. V. custodiæ templi Martis dux erat, pelli aureæ usque incubans. Erat autem templum longe ab urbe Sybari, stadiis 70. Medea itaque noctu accedens, corrupto, vel veneno perempto Dracone, vigiles Taurica lingua appellavit, quæ admissa introduxit simul Argonautas, qui erepta pelle aurea, e vestigio nave conscensa in patriam reversi sunt. *Farn.*

151 *Aureæ arboris*] In qua vellus aureum suspensum erat, et a vasto et monstrosæ magnitudinis dracone custodiebatur. *R.* *Custos erat arboris aureæ*] Nescio an recte dicatur arbor aurea, quod aureum vellus ferat. In altero Hamburgensi pro diversa lectione, *arietis auri*, cum glossa, 'celeusmaticus pro dactylo.' Scribe, *arietis aurei.* Epistola Medeæ, 'Aureus ille aries villo spectabilis aureo.' Ita passim Latinis aries Pelopeus dictus: κριὸς χρυσόμαλλος Græcis. Est autem προκελευσματικὸς, quo pede nihil usitatius, maxime apud Virgilium; qui pari modo τὸ *abiete*, *ariete*, *abietibus*, *arietat*, et similia solet contrahere. Vide quæ notamus lib. IV. 221. certe in Norico, qui inter meliores est, *custos erat velleris aurei.* Heins.

154 *Flumina sistunt*] *Sistant* ex octo libris. *Idem.*

155 *Somnus in ignotos oculos ubi venit*] Interrupta oratio. Ab uno Mediceo τὸ *ubi* abest. Editio Gryphii, *advenit;* unus Moreti *nunc venit;* alius *huic venit;* unus Vossianus *sibi venit.* Scribe, *Somnus in ignotos oculos sub-*

repit, vel *obrepit*. Statius lib. I. Sylvar. Soteriis, 'fessos penitus subrepit in artus Insidiosa quies.' Horat. Arte Poëtica, 'Verum opere in longo fas est obrepere somnum:' ubi scribendum, *operi longo*. Seneca Troad. 'Brevisque fessis somnus obrepsit genis.' Noster Fast. III. quæ illic vera lectio, 'Blanda quies furtim victis obrepit ocellis;' non *victos oppressit ocellos:* 'subit lumina victa sopor,' Epistola Herus: 'verguntur lumina somno' apud Valerium Flaccum, VIII. 65. 'an lumina somno Vergitur, et domitum potius tibi tradimus anguem?' ita scribo: perperam nunc *Mergitur* in vulgatis exstat exemplaribus. Elegans Græcismus et familiaris Valerio: sic 'declinari somno oculi' Propertio dicuntur libro II. Eleg. 1. 'Seu cum poscentes somnus declinat ocellos:' ubi tamen *poscentes somnum* cum scriptis malim; ut apud Nostrum Fast. II. 'Functus erat dapibus: poscunt sua tempora somnum.' Idem Propert. IV. Eleg. 7. 'inclinare oculos.' 'At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes:' ubi *hiantes oculos* opinor reponendum esse, quo verbo sæpe utitur Propertius: sic 'hiantem calamum' et 'hiantes flores' et 'morsus hiantes' alibi: perperam Scaliger *inclamavit:* 'dulci declinare lumina somno' apud Maronem Æneid. IV. 'submittere' Noster Amor. III. Eleg. 5. 'Nox erat, et somnus lassos submisit ocellos.' Malim etiam *at auro potitur*, pro *et*. Idem. *Auro*] Aureo vellere. Sed quid illud? Utrumne aries vere aureo vellere insignis ex Mercurii contactu? ut volunt Orpheus, Apollonius, Catullus, cujusmodi a Simonide vocantur purpurea aut candida. J. Tzetz. Πρόβατα χρυσόχροα φέροντα τὴν ἐρίαν. An nativo insignia rutilo, qualia habet Iberia? quippe ibi talento singulos emi arietes εἰς τὰς ὀσχείρας refert Strab. III. Spart. in vita Diadumeni inter imperii adipiscendi omina recenset in agro patris ejus oves purpureas natas. Vide quæ nos ad Thyesten Senecæ vs. 222. de arcano Tantalidarum ariete et sceptro aurato. An forte phiala erat aurea, cujus in medio prominebat caper aut agnus aureus? ut habet Athenæus, lib. VI. 4. An opulentia Scytharum, apud quos aurifodinæ, nec non ramenta auri fluminibus devecta et ab incolis excerpta tabulis perforatis, et velleribus transverso flumine suspensis, Phryxo prius, deinde Jasoni expeditionis causam, poëtis fabulandi argumentum dederunt? An utique templum erat a Phryxo, qui Chalciopen regis Colchici filiam duxerat, conditum, auroque quod ex Græcia secum abstulerat aliisque ἀναθήμασι ditatum, ad quod vel repetendum vel etiam prædandum navigarunt Argonautæ? spoliatum id a Pharnace prius, deinde a Mithridate Pergameno, tradit Strabo lib. II. An denique liber membranaceus ex arietum pellibus contextus, auri per chymiam conficiendi artem continens? ut, inter alios, in δέφας Suidas. De aureis malis, τοῖς μήλοις, vide IV 637. Qui ad mores fabulam referunt, Jasonem volunt a Chirone educatum, doctumque ἴασιν, artem medendi sanandique tum mentis tum corporis morbos. Medeæ itaque, id est, μήδεος, consilii, ope violentorum affectuum tauros, injuriæ, fraudis, avaritiæ, libidinis, aliorumque vitiorum serpentes domuisse. *Farn.*

156 *Heros Ausonius*] Jason Æsonides.

157 *Muneris auctorem*] Medeam alterum spolium, quæ auctor et causa fuit ut Jason vellere aureo potiretur.

158 *Iolchiacos tetigit portus*] Libri magna ex parte, *Colchiacos*, *Cecropios*, *Thessalicos*, *ad Hæmonios;* frustra. Scribe *Iolciacos portus*. Græcis enim est Ἰωλκὸς, non Ἰωλχὸς, portus Thessaliæ, unde Jasonem cum Argonautis solvisse testis Pindarus Pyth. Od. IV. Hinc Senecæ in Troad. 'maris vasti

domitrix Iolcos' dicta. Apud Propertium eadem vox corrupta, 'Colchis Colchiacis urit aëna focis:' ubi *Iolciacis* legendum, cum ad Æsonis recocti fabulam alludat; quod video magnum Scaligerum quoque jam vidisse. Apud Martialem quoque lib. XII. Epigr. 57. legendum aliquando arbitratus sum, 'Cum secta Iolco luna vapulat rhombo,' non *Colcho:* nam lib. IX. Epigr. 30. 'Thessalicum rhombum' dixerat. Apud Virgilium in Ciri, 'Iolciacis animum defigere votis.' Apud Horatium quoque vera lectio est Epod. v. quam codices castigatissimi adstruunt: 'Herbasque quas Iolcos atque Iberia Mittit venenorum ferax.' Perperam nuperæ editiones *Colchos.* Heins. *Iolciacos*] Thessalicos. Iolcos enim opp. Thessaliæ. *Farn.*

FAB. II. Arg. *Æmoniæ matres*] Jason enim cum Medea a Colchis reversus, cum Æsonem patrem senio confectum offendisset, uxorem Medeam rogavit, ut sibi ademptos annos patri apponeret. Medea vero majus quam petebatur pollicita, variis undique herbis collectis, unaque concoctis, Æsonem jam decrepitum ad quadraginta annorum ætatem revocavit.

159 *Æmoniæ matres*] Thessalæ. Hæc vero ad copulationem sequentis Metamorph. enarrantur. *Dona ferunt*] Templis subaudiatur: Diis enim sacrificabant propter filiorum reditum. *R. Pro natis*] *Gnatis*, ἀρχαϊκῶς, quatuor meliores. *Heins.*

160 *Congestaque flamma*] *Flammæ* duo veteres: nisi pro *liquefaciunt* malis cum primo Regio et uno meo, *liquefiunt;* quomodo et duo Basileenses: est enim communis syllaba, qualis in *liquefaciunt.* Idem.

161 *Indutaque cornibus aurum*] *Inductaque* meliores maxima ex parte; quod probum est. Libro x. 'pandis inductæ cornibus aurum Conciderant ictæ nivea cervice juvencæ:' ita et illic membranæ veteres. Adi Notas Pont. IV. 12. *Idem. Indutaque*] Hostiarum majorum in sacris cornua inaurare moris erat. *Farn.*

162 *Victima vota facit*] Imo *cadit* cum Bersmanni codice: primus Gronovianus *Victima grata cadit.* Amor. l. II. 'pro reditu victima vota cadet.' Pont. IV. 9. 'Dum caderet jussu victima sacra tuo.' *Heins.*

164 *Tum sic Æsonides*] *Cum* ex scriptis. *Idem.*

168 *Deme meis annis, et demtos adde parenti*] *Meos annos* Urbin. Neap. duo Medicei. Forte, *Deme meis annos, et demtos adde paternis.* Præcedenti versu *quid enim non possint*, pro *possunt*, prior Hamburgensis. *Idem.*

170 *Subiit pater Æta relictus*] Τὸ *pater* ejiciunt Florentinus S. Marci, primus Pal. pri. Vatic. Neapol. et Noricus, recte; ut jam monui ad Epistolam Hypsipyles. *Idem.*

172 *Excidit ore tuo*] *Ore pio* Neapol. Urbin. Bernegg. prior Hamburg. duo alii; bene. Virgilii illa respexit lib. II. 'tantumne nefas patrio excidit ore?' *Idem.*

173 *Videor*] *Videar* ex quinque scriptis. *Idem. Spatium transcribere vitæ*] Ex Æneid. v. 'Transcribunt urbi matres, populumque volentem Deponunt.'

174 *Non sinat*] *Nec sinat* cum melioribus. *Heins.*

175 *Quod petis experiar majus*] O Jason, tu munus a me petis de patris ætate renovanda; conabor majus dare quam petis: nam illum ad juventutem traducam; et de tuis annis qui restant nihil decerpam. *Pont.*

177 *Non annis renovare*] *Revocare* meliores: sic et postea puto legendum, 'per quos revocata senectus In florem redeat:' vel, *revocata juventus;* quod est in nonnullis. *Heins. Diva triformis*] Hecate veneficiorum carminumque auctor.

178 *Præsens*] Propitia.

179 *Tres*] A plenilunio tres deerant noctes. Luna autem veneficiorum præses, quæ plena efficacius 'despu-

mat in herbas,' et largius 'virus lunare ministrat.' Lucan. VI. *Farn.*

182 *Vestes induta recinctas*] Alii *vestes exuta relictas : exuta relictis* Cantabrig. et Neap. ut apud Senecam Hercule Furente, 'Et citi tectis properant relictis Attici noctem celebrare mystæ :' alii aliter codices, nisi mavis *adducta recinctas ;* vel, *incincta reductas :* nam in multis veterum, *inducta recinctas.* De 'tunica recincta' vide quæ notamus ad Amores. *Heins.*

183 *Nuda*] Magarum Nudipedalia, Nyctelia, ritus certos, habes apud Theoc. Idyll. II. Virg. Eclog. VIII. et Æneid. IV. 518. Senec. in Medea vs. 751. Lucan. VI. 654. et quæ nos ad illos : nec pigeat adire quos citavi in Poëtico Indice nostro titul. *Veneficia.* Farn.

186 *Solverat alta quies*] De silentio noctis, et quale illud, quomodo et quo tempore sit servandum, Cicero docet de Divinat. Quo etiam respicit Virgil. Æneid. IV. 'Nox erat,' &c. quem locum Scaliger De re poëtica divinum prædicat. Virgil. autem hoc sumsit ex Argonaut. III. 743. Νὺξ μὲν ἔπειτ' ἐπὶ γαῖαν ἄγεν κνέφας, &c. et 1028. Δὴ τότε μέσσην νύκτα διαμμοιρηδὰ φυλάξας. Plutarch. Sympos. VIII. quæst. 3. Οὐδὲ γὰρ ἐννοσίφυλλος ἀήτη τότε ὦρτ' ἀνέμων. Et Simætha apud Theocrit. Idyll. II. σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται. Et Eurip. Fab. IX. Οὔκουν φθόγγος γ' οὔτ' ὀρνίθων Οὔτε θαλάσσης· σιγαὶ δὲ ἀνέμων, &c. *Nullo cum murmure serpens Sopitæ similis; nullo cum murmure serpit ; Immotæque silent frondes*] Piget diversas lectiones congerere. Id unum monebo : pro *serpens* multos veteres agnoscere *sepes ;* probe, si versum proxime sequentem tollas ; et abest profecto ab uno Mediceo melioris notæ. Videtur enim inde conflatus, quod in nonnullis exemplaribus pro *Immotæque silent frondes*, ut suspicor, legeretur *Sopitæque :* quomodo Ovidium scripsisse nullus dubito. Sic 'sopiti titiones' apud Petronium, 'sopitus ignis' apud Virgilium. Scaliger quoque in ora codicis sui versum esse eradendum, quem erasimus, monuerat. *Heins. Serpens*] Sunt qui legunt *sepes, Sopito similis nullo cum murmure serpit.* Sed Poëtæ ipsius elegantia rejicit ineptam iterationem, et Ms. unus meus non admittit versum illum secundum : nihil hic de serpente, sed de nocte quam noster exprimere voluit ad illud Virg. Æneid. II. 'Tempus erat, cum prima quies mortalibus ægris Incipit, et Divum dono gratissima serpit.' *Farn.*

191 *Ternis et hiatibus ora*] *Ternisque...iatibus* Florent. S. Marci : *ternisque et hiatibus* Neap. in Urbinati penitus erasa vetus lectio: *ternis hiatibus* nonnulli, *ternis ululatibus* primus Basil. Grævianus, et tres alii ; probe : nisi mavis, *ternisque ululatibus ora Solvit.* Lib. XIV. 'et magicis Hecaten ululatibus orat.' Duo tamen veteres *latratibus ;* qui magis etiam a Lucano dantur. *Heins.*

195 *Triceps*] Τρικέφαλος, cui caput dextrum equinum, sinistrum caninum, medium humanum, vel suillum. Vide Floridi Subcisiva, III. 11. *Farn.*

196 *Cantus*] Incantamenta. *Artesque magorum*] *Magarum* et mox *magas* unus Argent. et Thysii : placet quodammodo. *Heins.*

197 *Instruis herbis*] *Armis* Bernegger. *Idem.*

199 *Ripis*] Quid operari valeat Magia ; Gœtia sit illa vel etiam Theurgia ; quid per motum localem, vel per caussas naturales, applicanda activa passivis, vel sensibus illudendo ; quid per dæmonia, herbas, verba, figuras, characteres, numeros, &c. an possint naturæ cursum mutare, sidera devocare, procellas excitare, &c. præter Platonicos Jamblichum, Plotinum, Porphyrium, Apuleium, præter Cornel. Agrippam de occulta Philosophia, Wierum de Magis infam. Binsfieldum, et alios quos citavi ad Æneid. IV. 487. vide Magiam omnifariam

Cigognæ, lib. III. et IV. Delrii disquis. magic. Augustin. de natura dæmonum. Eund. lib. X. de civitate Dei, c. 9. 10. 11. Item l. XVIII. c. 17. et 18. Arnobium contra Gentes l. I. Tertullianum adversus Gentes et lib. de Anima. et adversus Apollonium, Lactantium lib. II. de orig. Erroris c. 16. et 17. Eusebium præp. Evang. l. V. c. 8. et 10. et contra Hieroclem lib. V. Bullingerum de licita et vetita Magia. Laërtium in vita Empedoclis lib. VIII. et quos auctores citat. Index poëticus noster sub tit. *Magiæ vis.* Farn.

202 *Stantia freta*] Maria quieta; nunquam enim stat mare.

203 *Vipereas rumpo verbis*] *Herbis* unus Ambros. *rumpoque herbis* unus Bonon. Forte, *Vipereasque herbis et rumpo carmine fauces:* herbas enim seu gramina in re magica passim conjungebant carminibus. Amor. III. 'Num misero carmen et herba nocent?' Sabini Paris ad Œnonem, 'Cur cessant herbæ, carmina curve tua?' Gratius, 'Magicis adjutat cantibus herbas.' *Heins.*

207 *Te quoque*] Lib. IV. 333. *Temesæa*] A Temesa Brutiorum opp. ære claro Fast. v. 471. 'Temesæaque concrepat æra:' et Statius in sylv. 'Nusquam Temesæaque notabis æra:' vulgo legitur *temerata.*

208 *Currus quoque carmine nostro Pallent, et pallet nostris Aurora venenis*] *Pallent aut pallet*, prim. Pal. Cantabrig. Neapol. Bernegger. prim. Reg. sec. tert. quart. Medic. aliique magno numero. Scribe, *currus quoque carmine nostro Pallet avi, pallet nostris Aurora venenis.* Æetes Solis filius: unde liquet, quare avum Medea hic vocet Solem. Nihil verius est hac conjectura. Apposite de Medea Val. Flaccus l. VI. 'Illius ad fremitus sparsosque per avia succos Sidera fixa pavent, et avi gemit orbita Solis.' Ipsa Medea apud Senecam in cognomine Tragœdia: 'Avoque clarum Sole deduxi genus.' *Heins.*

212 *Impatiens*] *Haud patiens* meliores. *Idem.*

213 *Custodemque rudem somno sopistis*] *Rudem somni* bene Junianus; quod in suis etiam Naugerius non intellectum invenerat. Sic 'rudes operum juvenci' alibi apud nostrum, pro ignaris operum: 'rudis armorum' apud Statium; 'rudis exemplorum' apud Ciceronem, atque ita passim scriptores: sic et 'rudis malorum' Trist. III. 3. ubi plura. *Idem. Rudem somno*] Sic quidem legitur, exponiturque expertem somni draconem atque pervigilem. Sed cum hoc nomen *rudis* genitivo jungatur, aut *omni* mihi videtur legendum, aut certe *rudem* in *rubrum* vertendum, quo quidem modo is, qui in Græcam linguam hoc opus convertit, legere videtur, hoc est φοινικοῦν φύλακα, ut ad cristas et oculos rubentes referamus. *Aurum*] Aureum vellus.

214 *Vindice*] Custode dracone.

223 *Et visis regionibus applicat angues*] *Cretis regionibus* scripti fere omnes, nisi quod *certis* nonnulli. In Rottendorphiano hæc glossa erat addita, 'Isti montes circumeunt Thessaliam:' optime. Legendum enim *creteis regionibus*, pro cretosis; atque ita primus Vaticanus. Politianus in ora libri sui ex antiquo exemplari, *cretes;* quomodo Florentinus S. Marci. Unus Mediceus *Græcis.* Thessaliam cretæ fuisse feracissimam quis nescit? Noster infra non dissimili modo: 'cretosaque rura Cymoli.' 'Cretea persona' Lucretio lib. IV. ita enim constanter vetusti codices, quos vidi, pro forma cretea. In Catalectis Petronianis, 'Dum sumit creteam faciem Sertoria, cretam Perdidit illa simul, perdidit et faciem.' Ita puto scribendum apud Juvenalem Satyra VI. illo versu, 'Dicite vos neptes Lepidi, cæcive Metelli:' vetustus codex Pulmanni *creteive Metelli* exhibet; etsi et vulgata lectio est com-

moda: *creteis* autem elisa secunda *e*: sic in *igneus, aureus* sæpe. Supra lib. II. 'Aureus ut Danaën, Asopida luserit igneus.' Lib. X. 'non ausus eburnea virgo Dicere Pygmalion, similis mea dixit eburneæ:' ita utroque loco castigatissimi codices. Horatius Sat. I. 8. 'Abdiderim furtim terris et imagine cerea.' sic et in *ostrea* elisit Sat. II. 2. Ipso versus initio Virgilius, 'Ferreique Eumenidum thalami;' qui plenus horum, ut et Lucretius. *Heins.*

225 *Otrysque et Pindus*] *Otrysque Pindusque* primus Palat. tert. et quart. Medicei; prior Hamburg. Arondel. pri. Basil. Cantabrig. multique alii. Ne dubita, quin vere. *Idem.*

226 *Perspicit*] Diligenter inspicit. *Placitas radice revellit*] *Placita* pri. Vatic. secundus Mediceus, Oxon. et tres alii: revellit cum placita radice. *Heins.*

227 *Curvamine*] Falce ærea curva. *R.* *Ahena*] Æris, utpote purioris metalli quam ferri, usus in herbis secandis, spectris fugandis, Lunæ laboribus sublevandis. Macrob. V. lib. Saturn. 9. Cœl. Rhod. XIX. cap. 10. Virgil. Æn. IV. 'Falcibus et messæ ad Lunam quæruntur ahenis Pubentes herbæ.' Ἃς ἡ δὲ βοῶσ' ἀναλαζομένη γυμνὴ, Χαλκέοισιν ἦμα δρεπάνοις τομάς. Sophocl. *Farn.*

228 *Apidani*] Hic etiam obtrudunt nobis lect. *Eridani*, sed lege quæ dicta a nobis ad lib. I. 580. quibus adde, Planudem hic melioribus exemplaribus vel saniori consilio transtulisse: πολλαὶ δ' αὐτῇ κ' ἐν ταῖς ὄχθαις τοῦ Ἀπιδανοῦ ἤρεσαν. *Farnab.* *Multa quoque Apidani*] Apidanus notissimus Thessaliæ fluvius.

229 *Nec eras immunis Enipeu*] Apostrophe ad fluvium, quem immunem, hoc est, sine munere, non fuisse ait, quia Medea in illius quoque ripis multas collegit herbas. *Micyl.* *Amphrysi*] Paludis Thessaliæ. *Farn.*

230 *Nec non Peneus*] *Peneos* Thuan. *Peneidos* Bernegger. et multi alii; vel *Peneides: Penei* unus Gronov. *Peneios* Cantabr. et quatuor alii. Forte, *Nec non et Penei*: ut apud Virgilium Georg. IV. 'Penei genitoris ad undam.' *Spercheides* etiam, non *Sperchiades*, in melioribus. Puto, *Nec non Peneæ, nec non Spercheides undæ.* Heins. *Nec non Peneus*] Fluvius est Thessaliæ, qui et Araxes fuit vocatus.

231 *Juncosaque littora Bœbes*] Bœbe urbs Thessaliæ fuit Bœbeidi lacui adjacens. Videtur autem poëta Bœben pro Bœbeide lacu posuisse, cujus littora juncosa, a juncorum multitudine, vocat.

232 *Carpsit*] *Carpit* rectius alii. *Heins.* *Anthedone*] Bœotiæ oppido.

233 *Nondum*] Lib. XIII. 904. *Farn.* *Nondum vulgatum*] Nondum vulgo notum. In transcursu autem poëta Glauci quoque Metamorphosin tangit: quam tamen in tertiodecimo libro vs. 904. copiose describit. *Micyl.*

234 *Nona dies illam*] *Et jam* plerique. *Et jam nona dies*, octo; probe. *Heins.* *Nona dies illam, &c.*] Novem dies totidemque noctes in lustrandis quæ nominata sunt locis consumpsit. Videtur etiam novenarius, ut ternarius, numerus ad veneficium pertinere. *Pont.*

236 *Neque erant tacti nisi odore dracones*] *Pasti* alter Twisdenius, et pro diversa lectione duo Medicei, eleganter. Apposite Juvenalis, 'Virro sibi et reliquis Virronibus illa jubebit Poma dari, quorum solo pascaris odore.' *Heins.* *Nec erant tacti*] Aliam quoque Metamorphosin tangit. Nam dracones illi alati, odore tantum herbarum, quas Medea collegerat, senectam deposuerunt. *Micyl.*

239 *Tantum*] Sub dio pernoctavit secubans a viro. *Farn.*

240 *Statuitque aras*] Æneid. I. 'Urbem quam statuo, vestra est.' Et deinde, 'Crateras magnos statuunt.'

241 *Ast læva parte*] Sic vetustiores. *Heins.*

242 *Verbenis*] Verbena proprie dicta, *vervain*, est hierobotane: περιστερεῶν Sacra recta: usurpatur tamen pro omni herba et fronde qua sternuntur et coronantur aræ. De usu ejus in sacris et Magia, lege quæ Plinius habet lib. xxv. 9.

243 *Scrobibus*] Rite omnia Diis Inferis nigræ pecudes, nocturno tempore, sub terra nempe in scrobe depresso victimæ capite, latice et omnibus inversis immolabantur. *Farn.*

244 *Velleris atri*] Ovium nigrarum, quæ Hecatæ aliisque Diis inferis sunt gratæ.

246 *Invergens*] Ex Virgil. Æneid. vi. 'frontique invergit vina sacerdos:' ubi Servius: '*Vergere* est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur: quod in sacris inferis fit: *Fundere* autem est supina manu libare: quod fit in sacris supernis. Vergere sibi venenum.' Lucret. v. 'Pateræ verguntur.' Stat. Thebaid. iii. 'Invergere in me liquores tuos sine ductim.' Plaut. Curcul. i. 2. *Carchesia*] Macrob. Saturnal. iii. ait poculum esse Græcis tantummodo notum. Præterea Asclepiades carchesia ducta esse a re navali confirmat: et inferiorem mali partem pateram vocari: mediam circa partem τράχηλον dici: summam vero partem carchesium appellari; indeque in utrumque veli latus diffundi, cornuaque dici. *Liquidi carchesia vini*] *Bacchi* pro diversa lectione Neapolitanus et prior Hamburgensis; quod placet: infra lib. xiii. 'Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.' Virgil. lib. v. 'Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho.' In plurimis *liquidi mellis.* Heins. *Carchesia*] Vasa sunt ad potandum accommodata.

247 *Alteraque invergens carchesia*] *Æneaque* primus Palat. Neapol. Urbin. secundus Mediceus, alter Hamburg. et prior Erfurt. at Cantabrig. pro diversa lectione *Æreaque;* quod verum est. Æris enim plurimus in magicis usus; hinc *falcem aenam* supra habuimus: et Fast. ii. ubi sacra Diis inferis fiunt, 'acum aënam.' *Heins.*

248 *Terrenaque numina lenit*] Plerique veterum *poscit: levit* primus Mediceus: Florentinus S. Marci *livit.* Forte pro aspersit: ut apud Virgil. 'paribus lita corpora guttis.' An *civit?* Statius Theb. i. 'Phœbum ante alios, Phœbum omnis ad aras Laude ciet comitum:' sic 'manes excire' passim apud poëtas. Virgil. lib. iv. 'Nocturnosque ciet manes.' Certe idem Florentinus *fudit* quoque pro diversa lectione: quomodo primus Vatican. secundus Palatin. et tres alii. Putabam aliquando, *terrenaque numina pascit:* ut Fast. ii. 'nunc posito pascitur umbra cibo:' sic et 'pascere aras.' Adi Notas Trist. iv. 64. *Idem poscit*] Invocat.

249 *Umbrarum regem*] Plutonem. *Rapta cum conjuge*] Cum Proserpina in Sicilia a Plutone rapta. *Micyl.*

250 *Ne properent*] Ne anima senis intercipiatur, ne caput, cui diuturniorem vitæ usum destinavit Medea, aut Orco damnet Pluto, aut tondeat Proserpina. *Farn.*

254 *Porrexit*] Extendit. *Micyl. Porrexit*] Virgil. Æn. vi. 'per tota novem cui jugera corpus Porrigitur.' Livius i. dec. 'Hostemque cæsum in ingens spatium porrexit.'

256 *Profanos*] Non initiatos.

259 *In fossa sanguinis atri*] *Atra* meliores. *Heins.*

260 *Tingit et infectas*] *Et intinctas* Bernegger. prior. Hamburg. et sex alii: quales repetitiones Nasoni in deliciis. *Idem.*

261 *Terque senem flamma*] Ter, inquit, senem purgat, igne, aqua, sulfure: hæc enim tria purgationibus ab antiquis adhibebatur. *R. Terque*] Τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται. 'Numero Deus impare gaudet.' Virg. Eclog. viii. et quæ nos ibi. *Farn. Ter sulphure lustrat*] Κακῶν ἄκος. Homer. Odyss. X. Hinc et θεῖον, vel

θεεῖον vocatur: *θεεῖον δὲ θυμιάματος εἶδος καθαίρειν δοκοῦντος τοὺς μιασμούς.* Eustath. d. l. in fine. 'Cærulei fiant puro de sulphure fumi.' Fast. IV. 'Terque meum tetigit sulphuris igne caput.' Propert. Eleg. IV. 9. *Θεῖον δὲ σεμνοῦ θεσμὸν αἰθέρος μυχῶν Ὡς πνεῦμα καθαρὸν οὐρανοῦ.* Eurip. Helena. Theocrit. Idyll. XXIV. *καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ.*

262 *Calido positum medicamen aheno*] *Validum posito* Florentinus S. Marci, Bernegg. et duo alii: quidam *validum positum*, vel *valido positum*; proxime verum: sic lib. XV. 'Apollineæ valido medicamine prolis.' *Heins.*

264 *Æmonia valle*] In vallibus Thessaliæ. *Micyl. Illic*] Variam magicæ hujus farraginis supellectilem habes apud Senec. Lucanum, et quos supra citavi auctores, locis dictis. *Farn.*

265 *Seminaque et flores et succos incoquit atros*] *Seminaque floresque*, Nasoniano more, Florentinus S. Marci, Bernegger. prim. Pal. prim. Vatican. prim. Medic. et tres alii cum Norico. Deinde *succos acres* cum multis meliorum reponi placet. Sic apud Gratium, 'venas dum succus comprimat acer.' 'Validos succos' noster infra dicturus est. *Heins.*

267 *Mare lavit arenas*] Lucretius lib. II. 'Littoris incurvi bibulam lavit æquor arenam:' sic nempe ex Nonio legendum, licet editi ac scripti, quos vidi, codices *pavit* agnoscant. *Idem.*

268 *Addidit exceptas Lunæ de nocte pruinas*] *Addit et* meliores. *Luna de nocte* unus Patav. Lovan. et Langerm. *lunæ et de nocte* duo Medicei: *per Lunam nocte* primus Gronovii: unus meus *Luna sub nocte*, cum altero Erfurt. at Florentinus S. Marci *Lunæ per nota.* Unde illico conjeci, *Luna pernocte*, quod postea in Viri Illustris Constantini Hugenii Zulichemii codice, qui magni Lipsii olim fuerat, pro diversa lectione inveni adscriptum, cum hac glossa, 'pernox pernoctis.' Ne dubita, quin vere et eleganter: sic 'Phœbe pernox' Senecæ Hippolyto, et 'Trivia pernox' Medea. 'Luna pernox' Livio lib. V. et Plinio lib. II. 9. Hist. Nat. 'pernox Eleusin' Statio Theb. VII. 'pernox cura' Ausonio in Idylliis: 'pernox alea' Juvenali: quam vocem Manilio bis reddidit ad Historiam Augustam Salmasius. Val. Flaccus lib. III. 'Linquit et undantes mensas infectaque pernox Sacra Medon:' et ibid. 'lustralia pernox Vota fero.' Videtur autem 'spumam Lunæ,' quam Lucanus dicit, innuere: eam et 'Lunare virus' idem vocat. *Idem.*

269 *Strigis*] Esse maledictis jam antiquis strigem convenit, inquit Plin. II. cap. 39. quod ubera infantium labris immulgere dicuntur, quod tamen fabulosum autumat, infantes etiam sugere creduntur, Ovid. Fast. VI. in has se sagæ vertere putantur. Spenger in Malleo venefic. 2. par. et Alb. Spina quæst. de Strigibus. *Farn. Et strigis infames*] Strix Avis est nocturna, magno capite, rostro et unguibus aduncis. Vulgus autem putat striges non esse aves, sed vetulas, quæ se veneficio quodam in aves convertunt, infantesque dormientes aggrediuntur, ac eorum sanguinem exsugunt. Unde et poëta hoc loco strigis alas infames ait, et vulgus veneficas omnes striges vocat.

270 *Inque*] De lycanthropis dictum ad vs. 236. lib. I. *Farn.*

271 *Prosecta*] Intestina, a prosecando et recidendo dicta. *R. Defuit illis*] *Illi* in plerisque: at septem *illic*: quod sequor. *Heins.*

272 *Cinyphii*] Libycæ natricis spolium, exuvias. Cinyps fl. Libyæ.

273 *Vivacisque*] *Τετρακορώνου.* Nam 'quater egreditur Cornicis secula cervus,' Ausonius de ætat. anim. *Farn.*

274 *Ora caputque cornicis*] Non video quid inter *ora* et *caput* intersit.

Quare arbitror scribendum *Ova:* sic strigis ova magicis adhiberi docet Horatius Epod. v. Noster in Amoribus lib. I. 12. de arbore infelici, 'Vulturis in ramis et strigis ova tulit.' *Heins.* *Novem*] Ætatem hominum novies superat vivendo garrula cornix. Ibidem. *'Εννεάκηρα κορώνη,* Aratus in Phænomenis. *Farn.*

276 *Propositum instruxit mortali*] Forte *mortari.* Nam Glossa codicis Urbinatis, '*mortali,* id est, in mortario:' atque ita Barthium in Adversariis conjecisse video. Hactenus tamen auctorem desidero, qui *mortare* dixerit: *mortaria* bis occurrunt apud auctorem Moreti. Juvenalis Satyra VII. 'Fusa venena silent, malus ingratusque maritus, Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos.' *Mortalis* Cantabr. et tres alii: unus *mortalia.* Pro *barbara* vox alia fuerat in Berneggeriano, sed erasa. Omnino arbitror majoris rei ulcus latere. *Heins.* *Mortali*] Æsoni, quem ex sene ac decrepito juvenem Medea erat effectura.

281 *Gravidis*] Succo plenis.

288 *Aut ore exceptos*] *Acceptos* plerique. *Heins.* *Barba*] Medea, inquit Palæphatus, herbam invenit quæ canos capillos in nigros verteret. Prima quoque invenit lavacrum calidum, cujus vis medica vegetiores redderet homines et sanitati restitueret: compositioni illi *παρέψησις* nomen, seu decocti, fabulæ occasionem dedit. Diogenes (apud Stobæum) refert Medeam invenisse rationem qua molles et inertes, fortes et prudentes fierent. Quo allusum videtur in Euthydemo Platonis: *ὡς ἐγὼ, ἐπειδὴ καὶ πρεσβύτης εἰμὶ, παρακινδυνεύειν ἕτοιμος· καὶ παραδίδωμι ἐμαυτὸν Διονυσοδώρῳ τούτῳ, ὥσπερ τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ· ἀπολλύτω με, καὶ εἰ μὲν βούλεται, ἑψέτω· εἰ δ' ὅ, τι βούλεται, τοῦτο ποιείτω· μόνον χρηστὸν ἀποφηνάτω.* *Farn.*

289 *Rapuere*] Celeriter accepere, contraxere.

291 *Supplentur corpore rugæ*] *Sanguine venæ* rectius pri. Moreti, aliique complures: sic infra, 'Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas.' *Heinsius.*

292 *Et olim Ante quater denos*] Significat Æsonen ex decrepito sene in virum quadraginta annos natum fuisse conversum: vel quem vigorem ante annos quadraginta habuerat, cum nunc se beneficio Medeæ recepisse.

293 *Hunc se reminiscitur*] Sic Naugerius conjecit; et sic primus Basil. reliqui cum vulgatis *nunc.* Val. Flaccus lib. VII. 'sed te quoque tangat Cura mei quocunque loco, quoscunque per annos, Atque hunc te meminisse velis.' *Heins.*

FAB. III. Arg. *Viderat ex alto*] Bacchus cum vidisset ex decrepito sene juvenem factum Æsonem, Medeam rogavit, ut Nymphas quoque suas nutrices juvenilibus annis restitueret, quod facile a Medea impetravit. Vide Natal. lib. v. Mythol. cap. 13. *R.*

295 *Nutricibus*] Quas lib. III. 314. Nyseidas dixit. Sed Fast. v. Hyadas. Pherecydes apud Homeri comment. Dodonæas. *Farn.*

296 *Suis nutricibus*] Nymphis, quæ infantem Bacchum educarunt. *A Colchide*] A Medea. *R.* *Petit hoc a Colchide munus*] *Ab Æthide* primus Mediceus et sex alii: *ab Œtide* primus Vatican. aliique quinque: *ab Æthide* Cantabrig. *ab ethcide* Arondel. *ab ethelide* primus Moreti: *a theide* tertius Medic. *a Cetide* primus Palat. et quartus Medic. *aëthide* sec. Palat. In nonnullis vetus lectio penitus erasa: alter Hamburgensis et Genev. *a Thetide.* Scribe *a Tethye;* apud quam Bacchum latuisse, dum Lycurgum fugit, ex fabulis discimus. 'Canæ Tethyi' habes apud Catullum in casu tertio. Silius lib. x. 'Ceu pater Oceanus cum sæva Tethye Calpen Herculeam ferit:' ita ex vestigiis veterum librorum restituendum, cum *sævior æthere* antea legeretur: veter-

rimus Silii codex Coloniensis *sæva cetye:* videtur illa Lucani e libro primo imitatus, ‘ Tethys majoribus undis Hesperiam Calpen summumque implevit Atlanta.’ Avienus in Arateis, ‘ abditur alta Tethye, et occidui tegitur Padus æquore ponti.’ *Tethya* pro *Tethyn* nove dixerunt Priscianus in Periegesi, et Solinus in fragmento Ponticorum. Depravata hujus loci lectio non auctorem tantum argumentorum in has fabulas decepit, sed Hyginum quoque fab. CLXXXII. ut Medeæ tribuerint, quod Tethyi erat adscribendum. Præterea malo *capit hos munus,* quam *hoc,* annos videlicet. *Heins.*

FAB. IV. Arg. Medea enim cum Peliam Jasoni inimicum esse cognosceret, quo facilius eum perdere posset, et se ab Jasone odio haberi simulavit, et Peliæ filias sibi conciliavit: quæ cum vidissent arietem vetulum in agnum converti, impensius a Medea petierunt, ut Peliam sibi parentem restitueret ætati juvenili. Ipsa vero eis persuasit, ut ipsum interficerent, ac in vase aquæ pleno coquendum imponerent: quod quidem cum perpetrassent, ipsa a draconibus in aërem sublata aufugit, Corinthumque tandem pervenit.

297 *Neve*] Aliter refertur hæc fab. ab aliis. Diodorus lib. v. scribit Medeam in anum se vertisse, adduxisseque simulachrum Dianæ, et religionis specie se Peliæ filiabus et populo insinuasse: tum techna hac ultam esse Peliæ scelera et cædes in Jasonem et suos, adeoque viam struxisse Jasoni ad recuperandum Thessaliæ regnum: nec multo ab hoc Hyginus 24. fab. Pausanias item in Arcadicis: Μηδεία μὲν ἐπεβούλευε τῷ Πελίᾳ, τῷ ἔργῳ μὲν συμπράσσουσα τῷ Ἰάσονι, τῷ λόγῳ δὲ ἀπεχθανομένη, &c. Idem Is. Tzetzes in Lycophronem. *Farn.*

298 *Phasias*] Medea, a Phasi Colchorum fluvio declinata.

301 *Cepit*] Sibi conciliavit, et decepit.

302 *Refert*] Commemorat.

303 *Situs*] Squalores et senium.

304 *Subjecta*] Injecta: proprie namque spes injici dicitur.

305 *Revirescere*] *Reviviscere* contra metrum Priscianus, et multi ex vetustioribus scriptis: *juvenescere* septem; quod arridet. *Heins.*

306 *Idque petunt, pretiumque jubent sine fine pacisci*] *Pretium juvenis, juvenes, juveni, juvenem* libri veteres. Tu versum totum hinc ablega: est enim spurius. *Idem. Sine fine*] Maximum et immensum. *R.*

308 *Ficta gravitate*] Simulata rei difficultate. *Rogantum*] Peliæ filiarum. *Animos rogantum*] Elegantius omnino *rogantes;* quod Florentinus S. Marci, Neapol. secundus Mediceus, et prior Hamburgensis agnoscunt: sic ‘ dextram precantem’ dixit Virgilius. Adi notas ad Epist. II. 93. Mox, pro *vestri gregis,* meliores *vestras inter oves.* Heins.

309 *Quo sit fiducia, &c.*] Quo firmius credatis me largiri vobis posse quod flagitatis. *Pont.*

317 *Minuunt ea corporis artus, Cornuaque exuerunt*] *Minuunt en* Cantabrig. *minuunt e* unus meus: alius ex meis et unus Ambros. *minuuntur:* et pro *exuerunt* alter Erfurtanus *exurit.* Græviauus *exsurgunt: exuitur* Bersmanni codex scriptus. Refinge, *minuuntur corporis artus, Cornuaque exuitur,* familiari Græcismo: quomodo vidi postea Farnabium ex nescio quibus antiquis libris edidisse. *Heins.*

319 *Et tener balatus*] Hoc est, teneri agni balatus.

321 *Lascivitque fuga*] *Fugam* Florentinus S. Marci; post τὸ *fuga* in Berneggeriano codice litera erat erasa. Puto *fugax* reponendum. Seneca Hercule Furente, ‘ Errat cursu levis incerto Molli petulans hœdus in herba:’ ‘ agni petulci’ Lucretio. *Heins. Lactantia ubera*] Lacte plena.

323 *Exhibuere fidem*] Fecere fidem.

324 *Ter juga*] Tres, inquit, transierant dies. Nam Phœbus demere juga fingitur equis currum Solis trahentibus, nocte adveniente. *R.* *Ibero*] Mari Hesperio seu Atlantico, in quod Iberus fl. Hispaniæ se exonerat. Ex sensu vero vulgi Poëtis sol dicitur se in occiduo æquore mergere, ibique diurnum emensus iter equos reficere. *Farn.* *In Hibero flumine mersis*] *Gurgite* excerpta Calandræ, Lovan. et Genev. ut apud Virgilium lib. XI. 'Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Ibero Tingat equos.' Columella lib. X. 'cum Phœbus equos in gurgite mergat Hibero:' sed et *flumine* ferri potest. Sic Homerus ubi agit de occidente sole περικαλλέα λίμνην dixit. Tibullus libro III. itidem de Sole, 'Cœruleo laverat amne rotas:' et libro II. 'Solis anhelantes abluit amnis equos.' *Heins.*

326 *Fallax Æetias*] Medea fallendi perita.

329 *Cum rege suos custodes*] *Suo* meliores; et mox *dederant cantus,* pro *dederat.* Heins.

332 *Quid nunc dubitatis*] Τὸ *nunc* in primo Vaticano a manu secunda extabat, veteri lectione erasa. Forte *quid io dubitatis;* quæ vox frequenter est corrupta, imprimis apud Martialem: apud quem pro, 'Ibis io Romam tu peregrine liber,' *Ibis nunc* reposuerant pari modo homines insciti. *Idem.*

335 *In manibus vestris vita est*] Ne hic quidem versus meo calculo inter Nasonianos est admittendus. *Idem.*

341 *Ulla*] Omnes præter Alcestin. Diodorus l. V. Nomina virginum, inquit Pausanias, Poëtarum indicavit nemo; Micon pictor duarum imaginibus adscripsit Asteropæan et Antinoën. Hyginus recenset Alcestin, Pelopeam, Medusam, Isodocen, Hippothoën, et Meden: quæ pudore et metu se in Arcadiam recepere. Pelia sublato, Jason dicitur Acasto Peliæ filio regnum reliquisse: aliter tamen Diodorus l. V. *Farn.*

342 *Cæca vulnera*] Quæ ipsæ filiæ non videbant. *R.*

343 *Subito tamen allevat artus*] *Cubito* excerpta Calandræ, unus Moreti, unus Argent. et unus Basil. quod et Ciofanus jam monuit: *subitos artus* pri. Vatican. pri. Gronov. et Cantabr. Pont. l. III. El. 3. 'Territus in cubitum relevo mea membra sinistrum.' Sic et infra Met. VIII. IX. XI. Epist. Cydipp. et Fast. II. Virgilius quoque in Ciri, 'Noctem illam sic mœsta super mœrentis alumnæ Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos:' ubi *morientes* perperam legitur. Propertius I. Eleg. 3. 'Sic ait in molli fixa toro cubitum,' ubi malim reponi *nixa.* Virgilius, 'Ter sese attollens cubitoque innixa levavit.' Idem Propertius paulo ante hac ipsa elegia, 'non certis nixa caput manibus.' *Heins.*

346 *Quid*] Erasmus fabulam hanc interpretatur de Chymicis. Junius de Monachis et librariis, qui dum vetera exemplaria corrigere volebant, corruperunt. *Natæ*] Vetustiores *gnatæ:* et *quid vos,* pro *quis,* pri. sec. Pal. et sex alii. *Heins.*

349 *Mersit in undis*] *Mersit ahenis* rectius sex scripti, Propertius El. II. 3. 'Colchis Iolciacis urat ahena focis.' *Idem.*

FAB. V. VI. VII. VIII. et IX. Arg. *Quæ nisi pennatis, &c.*] Hodoporicon Medeæ hoc loco describit Poëta, quo videlicet itinere, et per quas regiones ex Thessalia, ubi Pelias regnaverat, Corinthum, et mox perpetrata cæde filiorum, et arce cum nova Jasonis conjuge incendio consumpta, e Corintho Athenas ad Ægeum Thesei patrem pervenerit, perstringens breviter quæ quibusque locis fabulosa aut alias memorabilia accidissent.

350 *Quæ nisi*] *Quod nisi* rectius meliores. *Heins.*

351 *Fugit*] A Colchis, Corintho,

Athenis. Verum stratagema hoc lege apud Diodorum l. v. *Farn.*

352 *Pelion umbrosum Philyræaque tecta*] *Philyreia tecta* prior Hamburg. Arondel. aliique complures; optime: sic lib. III. 'Quid faciat? repetatne domum regalia tecta?' ita passim noster. *Heins.* *Philyreia tecta*] Chironis domum, quem Philyra nympha ex Saturno (ut diximus) peperit. *R.* *Pelion Philyræaque Othryn*] Montes Thessaliæ, in quibus habitavit Chiron Saturni et Philyræ filius: l. I. 632.

353 *Cerambi*] In avem a Nymphis mutatus, ut alii, in scarabæum, in Parnassum sublatus superfuit diluvio Deucalioneo. *Farn.* *Veteris Cerambi*] Antiquissimi, quippe qui ante diluvium fuerit.

357 *Æoliam Pitanen*] Pitane urbs est Æolica. Tradunt apud Pitanam lateres super aquis fluitare. *Reliquit*] *Relinquit* meliores. *Heins.*

358 *Factaque de saxo*] Metamorphosin serpentis in lapidem signat. Hic autem videtur esse ille draco, qui spectantibus Græcorum ducibus apud Aulidem significavit decimo tandem anno Trojam esse capiendam. Ego de Lesbio serpente, de quo etiam infra l. II. 60. mentio fit, intelligendum magis puto: qui quod Orphei caput, in Hebrum abjectum, et ad Lesbum inde delatum violare morsu voluisset, ab Apolline in saxum mutatus fuit. *R.*

359 *Idæumque nemus*] Idas duas esse certum est, alteram in Creta, alteram in Phrygia: de Phrygia nunc videtur Poëta sentire. *Quo nati furta*] Thyoneus Bacchi filius juvencum Phrygiis pastoribus abegerat: eum cum pastores persequerentur, Bacchus Thyoneum quidem in venatorem, juvencum vero in cervum convertit: quod cum rustici vidissent, a persequendo Thyoneo destiterunt. *R.* Thyonei etiam Acro meminit Hor. Od. I. 17. filium Bacchi, dicens, patrem Thoantis, ejus qui Hypsipylen genuit, regnasseque in insula Chio. *Micyl.* *Nati furta juvencum*] Multi ex melioribus *raptum furta juvencum: prati furta* pri. Med. et duo alii. *Heins.*

361 *Quaque pater Coryti*] *Corythi*, Κορυθὸς Græcis; Paridis et Œnones filius. Pro *tumulatus arena est*, ex melioribus *tumulatur*. Idem. *Pater*] Paris ex Œnone suscepit Corytum. Tzetz. in Lycophr. Paris autem in Cebrina oppidulo Troadis sepultus est. Strabo lib. XIII.

362 *Mæra*] In figuram canis conversa: fab. minus trita. *Farn.*

FAB. X. XI. XII. 363 *Coæ*] In vaccas mutatæ a Junone; ut alii, a Venere. *Farn.* *Eurypylique urbem*] Eurypylus Herculis fuit filius, qui in Co insula regnavit, augur peritissimus. *Qua Cææ cornua matres*] Cos insula est Ægæi, a quo Cous derivatur, non Cæus, unde Coæ mihi legendum videtur. Mulieres autem Coæ cum ægre ferrent ab Hercule armenta Geryoni erepta per agros suos fuisse acta, Junoni dicuntur conviciatæ. Quare Juno indignata, eas omnes in vaccas transfiguravit *R.*

364 *Herculis*] In Co insula urbem cognominem expugnavit Hercules, cæso Eurypylo, abductaque filia ejus Chalciope.

365 *Phœbeamque*] Lib. IV. 204. *Jalysios*] Jalysi opp. in Rhodo ins. incolas, artifices peritos, sed fascinatores, quos in Junonis odium, mari submersit Jupiter. Diodor. lib. VI. *Farn.* *Phœbeamque Rhodon*] Phœbo consecratam. *R.*

368 *Cartheia mœnia Cææ*] *Ceæ* legendum. Græcis Κεῖος, Cea Latinis. *Heins.* *Cartheia*] Carthea urbs insul. Ceæ. Ptol. *Farn.* *Antiquæ Ceæ*] Cea insula est; quæ a Græcis et Ceos et Hydrusa vocatur. *R.* Stephanum secutus est hic Regius, qui Con et Ceon eandem facit. Sed falso: sunt enim diversæ insulæ. Id quod et gentilia inde facta indicant: a Cos

enim Cous fit, a Ceos autem Ceus *e* longa, et Ceius tribus syllabis, perinde ut a Teos, Teius. Et *Con* inter Caricas insulas Plinius recenset, *Ceam* autem inter Græcas et Ægæas. *Mycil.* *Cartheia*] Carthea una est ex quatuor urbibus Ceæ insulæ, a Carthæo ibi mortuo cognominata. Carthæa item urbs est Iberiæ. *R.*

FAB. XIII. et XIV. 371 *Inde lacus Hyries videt, et Cygneia Tempe*] Hujus fabulæ qui meminisset, neminem vidi præter Antoninum Liberalem: is ex Nicandri ἑτεροιουμένων libris narrat Metamorphosi XII. apud quem Θυρίη est, non Ὑρίη. Unus ex meis *videt hæc:* unus Mediceus *vidit et.* Puto, *Inde lacus Hyries adiit, Cycneia Tempe:* sic paulo ante habuimus ‘ Pelion Philyreia tecta.’ Pro *Phyllius* multi veterum *filius.* Scribe *Phylius: φύλιος* est Antonino Liberali multis locis. *Heins.* *Inde lacus Hyries*] Hyrie fluvius est Bœotiæ, est et Hyria regio juxta Aulidem: sed *lacus Hyries* juxta Tempe esse innuit poëta, sic dictos a casu Hyries, quæ flendo amissum filium in fontem sui nominis conversa fuit. *R.* *Cycneia Tempe*] Non Thessalica illa, sed Bœotica, Teumesia dicta a monte Teumeso, ubi Cycnus filius Hyries in olorem versus est. *Farn.* *Cygneia* autem Ovidius vocasse videtur ab eventu, quod circa hæc puer, de quo hic dicitur, in cygnum conversus fuerit. *R.*

372 *Nam Phyllius illuc*] Phyllius quum Cycnum, Apollinis et Hyries filium, deperiret; primum leonem sine ferro conficere; tum duos vultures vivos capere; deinde taurum manibus ad Jovis aram pertrahere, præmii longe amplissimi loco, jussus est: ut ex Nicandro Anton. Liberalis in Metamorph. scriptum reliquit. *Salvagnius.*

375 *Stricto toties iratus amore*] *Stracto* unus Mediceus. Forte pro *tracto,* id est, dilato. Naugerius, Constantius Fanensis, et Ciofanus *spreto* in suis invenerant; quod sequor. *Heins.*

380 *Servatum nescia*] Florent. S. Marci, Bernegger. et prior Hamburg. *servari.* Puto *servati,* quod in uno Mediceo extabat: et paulo ante *in aëra,* non *aëre,* meliores. Sic et postea meliores, ‘ Eumelique domum lugêntis in aëra natam.’ *Idem.* *Flendo*] In lacum cognominem soluta, ut Cyane l. v. 427. *Farn.*

FAB. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. 382 *Pleuron*] Pleuron Ætoliæ urbs, cum extra oleas in hoc Medeæ volatu longo sit, *Brauron* legi volunt, qui Geographis notissimus Atticæ vicus.

383 *Ophias*] Scaliger *Iphias.* Heins. *Ophias*] Ophii filia Combe. Planudi Ἰαμβή.

384 *Calaureæ*] Ins. sinus Argolici contra Trœzenen, Demosthenis letho nota. *Latoidos*] Latona primum præside claræ, sed quam postea pro Delo permutavit cum Neptuno. *Latoidos*] *Letoidos* primus Palat. primus Vatic. primus Medic. Florent. Neap. Urbin. et octo alii: sic sæpe in antiquis libris apud nostrum, ut suo loco monebimus. Trist. III. El. 2. Λητόϊδος Græcis. Pro *aspicit,* quidam ex vetustioribus *attigit* vel *astitit:* et mox *Cyllene* pro *Cyllena* iidem. Noricus *adstat in arva.* Heins.

385 *In volucrem versi*] Hic fuisse videtur Ceix rex Trachinis, qui cum tempestate in mari periisset, Halcyoneque ipsius uxor Æoli filia flendo perire vellet, ambo in aves Halcyonides conversi fuerunt, ut in XI. Poëta plene describit. *R.*

386 *Menephron*] Menephron cum Cyllene filia in Arcadia (ubi mons Cyllene) et cum Bliade matre sua concubuit. Hyginus fab. 253. *Farn.* *Dextera Cyllene est*] Cyllene mons est Arcadiæ Mercurii nativitate notissimus, a Cyllene Nympha cognominatus. *R.* Sed Cyllenem montem, a

Cyllene Elati filio Arcade, dictum, Pausanias auctor est. Mela autem Mercurium Cyllenium a Cyllene portu, sive navalibus Eliensium, ubi et natum illum arbitrantur, appellatum dicit. *Micyl.* *In qua cum matre Menephron*] Taxat Menephrona quendam Poëta, quem cum matre coire non puduit.

388 *Cephison procul hinc*] Cephisus fluvius est Bœotiæ præterlabens Delphos: cujus filius ab Apolline in phocam, hoc est, vitulum marinum, fuit conversus. *R.* *Cephison*] Sex fluvios Cephisos et fontem hujus nominis unum recenset Strabo l. IX. fab. determinare non ita facile.

389 *Respicit*] Puto *Despicit.* Pro *tumidam Phocen* quoque sex scripti *timidam:* quanquam nec male *tumidæ* dicantur Phocæ; cum tumido et inflato sint corpore. In duobus *nitidam.* Heins.

390 *Eumelique*] Patras, in qua regnavit Eumelus, qui hospitio acceperat Triptolemum: cujus currum, dormiente illo conscendit Antheus Eumeli filius, unde dejectus interiit: *natum* itaque legendum volunt; sed neque sic expedita est fabula.

Fab. xx. xxi. et xxii. 391 *Ephyren*] Corinthum, ab Ephyre Oceani filia, quæ ibi habitavit prima. *Pirenida*] A Pirene fonte ad radices Acrocorinthi. Pausan. in Corinthiacis.

394 *Nova nupta*] Creusa, Creontis Corinthiorum regis filia. *R.*

395 *Flagrantemque domum regis male vidit utroque*] *Utrumque* tredecim ex vetustioribus. Unde sagacissimus Gronovius veram lectionem unius literæ mutatione eruebat, *Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque:* de Isthmo Corinthiaco agit; de quo noster Epist. Phædræ, 'Et tenuis tellus audit utrumque mare.' Propertius El. III. 20. 'Isthmos qua terris arcet utrumque mare.' *Heins.*

397 *Ultaque se male mater*] Hic etiam versus pro genuino vix censendus. *Idem.* *Ultaque*] Filiis a se cæsis. Quos tamen Pausanias a Corinthiis lapidibus obrutos scribit l. II. Euripidem vero accepisse pecuniam a Corinthiis ut cædem illam in Medeam transferret, scribit ipsius commentator.

398 *Titaniacis*] Ex Titanum sanguine natis. Pindarus in Theriacis. Aut etiam quos a Titane, id est, sole, susceperat, ut alii. *Farn.*

399 *Palladias*] Athenas. *Phineu*] Obscuriores sunt hæ fabulæ. Polypemonis mentio in carmine in Ibin.

401 *Innexamque alis*] *Innixamque* prim. sec. tertius Medicei, Florentinus S. Marci, Urbin. Neapolit. Bernegg. aliique multi; quod verum est: sic 'ceratis niti pennis' apud Horatium Od. IV. 2. *Heins.*

Fab. xxiii. Arg. *Excipit hanc Ægeus*] Ægeus rex Athenarum consuluit oraculum, quo modo prolem virilem suscipere posset, a quo cum accepisset ut prius quam Athenas reverteretur, cum muliere coiret, ad Pitheum Trœzenis regem profectus, ei oraculum communicavit. Quo cognito Pitheus ei filiam Æthram a Neptuno vitiatam copulavit. Inde vero Ægeus discessurus, uxorem jam gravidam ad saxum solam cum adduxisset, illi calceos gladiumque subjecit. Uxori deinde mandavit, ut si masculum pareret, eum ad se non ante mitteret, quam adultus ipse per se revoluto saxo gladium et calceos tollens secum ferret. Hinc enim Ægeus se cogniturum sperabat, an quem Æthra foret paritura, sibi filius esset. Theseus igitur ex illa natus Ægei quidem filius putatus est, cum Neptuni foret, ut Isocrates in Helenes laudatione ait. Is vero cum adolevisset, indicante matre, et saxum revolvit, et calceos et gladium sustulit, Athenasque proficiscens, multos latrones Isthmum obsidentes interfecit. Cum vero Athenas pervenisset, non ante a patre agnitus

est, quam capulum gladii sui, quem saxo pater ipse subjecerat, aspexit. Quo cognito poculum venenatum, stimulante Medea, jam porrectum e filii manibus excussit.

402 *Facto in uno*] In hoc uno facto, quod Medeam hospitio suscepit. *R.*

405 *Bimarem*] Peloponnesum intra, Achaiam, et alias regiones extra Isthmum Corinthiacum inter mare Ionium et Ægæum.

407 *Aconiton*] Inf. vs. 421. *Farn.* *Aconiton*] Herba est præsentissimi veneni aconitum, ἀπὸ τῆς ἀκόνης, hoc est, a cote dictum, quod in cotibus nascatur.

408 *Echidneæ canis*] *Lethei* tres ex melioribus. *Heins.* *Echidneæ canis*] Cerberi canis tricipitis. *R.* Echidneæ autem canis dicit, quoniam ex Echidna monstro Cerberus natus fingitur. *Micyl.* *Echidneæ*] E spumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule, ortum narrant fabulæ, inquit Plin. XXVII. 2.

409 *Specus*] Ideoque apud Heracleam Ponticam, ubi monstratur is ad inferos aditus, copiose nascitur. Plin. ibid. *Farn.*

410 *Tirynthius heros*] Hercules, a Tirynthe patria cognominatus.

413 *Cerberon attraxit*] *Abstraxit* rectius prim. Palat. multique alii. Sophocles apud Ciceronem de Hercule, 'Hic e Tartarea tenebrica abstractum plaga Tricipitem eduxit Hydra prognatum canem.' *Heins.*

414 *Ternis*] Lib. IV. 450. *Farn.*

416 *Nactasque alimenta feracis*] Videndum, an rejiciendum quod e Palatino suppeditat Gruterus: *nactasque alimenta furoris, &c.* nam de aconito agit. *Heins.*

418 *Quia nascuntur*] *Nascantur* cum uno Basil. et tum mox *vocent* pro *vocant* scribendum. *Heins.* *Caute*] Quæ Græcis Ἀκόνη.

419 *Conjugis*] Thesea sublatum e medio cupientis, quo regni successio ad filium Medum, quem Ægeo pepererat, descenderet. *Farn.*

422 *In capulo*] Auream forte cicadam capulo eburneo insculptam: vide quæ ad Senecæ Hippolyt. vs. 896. De ense et calceis ab Ægeo relictis sub saxo apud Trœzenen, legatur Plutarchi Theseus.

FAB. XXIV. 425 *At genitor, quanquam*] Thesei gesta commemorat poëta, quo commodius Metamorphosin Scyllæ in avem cum superiore fabula connectere possit.

426 *Attonitus tamen est ingens*] *Tamen est geniti*, vel *lethi* veteres plerique. Pro *tamen* unus meus et unus Leid. *tantum.* Scribe, *Attonitus tantum, lethi discrimine parvo, Committi potuisse nefas.* Virgilianum hemistichium l. III. 'Inter utramque viam, lethi discrimine parvo, Ni teneant cursum.' Lib. IX. 'lethi discrimina parva Dant animos.' Lib. X. 'sed certior auctor Advolat Æneæ, tenui discrimine lethi Esse suos.' Columella lib. X. de malis Persicis, 'At nunc expositi parvo discrimine lethi Ambrosios præbent succos oblita nocendi.' Silius l. XII. 'Avehitur raptim ductor discrimine lethi Turbatus.' Sic contra 'vitæ discrimen' lib. X. Noster, 'caræque jubet discrimine vitæ Conjugium petere hoc.' *Heins.* *Discrimine parvo*] Parva differentia. Paulum enim abfuit quin venenum Theseus hauriret. *R.*

427 *Fovet ignibus aras*] Focos accendi curavit ad peragenda sacrificia. *P.*

429 *Vinctorum cornua*] Habentium cornua vittis colligata. Ita enim victimæ exornari solebant ad aram.

430 *Erechthidis*] Atheniensibus, ab Erechtheo rege. Vide VI. 677. *Farn.*

433 *Te, maxime Theseu*] Carmina refert, quæ in Thesei laudem canebantur. Theseus enim Ægei filius ex Æthra Pitthei filia tot præclara gessit, ut inter Hercules unus numeretur. Nam et taurum ab Eurystheo

immissum, Atticam totam vastantem, in Marathone interfecit: et varios Græciæ latrones sustulit. *Raph.*

434 *Marathon*] Opp. ad 10. millia ab Athenis, cujus incolas et armenta infestavit taurus efferatus ab Hercule ex Creta ad Eurysthea ductus. *Farn.* *Cretæi*] Ex Creta enim ab Hercule ad Eurystheum ductus est. Nam Minos (ut fertur) Neptuno sacrificaturus, victimam optavit majestate illius dignam, cui Neptunus taurum obtulit pulcherrimum. Eum cum servare vellet Minos, iratus Neptunus tauro furorem immisit, a quo tota fere insula fuit devastata. Ad eum domandum missus est Hercules, quem vinctum ad Eurystheum duxit. Ab eo vero dimissus, cum Atticam devastaret, a Theseo fuit interfectus. *R.*

435 *Quodque suam securus arat*] *Suum* duo veteres. Scribe *suis securus* cum Dionysio Salvagnio Boëssio, et nostro Gronovio: de sue Cromyonio res est notissima. 'Securus amorum Germanæ' apud Virgilium. Elegans secundi casus usus est et frequens apud optimos ac elegantissimos scriptores. Non absimile mendum ex Valerio Flacco tollendum VI. 266. 'Parte alia infestis (nam fors advexit) in armis Styrus adest, lætusque viri cognoscit Anausin:' sic scribendum; non *fors adjunxit* et *lætusque virum.* Pleni horum Virgilius, Statius, hic ipse Flaccus, et præ cæteris Silius Italicus: vulgata lectio vehementer friget. Pari modo 'lætus opum' apud eundem Valerium lib. III. 'Lætus opum pacisque meæ, tutusque manerem Quis genitor materque locis.' Et lib. I. 485. 'Ductor ovans lætusque doli cognoscit Acastum Horrentem in jaculis:' ita et ibi censeo scribendum. Vulgati *avens lætusque dolis agnoscit;* nam quod apud eundem Valerium l. VI. 74. *Mœsta necis* legitur, locus est mendosus, *Mœsta necis sævæ lucos reditura Dianæ;* cum scribendum sit, *Mœsta, nec in sævæ lucos reditura Dianæ:* ita 'lætum animi et ingenii' Marcum Marcellum Velleius Paterculus vocavit l. II. *Heins.* *Cromyona*] Opp. in agro Corinthiaco, ubi Theseus suem peremit. *Farn.*

436 *Tellus Epidauria*] Epidaurus urbs est Peloponnesi, Æsculapii templo nobilis. *R.*

437 *Clavigeram*] Periphetam latronem, Corynetam dictum, a κορύνῃ clava: sed de his vide Plutarchi Thesea, et Diodorum l. v.

438 *Cephisias*] Qua Cephisus præterfluit Eleusin urbem Atticæ. *Procrusten*] Latronem, qui, ad lectum hospites emensus, breviores extendebat, longiores decurtabat.

439 *Cercyonis*] Latronis, qui viatores in palæstra victos, aut etiam certare recusantes interfecit. Pausan. in Atticis. *Farn.* *Eleusis*] Eleusis autem vicus est et urbs Atticæ, ubi Cereris est templum. Apud Eleusina autem Cereris mysteria cognomento majora celebrabantur, sicut Argis, qui et ipse Atticæ vicus est, minora in honorem Proserpinæ, in Herculis gratiam instituta: cum majoribus initiari, quia civis et indigena non esset, legibus prohiberetur. *Cerealis Eleusis*] *Eleusin* prim. tert. quart. Medicei. pri. sec. Pal. pri. Reg. prior Erfurt. Noricus, quatuor alii: de quo ad Epist. IV. *Cephesias* quoque *ora* meliores, non *Cephisias.* Heins.

440 *Occidit ille scinis*] *Sinis;* Græcis Σίνις, de quo ad Epist. II. Certe *senis* est in nonnullis Mss. *Idem.* *Occidit ille Sinis*] Sinis latro fuit, Isthmum obsidens, qui duas pinus flectebat, ac utrique hominis brachia alligabat, deinde sursum emittens, corpus vi discerptum maximo cruciatu afficiebat; istum quoque Theseus interemit. *R.* Hic filiam habuit, Perigimen nomine, ex qua Theseus Menalippum genuit patrem Toxianis. *Micyl.*

441 *Curvare*] Hinc Πιτυοκάμπτης dictus Paus. Corinth.

443 *Alcathoën*] Megaras, ab Alcathoo restauratas, postquam sublato Niso vastatæ fuissent a Minoë. Pausan. Attic. *Lelegeia*] A Lelege condita.

444 *Composito*] Præcipitavit Theseus Scyrona ex iisdem scopulis, e quibus viatores a se spoliatos, et lavare pedes coactos, ipse pede in mare proturbasset. Plutarch. Thes. Strabo IX. *Farn.* *Composito Scirone*] Interfecto, sublato.

447 *Scopulis nomen Scironis inhæret*] Scironides petræ Atticis finibus imminent, juxta mare transitum non relinquentes. Supra eas autem est via in Atticam atque Megara ab Isthmo ducens. Caurum quoque ventum ab illis saxis flantem, procellasque cientem, Scirona Athenienses vocant. Fingit autem poëta ossa Scironis in mare projecti fuisse in scopulos conversa.

449 *Facta prement*] *Premant* meliores. *Heins.* *Facta prement annos*] Hoc est, gesta tua annos superabunt. *Pro te, fortissime, vota*] Theseia significat, quæ festa in Thesei honorem Athenienses instituerunt. *R.*

450 *Bacchi tibi sumimus haustus*] Malebam aliquando *ducimus.* Vide Notas l. XII. 316. *Heins.*

FAB. XXV. 453 *Nec tamen (usque adeo, &c.*] Dicturus Ægeum Athenarum regem, non diu recepto filio felicem fuisse, locum communem præmittit de inconstantia et mobilitate felicitatis humanæ, negatque dari ullam sinceram voluptatem, cui nihil interveniat molestiæ. ‘Nihil’ enim ‘est ab omni parte beatum.’ *Nulla*] Apollon. lib. IV. Ἀλλὰ γὰρ οὔποτε φῦλα δυσπαθέων, &c. ‘Semperque e fonte leporum Manat amari aliquid.’ *Farn.* *Nulla est sincera voluptas*] *Nulli est* unus meus: *nulli* Regius alter: et postea *sollicitique aliquid*, non *sollicitumque*, unus Mediceus. *Heins.*

456 *Bella parat Minos*] Minoëm Jovis filium ex Europa regem fuisse Cretæ notius est, quam ut sit exponendum. Huic Androgeus filius fuit athletico certamine clarus, qui cum Athenis ex palæstra victoriam reportasset, maximam in se invidiam concitavit. Quapropter insidiis Ægei Atheniensium regis occisus, cum domum non rediret, Minos pater adversus Athenienses bellum movit, ipsis et pestilentiam et famem imprecatus, ut Androgei cædem ulcisceretur. Prius autem quam oppugnare cœpisset Athenas, varia sibi auxilia comparavit, quasdam insulas expugnavit, quas enumerat Poëta.

457 *Firmissimus*] Ferocissimus. *Patria ira*] Patri conveniente ob filii cædem. *R.*

458 *Androgeique*] Filii Minois, quem in certaminibus victorem, ut Diodorus l. V. vel a patre missum qui tributum posceret, vel ad studia ut Philosophos audiret, ut Plutarchus in Theseo, insidiis atque invidia Athenienses sustulerunt. *Farn.*

459 *Ante tamen bello*] *Ante bellum* cum tertio Mediceo et quinque aliis. *Heins.*

460 *Quaque patent aditus*] *Patens* multi ex vetustioribus; sed probe Florentinus S. Marci a manu prima, *Quaque potens habitus;* classe nimirum. *Idem.*

461 *Anaphen*] Ins. Cretici pelagi. *Astypaleia*] Astypalæa ins. Carpathii maris.

463 *Hinc humilem Myconen*] *Mycenon* ex scriptis. Adi Notas ad Epist. XXI. 81. *Heins.* *Hinc humilem Myconem*] Mycone, quæ et Myconus a Strabone vocatur, una est ex Cycladibus. *Cretosaque rura Cimoli*] Insula in Cretico mari, una ex Sporadibus, a qua terra Cimolia nuncupatur, ut Strabo scribit, quæ dicitur purgandis vestibus apta. *Lact.*

464 *Florentemque Cythnon, Scyron*] *Florentemque Tyron, Cypron,* vel *Cyprum* scripti plerique: unus Thuan. *Florentemque Chiron;* tres *Ciron.* Forte *Siphnon;* et pro *Scyron,* lego *Syron:*

quanquam utraque inter Cycladas recensetur. Certe priorem in *Syros* producendam esse constat ex Strabonis lib. x. et Eustathio in Odysseam et in Periegeten. *Heins.* *Planamque Seriphon*] Seriphos una est ex Cycladibus, adeo lapidosa, ut qui Seriphiis conviciantur, id inspecta obvenisse Gorgone causentur. Vel *κατ' ἀντίφρασιν*, quasi quæ minime plana sit, sed aspera ac petricosa: vel, ut supra, planam ac humilem. *R.* *Florentemque*] Inclino in Micylli conjecturam, ut legatur *Florentemque viris Siphnon*, quæ prius Meropia; vel *Florentemque auro Siphnon, planamque Ser.* namque auro aliquando claruit. Strab. Plin. Pausan. ut singulis insulis sua constent epitheta: vide l. v. 251. *Planamque*] Quæ tamen aspera et petricosa est: l. v. 242. *Farn.*

465 *Marmoreamque Paron*] Paros etiam una est ex Cycladibus, primo Platea, deinde Minois appellata, quæ lapidem producit quem Parium vocant, ad marmoreas sculpturas aptissimum. *Quamque impia prodidit, &c.*] Quænam fuerit illa Sithonis puella, quæ accepto auro hostibus Arnen insulam prodiderit, atque in monedulam avem auri maxime furacem conversa fuerit, non memini me legisse. *R.* Arnen Bœotiæ urbem invenio fuisse, ab Arne Æoli filia dictam. Item, alteram Thessalicam. De insula autem Arne, nihil alibi reperio. Sed locum hunc corruptum esse, etiam verborum contextus arguit: ex Lactantii tamen sententia, lege *Arne*, nominativo casu. Pro Sithonis autem *Cythnon* cum particula *et*, vel *ubi*. Micyl. *Quaque impia prodidit arce*] *Quamque Arne* vel *Arnen* vetustiores; vel, *quaque Arnen.* Latet mendum. Mox *nigra pedem*, non *pedes*, in melioribus. *Heins.*

466 *Sithonis*] Thracia mulier: est enim Sithonia Thraciæ pars, Macedoniæ finitima. *R.*

FAB. XXVI. 469 *At non Oliaros*] In longe vetustissimo Virgilii codice bibliothecæ Mediceæ Æneid. III. *Olearos* scribitur; quomodo et alii cum hoc Mediceo, quotquot videre contigit, codices. Ὠλέαρος etiam Straboni est: at Stephano et Ptolemæo Ὠλίαρος. *Heinsius.* *At non Oliaros, &c.*] Insulæ sunt Ægei ex Cycladibus, quæ Minoi adversus Athenienses auxilium non tulerunt. *Didymeque*] Insula est a figura sic appellata: gemella namque videtur. *R.* Quare conjectura ducor hoc loco, legendum *Didymeque et Tenos et Andros.* Duæ enim insulæ a Stephano dicuntur esse, non longe a Syro sitæ. *Micyl.* *Et Tenos*] Insula est una ex Cycladibus Tenos, urbem non sane magnam habens, verum Neptuni fanum amplissimum in luco extra muros spectatu dignum. *Et Andros*] Una est ex Cycladibus Andros, ab Andro Anii filio cognominata. *R.*

470 *Et Gyaros*] Gyaros autem una est ex Sporadibus. *Nitidæque ferax Peparethos olivæ*] Peparethos insula est una ex Cycladibus, oleo abundans.

473 *Sed ipse Æacus*] Æacum Jovis fuisse filium constat: cui tres filii fuerunt, Telamon, Peleus, Phocus. *R.*

474 *Æginam*] *Æginan* Junianus. *Heins.* *Æginam*] Huc enim ex Phliunte rapuit Jupiter Æginam Asopi filiam. Σὲ δ' ἐς νᾶσον Οἰνοπίαν ἐνεγκὼν Κοιμᾶτο, δῖον ἔνθα τέκες Αἰακόν. Pindar. VIII. Isthm. *Nomine*] Hinc orta Junonis invidia, immissaque pestilentia.

476 *Expetit*] *Excipit* Florent. S. Marci, Neap. Urbin. pri. et sec. Pal. Cantabrig. pri. Gronov. uterque Erfurt. aliique complures; duo *Expedit;* in nonnullis vetus lectio penitus erasa: an *Percupit?* an *Exigit*, cum uno meo? Sed verius *Rex cupit*, vel *Plebs cupit.* Heins.

480 *Admonitus patrii luctus*] Paternæ mœstitiæ, quam de filio conceperat Minos, ab Atheniens. interfecto.

481 *Populorum centum*] Nam Creta

centum olim urbes habuisse fertur. *R.* *Rector*] Minos, cujus imperio paruit Creta ἑκατόμπολις. *Farn.*

482 *Pro nato*] Pro ulciscenda filii cæde. *Gnato*] Ita vetustiores. *Heins.*

484 *Asopiades*] Æacus Æginæ filius, hæc autem filia erat Asopi fluv. Bœotiæ. *Farn.*

486 *Cecropidis hac est tellus*] *Est hac* meliores. *Heins.* *Ea fœdera nobis*] *Sunt* subaudiendum, ut amici simus, et nos invicem juvemus.

490 *Etiamnum*] Ita præstantiores tam hic quam paulo post: *dedere* quoque pro *dederunt.* Heins. *Lyctia*] Cretensis. Lyctus urbs Cretæ est. Ita Cydonia, Dictæa, Gnossia, Gortynia, ab urbibus Cretæ.

492 *Et portus intrat amicos*] *In portus* Florent. S. Marci, Neap. sec. tert. Medic. Spir. Oxon. et octo alii. Lege *in portusque* cum Urbinati et altero Hamburgensi: sic 'intrare in domum,' 'in Capitolium,' passim apud scriptores optimos, imprimis Ciceronem. Martial. lib. III. 'Intrare in istum sola fax potest.' Lib. IV. idem, 'Nec madidos intret penetrabile frigus in artus.' *Heins.*

497 *Veteris formæ*] Pristinæ pulchritudinis. Nam Cephalus formosissimus fuit.

498 *Popularis olivæ*] In Attica natæ, populove gratæ: erat autem id signum pacis, et auxilii petendi. *R.* *Popularis*] Quæ Minervæ Atticæ munus in certamine de urbis nomine VI. 77. Pacis item insigne: 'Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.' Æneid. VIII.

499 *Et dextra*] *A dextra* ex iisdem. *Heins.*

500 *Major habet, Clyton et Buten*] Censeo legendum *Bryten:* atque eum ipsum esse a quo familia Atheniensis Βρυτιάδαι seu βρυτάδαι appellata. Meurs. de regn. Athen. l. II. p. 103.

501 *Postquam congressi, primi sua verba tulerunt Cecropidæ*] *Congressu primo* multi veteres: quidam *congressi primo* vel *primum: congressus primi* opt. Florent. et Neapol. prim. sec. Palat. prim. Vatican. tert. Medic. prior Hamburgensis, aliique nonnulli. Scribe, *Postquam congressus primi sua verba tulerunt, Cecropidum Cephalus peragit mandata:* sic supra, 'neque enim conjunctior ulla Cecropidis hac est tellus.' *Heins.*

502 *Peragit mandata*] Exponit mandata, quæ ab Atheniensibus acceperat.

503 *Fœdusque refert*] Commemorat fœdus a suis majoribus cum Æginetis percussum.

506 *In capulo regni*] Scribe *in capulo sceptri;* quomodo unus Basil. et unus Bonon. in priore Erfurtano pro Glossa id erat adscriptum: sec. Pal. et unus Basil. *in sceptro regni:* Noricus pro diversa lectione, *in capulo gladii.* Heins.

509 *Ducite, et omnis rerum status*] Pro *omnis eat*, prim. Pal. pri. Medic. Arondel. Hamburg. et octo alii, *ait: erat* Cantabr. et alii duo: totidem *erit: eait* prim. Ambros. *et omnia quæ* veterrimus Florentinus a manu prima. Locus mendi suspectus. Fontem erroris indagemus. Scriptum primo fuerat *comnis* pro *communis;* unde, perperam iterata ultima τοῦ *Ducite* proxime præcedentis litera, *et omnis* factum. Deinde fulciendo versui τὸ *ait* ex Glossa interlineari additum, quod postea in *eat* mutatum est, cum sensum commodum non efficeret; *communis rerum status iste mearum est,* mihi, videlicet, cum Athenis: hinc et *communicare.* Similis usus τοῦ κοινοῦ apud Græcos. Epistola Acontii, 'Hæc mihi sunt tecum, tibi sunt communia mecum. In bona cur quisquam tertius ista venit?' Sic 'communis Græcia' apud nostrum l. XIII. et Cornelium Nepotem vita Alcibiadis. Apud eundem vita Aristidæ, 'commune ærarium,' et 'communis classis:' 'in commune consulere' apud scriptores. *Idem.*

510 *Robora nam desunt: superat mihi miles et hosti*] Imo *non desunt* cum melioribus. Postea *hostis* pri. Palat. tert. Medic. prior Erfurt. uterque Hamburg. Florentinus S. Marci, Neapol. Urbin. et duodecim alii: primus Vatican. *hostes; hoc est* Excerpta Calandræ. Pro *superat* quinque *superest*. Scribo, *Superat sat militis, hospes;* ut τὸ *mihi* ex cognatione literarum vocis proximæ, vel ex glossa interlineari, in contextum irrepserit; *hospes* in *hostes* facile depravari potuit: unde *hostis* postea, atque ex eo *hosti* factum sit. Mox lego, *Imo ita: sic, Cephalus, crescat tua civibus opto Urbs, ait: ut veniens equidem modo gaudia cepi;* vel *Res ait* cum Cantabrig. fragmento Boxhorn. et Sixiano libro: quomodo supra, 'rerum status iste mearum.' 'Rem Danaam' similiter dixit l. XIII. Noster, et 'rem Romanam' Virg. Æn. VI. *Idem. Robora*] Vires. *Superat mihi miles, et hosti*] Hoc est, mihi milites supersunt, et ad juvandos amicos, et ad repellendos hostes. *R.*

515 *Multos*] Παρασκευὴ ad Pestis descriptionem, cujus ἀρχέτυπον ex II. lib. Thucydidis in sextum suum transtulit Lucretius. Hos ut et Homerum Iliad. I. sequitur Virg. Georg. III. 478. et Æn. III. 137. Seneca in Œdip. 36. et 110. Lucan. VI. 84. Statius Theb. I. 360. Silius XIV. 582. quos comparat inter se Scaliger lib. V. Poëtices c. 11. *Multos*] Hanc pestis διατύπωσιν omnes plerique poëtæ ex Homero desumserunt, cujus frusta esculenta redolent: uti eleganter de Æschylo Athenæus lib. VIII. c. 8. Τὰς αὐτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων. Vide et Plutarchum Sympos. quæst. IV. 1. Justin. l. XIX. 2.

518 *Fortuna secuta est*] *Sequetur* pri. Gronov. et excerpta Langermanni; in narratione mea, videlicet; quod placet: nec aliter Grævianus pro diversa lectione. *Heins.*

519 *Sine ullo*] Sine ullo prooemio.

520 *Longa ambage*] Superflua oratione. Cum Junonis ira Æginæ incolæ pestilentia fuissent absumpti, Æacus Jovem patrem rogavit, ut aut sibi populum suum restitueret, aut se quoque vita privaret. Cum autem magnam formicarum multitudinem in vetusta quercu vidisset, Jovem rogavit, ut sibi tot cives quot illæ formicæ erant concederet. Juppiter vero Æaci precibus motus, quotquot formicæ in illa quercu erant in homines commutavit, quibus Æacus ipse agros divisit. *R. Morer vos*] Florentinus S. Marci, prim. Vatican. prim. Medic. et duodecim alii, *moreris:* tres *morer te.* Heins.

524 *Exosæ*] Æginam insulam a pellice quam oderat denominatam, vs. 474. supra.

527 *Exitium superabat opem, quæ victa jacebat*] Sic Florentinus S. Marci, et alii duo. In reliquis *opes victæque jacebant.* Valde metuo, ne hoc posterius hemistichium sit ab aliena manu, quæ supplere versum a Nasone mutilum relictum voluerit: nisi videtur rescribendum, *spes victa jacebat;* ut ex *opem spes*, *opes* sit factum. Certe in primo Gronoviano *victaque jacebat:* sic noster lib. I. 'Victa jacet pietas.' Paulo ante malim *arte medenti*, quam *medendi*, pro arte medica: ut lib. XV. 'artes nil posse medentum:' et Epist. Œnones, 'radixque medenti Utilis,' non *medendi.* Heins.

530 *Dumque*] Pigrum aëra tristemque non purgabat, non refrigerabat ventus alius, tum morbidus gravisque Auster per quatuor menses continuos æstu suo corrumpit cœli tractum. *Farn. Quater plenis explevit cornibus orbem*] *Junctis cornibus* primus Gronovii et alter Hamburgensis; bene: *implevit* quoque idem primus Gronovianus, secundus Palatinus, et duodecim alii. Sic lib. II. 'Luna quater junctis implerat cornibus orbem:' et lib. II. Fast. 'Luna novum decies im-

plerat cornibus orbem.' Seneca Hippolyto de Luna, 'Cum suos ignes coëunte cornu Junxit.' Sic contra 'dividua Lunæ cornua;' de quibus Notæ ad lib. IV. supra. Vidit jam veram hujus loci lectionem doctissimus Gronovius Observat. lib. IV. 15. *Heins.*

532 *Spirarunt æstibus Austri*] *Æstus* jam præcesserat: quare verius tres nostri, unus Thuan. et unus Ciofani *flatibus*. Noster lib. XI. 'Auster et ingenti jactatam flamine solvit.' Cicero Arateis, 'Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri.' Plura Trist. lib. I. 10. ubi de navi 'propulsaque flatibus Austri,' ut quidem codices nonnulli. *Idem.*

533 *Vitium*] Aëris corruptionem. *R.* *Constat*] Quin et aqua corrumpitur partim vitio aëris, partim venenosis serpentibus. *Farn.*

536 *Strage canum primo*] Hæc ex primo Iliados sumpta esse videntur; nam Homerus pestem in exercitum Græcorum Apollinis ira immissam describens, asserit primo canes mulosque interiisse. *R.* *Strage*] Pecudes ad terram pronæ et cerebro minus frigidæ quam homines, *τοὺς νοσωδεῖς ἀτμοὺς* hauriebant, et ex his primum quibus odora vis. *Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς.* Iliad. A. *Aviumque boumque*] *Oviumque* recte vetustiores; nam de quadrupedibus est sermo. Deinde *Strage canum prima* rectius duo Medicei et unus Bononiensis, quam *primo.* Heins.

538 *Concidere, Lanigeris, &c.*] Confer his Virgilium Georg. III. et supra citatos ad vs. 520. et comparationes Scaligerianas poët. v. 11. *Farn.*

539 *Inter opus*] Inter arandum.

542 *Magnæque in pulvere famæ*] In certaminibus, in quibus maximus pulvis excitatur.

543 *Degenerat palmæ*] Alii *Degener ad palmas:* at vetustiores magno numero *Degenerat palmas;* quomodo et Zinzerlingus Promulside Critica. Adi omnino Notas nostras Pont. l. III. 1. *Heins.* *Degenerat*] A generositate sua recedit. *Palmæ*] Victoriæ. *Veterum honorum*] Antiquæ gloriæ.

544 *Morbo moriturus inerti*] Veteres multi *letho inerti:* plures ex vetustioribus *longo inerti.* Scripserit fortasse Naso, *languore obiturus,* vel *torpore;* quia 'languor' sequitur. *Heins.*

547 *Agrisque viisque*] *Jugisque* duo Medicei. *Idem.*

549 *Mira loquar*] *Loquor* meliores. *Idem.*

550 *Dilapsa*] Cadavera intacta a canibus ac vulturibus tabes absumebat. Liv. lib. XLI. *Farn.*

551 *Afflatuque nocent*] Exspirant enim odoris fœditatem intolerabilem. *Pont.*

552 *Pervenit*] Ἐπίεσε δ' αὐτοὺς μᾶλλον καὶ ἡ ξυγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ, καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας. Thucyd. Nec minimum partim ex agris, &c. Lucretius VI.

554 *Viscera*] Spectemus, hic, inquit Scaliger, quid ad puritatem Lucretii addiderit Ovidius. Principio caput incensum, &c. uterque ex Thucydide. Πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἴσχυραι, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα καὶ φλόγωσις ἐλάμβανε. *Farn.*

555 *Et ductus anhelitus igni*] *Igne* plurimi veteres, quos inter Oxon. prim. Gronov. prim. Hamburgensis: *oris* pri. Moret. Arondel. et alii quatuor: quatuor itidem *ore.* Legendum arbitror *et ductus anhelitus ægre.* Virgilio, 'lassos quatit æger anhelitus artus.' Lucilius apud Nonium in 'Deponere,' 'Exspirans animam pulmonibus æger agebat:' sic 'ægre respirare.' *Heins.*

556 *Tepidisque arentia ventis Ora*] *Trepidisque ventis* prim. Vatican. prim. Basil. sec. Medic. et Neapol. nisi quod in illis duobus posterioribus pro diversa lectione *venis: venis* quoque Cantabr. sec. Pal. prim. et tert. Medic. pri. Moreti, et complures alii. Scribendum *trepidisque venis;* atque

ita prior Hamburgensis. Lib. VII. de Marsya, ‘ trepidæque sine ulla Pelle micant venæ :’ vide Notas lib. III. 125. De peste Virgilius Georg. III. ‘ Nec via mortis erat simplex : sed ubi ignea venis Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus.’ Mox pro *auræque graves captantur hiatu* malim *gravi hiatu :* quod Basileensis unus confirmat. *Idem.*

558 *Non stratum*] Μήτε τῶν πανυλεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτ’ ἄλλο τι, ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι. Thucyd. II. *Farn.*

561 *Moderator*] Medicus imperator. Senec. de Benef. VI. 16. *Farn.*

562 *Obsuntque auctoribus artes*] Medicæ, inquit, artes suis professoribus nocent. Peste enim medici quoque corripiebantur.

564 *Atque salutis Spes abiit*] *Utque* cum Florentino S. Marci, primo Vatic. Calandrino, aliisque multis. *Heins.*

566 *Et nulla, quid utile cura est*] *Et cura, quid utile, nulli est* rectius tertius Mediceus. *Idem.*

568 *Fontibus*] Ἥδιστά τε ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν. Καὶ πολλοὶ, &c. et mox, καὶ εἰς φρέατα, τῇ δίψῃ ἀπαύστῳ συνεχόμενοι. Thucyd. II. *Farn.*

570 *Inde graves multi*] *Graves morbo* multi ex vetustioribus. Mihi versus hic cum proxime sequenti nonnihil sunt suspecti : nam quid sibi volunt ista, *aliquis tamen haurit et illas,* cum paulo ante e puteis bibisse jam dixerit? quare malebam olim, *aliquis tunc haurit et illas. Jamque graves multi* Cantabrig. non male. *Heins.*

575 *Funesta*] Pestifera, mortifera.

576 *Et quia causa latet, locus est in crimine notus*] Alii *in crimine totus,* vel *morbi,* vel *magno ;* prim. Gronov. *natus.* Florent. S. Marci, Neapol. Urbin. prim. Medic. tres alii cum Norico, *parvus : parvo,* pri. Vatic. Bernegg. sec. Medic. et duo alii : *pravo* Cantabr. et primus Gronovii : mihi τὸ *morbi* placet imprimis : nisi scribas, *locus est in crimine : totis Semanimes errare viis ;* vel *notis viis.* Sed, ne quid dissimulem, etiam hic versus inter suspectos referendus. *Heins.*

578 *Flentes alios*] Lacrymas inter symptomata et notas pestis statuunt medicorum filii. *Terræque jacentes*] *Terraque* rectius Arond. et duo alii *Heins.*

579 *Lassaque*] Vide quæ ad v. 71.

580 *Membraque pendentis tendunt ad sidera cæli*] *Tendentia sidera* Florent. S. Marci ; *tendentia sidere* pri. Medic. *tendentes sidera* pri. Pal. *pendentia sidera læti* Spirensis : alii aliter. Piget enim in his quisquiliis hærere. Est videlicet versus scutica dignus, non Nasoniana elegantia. *Heins. Pendentis*] Suspensi undique, convexi.

581 *Hic illic ubi mors deprenderat exhalantes*] Etiam hic ejiciendus, tanquam minime Latinus, nisi emendatione placet succurri, ut rescribatur, *Hic, ubi mors, animam, deprenderat, exhalantes.* Heins.

582 *Aut quid debuit esse, Ni vitam odissem*] *Ut vitam* plerique vetustiores. Florentinus S. Marci, et Urbinas, *an quod debuit ;* Neapolit. *an quid.* Scribe, *Quid mihi tunc animi fuit ? an, quod debuit esse, Ut vitam odissem ?* Libro v. ‘ Quid mihi tunc animi miseræ fuit? anne, quod agnæ est ?’ Pro *odissem* Zulichemianus *odirem* ἀρχαϊκῶς. *Idem.*

585 *Cum putria motis Poma cadunt ramis*] Conjiciebam aliquando *cum mitia ;* id est, matura : de qua voce Fast. lib. II. 286. plurimi veteres *putrida :* sec. Medic. *putrea :* primus Medic. et unus meus *patria :* unus Bonon. *putea :* unus Thuaneus *Punica :* sed *putria* bene se habet. Poma enim putrescentia facillime fluunt ex arbore. *Idem.*

587 *Templa vides contra*] Virg. Æneid. VI. ‘ Contra elata mari respondet Gnossia tellus.’ *Contra*] E regione.

590 *Pro nato*] *Grato* vetustiores. *Heins.*

593 *Admoti*] 'Sæpe in honore Deum medio stans hostia ad aram, Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.' Virg. Georg. III. *Farn.* *Vota sacerdos Concipit*] Ex formula: 'dictataque verba Protulit, ut mos est, et aperta palluit agna.' Juven. Satyr. VI. 'ipse concipiam preces Jove, meque dignas.' Senec. Herc. Fur. IV.

594 *Fundit*] Post libatam, avulsis setis; post immolatam, sale et farre fronti inspersis; probata est hostia, vino, eoque mero, inter cornua fuso. *Farn.*

599 *Exiguo*] At vix suppositi tinguntur sanguine cultri, Summaque jejuna sanie infuscatur arena.' Virg. Georg. III. *Farn.*

600 *Fibra quoque ægra notas veri Perdiderat*] *Prodiderat* secundus Palat. et septem alii cum Norico. *Heins.* *Fibra quoque ægra*] Vitiata. *Notas veri*] Signa quibus verum cognoscitur.

603 *Ante*] Τά τε ἱερὰ, ἐν οἷς ἐσκήνηντο, νεκρῶν πλέα ἦν αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων. Thucyd. II.

604 *Pars animam laqueo claudit*] Μὴ καθαρῷ θανάτῳ. Homer. Odyss. X. v. 462. *Mortisque*] 'Annon hic furor est, ne moriare mori?' Martial. Epigr. II. 80. cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret; classem cremari, ne incenderetur. Florus lib. II. 12. *Farn.*

605 *Ultroque vocant venientia fata*] *Vehementia* unus Argent. an *renuentia?* sic 'renuente Deo aliquid facere' apud Propertium et Martialem. Vide Notas l. IX. 506. *Heins.*

606 *Nullis Funeribus*] 'Funere felici spolior.' Virgil. 'Nec te, tua funera, Produxi.' Æneid. IX. 'Defodere insepultum,' eleganter, Plaut. Mostellar. II. 2. *Feruntur*] Efferuntur. *Nullis Funeribus*] Nullis exequiarum honoribus.

609 *Indotata*] Nec thure in rogum ingesto, nec collatis muneribus ab amicis.

612 *Natorumque virumque animæ*] *Natorum matrumque* duo veteres, et editiones nonnullæ. Legendum, *Natarum matrumque*, vel *Natorumque patrumque*. Heins.

614 *Tanto turbine rerum*] Sic Stat. 'Tanta vertigine rerum.'

615 *Si te non falsa loquuntur Æginæ amplexus quondam sub Asopidos isse*] Prima in *Asopus* producitur, ut Amor. lib. III. 2. 'Quid referam Asopon?' unde apparet hanc lectionem ferri non posse. Scripti magna ex parte, ut et alii observant, *Isse sub amplexus Æginæ Asopidos olim*, vel *ignem*. Nec pauciores, *Isse sub amplexus quondam Asopidos Æginæ:* unde legendum olim conjiciebam, *Ipse sub amplexus Asopidos Æginai;* ut Ennii aut alterius antiqui poëtæ hemistichium exprimat. Alii codices aliter: sed quid sibi vult *non falsa loquuntur?* Sordet mihi hæc locutio. Quare accedo optimo Florentino S. Marci, in quo, *si te non falsa loquuntur Dicta, sub amplexus Æginæ Asopidos isse;* neque aliter unus Ambrosianus: huc alludit etiam primi Vaticani scriptura, *Isse sub amplexus Æginæ Asopidos isse.* Heins.

616 *Asopidos Æginæ*] Asopi filiæ. Est enim Asopus Bœotiæ fluvius in sinum Corinthium labens.

619 *Notam*] Signum. *Fulgore*] Fulgoris splendore.

621 *Quæ das mihi pignoris omen*] *Quod das mihi pignoris omen*, vel *pignora numen*, veteres plerique. Florent. S. Marci, duo Palat. prim. Gronov. et sex aut septem alii, *quod das mihi, pigneror, omen;* vere: sic apud Ciceronem Philipp. XIV. 'Mars ipse in acie fortissimum quemque pignerari solet.' Vide Nonium in *Pignerari:* ita etiam in Indice Lucretiano Gifanium restituisse jam video, voce *Porgere.* Paulo ante pro *tonitruque secundo* pri. Medic. et quatuor alii, *tonitrumque secundum.* Forte, *Ille notam fulgurque dedit tonitrumque secundum:* ut sit appositio. Sic contra

apud Claudianum bello Gildon. 'adversamque notam duxere futuri:' *tonitrum* pro *tonitru* etiam alibi habes, ut *cornum* pro *cornu*. Lib. XIV. 'tonitrumque secutæ Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi:' atque ita passim Lucretius. *Heins. Quæ das mihi pignoris omen*] Quæ mihi pro pignoris signo ostendis. *R.*

623 *De semine Dodonæo*] Laus a loco. Dodona enim urbs est Molossidis in Epiro, juxta quam fuit sylva Jovi dicata, in qua columbæ responsa dabant. Dicta autem Dodona, vel a Dodono Jovis et Europæ filio, vel a Dodone fluvio, ut Stephanus ait. Unde Dodonius, Dodonæusque derivantur.

626 *Rugoso cortice*] Aspero.

628 *Inania mœnia supple*] Alii *comple;* septem *reple:* est enim communis syllaba. Virgil. lib. XI. 'Evandrum, Evandrique domos et mœnia replet:' ita vetustissimus Florentinus aliique ex præstantioribus, non *complet*. Mox dicet, 'sed non replenda est curia verbis.' *Heins. Inania mœnia*] Hominibus vacua.

629 *Intremuit*] Firmando omini; exauditis precibus. *Farn.*

631 *Horruerant, stabantque comæ*] Φόβος ὀρθόθριξ. Æschyl. Choëphor. Et in Agamemnone vocat *φόβον ὀξυβόαν*.

636 *Et rami totidem*] *Ramos* omnino legendum cum uno meo, uno Mediceo, et Gryphiana editione: atque ita Naugeriani codices. *Heins. Totidemque*] Ὅσσοι ἔσαν μύρμηκες ἐπηράτου ἔνδοθι νήσου, Τοὺς ἄνδρας ποίησε. Hesiodus in Theogonia.

637 *Pariterque tremiscere motu*] Scribe *parilique motu;* quæ vox Nasoni nostro in deliciis: libro V. 'parilique irata colonos Ruricolasque boves leto dedit.' Libro VII. 'Arte suum parili revirescere posse parentem.' Lib. VIII. 'Quosque alios parili fuerat dignatus honore.' Et mox, 'Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon.' Libro XIV. 'Optantemque eadem parilique cupidine captam.' Libro X. 'parilique ex ære nitebant Auribus e geminis circum cava tempora baccæ:' qui locus vulgo mendosissimus circumfertur: 'Noctes pariles diebus' apud Lucretium, et 'parili ratione:' usus etiam Cicero in Arateis hac voce. Sic et 'disparile' apud eundem Tullium aliosque scriptores occurrit. *Heins.*

638 *Graniferumque*] Formicas. 'It nigrum campis agmen, prædamque per herbas Convectat.' Æneid. IV. *Farn.*

639 *Crescere quod subito majus majusque videtur*] *Videri* meliores magno numero, quos inter Florentinus S. Marci, qui etiam *desubito;* quomodo et Urbin. uterque Erfurt. prim. Palat. prim. Vatican. prim. Gronov. Oxon. et octo alii. Vide Nonium in *Desubito,* qui monet Ciceronem ea voce usum: at tertius Medic. pri. Moreti, pri. Bas. pri. Hamburg. et decem alii, *dehinc subito;* quod placet. Scribe, *Crescere dehinc subito, et majus majusque videri:* ut apud Statium, 'Dehinc sociare choros, castisque accedere sacris:' nisi mavis *Crescere dein subito;* qua voce Catullus non semel usus est. Silius libro XV. 'Celsus ceu prima reflorescente juventa Ibat consul ovans, major majorque videri.' *Heins.*

644 *Nihil*] Ciofanus, ex omnium librorum fide, contendit legendum esse, *nihil: at in ædibus,* quod et Mss. mei agnoscunt.

646 *Somni Esse; venit Telamon properus*] *Somni. Ecce venit* duo Pall. aliique complures, concinnius: nec invenuste Lovaniensis et alter Twisdenius, *Ecce meus;* ut *τὸ venit* subintelligatur: sed nec male unus Ambros. *dum suspicor has quoque somnum.* Heins. *Properus*] Alii *properans:* alii *propere.* Farn.

651 *Aspicio, noscoque*] Ita vetustiores magna ex parte; nisi quod prim.

Pal. *noscique.* Cantabrig. sec. Palat. prim. Gronov. Arond. multique præterea *nos mox adeunt*: pri. tert. Medic. ac alii decem, *nos hiique adeunt*: alii aliter. Scribo, *aspicio agnoscoque.* Lib. XI. ' vidi, agnovique, manumque Ad discedentem, cupiens retinere, tetendi.' *Heins.*

654 *Myrmidonasque*] Μυρμιδόνας δὲ κληθῆναί φασιν, οὐχ ὡς ὁ μῦθος, &c. Æginetæ non, ut est in fabulis, vocantur Myrmidones, quod populo peste absumpto, ex voto Æaci, Juppiter formicas in homines mutarit: sed quod formicarum in morem terram fodiant cum agriculturam exercentes, tum lateribus coctis destituti in antris subterraneis habitantes. Strabo lib. VIII. *Origine*] Gentem de formicis natam non fraudo nativo nomine, Myrmidonas ἐκ μυρμήκων voco *Farn.*

656 *Parcum genus est*] Melius sex scripti *parcumque genus.* Pro *quod reservet* Florent. S. Marci, *qui reservent.* Heins.

FAB. XXVII. 662 *Implevere diem*] Consumpserunt. Totum diem, quam longus est, in his et similibus sermonibus transegerunt. *Pont.* *Lucis*] Diei pars major. Mariangelus leg. *pars ultima.* Farn. *Lucis pars optima mensæ*] *Pars ultima* pri. et sec. Palat. Calandr. duo Regii, aliique septem; bene: nam prandia vetustiori ævo prorsus ignota. *Heins.*

665 *Pallante sati*] Pallantis Atheniensis filii duo Clytus et Butes, Pandionis regis nepotes; legationis socii Cephalum, natu utroque grandiorem mane accedunt. Ille cum iisdem regem salutatum vadit. *Pont.*

666 *Ad regem*] Ad Æacum. *R.*

669 *Fraterque*] Et Peleus. *Farn.* *Viros ad bella legebant*] In plurimis veterum, *movebant*, *monebant*, *parabant*, *regebant*: in aliis, *gerebant*, *vocabant*, *premebant*; frustra. Hinc ' delectus ' seu ' dilectus militum:' in uno tamen Palatino, pro diversa lectione, *ciebant*; non male. *Heins.*

671 *Cum quîs simul ipse resedit*] Ita distingue; *simul* pro *simulac*; de quo Fast. IV. 496. *Ducit* pro *duxit* meliores. *Idem.*

672 *Aspicit Æoliden*] *Eioniden* legunt viri eruditi: ut et lib. VI. ' E quibus Eionides Cephalus te conjuge felix, Procri, fuit.' Deionei filium Cephalum facit Callimachus hymno in Dianam, Apollodorus, Antoninus Liberalis, Palæphatus, Tzetzes Chiliad. fab. 20. Eustathius in Homerum, Hyginus fab. 160. Mercurii ex Creusa Erechthei filia natum ait: sic et fab. 198. Nisum Deionei filium facit, et fab. 270. Pandionis filium: quod ipsum quoque pro *Deionei* mendosum, vel *Deionis.* Scholiastes Euripidis ad Hippolytum, Κέφαλος εἷς ἦν τῶν ἐξ Ἐνδοναίωνος, satis perplexe; sed legendum τῶν ἐξ Δηιώνεος, vel Δηϊόνος. Nam Apollodoro Δηΐων non Δηϊώνευς dicitur, ut et Antonino Liberali atque Hygino. Hunc Phocidi imperasse idem Apollodorus testatur. Apud Hyginum fab. 48. male Cephalus *Deionei filius* dicitur pro *Deioni*; quomodo bene fab. 241. et 273. apud eundem extat. Callimacho est Κέφαλος Δηϊονίδης. Apud Apostolium parœmia Τελμησία ἀλώπηξ, Cephalus Δηΐνος υἱὸς dicitur pro Δηϊόνος, corrupte etiam. Fuerunt itaque, qui pro *Æolides*, *Eionides* scribendum censerent; *Eioneus* enim et *Deioneus* iidem. Tzetzes Chiliad. Histor. IX. 273. Ἰξίων ὁ Φλεγύου παῖς, ὢν Λαπιθῶν ἐκ γένους, Ἔσχε πρὸς γάμον σύνευνον Δῖαν Δηϊονέως Ἄλλοις Ἠϊόνεως δὲ, παρεγραφῆς τοῦ δέλτα· quomodo *Thamyris* idem cum *Amyri.* Apud Suidam certe, Zenobium, Diogenianum ac Apostolium in parœmiis modo Ἄμυρις μαίνεται, modo Θάμυρις μαίνεται occurrit. Et sane discrimen nominis Eustathius quoque notavit ad Iliados B. 595. Cæterum mihi lectio vulgata non videtur sollicitanda. Apud Apollodorum enim Deioneus vel Deion, inter

liberos Æoli recensetur cum Cretheo, Sisypho, Athamante, Salmoneo, Magnete et Periere. Scholiastes quoque Homeri in Odyss. Λ. Τυρὼ ἦλθε παρὰ Δηϊονέα τὸν θεῖον, ὁ δὲ κατασχὼν αὐτὴν εἰς Θεσσαλίαν δίδωσι Κρηθεῖ τῷ ἀδελφῷ, ubi Cretheum et Deioneum fratres habes. Cretheum autem Æoli fuisse filium ex auctoribus satis liquet. Alius est Deioneus apud Plutarchum in Theseo, Euryti regis Œchaliæ filius, Ioles frater, qui Perigunen Sinidis latronis filiam a Theseo compressam duxit uxorem. Miletus quoque Deionides nostro dicitur Metam. lib. x. Cæterum Mercurii filium a nonnullis habitum Cephalum ex Hygino et Apollodoro jam patet. Quare sollicitanda non est lectio apud nostrum lib. III. Artis Amatoriæ, 'Ecce redit sylvis Cephalus Cyllenia proles.' Apollodorus matrem ei Hersen quoque assignat. *Ignota ex arbore*] *Ignara* pri. Ambros. pri. Moreti, sec. Palat. et quatuor alii: sic Tacitus sæpe pro ignota. Vide Trist. III. 8. Gellius quoque lib. IX. 12. notat *ignarum* dici tam qui ignoratur, quam qui ignorat: sic et apud Virgilium Eclog. VI. Vaticanus codex literis uncialibus scriptus, 'Rara per ignaros errent animalia montes.' *Idem.* *Æoliden*] Cephalum Æoli nepotem. *R.*

674 *Ille locutus*] *Ante* multi. Puto *inde.* Heins.

676 *Qua tamen*] E quo ligno. *Farn.*

678 *Si cornus, nodus inesset*] Cornus enim nodosa est arbor.

681 *Actæis*] Atheniensibus. *Usum*] Utilitatem. *R.* *Alter*] Clytus, vel Butes. *Farn.*

682 *Specie*] Pulchritudine.

683 *Consequitur*] Videtur ex aquifolia factum, cujus meminit Plinius lib. XXIV. 13. Baculum, inquit, vel jaculum, ex ea factum, in quodvis animal emissum, etiamsi citra ceciderit defectu mittentis, ipsum per sese recubitu propius adlabi.

685 *Nereius*] Phocus, quem sustulit Æacus ex Psamathe filia Nerei. Peleum enim et Telamonem ex Endeide Chironis vel Scironis filia habuit. *Farn.*

687 *Quæ petit ille refert, et cætera nota pudore*] *Pudori* in nonnullis vetustioribus: alii, *Quæ patitur pudor, ille refert: et cætera narrat;* vel *et cætera differt:* nonnulli utrumque versum agnoscunt: at Florentinus S. Marci, *Quæ petit ille refert, cæterum narrare pudori:* scripserat, puto, Noster, *Quæ petit ille, refert, sed, quæ narrare pudori est. Qua tulerit mercede, silet.* Scriptum fuerat *cæ* pro *quæ*, ex quo et *narra* procuderunt *cætera;* hic fons erroris. Vulgata lectione nihil insulsius. Mox *Possit credere* castigatiores. *Heins.*

690 *Nate Dea*] Phocus, quem alloquitur Cephalus, filius fuit Æaci ex Psamathe Nympha.

694 *Procris erat*] Procris Erechthei Atheniensium regis filia fuit, quæ cum Cephalo nupsisset, Auroræ odio, quæ Cephalum in suos amplexus convertere nequivit, sub forma alieni viri muneribus a Cephalo ipso tentata, fidem marito datam fractura videbatur. Cum autem se Cephalus indicasset, aufugiens, sylvas petiit, ac Dianæ comes effecta, tandem Cephalo placatur, domumque reversa, marito et canem nomine Lælapa, et jaculum admirandæ pulchritudinis virtutisque donavit. Cum autem cujusdam indicio comperisset, Cephalum cum quadam nympha nomine Aura congredi solitum, clam eum in sylvas secuta, ab inscio marito, eo telo, quod ab ipsa dono acceperat, fuit interfecta. *R.* *Procris*] Redi ad lib. VI. 81.

695 *Magnæ soror Orythyiæ*] *Raptæ soror* vetustiores plerique. Propertius Eleg. II. 26. 'Crudelem et Borean rapta Orythyia negavit.' Et lib. III. Eleg. 6. 'Infelix Borea raptæ memor Orythyiæ.' Noster Amor. lib. I. 6. 'Si satis es raptæ Borea me-

mor Orythyiæ.' Stat. Theb. XII. 'raptæ qui conscius Orythyiæ Celavit Geticos ripis Illissos amores.' In primo Gronovii, et Bernegger. pro diversa lectione *spartæ;* quod prim. Medic. et tert. et Spirensis, et Noricus, alii duo quoque, agnoscunt; quod non intelligo, nisi *spretæ* reponas, a me videlicet. In priore Erfurtano *parvæ;* sed *τὸ raptæ* sequentia confirmant. Mox *Dignior ipsa rapi* ex melioribus. *Heins.* *Magnæ*] Al. *raptæ.* Farn. *Magnæ Orythyiæ*] Præclaræ, ut quæ sua pulchritudine a Borea vento rapta fuisse fingitur.

697 *Dignior ipsa rapi*] Anteponit Cephalus Procrin Orythyiæ, quamvis ob pulchritudinem Orythyia a Borea vento rapta fuisse feratur. *Ista*] Procris. *Pater Erechtheus*] Erechtheus Athenarum rex fuit, unde Athenienses interdum Erechthiadæ vocantur.

698 *Hanc mihi junxit amor*] *Amor* in Urbinati erat repositum, veteri lectione penitus delata. Forte, *Hanc mihi junxit Hymen.* Heins.

699 *Et nunc quoque forsitan essem*] *At* plerique vetustiores: *haut* Florent. S. Marci, Thuan. et alii duo: *ac* tres: *ut* sec. Mediceus. Forte, *quin nunc quoque forsitan essem.* Idem.

700 *Post sacra jugalia*] *Acta* Urbin. Neapol. sec. Medic. Scribe, *post pacta jugalia;* sponsalia intelligit, quæ *pactum* sæpe vocantur. Lib. XIV. 'unoque duas ulciscere pacto:' sic et ibi videtur scribendum. Statius Theb. VIII. 'Dum mea nescio quo spondentur fœdera pacto.' Idem lib. III. 'nec te connubia cœlo Pacta, nec hæ quicquam lacrymæ, furibunde, morantur:' ita emendandum; nam in membranis multis *Facta;* in libris vulgatis *Festa.* In Achilleide, 'quid enim illicitis genialia rumpi Facta dolis?' Sic apud Silium lib. XVII. insulse vulgo circumfertur, 'facta hospita servet;' pro *pacta.* 'Connubia cœlo Pacta,' 'pactos Hymenæos' Virgilius dixisset; hinc et *pactæ* pro sponsis. Lib. XIV. 'pactaque furit pro conjuge Turnus.' 'Pacta virgo' Valerio Flacco. *Idem.*

702 *Semper florentis Hymetti*] Hymettus mons est Atticæ regionis, thymo semper florens; ubi et mel optimum conficitur, et pulcherrimum marmor effoditur.

704 *Invitumque*] Κέφαλος τοῦ κάλλους εἵνεκα ὑπὸ Ἡμέρας ἡρπαγμένος. Pausanias in Laconicis. Formosissimos autem quosque a Deabus raptos legere est apud Deipnosophistam lib. XIII. 2. *Farn.*

710 *Prima fœdera*] Nam Procridi dederat fidem se cum alia muliere non coiturum. *Deserti lecti*] Derelictæ uxoris.

712 *Quod si mea provida mens est*] Sed si, inquit, prævideo futura, cupies nunquam habuisse Procrin.

714 *Mecum retracto*] Mecum cogito.

715 *Esse metus cœpit*] *Ecce* ex quatuor scriptis: et præcedenti versu *Ut redeo,* pro *Dum.* Heins.

718 *Sed et hæc erat*] Sed et Aurora, a qua veniebam, ipsa erat exemplum adulterii.

720 *Quærere quod doleam statuo*] *Quid doleam* multi veteres; tres *quo:* *et studeo* Cantabrig. prim. Basil. quart. Medic. prim. Erfurt. et duodecim alii. *Heins.* *Quærere*] Aliter narratur hæc fabula ab Antonio Liberali. Κέφαλος, inquit, ὁ Δηΐονος ἔγημεν, &c. Cephalus Deionis filius Procrin Erechthei filiam in Thorico Atticæ duxit. Erat is Cephalus juvenis forma et fortitudine excellens, cujus pulchritudine mota Aurora eum rapuit, sibique maritum adscivit. Tum igitur Cephalus Procrin tentavit, an matrimonii fidem et illa servatura esset. Venatum aliquando se ire simulat, ad Procrin autem mittit servum ignotum; qui magnam auri vim ferens, hoc ei a peregrino quodam ipsius amore capto dari ait, si

sui copiam faceret. Procris renuit, sed cum duplum mitteretur, consentit. Cephalus ubi eam domum ingredi animadvertit, jamque ad se, quem alium putabat, accumbere, facem ardentem infert, facinusque ejus arguit. Fab. 41. Tzetzes I. Chil. 20. narrat deprehensam a Cephalo cum Pteleonte juvene, a quo acceperat auream coronam. Hyginus fab. 189. *Farn.*

726 *Vix aditus per mille dolos ad Erechthida factus*] *Aditu facto* Florent. S. Marci, Bernegg. et unus Medic. probe; ita sæpe peccatum. Val. Flaccus lib. I. initio, 'versa proles tua pandet Idume (Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem:' sic scribendum, vel *pandat; versam Idumen* editiones nunc circumferunt, unde variæ conjecturæ promanarunt: nec dissimile mendum ejusdem Flacci codices insedit lib. V. 95. 'atque ea vix dum Visa viris: atra nox protinus abstulit umbra:' Sthenelum, videlicet: *atram umbram* vulgati frustra. *Heins.*

727 *Ut vidi, obstupui*] Forte, *ut stupui:* consule quæ notamus ad Epist. Medeæ vs. 33. *Idem.*

728 *Fide*] Pro *fidei*, Archaismus. Agellius lib. IX. 14. 'Libra die somnique pares ubi fecerit horas,' Virgil. Georgic. I. Respice lib. III. 341. *Farn.*

731 *Desiderioque dolebat*] *Calebat* eleganter scripti majori ex parte: et mox *Conjugis abrepti* pro *erepti*. Silius lib. III. 'abripitur divulsa marito.' Apud Nostrum lib. X. 'Abripit Iliaden' libri optimi. Val. Flac. lib. IV. 'ut dictis perstantem cernit in isdem, Abripit, et sociis quæ sint ea promere cogit:' hoc est, secum abducit. Lib. I. 'Non juvenem in casus eademque pericula Acastum Abripiam?' Propertius Eleg. II. 8. 'Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles.' *Heins.*

732 *Conjugis abrepti*] Mariti, quem putabat ab Aurora fuisse raptum.

737 *Fide*] Ut modo vs. 729. nisi audire malis Ciofanum, ex Vaticano, *Cui non ista satis fidei.* Farn.

739 *Dum census dare me promitto loquendo*] *Pro nocte loquendo* plurimi veteres: *pro nocte paciscor* Mureti excerpta et decem aut duodecim ex nostris; quod secutus sum. Noster in Amoribus, 'Parcite, formosæ, pretium pro nocte pacisci.' *Pro nocte spopondi* sec. Palat. tert. *ferendo:* unus Moreti *pro nocte locando:* forte *locanda;* sic Amor. I. 'sæpe loca noctem.' *Heins. Census*] Amplas divitias.

740 *Muneraque augendo*] Puto, *Munera ut augendo.* Heins.

741 *Exclamo, male pacta tego, male tectus adulter*] Mira lectionum diversitas in hoc versu. Spirensis cum vulgatis facit, nisi quod in eo *pacta nego.* Vetustiores alii plerique, *Exclamo, male fictor adest, male fictus adulter;* aut etiam *ego fictus;* vel, *Exclamo, mala pectora detego pactus adulter;* vel, *Exclamo, male pacta ego sum, male pactus adulter;* vel, *Exclamo, mea pacta nego:* longe plura sunt, quæ proferri poterant; sed tædet hisce sordibus chartam inquinare. Puto scribendum, *Exclamo, Male tectus ego en, male pactus adulter;* nisi malis, *Exclamo me fassus, Ego en male pactus* (vel *tectus*) *adulter, Verus eram conjux;* quod verum est. Scriptum fuerat *Exclamo me pactus* pro *me fassus:* vox utraque alibi etiam, præsertim in Fastis, apud nostrum nonnunquam confunditur. Met. VIII. 'Fassaque me flammasque meas.' *Idem. Tectus adulter*] Simulatus, inquit, eram adulter: sed verus maritus. *R.*

742 *Perfida*] Ex Virgil. Æneid. IV. 'Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide.'

744 *Insidiosa limina*] In quibus sibi structæ insidiæ fuerant. *R. Insidiosa*] Procris, ut habet Ant. Liberalis fab. 41. præ pudore Cephalum dese-

rit, et ad Minoëm Cretæ regem confugit, &c. ab eo jaculum et canem accipit, quem nulla fera poterat evitare.

745 *Offensaque mei*] Quod me offendisset. *R.*

746 *Montibus errabat*] Versus nonnihil est suspectus. *Heins.* *Montibus*] His sumptis, Procris Thoricum Atticæ venit ubi Cephalus habitabat, et ei in venatione occurrit; sed mutato, ita ut a nemine agnosceretur, habitu. Cephalus animadvertens se venando nihil consequi, Procrin omnia, jaculi istius desiderio captus est. Procris id ei promisit concubitus conditione. Quam ubi ille accepisset, Procris se prodidit, eique exprobravit, quod æque ac ipsa peccasset. Canem quidem et jaculum Cephalus accepit. Liberalis fab. 41. *Farn.*

747 *Violentior ignis*] Amor vehementior.

751 *Hæc mihi confesso*] *Hoc* cum melioribus. *Heins.*

752 *Redditur mihi*] Ad me redit.

753 *Tanquam si parva dedisset*] Repone ex Florentino S. Marci, Spirensi, Bernegger. et tribus aliis, *tanquam se parva dedisset Dona:* tanquam se ipsam parvum dedisset munus. *Heinsius.*

755 *Cynthia*] Diana. *R.*

756 *Manibus*] And. Naugerius edidit, *Quod nos, ut cernis, habemus.* Farn. *Quod nos ut cernis habemus*] Scripti plerique, *manibus quod cernis habemus;* vel *quod cernis habere.* Scribe, *manibus quod cernis haberi;* vel, quod malo, *manibus quod (cernis) habemus:* ut in illo Maronis, 'Ille (vides) pura juvenis qui nititur hasta Proxima sorte tenet lucis loca.' Vidit jam veram lectionem Gronovius Observat. lib. IV. 18. qui illic adeundus. *Heins.*

758 *Accipe mirandum*] Scribe, vel invitis libris, *Accipe: mirandi novitate movebere facti;* nisi *monstri* malis cum Arondeliano: sic 'mirabile monstrum' lib. V. 258. ubi Notæ nostræ videantur. *Heins.*

FAB. XXVIII. 759 *Carmina Naiades non intellecta priorum Solvunt ingeniis*] Hæc nihili sunt. Conatus tamen est locum illustrare Janus Parrhasius Epist. Quæst. 38. Quæ enim istæ Naiades fatidicæ? Pro *Solvunt*, pri. Gronov. pri. Ambros. Arond. et alter Erfurt. *Solverat;* unde veram lectionem sum subodoratus. Florentinus S. Marci, et Spirensis, *solvitur.* In tertio Mediceo aliisque nonnullis vox *Naiades* in litura cubabat; tres quatuorve *Naiadum.* Lege, minima mutatione, *Carmina Laiades non intellecta priorum Solverat ingeniis.* De Œdipo Laii filio agitur. Sequentia distinctione sunt juvanda, ut vates illa obscura, quæ jacebat præcipitata, non sit Themis, ut in vulgatis libris, sed Sphinx: quare, *non talia linquit inulta* cum melioribus reponendum, pro *nec talia liquit.* Omnia jam plana sunt et perspicua. Inciderat tamen antiquus quoque auctor argumentorum in hasce fabulas editorum, in mendosos codices; ut errorem de Naiadibus inveteratum esse appareat. De *Laiade* aliquid hic loci visus est deprehendisse Jacobus Taurellus, teste Ciofano: sed quid ille vellet, bonus Ciofanus non intellexit. *Heins.*

761 *Ambagum, vates obscura*] Ex Virg. VI. 'Horrendas canit ambages... Obscuris vera involvens.' 'Sic omnia Tuscus Involvens, multaque tegens ambage canebat.' Luc. *Δυσξύμβλητον ὄπα. ἀσήμως. δυσκρίτως. αἰολοστόμους χρησμούς.* Tragici passim. Septuosa dicta. *ψέλλον τε καὶ δυσεύρετον.* Æschyl. Prometh.

763 *Protinus Aoniis immissa est bellua Thebis*] *Immittitur bellua* manu prima Neapol. et uterque Hamburgensis, et Berneggerianus: *immittitur altera* Florentinus S. Marci, et Spirensis. Mox pro *pecorique sibique*

idem *pecorumque suumque;* alii aliter: at Cantabri. pri. Gronov. sec. Med. Spi. et complures præterea, *pecorumque suoque;* quod verum est: nisi malis cum duobus *pecorisque suoque;* quo multi ex vetustioribus alludunt, atque eos inter prim. Palat. in quibus, *pecorique suoque: multi* etiam pro *multis* Zulichemianus, et *Rurigenæ* castigatiores pro *Ruricolæ.* Scribe, *Protinus Aoniis immittitur altera Thebis Pestis: et exitio multi pecorumque suoque Rurigenæ pavere feram.* De vera hujus loci scriptura opportune me monuit vir in restituendis veterum scriptorum depravatis locis felicissimi successus noster Gronovius, cum in prima editione *immittitur altera, pecorumque suoque,* et *rurigenæ* exprimendum curassem. 'Pestis,' ut lib. XI. 'pestis Nemeæa' pro leone Nemeæo; ita enim libri nonnulli veteres illo loco. Neque aliter passim principes poëtæ. *Heins. Aoniis Thebis*] Bœotiis. Aonia enim pars est Bœotiæ.

764 *Cessit*] Alii leg. *Cessit et exitio multis pecorique sibique. Ruricolæ pavere feram.* Planudis versio Græca agnoscit lectionem, *pecorumque suumque: καὶ πολλοῖς εἰς ὄλεθρον προβάτων καὶ χοίρων γέγονεν.* Narrat Ant. Liberalis fab. ult. rapuisse pueros Cadmæorum: eique puerum trigesimo quoque die expositum, quem illa ablatum devorabat, *ὡς ἐπ' ὀλέθρῳ τραφείη Θηβαίων.* Paus. Bœotic.

765 *Ruricolæ*] Al. *Rurigenæ:* hinc Planudi *Indigenæ: ἔδεισαν δὲ καὶ οἱ ἰθαγενεῖς θηρίον. Farn.*

766 *Indagine*] Multitudine hominum inquirentium. Sic Virgilius, 'Saltusque indagine cingunt.' *R. Indagine*] Hominum, plagarum, retium, formidinum circumductu: vide quæ nos ad primam scen. Hippolyti Senecæ. *Farn.*

768 *Summa lina*] Summos funes. Metonymia est; ex lino enim funes conficiuntur. *Positarum lina plagarum*] *Pictarum* non male Basileensis primæ notæ. Ep. Œnon. 'Retia sæpe comes maculis distincta tetendi.' Senecæ 'Picta rubenti linea pinna' in Tragœdiis dicitur. Hanc formidinem etiam appellabant, quæ variis plumarum coloribus distinguebatur: videndi Gratius et Nemesianus in Cynegetico: hinc nostro in Remedio Amoris, 'varia formido' dicitur. Ennodio in Epistolis 'mentita pennarum formido discoloribus fucis.' Eadem et *metus* Latinis et *φόβος* Græcis: sed de his accurate ad Gratium doctissimus Vlitius noster. *Heins.*

769 *Quos illa sequentes*] *Quas* pri. Ambrosianus. Vide Notas III. 140. *Idem.*

770 *Et cœtum non segnior alite ludit*] In uno meo, *et volucri non sequius alite:* quomodo primus Gronovii et Sixius pro diversa lectione. Scribe, *et cœtum non secius alite ludit.* In Norico *sequior* a manu prima. Adi quæ notamus l. II. 809. *Idem. Et cœtum*] Canum multitudinem. *Ludit*] Deludit, decipit. Vulpes enim circumcurrendo maxime canes eludunt.

771 *Lalapa*] A velocitate et impetu nomen hoc inditum fuit cani.

772 *Pugnat exuere*] Conatur detrahere. *R. Vincula*] Lorum quo tenebatur; vel ipsam copulam. *Farn.*

775 *Pedum calidus vestigia pulvis habebat*] Puto *obibat.* Vide Notas l. I. 552. *Heins.*

777 *Nec exutæ contorto verbere glandes*] *Nec excussæ* prim. Vatican. Cantabrig. aliique plurimi; quod placet. Lucanus libro III. apposite, 'Lygdamus excussa balearis tortor habenæ Glande petens solido fregit cava tempora plumbo;' ita scribe ex veterrimis libris; non *excussæ.* Sic 'glande fundis excussa' apud Ammianum quoque l. XXXI. et 'fundæ amento excusso' l. XXXII. Sic 'hasta manu excussa' et 'cupiens excuti hasta' Senecæ in Phœnissis, quæ

vulgo Thebais: 'arundo, quam Cydon excussit manu' Hercule Œtæo. Prudentius Hamartig. 'magis est medicata sagitta, Quam jacit umbrosi dominatio lubrica mundi, Eludens excussa oculos.' Silius lib. VII. 'sed totam pectoris iram Mandat atrox hastæ, telumque volatile nodo Excutit.' At primus Moreti, *exsitæ:* alii *exustæ, exussæ, hæsuræ, exitæ.* Unde *excitæ* videbatur scribendum; quomodo Rottendorpianus et duo alii, ut infra lib. VIII. 'Hinc aper excitus;' et lib. XI. 'conjux excita tumultu:' apud Lucanum 'stratis excita juventus:' *expulsæ* alter Erfurt. Pro *ocyor hasta* malim *ocyus;* ut ad *τὸ exit* referatur. *Idem.* *Expulsæ glandes*] Emissæ funda glandes plumbeæ.

778 *Calamus*] Sagitta ex calamo confecta. *Gortiniaco*] Cretensi. Nam *Gortyn,* quæ et *Gortys* dicitur, urbs est Cretæ. Creteuses autem præcipue celebrantur arte sagittaria.

779 *Collis apex medius*] *Medii* veteres plerique. Pro *Tollor in hunc,* Florent. S. Marci, pri. Vatican. pri. Gronov. prior Erfurt. et sex aut septem alii *Tollor eo,* quod præstat: sic apud Horatium Od. III. 1. 'sed timor et minæ Scandunt eodem, quo dominus.' *Heins.*

780 *Tollor in hunc*] In illum verticem ascendo. *R.* Collem hunc Teumessum intelligi puto. *Micyl.*

781 *Quo modo deprendi*] *Quæ* Cantabr. et Arondel. Puto *Quom,* nulla fere mutatione, pro *Cum:* vel *Qua,* unde, ex quo loco. *Heins.* *Quo*] Cursu. *Modo*] Interdum. *Modo se subducere*] Interdum se subtrahere.

782 *Fera*] Vulpem hanc Teumessiam a Thebanorum vico Teumesso vocat Paus. in Bœot. Palæphatus et Tzetzes Chil. I. 20. Hi virum aiunt fuisse cui nomen Alopex, qui a Thebanorum rege propter astutiam suspectus et urbe expulsus; valida militum manu Teumessum collem occupavisse, hunc Cephali auxilio adjutos Thebanos tandem devicisse. Tzetzes addit Canem hunc virum fuisse quo usus est conciliatore Cephali et Procridis Minos, eundem cum triremi veloci insequeretur Alopeca, utrumque fractis navibus periisse in petris marinis. *Farn.*

783 *In spatiumque fugit*] Loci intervallum. Cæsar de bello Africano: 'Rursus ad aciem passim, conversis equis, se colligebant, atque in spatio consequebantur.' Et deinde: 'Quo pede se reciperent ab hoste, et quemadmodum obversi adversariis, et in quantulo spatio resisterent.' Virgil. V. 'spatioque subit Sergestus iniquo.' Et Æneid. VI. 'Corripiunt spatium medium.'

784 *In gyrum*] In orbem. *Hosti*] Cani Lælapi.

786 *Et vanos exercet in aëre morsus*] Alii *vanos motus:* et *in aëra* meliores. *Vacuos motus* pri. Gronov. prim. Moreti, et tres alii: prior Erfurt. Neap. aliique complures *vacuos morsus;* ut apud Statium Theb. II. de Leone, 'vacuis ferit aëra malis:' et Val. Flac. lib. III. 'Frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem.' Ammianus lib. XXIX. 'Ubi tanquam leo, ob cervum amissum vel capream, morsus vacuos concrepans.' *Heins.*

788 *Digitos amentis addere*] *Indere* prim. Palat. pri. Strozz. Oxon. alter Hamburg. et pro diversa lectione pri. Vatic. probe; quod etiam in veterrimo codice invenerat Mariangelus Accursius. *Idem.* *Amentis addere*] Imponere. Amenta autem sunt lora, quibus jacula facilius longiusque emittuntur.

790 *Medio campo*] *Campi* unus Patavinus: ut Fast. III. 'Ut medium campi scissis tenuere capillis.' Cæterum in plurimis veterum *et medio.* Forte *en medio.* Heins. *Duo marmora*] Duo marmorea signa.

791 *Fugere hoc, illud*] *Fugere illud, hoc* quart. Medic. Puto, *fugere illud, at hoc latrare putares.* Heins.

792 *Invictos ambos*] *Ambo* Florent. S. Marci, sec. Medic. Neap. Berneggerianus; ἀρχαϊκῶς: neque aliter prima Aldi editio. Virgil. Eclog. VI. 'nam sæpe senex spe carminis ambo Luserat.' Georg. IV. 'Verum ubi ductores acie revocaveris ambo:' sic castigatiores libri: quod pluribus exemplis adstruit Charisius. *Heins.*

793 *Adfuit*] Auxilio fuit. *R.*

FAB. XXIX. 794 *Hactenus*] Locutus est Cephalus. *R.* *Crimen*] Dixerat supra vs. 690. 'Hoc telum me flere facit.' *Farn.*

795 *Reddidit*] Respondendo exposuit.

796 *Gaudia*] Ita Diis placitum, voluptati ut mœror comes consequatur. Plautus in Amphitryone: et vs. 457. supra, 'Sollicitumque aliquid lætis intervenit.' *Farn.* *Sunt, Phoce, doloris*] *Sint* cum Cantabrig. Norico, et duobus aliis. *Heins.*

798 *Æacide*] *Æacida* Florentinus S. Marci, et Berneggerianus cum primo Vatic. et sex aliis. Adi Notas Epist. III. 87. *Idem.*

800 *Mutua cura duos*] Cum alter conjux de altero est sollicitus, amantque inter se ardentissime. *Pont.*

801 *Nec Jovis*] 'Nulli se dicit mulier mea nubere malle, Quam mihi; non si se Jupiter ipse petat. Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti, In vento et rapida scribere oportet aqua.' Catullus Epig. LXXI. *Farn.*

803 *Æquales flammæ*] Par amor.

806 *Nec mecum famuli, nec equi ire solebant*] *Nec mecum famulos, nec equos ire sinebam* meliores: et mox *umbras* pro *umbram*; nisi quod *frigus opacum* in uno Mediceo: ut apud Virgilium 'frigus captamus opacum.' *Heins.* *Nec mecum*] Herc. Ciofanus ex uno suo, duobus Vaticanis, et uno Cælest. in lectionem hanc asserit: *Nec mecum famulos, nec equos, nec naribus acres Ire canes, nec lina sequi nodosa sinebam.* Quam lect. in vet. quibusdam Mariangelus invenit: et ego in uno Ms. meo, quam ingenuam credo; neque enim voluisse nostrum tot in eadem vicinia versus claudere uno verbo *solebam* 805. 813. 816.

807 *Lina*] 'Retia rara plagæ.' Æn. IV. *Farn.*

810 *Et quæ de gelidis exibat vallibus auram*] *Exhalat* plurimi veteres: tres *exhalabat*. Scribe *halabat*; sic Lucretio 'gravis halantes sulphuris auræ.' *Heins.*

814 *Intresque sinus gratissima*] Qui æstuant, pectus captandæ auræ aperiunt; ibi enim potissimum calores sentiuntur. *Pont.*

815 *Relevare*] 'Quæque meos releves æstus, cantare solebat, Accipienda sinu nobilis aura veni.' Ovid. de Arte, III. *Farn.*

818 *Dicere sum solitus*] *Sim* cum primo Pal. secundo Medic. Neap. Bernegger. et tribus aliis: præcedentia id requirunt. *Heins.*

820 *Semper capiatur ab ore*] *Captatur* legendum cum Florent. S. Marci, sec. Medic. et tredecim aliis, vel *captetur* cum Neapol. primo Moreti et Barber. Sic supra, 'auræque gravi captantur hiatu.' Lib. IV. 'Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris.' *Idem.*

821 *Vocibus*] 'Conjugis ad timidas aliquis male sedulus aures Auditos memori detulit aure sonos.' Ovid. de Arte, III. *Farn.*

823 *Esse putat Nymphæ*] *Putans* ex Cantabrig. Spir. sec. quart. Mediceis, Neapol. prior. Erfurt. et sex aliis. *Heins.*

826 *Subito*] 'Procris ut accepit nomen, quasi pellicis, Auræ, Excidit, et subito mota dolore fuit.' *Farn.*

827 *Ut mihi narratur*] *Ut sibi* cum melioribus. *Heins.*

830 *Nomen*] Auræ, quod non minus illi fatale, quam Auroræ prius; namque Procris timens Auroram, ut habet Hygin. fab. 189. matutino tempore secuta eum, ut observaret, inter virgulta delituit: quæ virgulta cum

Cephalus moveri vidit, jaculum inevitabile misit, et Procrin conjugem suam interfecit. *Farn.*

836 *Victorque*] Voti compos, satiatus cæde ferarum. *Farn.*

839 *Veni tamen optima dicens*] *Dixi* castigatiores: quare paulo ante *Ut subito* puto scribendum pro *Et;* nisi mavis *En* cum uno Mediceo. *Heins.* *Veni tamen optima dicens, &c.*] Melius ad sensum Palat. *Veni tamen optima, dixi, Fronde levem, &c.* Heins.

840 *Fronde*] 'Surgit, et oppositas agitato corpore frondes Movit in amplexus uxor itura viri. Ille feram sonuisse ratus, juveniliter arcum Corripit.' *Farn.*

842 *Tenens in pectore vulnus*] *Tuens* unus Medic. et postea *vox prodita* pro *cognita* chartaceus probæ notæ in eadem bibliotheca. *Heins.*

843 *Hei mihi*] 'Hei mihi, conclamat, fixisti pectus amicum! Hic locus a Cephalo vulnera semper habet.' *Farn.*

847 *Corpusque meo mihi carius*] *Mihi me carius* pri. Palat. Arondel. alter Hamburg. et unus Argent. Lib. VIII. 'o me mihi carior, inquit, Pars animæ consiste meæ.' Trist. v. Eleg. ult. 'O mihi me conjux carior.' *Heins.*

848 *Ulnis Mollibus attollo*] *Ulnis sontibus* longe efficacius secundus Pal. et pro diversa lectione unus Mediceus: sic et postea 'sceleratum' se vocat. Redde eandem vocem Gratii Cunegetico, 'procul hinc extorribus ire Edico præsente Deo, præsentibus aris, Quis scelus aut manibus, sonti aut in pectore motum est:' *manibus sumptum* perperam ibi circumfertur. *Idem.*

850 *Sceleratum deserat*] *Desinat* tres scripti. Adeantur Notæ lib. II. Artis, 725. *Idem.*

853 *Meosque*] Inferos, ad quos jam moritura hinc migro.

854 *Per si quid*] 'Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam Dulce meum.' Dido Æn. IV. *Farn.*

855 *Nunc quoque*] 'Nomine suspectam mihi spiritus exit in auram: Jam morior.'

857 *Dixit: et errorem*] *At errorem* scribo. *Heins.*

858 *Sed quid docuisse*] *Si quid docuisse juvabit* Arondel. Forte, *si quid docuisse juvaret.* Idem.

859 *Labitur*] Moritur. *R.*

861 *Et in me*] 'Et pectore lapsus Excipitur miseri spiritus ore viri.' Hoc autem ex more veterum, apud quos parens, conjux, amicus, ut quisque erat charior, expirantem deosculatus, extremum halitum et fugientem animam ore excipiebat. 'Et extremus si quis super halitus errat, Ore legam,' Anna Didonis soror, Æn. IV. *Farn.*

862 *Secura*] Pellicis cura liberata. Jam enim ex Cephalo cognoverat auram non esse Nympham, ut ipsa putabat, sed lenem ventorum flatum. *Meliore*] 'Ante diem morior, sed nulla pellice læsa; Hoc faciet positam te mihi, terra, levem.' Hæc eadem Procris, de Arte, III. *Farn.*

866 *Duplici cum prole*] Cum duobus filiis Telamone et Peleo, qui militum delectum habuerant.

METAMORPHOSEON LIB. VIII.

Fab. i. 1 *Jam nitidum retegente diem*] Reditum Cephali cum auxiliis ab Æaco acceptis poëta describens, concinne octavum cum septimo libro connectit. *Retegente*] Aperiente et ostendente. *Noctisque fugante*] Utrumque ab altero pendet. Cum enim retegitur dies, nox fugatur, et contra.

2 *Lucifero*] Lucifer autem stella est Veneris, quinque errantium infima, terræque proxima, ut scribit Cic. in lib. de Nat. Deorum. *Cadit Eurus*] Flare desinit.

4 *Æacidis*] Æginensi militi ab Æaci filiis conscripto: 'Nam Telamon fraterque viros ad bella parabant,' vs. 669. lib. præced. *Farn.* *Quibus feliciter acti*] *Usi* quatuor veteres: ut Epist. Ariadn. 'nam ventis quoque sum crudelibus usa.' Met. xiii. 'jubet uti navita ventis;' sic et alibi: sed vulgatam nihilominus lectionem probo. *Heins.*

5 *Ante expectatum*] Antequam expectarentur. *Portus petitos*] Athenienses portus, quo pervenire cupiebant.

6 *Lelegeia*] Megarensia, a Lelege, qui ab Ægypto advena Megaras instauravit, incolasque a se Lelegas nominari voluit: cujus nepotem Scironem et Nisum de regno disceptantes arbitrum delegerunt Æacum, is regnum Niso adjudicavit. Pausan. in Atticis. *Farn.*

8 *In urbe Alcathoë*] *In urbem* primus Medic. Noricus, et tres alii: *in urbe Alcathoi* puto; de qua lectione dictum Artis Amator. ii. 421. *Heins.* *Quam Nisus habet*] Possidet. Nisus enim ex quatuor Pandionis Athenarum regis filiis unus fuit, cui (ut Strabo narrat l. ix.) in regni divisione à Pandione facta Megara obtigerunt. *Alcathoë*] Megaris, etiam ab Alcathoo restauratis et munitis. *Farn.*

10 *Magni fiducia regni*] Quamdiu enim crinem illum haberet, privari non poterat regno.

11 *Sexta resurgebant*] Sexto mense post cœptam obsidionem Megara prodita fuisse ait. *Orientis cornua Lunæ*] *Cornua Phœbes* unus Med. et unus Ambros. recte; nisi mavis *orienti Phœbæ:* nam alter Twisdenius *orienti Lunæ.* Sic sæpe alibi Phœben pro Luna ponit. Paulo ante *pro medio de vertice* Florent. S. Marci, et alii *medioque in vertice: medio sub* Neap. Urbin. et sec. Medic. *Heins.*

13 *Inter utrumque volat*] *Vagat* Florent. S. Marci, unus Medic. et unus Bon. Sic Plautus Milite Glorioso: 'Te alloquor vitii probrique plena, quæ circum vicinos vagas.' Prudentius Cathemerin. Hymno vi. 'Liber vagat per auras Rapido vigore sensus;' ita vetustiores codices: alii *vacat* vel *vagas.* Vide Nonium in eo verbo. Forte tamen tam apud Nasonem quam Prudentium scribendum *vacat:* sic 'vacat ars;' de quo Trist. iv. 3. 77. possit et legi *vaga est;* idque recte, ut opinor. *Idem.* *Inter*] Νίκη ἑτεραλκὴς, Ἄλλοτε μὲν Μίνω' ἐπαμείβεται, ἄλλοτε Νίσῳ. Romanæ victoriæ optime consuluit fulmen, alas illi decutiens. Νίκη γὰρ φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύνατο. Anthol. 4. *Farn.* *Dubiis victoria pennis*] Hinc Homero Mars vocatur ἀλλοπρόσαλλος. Cæs. de bello Civ. l. iii. 'Sed fortuna, quæ plurimum potest cum in reliquis rebus,

tum præcipue in bello, parvis momentis, magnas rerum commutationes efficit.'

14 *Vocalibus*] Alcathoo Megara mœnibus cingenti operam navans Apollo lyram deposuit; sonus autem lyræ in lapides subjectos transiit: ita ut si quis calculo eos percusserit, eundem, quem pulsæ fides, sonum redderent. Pausan. Att. 'Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus, Et veterem sonitu Phœbi testatur amorem.' Ciris. *Vocalibus*] Resonantibus, vocem reddentibus.

15 *Proles Latonia*] *Latoia* Neapol. Thuan. pri. Reg. Arond. et sex alii. Florent. S. Marci, *Letoia;* bene: quo etiam alludit tertius Medic. in quo *Letonia*. Vide notas Trist. III. 2. 3. *Heins. Proles Latonia*] Apollo.

18 *Petere*] Percutere.

19 *Bello quoque sæpe solebat*] *Bellum quoque turre solebat*, secundus Mediceus et Neap. at Urbinas, *bellum quoque sæpe solebat Spectare, eque illa. Bellum* etiam a manu prima Berneggerianus. Lege, *bellum quoque turre solebat Spectare, eque illa rigidi certamina Martis.* Heins.

21 *Jamque mora belli*] *Moras belli* Neapol. et prior Erfurt. ut 'nomina procerum belli moras' appellet. Sic apud Lucanum, 'Crassus erat belli medius mora:' et apud Silium lib. I. 'Romani Murrus belli mora;' quanquam paulo alio sensu: sed vulgata bene se habet. *Idem. Mora belli*] Diuturnitate belli. *Procerum*] Ducum. *R.*

22 *Cydoneasque*] Cretenses a Cydone Cretæ urbe, infra ad vs. 40. *Farn.*

23 *Ducis*] Minois: Jupiter enim ex Europa suscepit Minoa, Rhadamanthum, et Sarpedonem, ut habet Herodotus in Clio, quem tamen Homerus Jovis et Laodamiæ filium fuisse scribit Il. XVI. *F.*

24 *Plus etiam quam nosse sat est*] Nam eum etiam amabat.

26 *Sumserat ære Fulgentem clypeum*] *Ore* prim. Vatic. et duo alii: prior Regius *auro;* bene: l. XIII. 'Ipse nitor galeæ claro radiantis ab auro.' *Heins.*

30 *Sinuaverat arcus*] Lunaverat, incurvaverat. Redi ad Amor. I. El. 1. vs. 23.

32 *Dempto ære*] Deposita galea.

33 *Stratis insignia pictis Terga premebat equi*] Non damno hanc lectionem; arridet tamen quod pro diversa lectione Grævianus exhibebat, *phaleris pictis;* ut apud Maronem, 'Primus equum phaleris insignem victor habeto.' *Heins.*

40 *Gnossia, Dictæi*] Cretæ ἡκατομπόλεως eximiæ fuerunt urbes Cydon, Gnossus, Gortyn, Lyctus, mons Dicte: atque hinc Poëtis Cretæ epitheta. *Farn.*

41 *Æratas portas*] Ære et ferro munitas et tectas.

42 *Utque sedebat*] *Solebat* non male septem veteres; et Neapol. sec. tert. Medic. pro diversa lectione. *Heins.*

43 *Dictæi regis*] Cretensis. Nam Dicte mons est Cretæ.

46 *Nunquam mihi cognitus esset*] *Nunquid* cum primo Mediceo et Norico. Mox pro *deponere bellum* quinque codices, *dimittere:* ut apud Statium Theb. VI. 'Tisiphone, quantum poteras dimittere bellum?' sic Noster Met. XIII. 'Rex jubet incepti curam dimittere belli.' Apud Senecam Phœnissis, 'infaustas, aio, Dimittite pugnas.' *Heins.*

47 *Me tamen*] Et sane regum liberi obsides plerumque, pacis et fœderum pignora poscebantur olim et dabantur.

48 *Haberet*] Malim *habere*. Heins.

49 *Quæ te peperit*] Europa: ad vs. 23. supra. *Farn. Pulcherrime regum*] *Rerum* decem veteres; omnino rectius: ut Art. Am. I. 'Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum, Quatuor in niveis aureus ibis equis?' sic *fortissime rerum*, et similia. Mox

ipsa fuit, non *ipse*, meliores. *Heins.*

51 *O ego ter felix*] *Quam felix* nonnulli. *Idem.*

54 *Emi*] Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant. 1. Usu; si mulier per annum unum cum viro licet sine legibus fuisset: 2. Farre vel Confarreatione; cum per Pontificem Max. et Dialem Flaminem per fruges et molam salsam conjungebantur: ex quibus nuptiis Patrimi et Matrimi appellabantur: 3. Coëmptione, atque in manum conventione; cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat; ut si quis prior fuerit defunctus, locum hæreditatis justum alteri faceret. Servius Petri Danielis. Formulas vide apud Brissonium l. VI.

55 *Quam sim Proditione potens*] Quam sim voti compos prodendo patrem: ut vs. 80. infra et 751.

58 *Nato*] Androgeo ab Atheniensibus ex invidia et insidiis cæso, l. VII. 461. *Farn.*

59 *Et causaque valet*] Multi veterum *In causaque*. Columella III. 2. 'Vitis eligitur quæ et in fructu valet et in materia.' Deinde pro *causamque tuentibus armis*, Florent. S. Marci, Bernegg. Cantabr. sec. Medic. Spirens. uterque Erfurt. pri. Hamburg. et quinque alii, *tenentibus;* quod verum puto; hoc est, per quæ causa tenetur. Formula juris. Noster l. XIII. 'Difficilem tenui sub iniquo judice causam.' Paulo ante primus Vatic. *quamvis tamen utile vinci*, pro *quamvis sæpe*. Heins.

61 *Cur suus hæc illi reseret mea mœnia Mavors*] *Reserabit* prim. Gronov. rectius. Malim tamen *reserarit*. Idem. *Suus Mavors*] Sua potentia, et vis bellica.

64 *Nam metuo certe*] *Non metuam* Florent. S. Marci, Thuan. Bernegger. primus Medic. prim. Erfurt. Spirens. et unus meus: alii ex vetustioribus *Nam metuam*, vel *Non metuo:* prim. Moreti et alius *Jam metuo.* Scribe *Quam metuo!* sic l. IX. 'Quam nolim, rata sint!' Virgil. Æn. VI. 'Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent!' Propertius l. I. Eleg. 19. 'Quam vereor, ne te, contempto, Cynthia, busto, Abstrahat e nostro pulvere iniquus Amor!' *Heins.*

65 *Quis enim tam durus*] *Dirus* præstantiores multi; quod efficacius. Pro *non inscius*, recte etiam *nisi nescius*, duo meliores Moreti, et sex alii cum Græviano; neque aliter pro diversa lectione primus Vaticanus; invenit etiam id in suis Vivianus: sex alii *nisi inscius*, verum proxime. *Idem.*

67 *Et stat sententia*] *Exstat* Genev. Scribe *en stat;* nisi malis *tradere secum Dotalem patriam*, pro *mecum*, cum Florentino S. Marci et primo Vaticano; ut poëtæ interloquentis sint verba. *Idem.*

68 *Dotalem patriam*] In dotem patriam prodere, ut me accipiat, secumque habeat.

69 *Aditus*] Portarum ingressus.

72 *Sibi quisque profecto Est Deus*] *Fit Deus* in primo Gronovii, ut apud Maronem, 'sua cuique Deus fit dira cupido.' *Heins.* *Sibi*] 'Ergo animus, qui, ut ego dico, divinus est, ut Euripides audet dicere, Deus est.' Cic. I. Tusc. Quæst. 'Diine hunc ardorem mentibus addunt, Euryale? an sua cuique Deus fit dira cupido?' Nisus, Æneid. IX. 'Animus humanus etiam nunc in corpore situs Dæmon nuncupatur:' Apuleius de Deo Socratis. 'Prope est a te Deus, tecum est, intus est:' Seneca Epist. 41. 'Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad homines venit. Imo, quod propius est, in homines venit. Nulla sine Deo mens bona est:' Seneca Epist. 73. 'Dextra mihi Deus est et telum quod missile libro:' Mezentius, Æneid. X.

73 *Ignavis*] Fortunam Lacedæmonii admota manu invocabant. Hesiodus præcipit agricolæ, ut stivam manu tenens vota nuncupet Diti ac Cereri. Non Perseum fugientem in

Pydnen ex prælio, hoc prætextu, ut Diis sacrificaret; sed Paulum Æmilium stricto ense precantem pugnantem exaudivere Dii, illique victoriam concessere. Plutarchus in Æmilio: 'Fortuna fortes metuit, ignavos premit.' Seneca Med. 159. *Farn.* *Ignavis precibus fortuna repugnat*] 'Non muliebribus suppliciis ac precibus res magnæ geruntur, sed agendo, vigilandoque: ubi te semel tradideris socordiæ, nequidquam deinde opem Deorum imploraveris: infensi et irati sunt.' Salust.

75 *Perdere gauderet*] *Prodere* tres scripti. Vide Festum in eo verbo. At Mediceus primæ notæ, *Pendere*, pro Impendere, vel discrimini objicere; sumtum a lancis examine: unde 'pendere tributum,' 'vectigal,' 'pœnam,' et similia. Sic Calpurnius Ecloga VI. 'Hunc ego qualemcunque vides in valle, paciscor Pendere: dum sciat hic se non sine pignore vinci.' Noster lib. X. 'Atque ita; Quis Deus hunc formosis, inquit, iniquus Pendere vult? caræque jubet discrimine vitæ Conjugium petere hoc!' ita illic optimus Cantabrig. cum uno Basileensi. 'Pensius cogitare,' Ausonio in gratiarum actione: 'pensas herbas' pro ponderatis Noster dixit Met. XIV. in fabula Circes. Ausonius Idyll. VIII. 'justo trutinæ se examine pendit:' ita veterrimus codex, non *pensat* cum vulgatis. Epistola V. ad Theonem, idem codex *dependere* pro *deprendere*: 'Quas tamen explicitis nequeas dependere chartis.' *Heins.*

77 *Et gladios ausim*] *Per gladios* cum uno Vossiano, uno Gronovii, priore Twisdenio, et Mediceo uno. Deinde *neque in hoc*, non *ad hoc*, cum melioribus. *Per gladios* etiam in uno Bersmanni extabat. *Idem.*

85 *Fatali Crine*] *Vitali* in vetustioribus nonnullis. *Idem.* *Fatali Crine*] In quo urbis fata continebantur. *R.* *Fatali*] Crinis hic fatalis significat secretum Nisi consilium, quod in capite summo. Hoc autem hostibus prodito, quid superest, nisi urbis expugnatio? Georg. Sabinus, apud quem vide similem historiam de Romilda Foro Juliensi. *Farn.*

87 *Fert secum spolium sceleris*] *Celeris* in primo Mediceo, priore Erfurt. Calandr. Juret. Spirens. et quinque aliis; quomodo et Priscianus agnoscit, et in veterrimo libro Vivianus invenit. Sed vel sic versum hunc tollendum censeo. Certe in optimo S. Marci codice margini adscriptus erat, idque manu recentiori. *Heinsius.*

88 *Meriti fiducia tanta est*] *Meritis* duo: unus Leidensis *menti;* non male. *Idem.*

91 *Patriamque meosque penates*] *Patriosque* ex melioribus. *Idem.*

95 *Minos porrecta refugit*] Minos tanta fuisse justitia apud superos fertur, ut apud inferos judex fuerit constitutus. Pulchre igitur decorum servat Poëta, quo ubique Minoëm justum esse ostendit.

96 *Imagine*] Cogitatione. *Novi facti*] Inusitati sceleris.

97 *Dii te submoveant*] Pœnam et supplicium, quo olim parricidæ afficiebantur, Scyllæ Minos imprecatur. Corio namque insuebantur cum simia, gallo, ac serpente, ac in mare fluviumve projiciebantur, ne aut cœlum aspicere, aut in terra aquave quiescere possent. *R.* *Di te submoveant Orbe suo*] *Orbe polus* Neapol. Florent. S. Marci, et Spir. *Orbe tuo:* quartus Medic. *Orbe meo.* Scribe *Orbe pio.* Postea *negentur*, pro *negetur*, Mediceus chartaceus. *Heins.*

98 *Orbe suo*] Ad parricidarum supplicium allusum volunt: de eo Cicer. in oratione pro Roscio Amerino.

99 *Jovis*] 'Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ,' Æneid. III. Callimachus hymno ad Jovem. Gyrald. Syntagm. I. *Farn.* Virg. 'Creta Jovis magni medio jacet insula ponto,

Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ.' Æneid. III.

100 *Qui meus est orbis*] *Quæ meus* Urbin. et duodecim alii. *Heins. Tantum monstrum*] Quæ contra naturam fiunt, monstra vocantur. Patrem autem prodi a filia, maxime contra naturam esse videtur. *R. Monstrum*] 'Ατύχημα. Arrian. Epictet.

101 *Justissimus auctor*] Olim *ultor* legebam: ut supra, 'Androgeique necem justis ulciscitur armis.' Nunc nihil muto. Nam 'auctor' ad leges referendum: unde et 'legifer' Nostro dictus est in Amoribus. Sic de Augusto l. xv. 'legesque feret justissimus auctor.' *Heins.*

103 *Æratas impleri remige puppes*] Imo *impelli;* quod, præter unum codicem Ciofani et Mureti Excerpta, quinque nostri exhibent. Sic 'infidum remis impellere marmor,' Maroni in Georgicis: et Æneid. IV. 'impellite remos.' Noster Epist. III. 'sive paras impellere remige classem.' *Idem.*

105 *Præstare ducem sceleris sibi præmia*] *Sceleris sua* unus Moreti. Puto *sceleri sua præmia.* Idem.

108 *Quo fugis*] Vestigia plane Virgiliana: 'Mene fugis?' et mox, 'Nec te noster amor, nec te data dextera quondam, Nec moritura,' &c. Æneid. IV. *Farn.*

111 *Et scelus*] Quia prodidit patrem. *Et meritum*] Quia victorem effecit Minoëm.

112 *In unum congesta*] *Uno* prim. Moret. et sex alii. *Heins.*

113 *Nam quo*] 'Nam quo me referam? quali spe perdita nitar? Idæosne petam montes? an gurgite vasto, &c. An patris auxilium sperem?' Ariadne apud Catullum. 'Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater Destruat? aut captam ducat Getulus Iarbas?' Dido Virg. *Farn.*

116 *Quem tibi donavi*] *Quæ* ex castigatioribus. *Heins.*

117 *Obstruximus orbem Terrarum nobis*] Sine libris antiquis esset, non auderem controversiam huic loco movere. At inter optimos Neapol. Urbin. sec. Medic. Spirensis, et Thysianus *exponimus orbem:* pri. Basil. *exponimur orbem:* Florent. S. Marci et unus Medic. ex melioribus, *exponimur orbe.* Latet aliquid reconditæ elegantiæ. Scribo, *exponimur orbæ; Terrarum nobis ut Crete sola pateret.* 'Exponi' enim seu projici non infantes solummodo, sed exules etiam dicebantur. Noster in Tristib. 'Exposuit memet populis fortuna videndum.' *Idem. Obstruximus*] Clausimus. *R. Obstruximus*] Hinc Medea Senecæ: 'Quascunque aperui tibi vias, clusi mihi. Quo me remittis?' vs. 458. *Farn.*

119 *Hanc quoque si prohibes, et nos, ingrate, relinquis*] *Hac prohibes* ex iisdem, de quo Artis Amatoriæ lib. II. 335. Deinde *sic prohibes* bene tert. Mediceus, et duo alii: *sic nos relinquis* etiam ex Palatinis unus; alius, *si relinquis.* Heins.

120 *Sed inhospita Syrtis*] Inhospitalis. Accolæ namque Syrtium feri sunt, et peregrinis infestissimi. *R. Genitrix*] 'Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.' Æn. IV. 'Quænam te genuit sola sub rupe leæna? Quod mare conceptum spumantibus expuit undis? Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis?' Catul. Epigr. 65. Homerum secuti omnes; Νηλεὲς οὐκ ἄρα σοίγε πατὴρ ἦν, &c. Il. XVI. *Farn.*

123 *Generis falsa est ea fabula; verum Et ferus*] *Verus* in multis veterum: unus meus *rerum vel veri.* Assentior Joanni Guilielmo Capoferreo, qui dum hæ observationes prælo committuntur, opportune rescribendum monuit, *generis falsa est ea fabula vestri.* Pro *mater lusa tua est* in Neapol. *capta:* in optimo S. Marci, Florentino

Ducta. Eleganter 'Duci' pro trahi, etiam pro induci vel seduci. Unde 'ductari dolis' apud Comicos. Lib. XIV. 'Invidiæ socios prædæque cupidine ductos:' ita liber optimus. Apud Horatium Sat. II. 2. 'Ducit te species; video.' Propertius Eleg. II. 7. 'Uxor me nunquam, nunquam me ducet amica.' Sed finis exemplorum non esset. Pro vulgata tamen lectione quæ faciant, vide notata a nobis ad lib. IV. 698. *Heins.*

128 *Sed tamen ex illis aliquis*] *Me tamen* apposita et efficaci repetitione unus Gronovianus. *Idem.*

131 *Officium tibi sit*] *Tibi fit* Cantabrig. et pro diversa lectione prior Erfurt. et prior Hamburgensis. Deinde ex melioribus, *te vere conjuge digna est*, non *vero*. Idem. *Officium*] Beneficium.

132 *Torvum taurum*] Terribilem aspectu. *Ligno*] Lignea vaccæ forma. *R. Ligno*] Infra vs. 156. *Farn.*

133 *Discordemque utero fœtum tulit*] Quicquid obloquuntur libri veteres, repone *Dissortem fœtum;* et adi quæ notamus ad Epistolam Ulyssis Sabiniani vs. 35. Certe in fragmento Boxhorniano *Discortemque*. Heinsius. *Discordem fœtum*] Nam vir et taurus videbatur Minotaurus.

138 *Properare jubet*] *Properare juvat* meliores; utrumque probum est. *Heins.*

139 *Mecumque simul mea terra recedit*] *Mecum simul ah mea terra* Florent. S. Marci, prior Hamburg. pri. Medic. Noricus, et duo alii: *mecum simul et* alter Erfurt. et Bernegger. in quo vetus lectio penitus erat erasa: *mecum simul mea* Arondel. *sine me simul et mea terra* Zulichemianus, et Genevensis. Latet acumen aliquod, quod elicies, ni fallor, si rescribas, *mecum sine me mea terra recedit.* Sic lib. XI. 'Et sine me me pontus habet;' ubi *sine te* legebatur frigide mehercules. *Idem. Mea terra recedit*] Recedere videtur navibus abeuntibus; hoc autem ex opinione vulgari est dictum. *R. Recedit*] Lib. VI. 512.

142 *Insilit undis*] *Undas* tertius Mediceus, et tres alii; probe: sic Statius Theb. II. 'Nec minus Ogygias eadem Dea turbida Thebas Insilit.' Horatius Art. Poëtica, 'ardentem frigidus Ætnam Insiluit.' Val. Flaccus lib. VIII. 'mox attonita cum virgine puppem Insilit.' Lucanus libro III. 'Insiluit solo nociturus pondere puppim.' Sic 'immurmurare silvas' Virgil. Georg. IV. 'Frigidus ut quondam silvas immurmurat Auster:' ita enim veterrimus codex. Proximus versus *Insequiturque rates* est adulterinus et insulsus. *Heins. Insilit*] Tunc suspensa novo ritu crine, ut censet Ant. Delrius, 'de navibus altis, Per mare cœruleum trahitur Niseia virgo.' Nescio cujus Ciris. Sed Apollodorus lib. III. Minos Megaris potitus virginem vinctam pedibus e puppi in mare dejectam mersit. Illa, inquit Hyginus, se in mare præcipitavit fab. 198. *Farn.*

146 *Halyæetus alis*] *Halyæetos* Neap. pri. Palat. tert. Medic. Cantabrig. prior Erfurt. duo alii: et mox *laniaret* pro *laceraret* meliores. *Heins. Halyæetus*] Species est aquilæ, clarissima oculorum acie, librans ex alto sese, visoque pisce in mari præceps in eum ruens, et discussis pectore aquis rapiens. *R.*

148 *Dimisit*] *Dimittit* iidem. Deinde *at aura*, non *et* cum Mediceo chartaceo. *Heins.*

150 *Pluma*] Nisus dum filiam persequitur, ut habet Hyginus fab. 198. in halyæeton, id est, aquilam marinam versus est; Scylla filia in piscem, quem Cirin vocant. Hodie si quando avis ea piscem illum natantem conspexerit, mittit se in aquam, raptumque unguibus dilaniat. In avem alii. Virgil. Georg. I. 'Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo: Quacunque illa levem fugiens secat æthera pennis,' &c.

151 *Ciris*] Ἀπὸ τοῦ κείρειν, h. e. a tondendo, fuit appellata. Porro quænam avis proprie sit Ciris, apertius aut planius alibi nusquam traditur. Ex nostris sunt, qui alaudam interpretentur. Virgilius solitariam avem hanc videtur facere, qui in solis rupibus ac scopulis et littoribus desertis, ut ipse ait, exigat ævum, vertice in medio cristam purpuream habens, cæteris plumis varie coloratis.

FAB. II. Arg. *Vota Jovi Minos*] Descripturus quemadmodum Ariadnæ corona in sidus fuit conversa, breviter commemorat ea quæ de Minotauri cæde feruntur. Minos enim victor hoc tributo Athenienses pressit, ut nono quoque anno quatuordecim nobilium liberi, hoc est, septem pueri ac totidem virgines, sorte ducti mitterentur in Cretam Minotauro objiciendi. Theseus igitur Ægei regis filius, cum sors ad eum pervenisset, sive cum tantum dedecus tantamque suorum calamitatem ferre non posset, sponte in Cretam profectus, Ariadnæ Minois regis filiæ amore suo captæ auxilio servatus est. Nam quo modo et Minotaurum interficeret monstravit, et filo ad januam fixo e Labyrintho a Dædalo extructo egrederetur, ostendit. Quare occiso Minotauro, Ariadnen, una cum Phædra sorore abducens in Diam insulam primum enavigavit, ubi ab ingrato Ariadna relicta, cum se desertam quereretur, opemque Deorum invocaret, Libero patri ita placuit, ut eam sibi desponsarit, et ut æterna illius amoris memoria esset, ejus coronam in cœlum miserit, cujus gemmæ in stellas conversæ sidus coronæ simile effecerunt.

152 *Vota Jovi Minos taurorum sanguine centum*] *Vota taurorum corpora* Florent. S. Marci, Neapol. sec. Medic. Bernegger. prior Hamburg. Cantabrig. aliique complures; optime: de quo alibi: 'Voti boves centum' apud Livium l. XXVIII. c. 38. 'votum' victimarum 'sanguinem' noster hoc ipso libro infra: l. VII. 162. 'victima vota:' lib. X. 693. ex optimis codicibus 'vota simulacra:' 'delubra vota' lib. XIII. ex membranis: 'munera vota,' Amor. II. 13. et eodem libro Eleg. 18. 'vota lyra.' *Heins. Taurorum centum*] Hecatomben significat, quod erat centum boum sacrificium. *R.*

153 *Et egressus ratibus Creteida terram*] *Ut egressus* cum nonnullis codicibus. Deinde *Curetida terram* vetustiores magno numero; optime. Nam Curetis terra dicta antiquitus Creta, teste Plinio lib. IV. 12. 'Antiquas Curetum oras' vocat Cretam Virgilius: hinc 'Curetica tecta' apud Silium lib. XV. nam quod in Ciri Virgiliana reponunt Scaliger et Contarenus, 'Carpathium fugiens et flumina Curetea,' pro *Ceratæa*, non assentior: vetus Scholiastes ad illa Callimachi Hymno in Dianam, Χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα, hæc notat, Ποταμὸς Κρήτης καὶ πόλις ἡ Καίρατος οὕτω λεγομένη. *Heins. Curetida*] Cretam, quam incolebant olim Curetes nutritii Jovis, cujus vagitum cymbalis pulsatis atque æris crepitu dissimulabant: vide quæ nos ad Hercul. Œtæum Senecæ vs. 1876. Unde orti sint, unde dicti, an iidem qui Corybantes, Cabiri, Idæi, Telchines, Dactyli, videatur Strab. lib. X. Diodor. lib. IV. cap. de Saturn. lib. V. cap. de Creta. Gyrald. Syntagma. I. Athenæus lib. XII. 6. Pausan. Eliac. prioribus.

154 *Spoliis*] Ex more victoris: adi Virgil. Æn. VII. 183. et XI. 4. Juven. Satyr. X. 5. *Farn. Et spoliis decorata est*] Hostium spoliis postes, ædium limina, atria, ut ensibus, clypeis, galeis, navium rostris Romani condecorare consueverunt, quibus antiquitas venerationem et majestatem augebat: nec ea consumpta refici, nec fracta redintegrari mos erat. Eorum aspectus ad similia facinora intuentes hortabatur. *Pont.*

155 *Opprobrium*] Minotaurus, 'Mistumque genus, prolesque biformis,' Æneid. vi. aliis βουκέφαλος tantum: aliis superne homo, inferne bos: sane filius Pasiphaës ex Tauro Minois duce vel scriba, de quo fuse Natalis Comes l. vi. c. 5. Tzetzes Chiliad. i. 19. *Farn.*

157 *Thalami removere pudorem*] *Thalamis* multi veterum cum pri. Reg. et Urbin. pri. Vatican. et pri. Medic. at Neapol. Cant. sec. Medic. primus Basil. et tres alii *thalamo*. Heins.

158 *Cæcisque includere tectis*] *Cæcis* quart. Medic. et quindecim alii; ut labyrinthum cæca vocet tecta. *Idem.* *Cæcis*] Occultis. *R.* *Multiplicique*] De Cretici hujus Labyrinthi a Dædalo conditi, nec non Ægyptiaci, Lemniaci, Italicique portentosa mole, artificio, sinuosis erroribus, &c. Plinius xxxvi. 13. Æneid. v. 'Ut quondam Creta fertur Labyrinthus,' &c. Cl. Baconi *Dædalus.* Farn.

159 *Dædalus ingenio*] Dædalus genere Atheniensis, ex iis unus qui Erechthidæ vocantur, adeo præclarus fuit architectus, ut et opera quædam miranda effecerit, et statuas quæ aspicere, ambulareque, et spirare videbantur, effinxerit. Atque hinc Dædalea vocant Græci, opera αὐτόματα: hoc est, quæ sponte sua moventur, aut vocem edunt. *Micyl.*

160 *Limina flexu*] Sec. Palat. Neap. Florent. S. Marci, Spirensis, tres alii, *flexum;* ut ad errorem referatur: pri. Palat. et unus Medic. *flexui:* duo veteres *flexa*, nimirum ambage. Seneca Œdipo, 'Ambage flexa Delphico mos est Deo Arcana tegere:' ita optimus Mediceus, non *nexa* cum vulgatis. Lucanus lib. i. 'flexa sic omnia Thuscus Involvens multaque tegens ambage canebat.' Statius Theb. iv. 'flexa dubios ambage relinquit.' 'Flexum iter,' Lucretio lib. iv. et 'flexi aditus.' Prudent. Apotheos. 'Hos omnes quamvis anceps labyrinthus et error Circumflexus agat.' Apud eundem libro ii. contra Symmach. 'via nescia flecti In deverticulum, biviis nec pluribus anceps.' Idem Cathemerin. hymno vii. 'flexuosa viarum dispendia' dixit. Idem Apotheosi, 'Artam salutis vix viam discernere est Inter reflexas semitas: Tam multa surgunt perfidorum compita Tortis polita erroribus. Obliqua sese conserunt divortia Hinc inde textis orbitis:' sic codex longe vetustissimus Puteanorum fratrum, non *Obliqua sese conferunt divortia.* At apud Nasonem hoc loco codices quidam *flexus:* an *flexim?* *Lumina* etiam prior Hamburg. aliique ex antiquioribus multi; recte. *Heins.*

162 *Liquidis Phrygius Mæander in undis*] *Liquidus Phrygiis Mæandros in arvis* probe castigatiores: at prior Twisdenius argute et ingeniose mehercules, 'Non secus ac liquidos Phrygius Mæandros in arcus Ludit:' hoc est, in arcuata curvamina, ut alibi Noster de Iride, lib. xi. 'niger arcus aquarum.' Usus eadem comparatione Silius libro vii. 'Qualis Mæonia passim Mæandrus in ora Cum sibi gurgitibus flexis revolutus oberrat.' *Idem.* *Mæandros*] Fluvius est Phrygiæ Mæandros, qui sæpenumero in se redire videtur. Illi similem ait Labyrinthum fuisse. Hinc et Mæandros vocamus, quæcumque involuta atque perplexa sunt.

165 *Ad mare versus*] *In mare* iidem. Paulo ante pro *venturas aspicit undas*, Arondelianus *prospicit;* argute. *Heins.*

170 *Actæo sanguine*] Atheniensi. *R.* *Actæo*] Virg. Æneid. vi. et Hyginus 41. fab. quotannis septem Atheniensium liberorum corpora sorte electa mitti devoranda a Minotauro scribunt. Noster et Plutarchus in Theseo, puberes septem mares, totidem virgines nono quoque anno. Theseus vero miseratus patriæ conditionem (ut Plutarchus habet ibid. et Catullus in nuptiis) extra sortem ire voluit. Ibi coram rege negavit tributum aut

stipendium illud deberi jure. Taurus, Minois dux, dextra sua se illud asserturum dixit. Qui in certamine a Theseo superatus occubuit. Minos lætus, oderat quippe hunc Taurum ut adulterum, remisit Atheniensibus tributum. *Farn.*

171 *Tertia sors*] Sorte enim ducebantur, qui mittendi erant. *Annis novenis*] Post novem annos. Variat autem hoc loco nonnihil a cæteris Poëta. Nam Virgilius, item Diodorus, atque alii plerique, non nono demum anno, sed singulis annis, Atheniensium liberos in Cretam pro tributo missos dicunt.

172 *Utque ope virginea*] Posteaquam, inquit, auxilio virginis Ariadnes e Labyrintho Theseus est egressus, navem conscendit. *Nullis iterata priorum*] Ad quam nemo eorum, qui prius missi fuerant ab Atheniensibus in Cretam, nnquam redire potuit. *R. Nullis iterata priorum Janua*] Spirensis liber inter vetustiores *nulli superata:* Neapol. et sec. Medic. *nullis superata:* Spirensem lectionem veriorem puto. 'Gravido superant vix ubere limen' apud Virgilium. *Heins.*

173 *Janua difficilis filo est inventa relicto*] *Relecto* Palatinus unus; et pro diversa lectione Arondelianus; optime. Sic apud Horatium Od. 34. libri primi puto scribendum, 'nunc retrorsum Vela dare, atque iterare cursus Cogor relectos.' Sic 'sua vestigia relegere.' 'Relegere campum' dixit Val. Flaccus lib. VIII. et 'relegere viam' lib. IV. Adi Notas Fast. lib. III. 462. Mox *Dian* pro *Diam* sec. Pal. et duo alii; totidem *Chian.* Idem.

174 *Minoide*] Ariadne, a qua gladium acceperat, et filum exitus sui ducem. *Diam*] Insula maris Cretici, in qua Ariadne a Theseo relicta est. Sunt qui in Naxo insula relictam ferant. Desertam ibi offendens Bacchus ab Indis reversus in uxorem duxit. Fast. lib. III. Epistol. Phædræ. Catullus in nuptiis. *Farn.*

175 *In illo Littore destituit*] *In udo* vel *alto* unus Leidensis; ut apud Statium Hercule Surrentino, 'Forte diem Triviæ dum littore ducimus udo.' Horat. Od. I. 33. 'Sive jactatam religarat udo Littore navim.' Pro *destituit* quinque veteres *deseruit*, cui eleganter respondet τὸ *deserta.* Multus est in hisce repetitionibus Noster. *Heins.*

178 *Sumptam de fronte coronam*] Illa corona dicitur a Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis, per quas Theseus existimatur de tenebris Labyrinthi ad lucem venisse, quod aurum et gemmæ in obscuro fulgorem luminis efficiebant. Hanc autem coronam, (ut ait Hyginus,) quo tempore Bacchus ad Minoa venit, Ariadnæ muneri dedit: qua delectata stupri conditionem non recusavit. *R. Sumptam*] 'Sintque tuæ tecum faciam monumenta Coronæ, Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi. Dicta facit; gemmasque novem transformat in ignes: Aurea per stellas nunc micat illa novem.' Fast. III. et Catul. in nuptiis, et in Corona Berenices. *Farn.*

180 *In nitidos*] In stellas splendentes. *Nitidos vertuntur in ignes*] *Subitos* prim. et sec. Palat. aliique complures; recte: Lovan. et unus Medic. *rutilos.* Heins.

182 *Qui medius, &c.*] Coronæ sydus medium esse ait, et ejus qui ἐν γόνασι a Græcis vocatur, hoc est, in genibus, et ejus qui vocatur Ophiuchos, id est, anguem tenens. Videatur Hyginus. *Anguem tenentis*] Ophiuchi est interpretatio, qui anguitenens a nostris vocatur, tenens manibus anguem medium corpus ejus implicantem. *R. Qui medius*] Inter engonasin et Ophiuchum. *Farn.*

FAB. III. Arg. *Dædalus interea*] Dædalus Atheniensis, Eupalami filius, cum Talum sororis filium, optimæ indolis juvenem, per invidiam, quod et serram et circinum invenisset, in-

teremisse diceretur, judicii eventum timens, in Cretam aufugit: ejus vero opera et Pasiphaë in lignea vacca inclusa cum tauro coivit, et Ariadne Theseum servavit. Quæ cum Minos rescivisset, illum in Labyrinthum una cum Icaro filio conjecit. Dædalus vero, ingenio pollens, pennas ad se varii generis afferri curavit, ex quibus et sibi et filio alas confecit, itaque aptavit, ut avium more a Creta evolarint. Ac Dædalus quidem quo voluit incolumis pervenit; Icarus vero, patris mandatorum neglector, cum altius quam pater evolare gauderet, resolutis calore pennis, in mare cecidit, quod ab eo Icarium, ex sententia Ovidii, fuit cognominatum. *Lact.*

184 *Tactusque loci natalis amore*] *Soli natalis* in uno Leidensi; rectius: ut in Tristibus, ‘ Nescio qua natale solum dulcedine cunctos Ducit.’ Statius Sylvar. lib. III. ad Uxorem, ‘ nam nec mihi barbara Thrace, Nec Libye natale solum.’ Theb. VIII. ‘ omne homini natale solum.’ Seneca Thyeste, ‘ Tectum soli natalis, et patrios Deos.’ Et Medea, ‘ nisi quas tulerat Natale solum, non norat opes:’ atque ita passim optimi scriptores. *Heins.*

185 *Clausus*] Creta insul. cincta mari. Carceris item custodia clausus perhibetur, tum quia Pasiphaës amores promoverat, tum quod Ariadnæ et Theseo labyrinthi vestigia et exitus retexerat. Ὡς τῇ μοιχείᾳ γυναικὸς αὐτοῦ συνεργηκότας Ἔμελλε πάντως ἀνελεῖν, δεσμωτηρίῳ κλείσας. Tzetz. Chil. I. 19. *Farn.*

188 *Ignotas animum dimittit in artes*] Alii *demittit*: *convertit* Argentinensis unus: quatuor *divertit*: puto *animo devertit*; nam *animos dimittit* in primo Vaticano. Adi Notas Amor. lib. II. 6. 9. Metam. lib. IX. ‘ Inferior virtute meas devertor ad artes.’ Præterea *ignaras artes* unus Moreti; de quo alibi. *Heins.*

189 *Naturamque*] Novitatem in natura excogitat: negatum scil. per aëra iter, pennis non homini datis. *Farn.*

191 *Ut clivo crevisse putes*] Per clivum ascenditur: sic in alis illis factitiis erat quidam pennarum ascensus et gradus quidam, breviores sequentibus longioribus. Quod manifeste etiam apparet in fistula disparibus septem compacta cicutis. *Pont.*

192 *Fistula*] Vide quæ ad Eclog. II. Virgilii: ‘ Est mihi disparibus,’ &c. et Tibul. Eleg. II. 5. Quin et formam pastoritiæ fistulæ dabit Panos Syrinx. *Farn.*

193 *Tum lino medias*] Deinde, inquit, mediam pennarum partem filis, infimam vero ceris, alligavit Dædalus.

195 *Ut veras imitetur aves*] *Imitentur*, pennæ videlicet, prim. Moret. Cantabr. quart. Medic. et sex alii. *Heins.*

198 *Captabat plumas*] *Optabat* unus Leidensis. Forte scribendum *Adflabat*: sic lib. V. ‘ Crinales vittas afflabat anhelitus oris.’ *Idem.*

200 *Manus ultima cœpti*] Meliores *cœptis*. Idem.

201 *Libravit in alas*] Experientiam cepit artificii sui. Alligatis namque sibi alis illis factitiis, se agitatu illarum in aërem sustulit, iisque expansis aliquandiu pependit. *Pont.*

204 *Ne*] Præcepta hæc, inquit Natalis Comes, si quis diligentius consideret, parum sane ad navigationem pertinent, ad institutionem vitæ plurimum, lib. VII. 16. Lubricus quippe est summæ fortunæ locus, unde altior ‘ Casus et impulsæ præceps immane ruinæ.’ Locus infimus contemptui exponitur: medius tutus. Ergo, ‘ Qui neque serpit humi, neque sidera vertice tangit, Arbitrio sapiet Dædalus ille meo.’ Videatur Cl. Baconi *Scylla et Icarus* in Sapientia vet. *Farn.*

206 *Nec te spectare Booten jubeo*] *Neu te* plurimi ex vetustioribus. Forte *neu te jubeam.* Heins. *Nec*] Neque ad sinistram declina, neque ad dextram;

uti Phaëthonta suum monuit pater lib. II. 137. quod et ibi etiam per sidera Borealia et Australia designabat. *Farn.*

207 *Aut Helicen, &c.*] Helice major est Ursa, sic dicta ab Helice urbe Arcadiæ, in qua Calisto nata esse fertur. Vel etiam a gyro, seu circulo, quem majorem describit quam Ursa minor. Nam Græcis ἑλίσσω idem quod circumago ac roto significat. *Strictumque Orionis ensem*] Orion ἀπὸ τοῦ οὔρου, hoc est, ab urina, fuit cognominatus, quod ex Jovis et Mercurii urina fingatur natus, ut in quinto Fastorum copiose narrat Ovidius. Is venator tantis viribus fuit, ut nulli feræ se cessurum jactaret. Vide Hyginum. *R.*

209 *Ignotas alas*] Insuetas, haud quaquam ante id tempus ab ullo mortalium usurpatas. *Pont.*

211 *Et patriæ tremuere manus*] *Cecidere* alter Hamburgensis, ut de Dædalo quoque poëtarum Princeps, ‘Bis conatus erat casus effingere in auro: Bis patriæ cecidere manus.’ Ep. Hypermn. ‘Ter male sublato recidit ense manus.’ *Heins.*

213 *Ante volet*] Fabulam hanc, ipsis pene verbis, versibus non paucis iisdem, habes II. de Arte, si conferre libeat. Videantur Virgil. Æneid. VI. Senec. Œdip. vs. 891. et Herc. Œt. 683. Sil. Ital. lib. XII. 88. *Farn.*

220 *Junonia Samos*] Junoni dicata; nam ibi Juno et nata et educata, et Jovi uxor tradita dicitur. Est autem insula Cariæ adjacens.

221 *Parte Samos fuerat*] *Fuerant* rectius septem scripti. Mox duo *erant*: et pro *Calymna* veteres plerique *Calymne;* nisi quod *Calydne* in uno meo: de qua Art. II. initio. *Heins.*

222 *Dextra Lebynthos erat*] Lebynthos insula est una ex Cycladibus. Strabo inter Sporadas recenset, ut et sequentem. *Calydne*] Calydne quoque insula est Cycladum una, mellis ferax.

224 *Cupidine captus*] *Tractus* Florentinus S. Marci, Spirensis, et quatuor alii: quidam *captus*. Heins.

228 *Remigioque*] Apposite; ut etiam Æneid. VI. ‘Remigium alarum,’ in eadem re; tralatione reciproca a navibus ad volatum, et contra πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι Æschylus in Agamemn. de accipitribus. Et hæc sane fuga erat navalis. Dædalus, ut habet Pausanias in Bœoticis, e Creta fugiens, ubi non magna sibi et filio ædificasset navigia, primusque omnium velificationem invenisset, quo Minois classem, quæ remis tantum impellebatur, anteverterent, ipse quidem incolumis appulit: Icari vero navem imperitia gubernatoris eversam tradunt. Ego eum, novo genere veli dolone invento, prævertisse regis classem arbitror. Tzetzes, Πτερὰ δὲ τούτων γίνωσκε τὰ λαίφη τῶν ὁλκάδων. Lucianus de Astrologia interpretatur: Ἰκάρος δὲ νεότητι καὶ ἀτασθαλίῃ χρεόμενος, εἰς χόλον ἀνερθεὶς τῷ νῷ, ἐξέπεσε τῆς ἀληθείας, καὶ ἐς πέλαγον κατηνέχθη ἀβύσσων πρηγμάτων. Repræsentatum Icari volatum exhibuit Nero. Sueton. cap. 12. *Farn.*

230 *Quæ nomen traxit ab illo*] Nam mare Icarium ab Icaro fuit appellatum, ut sentit Ovidius: ‘Icarus Icariis nomina fecit aquis.’

237 *Perdix*] Quem hic Talum subinde vocat Regius, alii Calum vocant, nonnulli etiam Perdicem. Ac Perdicis nomen ipse etiam Ovidius comprobare videtur, quando infra ait: ‘Nomen, quod et ante, remansit.’ Vide Rhodigin. lib. XXIX. 26.

242 *Progeniem*] Sororis suæ Perdicis filium (aliis Talum, aliis Attalum vel Acalum, Pausanias Calum vocat, tumulumque ejus ostendit, noster infra Perdicem nominat, ‘Nomen, quod et ante, remansit’) artis suæ sibi discipulum de tecto per invidiam

dejecit, quia serram et circinum invenerat: judicii severitatem Athenis metuens ad Minoëm Cretæ regem confugit; inde jam ad Cocalum in Siciliam. *Farn.*

243 *Bis senis natalibus actis*] Exactis. Natus enim erat annos duodecim Talus, cum Dædalo fuit commendatus. *Animi ad præcepta capacis*] Præceptorum capacis: docile enim nactus erat ingenium. *Animi ad præcepta capacis*] *Rapacis* eleganter Florent. S. Marci, Neap. Urbin. Bernegger. pri. Pal. sec. Medic. pri. Basil. prior Erfurt. prior Hamburgensis, Arondel. Spir. et tres alii ex melioribus: 'rapacis' pro rapidi: nam 'ingenii velocis' postea est dicturus. Sic 'celeriter arripere quæ traduntur' auctor vitæ Pomponii Attici, et auctor vitæ Catonis. In Lælio Ciceronis: 'Nihil appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura.' Prudentius Cathemerin. hymno VII. 'Satis beatus, quisque dextram porrigit Laudis rapacem, prodigam pecuniæ.' Lucanus lib. I. 'inde ruendi In ferrum mens prona viris, animæque rapaces Mortis:' ita legendum ex optimis membranis. *Heins.*

244 *Ille etiam medio spinas*] Talum serræ fuisse ait inventorem ad exemplum illius spinæ quæ est in medio piscium.

247 *Et ex uno duo*] Illum circini quoque inventorem fuisse ait poëta. *Ex uno duo ferrea brachia nodo Junxit*] *Vinxit* meliores magna ex parte. Pro *distantibus illis* unus Gronov. *alis;* ut alæ sint eædem quæ brachia. *Heins.*

251 *Præcipitem misit*] *Mittit* prim. Basil. Mox pro *Quæ favet ingeniis,* Arondelianus *Quæ facit:* sic Trist. III. 14. 'Cultor et antistes doctorum sancte virorum, Qui facis ingenio semper, amice, meo;' pro *faves.* Art. Amat. lib. III. 'Dum facit ingenio, petite hinc præcepta, puellæ;' ita puto scribendum, ut ad Venerem referatur. Vulgati ne illud quidem *ingenium,* omnino male: ut Trist. lib. III. 11. 'Nec cœlum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ.' Vide quæ notamus ad Epist. II. 39. *Idem.*

254 *Sed vigor ingenii*] Sed vis, inquit, et acrimonia ingenii Tali pueri in alas et pedes avis transivit. Perdices enim acerrimi sunt et volatus et cursus. *R. Vigor*] De astu perdicis, Aristoteles, Plinius, Plutarchus, Ælianus, Athenæus, alii. Aldrovandus in Ornithologia. *Farn.*

255 *Nomen quod et ante remansit*] Nam Talus Perdix quoque fuit cognominatus.

FAB. IV. 260 *Fatigatum*] Fugientem ex Creta in Siciliam insequutus est Minos, profugum reposcens: supplicem hospitem tuebatur Cocalus rex, qui et Minoa benigne excepit: filiæ tamen Cocali Minoëm in balneo suffocasse dicuntur. Virg. Æn. VI. Dædalum Cumas Italas appulisse primum canit. Vide Fr. Baconi *Dædalum. Tellus Ætnæa*] *Hennæa* unus Mediceus; quo et alii alludunt, in quibus *Ethenna, Ethenea, Ehnæa:* uterque Hamburg. *Hetnæa.* Heins.

262 *Lamentabile*] Vs. 170. supra. *Farn.*

263 *Thesea laude*] Thesei virtute. Thesei autem virtute Minotaurus fuit interfectus. Hæc vero ad connectendas fabulas narrantur. *Pendere tributum*] Persolvere tributum ob cædem Androgei Atheniensibus a Minoë impositum.

265 *Voto sanguine*] Victimarum, quas voverant, si Theseus victor ex Creta reverteretur. *R.*

266 *Acerris thuris honorant*] *Adorant* præstantiores. *Heins.*

268 *Dives Achaia*] Potens Græcia.

269 *Imploravere*] Cum lacrymis petiere hujus opem. Calydon urbs est Ætoliæ, a Calydone Endymionis vel Ætoli filio appellata, unde Calydonius declinatur.

272 *Famulus*] Quo Diana in ulciscenda injuria sua tanquam famulo et carnifice usa est. Vide Natal. VII. 3.

273 *Plenis successibus anni*] *Pleni* præstantiores, probe. *Heins.* *Plenis successibus anni*] Ob plenam et perfectam illius anni fertilitatem.

274 *Primitias frugum Cereri*] *Frugem* rectius unus Mediceus et unus Vossianus. Sequentia confirmant, 'vina Lyæo,' frugem et vina primitias. Fast. II. 'Primitias Cereri farra resecta dabant.' *Heins.* *Primitias frugum*] Prima namque frumenta matura Cereri dicabantur, ut vina Baccho, oleum Minervæ.

275 *Palladios latices*] Oleum dicit a Pallade inventum. *Palladios latices*] Sic Virgil. 'Laticemque Lyæum' pro vino.

277 *Ambitiosus honor*] *Invidiosus* Neap. et secundus Medic. ut lib. VI. Fast. 'Hic honor in nobis invidiosus erit.' *Honos* etiam nonnulli. *Heins.*

278 *Præteritas*] *Præteritæ* concinnius Thuaneus, prior Erfurtanus, et sex alii. *Idem.* *Latoidos*] Dianæ filiæ Latonæ. *R.*

281 *Œneos per agros*] Scripti nonnulli *Aonios*, *Æmonios*, *Eonios*, *Ætnæos.* Forte, *Olenios per agros*; et sic prior Erfurtanus pro diversa lectione. *Ὤλενος πόλις Αἰτωλίας.* Ausonius Epistola v. ad Theonem, 'Qualis in Olenio victor Calydonius apro.' Hinc et 'Olenius Tydeus' Statio: et Valerio Flacco lib. III. 'subit ilia cuspis Olenii;' ita enim verissime codex Carrionis, quod ille non intellexit: est nempe de Tydeo sermo; perperam *Ochenii* nunc legitur. 'Olenia arva' Senecæ in Œdipo: Olenos enim, Calydon, et Pleuron tres civitates Ætoliæ inter celeberrimas. *Heins.* *Oneos*] Ἐκ τῶν Οἰταίων λόφων. Tzetzes Chil. VII. 102. *Farn.*

283 *Herbida Epirus*] Herbosa. Epirus frequenter pro ea ponitur regione, quæ et Chaonia appellatur. *R.* *Epirus*] *Epiros* in castigatioribus; ut et apud Virgilium initio Georgicon. 'Eliadum palmas Epiros equarum;' quomodo et Servius illic agnoscebat. *Heins.*

284 *Sanguine*] *Χαίτας αὐχενίους πεφρικότα, θνητὸν ὀδόντα Βρύχοντα, γλήναις φρικτὸν ἱέντα σέλας.* Antholog. lib. IV. 7. de apri hujus agalmate.

285 *Et setæ rigidis*] *Densis* nonnulli. Cæterum versum hunc delendum esse contendo, cum codices non pauci proxime sequentem perperam omittant; ubi pro *vallum* Gronovius noster *vallus* malit reponi. In Epist. Phædræ, 'radiis frontem vallatus acutis.' *Heins.*

288 *Dentibus*] Elephantinis. Calidonii apri dentes asportavit Cæsar Augustus, devicto Antonio. Pausan. Arcad. E quibus unus in templo Liberi patris suspensus in hortis Cæsaris erat unius pedis et quadrantis. Natal. Comes VII. 4. *Τούτου δ' εἷς ἕκαστος ὀδοὺς πήχεως εἶχε πλέον.* Tzetzes.

289 *Fulmen*] Ab impete, credo, ardenti et calido oris afflatu: namque 'frondes afflatibus ardent:' et lib. X. 550. 'Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri:' et Fast. II. 'Fulmineo celeres dissipat ore canes:' et Martialis Epigr. II. 70. 'Fulmineo spumantis apri sum dente petita.' Oppian. III. Cyneg. Vide quæ ad vs. 305. lib. I. *Farn.* *Frondes afflatibus ardent*] Malim *arent;* ut apud Virgil. Georg. IV. et Æneid. III. 'arebant herbæ:' sic et apud Nostrum lib. VII. 106. *herbæ arent* puto legendum. Lib. III. de serpente Cadmi, 'quique halitus exit Ore niger Stygio vitiatas inficit herbas:' quæ vera ibi scriptura, non *auras.* Heins.

290 *Is modo crescentes segetes*] *Crescenti herba* concinnius reponas: vel *crescentes segetem proculcat in herbas;* nam *herbas* est in nonnullis. *Idem.*

291 *Nunc matura*] Si matura, leve damnum erat. In quinque antiquis *Non.* Arondel. et unus Vossian. *Nec;* probe: nondum matura. *Idem.*

299 *Meleager*] *Meleagros* ex melioribus; quomodo etiam infra vs. 385.

et 515. *Idem.*

300 *Lecta manus*] Electa juvenum multitudo: vide Hygin. Fab. 173. Apollod. lib. I. *Caluere cupidine laudis*] *Coiere* Florent. S. Marci, Cantabrig. Oxon. Bernegger. prim. Moreti, Arond. aliique quamplurimi; recte: hoc est, convenere. Epistola Didus, quæ illic vera scriptura, 'Mille procis placui, qui me coiere querentes, Nescio quem thalamis præposuisse suis:' ubi vide quæ notamus. *Heins.*

301 *Tyndaridæ*] Κάστωρ ἱππόδαμος, καὶ πὺξ ἀγαθὸς Πολυδεύκης. Il. III. *Cæstibus*] Lib. v. 107. *Farn.* *Tyndaridæ gemini*] Castor et Pollux gemelli Tyndari filii, ac Ledæ putati, cum essent Jovis, quorum alter pugil fuit præclarus, Castor autem domitor equorum. *Cæstibus*] Armis quibus pugiles utuntur. Fuerunt autem Cæstus, lora quædam cruda insutis plumbeis glandibus rigentia, quæ manibus inducentes pugiles, inter se dimicabant. *Præstantes cæstibus alter*] Neapol. Urbin. sec. Medic. et alii duo *spectandus:* at Cantabrig. Thuan. Bernegg. prior Erfurt. prior Hamburg. Oxon. et sex alii *spectatus;* bene: sic 'harpen spectatam cæde Medusæ' dixit libro v. *spectantes* Florent. S. Marci, et unus Gronovii; mendose. *Heins.* *Cæstibus*] 'Acer Eryx in prælia suetus Ferre manum, duroque intendere brachia tergo. Obstupuere animi; tantorum ingentia septem Terga boum plumbo infuso ferroque rigebant.' Quod ex Homer. Il. Ψ. translatum. Theocr. Idyll. XXII. χεῖρας ἐπιζεύξαντα μέσοις βοέοισιν ἱμᾶσιν, vs. 3. et alibi. Videatur Plutarch. Sympos. Quæst. II. 4. Livius, decad. 4. lib. IX.

302 *Primæque ratis molitor Iason*] Argo navem, cujus extruendæ auctor fuit Jason. *Molitor*] Fabricator. *R.* *Primæque*] Lib. VI. vs. ult.

303 *Cum Pirithoo*] Feliciter concordes Theseus et Pirithous. *Farn.* *Et cum Pirithoo*] 'Nec Lethæa valet Theseus abrumpere charo Vincula Pirithoo.'

304 *Et proles Aphareia Lynceus*] *Prolesque* cum melioribus. *Heins.* *Et proles Ephyreia Lynceus*] Ephyrea quidem legitur, ut ab Ephyre urbe, quæ nunc Corinthus dicitur, declinetur; sed mihi recte *Aphareia* ab eo qui hoc opus e Latina in Græcam linguam vertit legi videtur, ut intelligamus Lynceum, acutissimi visus hominem, Apharei filium fuisse. *R.* *Thestiadæ*] Toxeus et Plexippus Thestii filii, avunculi Meleagri. *Farn.*

305 *Et velox Idas*] Frater Lyncei, ut supra. *Et jam non fœmina Cæneus*] Hic Elati filius, et initio fœmina fuit. Postea autem a Neptuno oblato ei vitio, pro virginitate donum hoc recepit, ut e fœmina in marem converteretur, et a telis vulneribusque inviolabilis foret. Hujus filius Coronus fuit, qui cum Argonautis in Colchos profectus est. *R.* *Jam non*] Lib. XII. 202.

306 *Leucippusque ferox*] Leucippum hunc Apharei fratrem accipio, Perierei filium natu minorem, quandoquidem proximo loco Lyncei mentionem fecit. Fuit autem hic Leucippus pater Elairæ et Phœbes, quas Castor et Pollux abducere conati, a fratribus Ida et Lynceo prohibiti fuere, altero illorum etiam occiso. *Jaculoque insignis Acastus*] Peliæ filius hic fuit; de quo supra in fab. Medeæ et Jasonis.

307 *Hippothousque*] *Hippothoosque* ex Sixiano, et altero Hamburgensi. *Heins.* *Phœnix*] Achillis postea pædagogus. *Farn.* *Hippothousque, Dryasque*] Utriusque meminit Hyginus cap. 173. *Et cretus Amyntore Phœnix*] Phœnix Amyntoris filius, qui impellente matre, posteaquam cum pellice illius rem habuisset, imprecationes patris effugiens, ad Peleum pervenit, a quo (ut narrat Homerus) hospitio benignissime susceptus, Achillis educandi instituendique curam suscepit.

308 *Actoridæque parens*] Inepta lectio. Reponendum *pares* ex castigatioribus membranis. Par fratrum Ac-

toridum designat, Eurytum nempe et Cteatum, qui ab Hercule postea occisi, ut de Actore Eliensi sit sermo. Nam Actoris Phthii filios præter Menœtium et Eurytionem nullos invenio. Eurytionis autem paulo post fiet mentio. Præterea *Phyleus* legendum, non *Phileus:* φυλεὺς Græcis, Augiæ filius, de quo cum alii, tum Theocritus multa Idyll. XXVI. *Heins. Et missus ab Elide Phyleus*] Augiæ filius. *R. Actoridæque*] Cteatus et Eurytus. Parrhasii Epist. 41. Alii, *Actoridæque parens.*

309 *Creator*] Peleus. *Farn. Nec Telamon aberat magni creator Achillis*] Telamonem et Peleum fratres intelligit, quorum alter Ajacis, alter Achillis pater fuit, ambo autem filii Æaci.

310 *Cumque Pheretiade*] Admetum intellige, Pheretis filium, cujus uxor Alcestis fuit. *Et Hyanteo Iolao*] Bœotio. Hyantes enim populi sunt Bœotiæ. Fuit autem hic Iolaus Iphicli filius, Amphitryonis nepos, qui Herculi in interficienda hydra operam navavit.

311 *Impiger Eurytion*] Iri filius, qui fuit Actoris. *Cursuque invictus Echion*] De Mercurii filio Echione etiam Hyginus meminit inter venatores Calydonii apri, quanquam illic corrupte scriptum est Hecion, pro Echion. *Cursuque invictus*] *Et cursu* cum præstantioribus. *Heins.*

312 *Neritusque Lelex*] *Næriciusque* vel *Naritiusque* scripti. Lege *Naryciusque.* Naryx enim Locrorum urbs, qui Leleges aliquando appellati. *Idem. Panopeus*] Hic Phoci filius fuisse videtur, pater Ephei, qui equum Durateum fabricatus postea fuit. *Hyleus*] Hunc, conjectura quoque adductus, puto esse qui Melamonem Atalantæ amatorem in venatione occidit, æmulatione et invidia motus, eo quod et ipse amore ejusdem puellæ teneretur. *R. Naryciusque*] Locrensis. Narix enim urbs est Locridis.

313 *Primis etiam nunc Nestor in annis*] *Etiamnum* Florentinus S. Marci, et sec. Mediceus ; ut sæpe alibi. Deinde *primis in armis* prim. Vatican. Cantabrig. prim. Basil. uterque Hamburgensis, aliique multi. Ipse Nestor lib. XII. ut quidem illic duo codices, ‘ Multaque me fugiant primis spectata sub armis.’ Tibullus I. Eleg. 10. ‘ alius sit fortis in armis.’ Propertius IV. Eleg. 2. ‘ Arma tuli quondam, et memini laudabar in illis :’ et eodem libro Eleg. prima, ‘ Nec rudis infestis miles radiabat in armis.’ Val. Flaccus tamen lib. V. ‘ primis Absyrtus in annis.’ Sed vide quæ notamus Art. lib. I. 181. ‘ Cadere in armis’ apud Gratium ; ‘ ceciditque suis Ancæus in armis ;’ quomodo rescribendum : hactenus *in arvis* circumfertur, quod manifeste falsum. Arcas enim erat Ancæus, Lycurgi filius : ut noster aliique passim testantur, et ab apro Calydonio in agris Ætolis occisus. Quomodo ergo *suis in arvis?* miror hoc fugisse doctos interpretes : per arma Gratius Ancæi bipennem intelligit ; sic ‘ horridus in jaculis,’ et similia apud Poëtas. Confirmant hanc restitutionem quæ Gratius ipse de ‘ armis ’ in venatione a se damnatis prodit. Barthius tamen Ancæum Œnei filium facit, nescio quo auctore. *Heins. Primis*] Primam jam, ex tribus quas vixit, ætatem agens, et ex his nonnullos ipse recenset Iliad. I. *Farn. Feroxque Hippasus*] Hippasi etiam Hyginus meminit inter venatores apri, eumque Euryti filium dicit.

314 *Antiquis Amyclis*] Amyclæ urbs est Laconiæ, ab Amycla Lacedæmonis filio ædificata, atque cognominata. Fuerunt etiam Amyclæ in Italia Lacedæmoniorum colonia inter Cajetam et Terracinam, quæ tacendo perierunt : unde Virgil. eas tacitas appellavit. ‘ Tacitis regnavit Amyclis.’ *R. Quos Hippocoon*] Filios suos

quatuor quos Alcimum, Enaræphorum, Dorceum, Sebrum Pausanias nominat in Laconicis. Alii Enæsimum, de quo infra vs. 362. Alcona, Amycum, et Dexippum. Hygin. fab. 233.

315 *Parrhasio*] Arcade, infra vers. 391. *Farn.* *Penelopes socer*] Laërtes Ulyssis pater.

316 *Et adhuc a conjuge tutus Œclides*] Amphiaraus Œclei filius. *R.* *Ampycidesque*] Mopsus vates, Ampyci filius. *Adhuc*] Nondum ex Eriphyle uxore proditus Adrasto Argivorum regi Amphiaraus vates, præscius se non rediturum a bello Thebano.

317 *Tegeæa Lycæi*] Atalanta ex Tegea urbe Arcadiæ.

318 *Summam mordebat fibula vestem*] *Primam vestem* Urbin. Neapol. sec. Med. quod arrideret, nisi jam præcessisset *primis in armis.* Heins.

322 *Talis erat cultu facies*] *Cultus* Thuan. et complures alii: distingue, *Talis erat cultus: facies, quam dicere vere, &c.* Libro IX. ‘ Cultus erat pueri: facies, quam sive puellæ, Sive dares puero, fieret formosus uterque.’ *Idem.*

323 *Virgineam*] Τὸ δὲ κάλλος ἀῤῥενωπὸν ἐκ φύσεως ὂν, Philostrat. icon. *Farn.*

324 *Calydonius heros*] Meleager.

325 *Flammasque latentes Hausit*] Occultum amorem concepit.

326 *Si quem dignabitur ista*] Æneid. IV. ‘ Venisse Ænean Trojano a sanguine cretum, Cui se pulcra viro dignetur jungere Dido.’

327 *Plura sinit tempusque pudorque*] *Plura sinunt* quatuor scripti. *Tempusque locusque* Arondel. et tres alii. *Heins.*

337 *Longæ parva sub arundine cannæ*] *Longa parvæ sub arundine cannæ* prim. Vatican. Urbin. et tres alii: recte: canna enim minor arundine. Columella l. v. de arundineto, ‘ Ea est autem senectus, cum vel exaruit situ et inertia plurium annorum, vel ita densatum est, ut gracilis et cannæ similis arundo prodeat:’ et paulo ante pro *ulvæque leves*, alter Hamburgensis *tiliæque.* Idem.

339 *Excussis elisus nubibus ignis*] *Elisi ignes* in vetustioribus: ut lib. VI. ‘ Exiliantque cavis elisi nubibus ignes.’ *Idem.*

340 *Sternitur*] Πολλὰ δ' ὅγε προθέλυμνα χαμαὶ βάλε δένδρεα μακρὰ Αὐτῇσιν ῥίζῃσιν. Homer. Il. IX.

341 *Protenta tela*] *Prætenta* rectius alii: sic apud Virgil. lib. X. ‘ hastasque reductis Prætendunt longe dextris,’ non *Protendunt*, veterrimus Mediceus. Plura lib. XI. 511. *Heins.* *Prætentaque*] Προβόλια δὲ ἐν χερσὶν τῶν ἐκδεξομένων τὴν τοῦ συὸς ὁρμήν. Philostratus in Icone Meleagri. *Farn.*

342 *Tela*] Venabula.

343 *Ut quisque furenti Obstat*] *Ruenti* unus Bononiensis, concinna repetitione. *Heins.*

344 *Latrantes dissipat ictu*] *Dissilit* ex scriptis libris Gebhardus: nostri omnes pro vulgata sunt, nisi quod in primo Gronoviano *occupat;* eleganter: sic infra, ‘ occupat audentem:’ et Fast. I. ‘ Occupat Alcides;’ hoc est, prævertit: sic scriptores passim. *Idem.*

347 *Nimiis mittentis viribus*] *Nitentis* Rottendorphianus. *Idem.*

349 *It; autor*] *Iit, ivit;* contractio itaque producit. *Pagasæus*] Thessalus. Pagasa promontorium et oppidum Thessaliæ. Lib. VII. vs. 1.

350 *Phœbe, ait Ampycides*] *Œclides* sec. Palat. Cantabrig. Oxonien. Arondel. aliique plurimi. Utrumque bene, sive de Mopso, sive de Amphiarao agat, cum uterque Phœbi fuerint sacerdotes: at Amphiaraum recenset in catalogo venatorum apri Calydonii Apollodorus, Mopsum non recenset: contra Hyginus Fab. 173. utrumque noster superius. *Heins.* *Ampycides*] Mopsus, Ampyci filius, vates et Apollinis sacerdos.

352 *Qua potuit*] Multi *Quam potuit.* Vide Notas Remed. Amor. vs. 325. *Heins.*

353 *Ferrumque Diana volanti*] *Ferrum* Florent. S. Marci, prim. Palat. prim. Vatican. prim. Gronov. prim. et tert. Medic. prim. Moreti, aliique multi ex probatioribus: recte. *Idem.*

355 *Feri*] Al. *feræ:* sed *feri* rectius; namque apri: ut Virgil. Æneid. II. 'In latus inque feri curvis compagibus alvum,' de equo Durateo. *Farn.* *Fulmine lenius arsit*] *Secius* et hic rescribendum puto. Adeantur notæ lib. II. 809. *Heins.*

356 *Emicat ex oculis*] *Lux micat* octo veteres, rectius. Deinde pro *spirat quoque* scribendum *spiratque e pectore flammas* cum quinque scriptis; vel *flamma*, quomodo Florentinus S. Marci. *Idem.*

357 *Moles*] Saxea, balista aut alia τειχεσιβλήτῃ emissa. *Farn.*

360 *Dextra*] Aciem nempe in aprum direxerant, cujus cornua hi duo tuebantur. *Dextra tuentes Cornua*] Dextrum cornu defendentes. *R.*

362 *At non*] Puto *At nec.* Heins.

365 *Pylius*] Quod Nestori hic noster, commentator Homeri tribuit Thersitæ, qui ut Agrii filius, Meleagri patruelis, huic venationi interfuit, ad Iliad. II. *Farn.*

366 *Sumpto conamine*] Capto impetu.

370 *Recentibus*] Recenti affixione exacutis, antea τὴν αἰχμὴν ἀτρίπτοις, ut habet Philostratus de hoc ipso apro: neque enim ad saxa aut arbores aut hic, aut ille Georg. III. 'dentes exacuit sus:' sed invicem atterit colliditque, qui sonus non raro a venatoribus auditus, Κάπροι δ' ὅπως θήγοντες ἄγριαν γένυν Συνῆψαν ἔγχη. Euripid. in Phœniss. et Homer. Il. θήγων λευκὸν ὄδοντα μετὰ γναμπτῇσι γέννσι, quod de fame. Infra vs. 825. dentemque in dente fatigat.'

371 *Orichiæ magni*] Vetustiores plerique *Orithiæ*, vel *Oritiæ*, vel *Oriciæ:* *Orchiadæ* Thuan. sec. Pal. *Othriadæ;* ut 'Pantheus Othriades' Virgilio. *Orithidæ* prim. Moreti, aliique nonnulli: pri. Hamburg. *Ortiadæ:* Cantabrig. *Ochiadæ:* alii aliter. Præter Ancæum etiam Hyleus ab apro Calydonio interfectus, teste Apollodoro: apud quem male πύλος καὶ ἀγκαῖος pro ὕλευς scribitur: sed is cujus fuerit filius necdum exploravi. Thersiten ab apro vulneratum fuisse auctor est Tzetzes in Chiliadibus: et tum *Agriadæ* sit scribendum. Agrios enim Thersitæ pater, de quo ad Epist. XI. *Heins.* *Femur hausit*] Virgil. 'latus hausit apertum:' sic deinde vs. 438. 'hausitque nefando Pectora Plexippi, nil tale timentia, ferro.' Sic eleganter dicitur, 'navis hausta fluctibus,' 'domus hausta flammis.'

372 *Nondum cœlestia sidera*] *Corpora* Neapol. Urbin. sec. Medic. Vide Notas ad Epist. Helenes. Mox *nive candidioribus alba* Florent. S. Marci, et unus meus, pro *ambo:* ab albis equis Pindaro λευκοπῶλοι dicti Pyth. Od. prima Dioscuri. *Heins.* *Nondum cœlestia sidera*] Gemini, qui unum ex zodiaci signis constituunt, Castor ac Pollux esse dicuntur. *R.* *Gemini*] Tyndaridæ supra vs. 301. 'Quorum simul alba nautis stella refulsit,' ut habet Lyricus Od. I. 12.

375 *Quatiebant spicula*] Unus Medic. et prior Twisden. *quatientes;* quod placet. *Heins.*

380 *Levat*] Allevat, tollit. *Tegeæa*] Atalanta. *R.* *Tegeæa*] Ἡ μὲν Ἀταλάντη πρόχειρον ἐπιθεῖσα τῇ νευρᾷ τὸ βέλος ἀφίει. Philostr. Icon. Atalantæ.

382 *Summum destringit Corpus*] Virgil. X. 'Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa, Incidit, atque viam clypei molita per oras, Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.' Alibi: 'summum degustat vulnere corpus.' *Distrinxit arundo*] *Distringet* septem veteres, probe; nonnulli ex melioribus *destrinxit:* sic lib. X. ex optimis scriptis, 'Inscius

exstanti destrinxit arundine pectus.' *Heins.*

388 *Erubuere viri*] Puduit, inquit, viros fortes aprum a virgine primum fuisse percussum.

391 *Arcas*] Ancæus, ex Parrhasia opp. et regione Arcadiæ. Lycurgi hic filius, quem agnoscunt Apollonius in catalogo et Pausanias in Arcadicis: namque et alter erat Neptuni filius. Utrique tribuunt illud, Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. *Farn.*

392 *Fœmineis quid tela virilia præstent*] Nescio an satis Latine: quare malim cum duobus Mediceis et uno Vaticano, *quam præstent,* pro quantum. *Heins.*

394 *Latonia*] *Latoia* cum uno Mediceo. Adi Notas Trist. III. 2. *Idem.*

397 *Ancipitemque*] Ἀμφίτομον, bipennem; ut modo 391. vers. Πέλεκυν. Paus. *Farn.*

398 *Primos in artus*] In primas digitorum partes.

399 *Occupat audentem*] *Audacem* prim. Gronov. sec. Medic. Arondel. et tres alii. Mox *in inguina* sec. Pal. aliique tres; *in ilia* unus Mediceus, et unus Pal. non *ad inguina.* Heins.

408 *Grave cuspide cornu*] *Cornum* Florent. S. Marci, Bernegger. primus Mediceus, cum alio ejusdem bibliothecæ, et Excerptis Calandræ; recte: ut ad Gratium suum noster Vlitius jam monuit scribendum. Lib. XII. ' Fixit in adverso cornum sine cuspide vultu.' Cornum enim telis conficiendis aptam esse jam ipse lib. VII. in fabula Cephali monuit, idque Gratius aliique confirmant: neque aliter Silius non uno loco, Claudianus etiam. *Idem.* *Cornum*] Corneum hastile, ex corno arbore. Virg. Georg. II. ' Et bona bello Cornus.' Æneid. IX. ' volat Itala cornus.' Æneid. XII. ' sonitum dat stridula cornus.' *Farn.* *Ærata*] Ære et ferro munita. *R.*

409 *Cui bene librato*] *Quo* ex melioribus: vulgatum ferri non potest, cum *potente* sequatur, non *potenti.* Heins.

410 *Esculea ab arbore*] *Abscisa* Florent. S. Marci, et alii duo. *Idem.* *Esculea arbore*] Esculus arbor est glandifera Jovi dicata.

411 *Æsonides*] Jason Æsonis filius. *Raph.*

412 *Vertit et in mentum figit latrantis*] *Vertit et immeriti fatum latrantis* Florent. S. Marci, Thuan. et unus Palat. at Cantabrig. *Vertit in immeriti fatum latrantis;* probe: ' latrans' pro cane. Sic ' colentes' pro colonis, ' medentes' pro medicis, et similia: ' latrantem' pro cane etiam Phædrus dixit. *Vertit et immeriti figit latrantis* pri. Moreti, *immeritum* alter Erfurt. *Vertit in immeritum fatum latrantis* Rottendorph. proxime verum: *Vertit et immeriti fatum* unus Strozzæ: Neap. *Vertit et in meritum figi Geladanten:* sec. Medic. *Vertit et in mentum figit Geladanten.* Latet nomen canis. Scribendum forte, *Vertit in immeritam figi Geladantin;* vel, *Vertit in immeriti fatum Celadontis,* ut aut canem intelligat, aut aliquem ex plebe venatorum. Sic ' Celadon Mendesius' l. v. in convivio Cephei, et ' Celadon Lapitha' l. XII. ubi *Lapithæ Celadantis* duo aut tres codices ex vetustioribus; ut Celadon sit ἀπὸ τοῦ κελαδεῖν· ut libro tertio Hylactor canis ἀπὸ τοῦ ὑλάκτειν. Putabam aliquando *in immeriti fatum Metagontis.* Metagontes, genus canum Gratio. Pro *latrantis* unus Vossianus *lactentis.* Heins.

514 *Œnidæ*] Meleagri Œnei filii. *R.* *Œnidæ*] Εἶτα βαλὼν Μελέαγρος κτείνει. Joh. Tzetzes Chil. VII. 102. *Farn.*

418 *Auctor vulneris*] Meleager. *Irritat*] Provocat. *R.*

419 *Splendidaque*] Καὶ τὴν βάσιν τηρήσας ὁ Μελέαγρος, ἀσφαλῶς ἐνδέχεται τὴν ὁρμὴν τοῦ συὸς, λόγχην ὑποστήσας. Philostratus in Icone Meleagri.

422 *Immanemque feram*] *Ferum* Florent. S. Marci, et Lovan. sic supra, ' Summa ferus geminos direxit in in-

guina dentes:' et, 'Ira feri mota est.' Adi Notas ad Epist. VIII. *Heins.* *Multa*] Sic vastam Polyphemi molem Æn. III. Cerberi et Tityi Æn. VI. toto antro et novem jugeribus metitur Poëtarum Princeps. *Farn.*

424 *Tela tamen sua quisque cruentat*] *Cruentant* cum primo Basil. et quinque aliis. *Heins.*

426 *Nonacria*] Atalanta. Nonacris mons Arcadiæ frigidissima Stygis aqua famosus. *Farn.* *Mei spolium juris*] Quod jure ipso mihi debetur. Nam Meleager aprum interfecerat.

427 *In partem veniat mea gloria tecum*] *Veniat mihi* paulo elegantius pri. Vatican. et unus Vossii. Paulo ante pro *mei juris,* Cantabrig. *tibi,* unus Leidensis *tui juris,* quod arridet; ut apri interfecti gloriam illi cedat, quæ primo vulnerarat. Ad rem faciunt, quæ supra habuimus, 'Nec tamen illa sui successu lætior ictus, Quam Meleagros erat;' et quæ ibi sequuntur. Pro vulgata tamen faciunt, quæ paulo post subjungentur, 'et huic adimunt munus, jus muneris illi.' *Heins.* *Et in partem veniat, &c.*] Esto particeps gloriæ meæ. *Pont.*

428 *Exuvias*] Tergus et caput apri. Ἀταλάντη ἐτόξευε τὸν ὗν, καὶ ἔτυχε πρώτη τοῦ θηρίου· τούτων εἵνεκα αὐτῇ κεφαλή τε τοῦ ὑὸς καὶ τὸ δέρμα ἀριστεῖα ἐδόθη. Pausan. Arcad. *Farn.*

429 *Terga dat*] Tergora et pellem apri.

433 *Pone*] Depone. *Nostros titulos*] Nostrum honorem, nostram gloriam. *Fœmina*] Cum quodam contemptu Atalantam fœminam vocant.

434 *Thestiadæ*] Plexippus et Toxeus, Thestii filii. *R.* *Nec te*] Ne frustra sit forma, qua freta confidis, frustra sit aut longe formæ tuæ amator ab auxilio tibi ferendo. Atlas ad Perseum, IV. 650. 'Hinc quoque vade procul; ne longe gloria rerum, Quas mentiris, ait, longe tibi Jupiter absit.' Et Turnus Æneid. XII. 52. 'Longe illi Dea mater erit,' &c. Quin et Diodorus l. v. refert Althææ fratres Atalantæ, cum in Arcadiam reversa esset, tergus apri abstulisse: apud quem lege totam fab. ut et Homerum Il. IX. et Ant. Liberalis Metamorph. fab. 2. *Farn.*

435 *Ne sit longe tibi captus amore Auctor*] *Longo tibi* Florent. S. Marci, Bernegger. prim. tert. quart. Medicei, Arondel. et alii quatuordecim: *tibi longo* prim. Palat. et quinque alii: unus Palat. et fragmentum Moreti, *longeque tuo sit captus amore;* quod arridet: nisi mavis *tui amore;* ut lib. IX. 'Si tamen ille mei captus prior esset amore.' Virgil. l. XII. 'Longe illi Dea mater erit.' Noster lib. IV. 'ne longe gloria rerum Quas mentiris, ait, longe tibi Jupiter absit.' Epist. Medeæ, 'Quam tibi tunc longe regnum dotale Creusæ?' Tibullus Eleg. I. 5. 'At mihi nunc longe gloria fortis abest?' Propertius Eleg. I. 7. 'Longe castra tibi, longe, miser, agmina septem.' Silius lib. I. 'longe clausis sua fœdera, longe Ausoniam fore,' de obsessis Saguntinis. Lib. XVII. 'Longe conjugia, ac longe Tyrios Hymenæos Inter Dardanias acies fore.' *Heins.* *Ne sit longe tibi muneris auctor*] Id est, ne interficiaris, sicque longe ab amatore tuo separeris. Vide Muret. l. X. 4.

437 *Non tulit*] Non passus est Atalantam munere fraudari. *Mavortius*] Bellicosus, Marti similis Meleager. *Mavortius*] Althæa eadem nocte concepit ex Œneo et Marte. Hygin. Fab. 171.

439 *Nefando ferro*] Nefario, impio. Nam Plexippus Meleagri avunculus erat.

443 *Prioris Cæde*] *Priori* Cant. Florent. S. Marci, sec. Medic. et multi alii. *Heins.*

444 *Consorti*] Fraterno. *Farn.*

447 *Mœstis clamoribus*] *Ululatibus* rectius pri. Moreti aliique octo. *Heins.*

449 *Editus*] Dictus, nuntiatus. *R.*

451 *Stipes*] Althææ Meleagrum

enixæ apparuerunt in regia Parcæ: quæ fata infantis ita cecinerunt. Clotho dixit eum generosum futurum, Lachesis fortem, Atropos titionem ardentem aspexit in foco, et ait, Tamdiu hic vivet, quamdiu hic titio consumptus non fuerit. Hoc Althæa mater cum audisset, exiluit de lecto, atque titionem extinxit, eumque in regia media obruit fatalem, ne ab igne obrueretur. Hygin. fab. 161. *Farn.* *Partus enixa Thestias*] Althæa Thestii filia puerum enixa et puerpera. *R.*

457 *Eripuit ramum, sparsitque liquentibus undis*] *Eripuit torrem* Excerpta Jureti et unus Basil. cum uno Leidensi. Infra tamen ' ramum' quoque vocat vs. 462. ubi *torrem* Lovaniensis similiter: ' torrem' vocat vs. 512. *Liquacibus undis* Vossianus. Vide Notas Remed. Amor. vs. 177. *Heins.*

460 *Tædasque et fragmina poni*] *In fragmina* ex tribus scriptis: hoc est, tædas fractas. Infra, ' Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto Detulit, et minuit.' Conjiciebam olim *et tædæ fragmina.* Idem.

463 *Pugnat materque sororque*] *Pugnant* Oxon. et decem aut duodecim alii. Mox pro *ruborem* multi ex melioribus *colorem.* Idem.

470 *Utque*] ' Anceps æstus incertam rapit. Ut sæva rapidi bella cum venti gerunt, Utrinque fluctus maria discordes agunt, Dubiumque pelagus fervet, haud aliter meum Cor fluctuatur: ira pietatem fugat, Iramque pietas: cede pietati dolor.' Et in Agamemnone, ' fluctibus variis agor; Ut cum hinc profundum ventus, hinc æstus rapit, Incerta dubitat unda cui cedat malo.' *Farn.*

472 *Vim geminam*] Duplicem violentiam, et venti et æstus maris.

477 *Impietate pia est*] Pia videtur fuisse Althæa fratrum cædem ulciscendo, impia filium necando. *R.*

480 *Sepulchrales*] Quia in hoc igne dum stipitem exurit, Althæa filium occidit, et ipsius quasi corpus exurit, venuste sepulchrales aras nominat. *Pont.*

481 *Pœnarumque Deæ triplices*] Furias infernales, quæ tres dicuntur esse, Tisiphone, Alecto, et Megæra. *R.* *Pœnarumque*] Furiæ, Ἴτ' ὦ ταχεῖαι, ποίνιμοί τ' Ἐριννύες, Γεύεσθε, μὴ φείδεσθε. Ajax flagell. Sophoclis. *Farn.*

482 *Advertite*] Convertite. *Furialibus sacris*] A furore et indignatione provenientibus.

483 *Mors morte pianda est*] Cædes fratrum morte filii purganda est.

486 *Fruetur*] *Fruatur* quinque veteres cum Arondeliano: et tum mox legendum *Thestius orbus eat;* nam idem Arondel. et Rottendorph. *erat* cum aliis nonnullis. Deinde *germani manes,* non *fraterni* sec. Palat. *Heins.*

487 *Thestius*] Pater meus, et fratrum Plexippi et Toxeos.

488 *Recentes*] Novi Orci incolæ, recens admissi.

489 *Magnoque*] Proprii filii nece.

495 *Calydonis*] *Calydonus* Urbin. quod est *Calydonos.* Heins.

496 *Gelidæque jacebitis umbræ*] Umbra nec gelida nec calida: sed ad mortem respicitur, quæ cum frigore venit, et corpus privatum anima frigidum relinquit.

497 *Et ille Spemque patris, regnumque trahat*] Malim *et una.* *Regnique* alter Hamburgensis et duo alii. *Heins.*

498 *Spemque*] Erant Œneo ex Althæa et alii filii, ab Ant. Liberali nominati; Phereus, Agelaus, Toxeus, Clymenus, et Periphantes. Summa tamen Œnei spes in Meleagro, utpote Martis prole, supra ad vs. 437. verum audi ipsum Liberalem: Οἱ παῖδες Θεστίου καὶ οἱ ἄλλοι Κουρῆτες ἅπτονται τοῦ δέρους. Thestii filii ac reliqui Curetes pellem invadunt, dimidium præmiorum ad se pertinere dicentes; sed Meleager vi ea ademit, ac filios Thestii occidit. Hinc bellum inter Curetes et Calydonios ortum: ad quod Meleager prodire noluit, iratus ob diras, quibus ipsum mater propter

fratrum necem devoverat. Cum autem Curetes urbem jam capturi essent, uxor Cleopatra ei persuasit, ut Calydonios tueretur. Egressus contra Curetas, periit, cremata a matre face fatali: (de qua supra ad vs. 451.) Reliqui etiam Œnei filii in ea pugna mortem oppetierunt. *Farn.*

499 *Ubi sunt pia vota parentum*] *Pia jura* pri. sec. tert. Medicei, optim. Florent. Neapol. Bernegger. Thuan. aliique quamplures ex melioribus; recte. Lib. x. ‘Di precor, et pietas, sacrataque jura parentum, Hoc prohibete nefas.’ Virgil. Æn. VIII. ‘si juris materni cura remordet.’ Epicedio Drusi, ‘jus matris habemus ab uno.’ Silius l. XI. ‘Per si quid superest vitæ, per jura parentis, Perque tuam nostra potiorem, nate, salutem, Absiste inceptis, oro.’ Cicero Philipp. II. ‘ut eum a tua familiaritate patrio jure et potestate prohiberet.’ Sic ‘domini jura’ Epist. III. sub finem, ubi plura: et ‘imperii jura’ ex antiquis libris Remed. Amor. vs. 495. *Heins.*

500 *Mensium*] Libri aliquot a Ciofano citati, et Mss. mei habent *Menses bis quinque.* Excusi omnes *mensum* retinent, Prisciani freti autoritate, qui l. VII. *mensum* hic pro *mensium* poni ait. Ego certe genitivum genuinum scribendum censeo *mensium;* inter scandendum vero, ne legi Pediæ oppedatur, adhiberi posse Synæresin seu Synecphonesin ut Æn. VI. ‘quin protinus omnia Perlegerint oculis;’ et Noster lib. I. ‘ultima cœlestium.’ *Farn.*

502 *Munere nostro*] Quæ stipitem seu torrem in hunc usque diem servavi. *Pont.*

503 *Præmia facti*] *Factis* Florent. S. Marci, et unus Bononiensis. *Heins.*

506 *Et cupio*] Fratres ulcisci subintelligatur. *Et nequeo*] Non possum in ignem conjicere torrem, pietate, qua filium prosequor, impedita.

510 *Vosque Ipsa sequar, dixit*] *Vosque Funeris ipsa sequar* prim. Gronovianus. Puto, *vosque Funus et ipsa sequar: τὸ dixit* eleganter omittitur, ut sæpe alibi. *Heins.*

511 *Aversa*] Dolens et invita ex more funebri, ‘Aversi tenuere facem.’ Æneid. VI. *Farn.*

512 *Funereum*] Funestum, funerisque ac mortis Meleagri causam.

517 *Ac magnos*] *Et* multi. Lege *at* cum duobus. *Heins.*

518 *Quod tamen*] Inique tamen et ægre fert eam sibi obvenire mortem inertem et languidam, in qua non sit virtuti suæ exercendæ locus. Aristoteles lib. III. Ethic. Nicomach. cap. 6. *Farn.*

522 *Crescunt ignisque dolorque*] Intestinus dolor, ad modum flammæ in titione et crescentis et decrescentis, intendebatur et remittebatur. *Idem.* *Crescunt*] Torris hic fatalis respicere videtur effigiem aliquam ex arte malefica: cum præsertim Hom. Il. I. 565. dicat Meleagrum interiisse ἐξ ἀρέων μητρὸς....Πολλ' ἀχέουσ' ἠρᾶτο κασιγνήτοιο φόνοιο. Πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀκοία, Κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν, Πρόχνυ καθεζομένη· si quem enim immutare, infirmare, aut etiam perimere volunt maleficæ, imaginem ejus ex cera, luto, aut plumbo effingunt, pectori nomen inscribunt, exorcizant, sub fimo vel ad lentum focum tabescere sinunt perforatum aut acubus per latera transfixum. Noster epist. Hypsipyles, ‘Devovet absentes, simulacraque cerea fingit: Et miserum tenues in jecur urget acus.’ Et Fast. II. ‘Quodque pice obstrinxit; quod acu trajecit ahena, Obsutum mentha torret ab igne caput.’ Virgil. Eclog. VIII. ‘Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit,’ &c. ex Theocriti Idyl. II. ‘Ὡs τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ, &c. Horat. Satyr. I. 8. ‘Lanea et effigies erat, altera cerea.’ Tacit. Annal. II super morte Germanici. Reperiebantur, inquit, solo ac parietibus

erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, et devotiones, et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres, ac tabe obruti, aliaque maleficia, &c. Sed adi Sprangerum I. p. Mallei venef. quæst. I. c. 12. Mejerum l. XVI. Delrium III. Disq. Magic. p. 1. quæst. 3. sect. 4. et 5. Grillandum q. 5. Petri Abani experimenta. *Farn.*

525 *Paulatim cana prunam velante favilla Alta jacet Calydon*] Hic versus in primo Palat. non exstat: in schedis Theatinorum, Urbinati, altero Hamburgensi, et uno Bononiensi margini erat adscriptus; et est profecto adulterinus, quod inconcinna repetitio *τοῦ paulatim* satis evincit. *Heins.*

527 *Plangunt ora simul matres Calydonides. Œneus*] *Calydonides heu heu* plurimi veteres. Sed ex iis antiquissimos videamus. Urbin. prim. Palat. sec. et quart. Medic. fragmentum Theatin. *Plangunt se matres Calydonides, heu heu.* Bernegg. et pro diversa lectione fragm. Theat. cum duobus aliis, *Plangunt hunc matres Calydonides Œneus atque:* primus Gronovii, itidem pro diversa lectione, *Plangebant matres Calydonides Euveive;* unde reponendum facile vidi, *Plangebant matres Calydonides Eveninæ*, quod optimus S. Marci Florentinus postea mihi confirmavit; in quo, *Plangunt hunc matres Calydonides Evenine:* sed posterius *n* in *Evenine* erat abrasum, cum Glossa, 'Evenos est fluvius: inde sunt dictæ Eveniæ matres.' In Neapolitano, *Plangunt ora matres Calydonis Œneu;* nisi quod *τὸ ora* et *Œneu* cum ultima syllaba *Calydonis* a manu sunt recentiori, deleta prisca lectione; et super *ora* adscriptum *simul.* Scribe, *Planguntur matres Calydonides Eveninæ.* 'Plangi,' pro se plangere; ut et alibi Noster. Vide quæ notamus l. V. sub finem. Nam *Plangunt pectora* non *ora* debebat dixisse. De duobus patronymicis 'Calydonides Eveninæ' dictum ad Epist. VI. 103. Sic et Marpissam Eveninen dixit Homerus Iliad. I. Κούρῃ Μαρπίσσες καλλισφύρου Εὐηνίνης. Ad veram scripturam alludunt et alii codices. In priore Erfurtano, *Plangunt se matres Calydonides Eunenynæ:* Arond. *Plangebant matres Calydonides Euveniæque*, cum Glossa, 'Euveniæ matres, id est, habitantes juxta Evenum fluvium.' Fragmentum Moreti et unus Palat. *Plangebant matres Calydonides Aoniæque:* unus Bononiensis, *Plangunt matres Calydonides Hemoniæve:* unus Basileensis, *Plangunt matres Calydonides euheoche:* unus meus, *Plangebant matres Calydonides Euvevese:* primus Mediceus, *Plangunt matres Calydonides Euveniæ:* alii aliter. Piget ulterius in hac sorde volutari, ne post fruges inventas glandibus videamur inhiare. Spirensis inter vetustiores etiam proxime verum, *Plangebant matres Calydonides Euveninæ.* Idem.

528 *Pulvere canitiem*] Pater, inquit, Œneus pulvere caput faciemque deturpat. Hoc enim in magnis mœroribus fiebat apud priscos. *R. Spatiosumque*] Nestor apud Juvenalem Sat. X. 'quærit cur hæc in tempora duret, Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo.' *Farn.*

530 *Nam de matre manus*] *Nam mater manibus* Cantabrig. prim. Erfurt. aliique complures: *Nam materna manus* Lovan. et alter Strozzæ, cum uno Palat. *Idem.*

531 *Acto*] Laqueo vitam finivit, inquit Diodorus Sic. lib. V.

532 *Non*] Οὐδ' εἰ μοὶ δέκα μὲν γλῶσσαι, &c. Iliad. II. Virgilius Georg. III. et Æneid. VI. *Farn.* *Ora sonantia linguis*] Unus meus chartaceus ex optimo descriptus, *linguas;* ut apud Virgil. 'nec vox hominum sonat.' Florent. S. Marci, Neapol. Bernegg. *linguæ;* probe, si construas, 'linguæ Ingenium capax.' *Heins.*

534 *Miserarum vota sororum*] *Dicta* meliores. *Idem.*

536 *Dumque*] Quandiu componebatur, necdum rogo injectum. *Corpus refoventque foventque*] *Tenentque* Cantabrig. Thuan. et decem alii : sed dictum pro *fovent refoventque.* Versu proximo pro *cineres haustos ad pectora pressant* multi ex melioribus *versant ;* sed perperam. Silius libro VIII. ' Ceu cinerem orbatæ pressant ad pectora matres.' *Heins.*

537 *Lecto*] Funebri pheretro. *Farn.* *Ipsi lecto*] Sic distingue : Oscula dant ipsi, id est, Meleagro seu corpori, posito dant oscula lecto. Ut alterum ' oscula' ad corpus, alterum ad lectum referatur. *Micyl.*

539 *Affusæque*] Incumbentes, instratæ, prostratæ. *Nomina saxo*] Signa. Epitaphium in saxo sculptum, in quo nomen Meleagri erat.

541 *Quas post Œneæ tandem Latonia clade Exsatiata domus*] *Post hœniæ* prim. Palat. et unus Basil. duo *Percaoniæ : post Aoniæ* Cantabrig. sec. Medic. sec. Palat. et octo alii : *post Eoniæ* prim. Vatican. alii aliter. Scribe *Parthaoniæ domus* cum Florentino S. Marci, Neapol. Thuan. prim. Basil. pri. Erfurt. et sex aliis. Parthaon enim Œnei pater ; ut recte Glossa Erfurtani libri. Statius Theb. I. ' quanquam Calydonius Œneus Et Parthaoniæ (si dudum certus ad aures Rumor iit) tibi jura domus :' hinc et Parthaonides Tydeus Val. Flacco dictus. *Latoia* etiam bene, pro diversa lectione, alter Strozzæ. *Heins.*

542 *Nurumque*] Deianiram, uxorem Herculis : beneficio Bacchi id factum (dicit Ant. Liberalis) cui eam gratiam Diana fecerat. Reliquæ in Meleagrides aves versæ, de quibus Plin. x. 26. *Farn.*

544 *Allevat*] In aërem tollit.

545 *Corneaque ora facit*] Hoc est, ora in rostra convertit. *Versasque per aëra mittit*] In aves commutatas, quæ Meleagrides a Meleagro fratre fuerunt cognominatæ. De quibus Plinius lib. decimo, capite vigesimo sexto. *R.*

FAB. V. Arg. *Interea Theseus*] Mira phantasia quinque Naiadum transmutationem in insulas cum superiore fabula poëta connectit. Interfecto namque Calydonio apro, Theseus cum Athenas rediret, forte Achelous fluvius Ætoliam ab Acarnania disterminans sic intumuerat, ut tutus transitus non videretur. Invitatus igitur Theseus a fluminis Deo Acheloo domum illius intravit, tantisper illic futurus, dum tuto transire posset. Cum vero post cœnam Theseus in mare prospiciens vidisset insulas quasdam, Acheloum rogavit, quot illæ essent, ac quo nomine appellarentur : cui Achelous respondit, Naiades quinque fuisse illorum locorum accolas, quæ cum aliis Diis se spreto sacrificassent, eas cum locis suis in mare a se indignato fuisse provolutas, ac in insulas quinque nomine Echinadas, et suis et fluctibus marinis fuisse discretas. *R.*

546 *Sociata*] Conficiendi apri labore functus, quem socium et auxiliarem Meleagro tulerat.

547 *Erechtheas arces*] *Erichthoas* duo veteres cum Thuaneo : ut Myrtous, Lesbous, Sardous, et similia. *Erichthoias* pri. Pal. sec. Medic. Neap. Urbin. et pri. Reg. *Erichtheidas* duo alii : *Erichthonidas*, Langerm. tres alii *Erichthoidas :* Grævianus *Erictenias.* *Erichthonias* pri. Moret. pri. Gronovii, Exc. Mureti, sec. Palat. et duodecim alii ; non male ; ab Erichthonio rege. Sic ' in qua populus lusit Erichthonius' Propertio : et ' Erichthonios pestis populata colonos' Manilio, pro Atheniensibus. ' Erichthonias arces' similiter Trojam Virgilius in Ciri, et in Culice appellavit ab Erichthonio rege. *Heins.* *Erechtheas*] Athenas Erechtheo olim regnatas.

548 *Fecitque*] Qui autem Achelous Theseo Calydone Athenas proficis-

centi obstare potuerit, hæret Glareanus, ego non video. *Farn.* *Fecitque moras Achelous*] Achelous Oceani et Tethyos filius fuisse ab Hesiodo scribitur. Is cum peteret Deianiram Œnei Calydoniæ regis filiam, Herculem in se convertit, a quo superatus, in fluvio juxta Calydoniam labenti se occultavit, nomenque flumini imposuit, quod quidem a Pindo Thessaliæ monte oritur, Ætoliamque ab Acarnania distinguit. Sane apud antiquos aqua generaliter Achelous dicebatur. *Achelous*] *Acheloos* in Sixiano. *Heins.*

550 *Cecropide*] *Cecropida* Florent. S. Marci, et Bernegger. prim. tert. quart. Medic. prim. Gronov. prim. Moreti, et sex alii: sic *Æacida,* de quo ad Epist. III. *Atrida* apud Propertium Eleg. II. 14. 'Non ita Dardanio gavisus, Atrida, triumpho es:' ubi *est* perperam legitur. Horat. Sat. II. 3. 'Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?' *Idem.*

551 *Magno Murmure*] *Magno Impete* unus ex meis; ἀρχαϊκῶς pro impetu: sic noster supra, 'Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis Fertur:' ita et Statius, Ausonius, alii. *Idem.*

553 *Cum gregibus stabula alta trahi*] *Rapi* sex veteres. Nil muta. Virg. Æn. II. 'Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes Cum stabulis armenta trahit,' de amne. *Idem.*

556 *Turbineo vertice*] In modum turbinis se volvente.

557 *Solito dum limite currant*] Dum intra ripas aquis imminutis se recipiant. *Pont.*

558 *Captet suus alveus undas*] *Captat* multi ex vetustioribus, pro *capiat;* quomodo Bernegger. sec. Medic. et alii decem: tres *capiet.* Epicedio Drusi, 'Vix capit adjectas alveus altus aquas.' *Heins.*

559 *Utorque*] Meliores *Utarque.* Id.

561 *Nec levibus atria tophis*] Asperis, impolitis. Tophus enim lapis est cavernosus. Describit autem poëta speluncam fluminis Deo convenientem. *R.*

563 *Murice*] Murex autem genus est cochleæ, unde fit purpureus color. *R.* *Lacunabant*] Lacunaria summa distinguebantur alternis murice et concha quasi tesselatim.

564 *Jamque*] Allusum videtur ad Romanum morem, quo discumbere soliti sub tertia diei parte superstite. Hyperion autem filius Cœli ex Titea sorore, quam βασιλείαν vocat Diodorus, genuit Solem et Lunam. Sol autem ipse Hyperion dictus. *Farn.*

566 *Hac Ixionides*] Pirithous Ixionis filius, perpetuus Thesei comes. *R.* *Illa Trœzenius heros Parte Lelex*] A Trœzene, ubi Pittheus regnavit: sive ille Pitthei filius, Æthræque frater fuit. Sed de Lelege supra annotavimus. *Micyl.*

567 *Raris jam sparsus tempora canis*] *Parcis* pri. Palat. *parvis* plurimi ex antiquioribus: *paucis* quinque: *latris* Spir. *Pariis* prior Erfurt. cum Glossa, id est, albis; et sic pro diversa lectione unus ex meis: tres *variis:* duo *albis:* unus *niveis.* Omnia frustra. Calvescens enim Lelex describitur. Amor. I. 8. de anu, 'Quin albam raramque comam, lacrymosaque vino Lumina, rugosas distraheremque genas.' Pro *illa parte* quatuor veteres *illac,* cum Arondeliano. *Heins.*

569 *Lætissimus hospite tanto*] *Terno* Junianus; bene. *Idem.*

572 *In gemma*] *In gemmam* multi ex vetustioribus. *Idem.* *Gemma*] Phiala gemmea, potius quam gemmata, ut quæ fluviatili Deo conveniat magis. Sic Verrina VI. Erat etiam vas vinarium, ex una gemma prægrandi trulla excavata. 'Nec bibit e gemma divite nostra sitis,' Propert. Eleg. III. 4.

575 *Quod gerit*] *Gerat* cum plerisque scriptis. *Heins.*

576 *Cernimus*] *Cernitis* Florent. S.

Marci, Urbin. et tres alii; male: nam solum Theseum alloquitur; ut mox patet ex iis, 'ipse vides.' *Idem.*

577 *Spatium discrimina fallit*] *Spatii discrimina Fallunt* multi ex vetustioribus; recte, si reponas *discrimine* cum Urbinati. *Idem.*

578 *Factum*] Vindictam, qua sui contemptum ulta est in Œneo et suis. *Farn.*

581 *Immemores*] Exaruisse aliquando videntur fontes, neque rivulos suos, ut prius, in Acheloum devexisse. *Farn.*

582 *Cum plurimus*] Maximus. *R.* *Cum plurimus feror*] Sic Virgil. 'Plurimus Eridanus.' 'Plurima cervix.' 'Plurima nux.'

584 *Arva revulsi*] *Revelli* S. Marci, Neap. pri. Medic. Bernegger. Spir. Arond. et decem alii; de quo ad Epist. VI. 103. *Heins.*

585 *Memores tum denique nostri*] Tum demum intellexerunt, quem per ludibrium de Diis agrestibus inhonoratum præteriissent. *Pont.*

586 *Fluctus*] Insulas has ante ostia Acheloi limus vi fluvii advectus congessit: Strabo l. X. Quin et alibi emergunt insulæ; vel aqua recedente, vel spiritu, qui terræ includitur, terram ipsam protrudente et attollente.

587 *Pariterque revellit*] *Partesque* pri. Bonon. pri. Argent. cum tribus aliis, et editione Gryphii; bene: *resolvit* etiam probe quartus Medic. et pro diversa lectione Rottendorphianus. In Cantabr. et prim. Gronov. *revolvit;* proxime verum. Multi *revulsit:* sed 'revelli' jam præcesserat. *Heins.*

588 *Mediis quot cernis Echinadas undis*] Echinades, quæ et *Echinæ* dicuntur, insulæ sunt ad ostium Acheloi Ætoliæ fluvii, qui limum assidue invehendo illas effecisse videtur. Dictæ sunt ab Echino quodam vate.

FAB. VI. Arg. *Ut tamen ipse vides*] Perimele Hippodamantis filia ab Acheloo vim passa, e saxo a patre in mare fuit præcipitata. Achelous vero de amicæ salute admodum sollicitus, Neptunum rogavit, ne eam submergi pateretur, sed ei aut locum præberet, aut ipsam locum efficeret: precibus igitur Acheloi motus Neptunus, eam in insulam haud longe ab Echinadibus distantem commutavit. *R.*

590 *Perimelen*] Insul. maris Ionii, unam Echinadum, ante os sinus Corinthiaci. *Farn.*

593 *Periture corpora natæ*] *Pariture* unus Leidensis et alter Twisdenius: et placet. *Heins.*

594 *O proxima terræ Regna*] *Mundi* in multis vetustiorum; *mundi* vel *cæli* pro diversa lectione schedæ Theatinæ; *cælo* unus Mediceus; optime. Prima enim sors Jovi, Neptuno secunda, tertia Plutoni obtigerat. *Idem.*

595 *Tridentifer*] Tridens quem habet Neptunus pro sceptro, triplicem illius ostendit potestatem, tollendi scilic. æquoris, placandi, servandi. Comes mythol. lib. II. 8. Aliis *τριανοῦχος* est quod, medius inter Jovis cœlum et Plutonis infernum, utrumque cum suo participet regnum: quod et Proclus refert in Cratylum Platonis, ubi de fratrum trinitate agit. Ipse Τριαινοκράτωρ, famulus Τρίτων, uxor Ἀμφιτρίτη, ternarium sonant numerum. *Farn.*

596 *In quo desinimus*] Duo *descrimus:* alter Regius *deserimur.* Puto *deferimur;* nam unus Moreti *in quem decidimus.* Heins. *Sacri amnes*] Omnes fluvii numen habere dicuntur, unde et 'sacri' nuncupantur. *R.*

597 *Huc ades*] Ex precantium formula, Deos orantium ut adsint. lib. III. Amorum Eleg. 2. 'Huc ades atque meus fac Dea vincat amor.' Brissonii formul. lib. I. plura.

598 *Si mitis*] *Sis mitis* Cantabrig. et plurimi alii, ut Neptunum hæc spectent. Cæterum versum proxime præcedentem, cujus initium est, 'Huc ades, atque audi,' spurium ac

proinde ejiciendum esse censeo; ut et illum, qui mox sequitur, *Cui quondam tellus clausa est feritate paterna:* est enim minime ferendus, cum 'feritate paterna' denuo proxime repetatur; et abest ab uno Vossiano. Gronovianus unus exhibet quidem, sed margini adscriptum: at sec. Palat. pri. Moreti et octo alii proxime sequentem non agnoscunt; male. *Heins.*

603 *Hunc quoque complectar*] *Hanc quoque* plurimi ex vetustioribus: hoc est, postquam in insulam erit conversa. Perimelen enim, ut reliquas Echinadas, Achelous alluit. Potest et scribi, *Tunc quoque complectar.* Heins. *Movit*] Annuit precibus Neptunus, 'tremefecit et æquora nutu.' *Farn.*

605 *Extimuit Nymphe*] Aut hi quatuor versus sunt tollendi pro superfluis, aut illi duo, quorum initium 'Dum loquor,' ne bis idem dicat. Miror interpretes hoc non vidisse. *Heins.*

606 *Salientia*] Palpitantia: id quod timore percussis accidere solet. *Pectora*] Præcordia.

Fab. vii. viii. ix. 611 *Factum mirabile*] Malim *fatum;* ut et libro ix. 'Dumque refert Iole fatum mirabile:' nam *factum mirabile* veteres illic plerique. *Heins.*

613 *Ixione*] Ixionis filius ex Centaurorum genere, qui Superum contemptores inducuntur a Poëtis, ut et Cyclopes. *Farn.*

617 *Animo maturus et ævo*] *Animi maturus et ævi* malim: sic 'ævi maturus Acestes' Virgilio l. v. et l. ix. 'animi maturus Alethes.' Paulo ante Nostro 'mentis ferox' Pirithous dicitur. Vide Notas vi. 321. lib. xiv. 'Remulus maturior ævi:' ita scribo; nam vetus codex *ævo;* vulgati *annis.* Claudianus lib. ii. de laudib. Stilich. 'sed avus maturior ævi Martia recturo tradit præcepta nepoti:' ut jam ex optimis libris illic castigavimus. *Heins.*

619 *Quicquid*] Γένοιτο μὲν τ' ἂν πᾶν θεοῦ τεχνωμένου. Sophocl. Ajax flagel. Ἐμοὶ δὲ θαυμάσαι, θεῶν τελεσάντων, οὐδέν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον. Pindar. Pyth. Od. x. *Farn.*

621 *Medio circumdata muro*] *Modico* præstantiores plerique. Mox *lacum* pro *locum* duo veteres. *Heins.*

622 *Pelopeia*] In Phrygiam, regnatam Tantalo Pelopis patri. *Pittheus*] Trœzen et Pittheus Pelopis filii fuere e Pisatide: quorum ille urbem sibi cognominem reliquit; hic ei succedens ibi regnavit. Teste Strab. viii. Fuit et Pittheus pater Æthræ, quæ mater Thesei. Hunc tamen Lelegis patrem fuisse N. L. *Farn.*

623 *Suo parenti*] Pelopi. Nam Pittheus et Trœzen Pelopis filii fuere, ut Strabo narrat.

624 *Haud*] Poëtarum fabulas e Sacris fontibus derivatas probatum it Laur. Ramirez c. 36. Pentecontarchi, ex fabb. Promethei, Diluvii, Phaëthontis, &c. Sed actum agit. Hoc olim Patres omnes qui adversus Gentes scripserunt. Iis quos citavi ad vs. 261. lib. i. adde Euseb. qui l. x. præp. Evang. ex Clemente, Josepho, Porphyrio, Diodoro, aliis, ostendit eximias quasque disciplinas ab Ægyptiis et Hebræis ad Græcos fluxisse. Quin et Clemens 6. et 7. Stromat. Græcos furti arguit, ut qui ab Hebræis philosophiæ scita sua hauserint. Dixi ad vs. 211. l. i. adumbratum esse illum descensum Jovis sub mortali specie in Arcadiam ex historia quæ habetur Genes. c. 18. Quod hic clarius liquet, ubi sub personis Jovis et Mercurii hospitio exceptorum a Philemone et Baucide, quos illi deduxerunt in montem, postquam ulti fuissent viciniæ improbitatem, urbe et regione in lacum versa, repræsentatur historia Lothi cap. 19. Genes. *Farn.*

626 *Specie mortalis*] *Mortali* ex melioribus. *Heins.*

627 *Atlantiades caducifer*] Mercurius caduceum gerens.

630 *Canna tecta palustri*] An *texta?*

Adi Notas v. 447. *Heins.*

633 *Paupertatemque ferendo*] *Fatendo* Florent. S. Marci, prior Erfurt. pri. sec. Palat. Cantabrig. tert. Medic. Spirens. aliique complures; recte. Lib. II. 'et amando, et amare fatendo, Cyllaron una tenet.' Amor. I. 2. 'Acrius invitos multoque ferocius urget, Quam qui servitium ferre fatentur, Amor.' Sic et alibi sæpe. Paupertatem vel amorem fatetur, qui palam præ se fert nec dissimulat. Lib. IX. 'Jamque palam est demens inconcessamque fatetur Spem Veneris.' *Idem. Paupertatemque*] Paupertatis emolumenta et prærogativas, si cui vacet, legat ab Apuleio in Apologia elegantissime descripta; nec non a Seneca passim deprædicata, Epist. II. IV. XVII. XX. LXXX. a Valerio Max. laudata, IV. 4. Adi, si placet, Indicem nostrum poëticum. *Farn.*

637 *Parvos tetigere penates*] *Paucos* S. Marci, prim. Reg. Arondel. uterque Erfurt. prim. Basil. Spir. decem alii: *parcos* Bernegger. Oxon. et alii duo. Forte *paulos penates:* nam in primo Regio aliisque nonnullis Glossa erat adscripta, 'id est, pauperes.' Varro '*Pauper* a paulo lare.' Libro VI. 327. 'paulo faveas mihi murmure dixi:' sic ex vetustioribus nonnulli. Fast. III. 'Et piget in paucis nomen habere casis:' ita et illic libri veteres. Forte *paulis:* tamen apud Virgilium libro VIII. 'externumque larem parvosque penates Lætus adit.' Et apud Silium lib. I. 'At parvos curru remeabant sæpe penates.' Et lib. VII. 'Nec pigitum parvosque lares humilisque subire Limina cælicolam tecti.' *Heins.*

643 *Anima perducit anili*] *Producit* ex melioribus nonnulli, vel *produxit.* Idem. *Anima*] Spiritu, et flatu, follis vice, usa. *Farn.* *Anima*] Anhelitu: sic Terent. 'animam compressi.' Σιγῶμεν, ἐγκάψαντες αἰθέρα γνάθοις. Eurip. Cycl. 'Majores nostri, quanquam libenter allio vescerentur et cepa, optime tamen animati erant,' Cato de R. R. Hinc dicitur, 'anima tibi olet.'

648 *Sordida terga suis*] Unus Palat. *Horrida:* unde Gebhardus, *Torrida;* hoc est, fumo siccata: sic et Sirius et Sol torrere arva dicuntur. Vide Notas Fast. II. 24. Apud Juvenalem Sat. XI. 'Sicci terga suis rara pendentia crate.' Posset et legi, *Fumida:* quomodo Horatius Sat. II. 2. 'fumosæ pedem pernæ' dixit: sed vulgatum non est temere mutandum, ut 'sordida fumo' innuat fuisse: sic 'sordentia fumo frena' Silio Italico VI. 134. dicuntur. *Heins.*

650 *Domat*] Elixat. I. 288. 'ferventibus artus Mollit aquis.' *Farn.*

653 *Dura clavo suspensus ab ansa*] Lege *curva ab ansa:* et sane Barberinianus *curva* pro diversa lectione agnoscit; nisi *curta* malis: quomodo 'attritam ansam' dixit Virgilius. Sed alterum verius. *Heins.*

654 *Artusque*] Priscus ille mos fuit lavandi hospites. Athenæus I. 9. ex Hom. Odyss. III.

655 *In medio torus est*] Non video quomodo torus in medio esse potuerit, qui mensæ locus fuerit dandus. Libri veteres magno numero interserunt post hunc versum, 'Consternuntque torum de molli fluminis ulva:' vel, *concutiuntque, constituuntque, conficiuntque,* quod in aliis est. Neapolitanus, et Florent. S. Marci, tres quatuorve versus superiores manu recentiori adscriptos margini exhibent: quibus tamen controversia non est movenda. Sed ex hoc et præcedenti unum esse faciendum contendo, ac scribo, *artusque fovendos Accipit: inde torum sternunt de mollibus ulvis Impositum lecto sponda pedibusque salignis;* nam *Impositis* non *Impositus* veteres plerique. *Heins.* *Torus*] Antiquis torus erat e stramento, Plin. VIII. 48. deinde ex herba, aut ulva; denique, lana et pluma: hic autem impositus est lecto, qui ligneus, *the*

bedstead: funebris autem arundine aut papyro fartus imponebatur pheretro. *Farn.*

659 *Lecto non indignanda saligno*] Cantabrig. sec. tert. Palatin. et decem alii, *sed non indigna:* prim. Gronov. et unus meus *tamen haud indigna:* nil muto. *Heins.*

660 *Mensam succincta, tremensque Ponit anus*] 'Illa gradum studio celerabat anili.' Æn. IV. Τὸ τοῦ ποδὸς μὲν βραδὺ, τὸ τοῦ δὲ νοῦ ταχύ. Eurip. Ion. Et Hercul. Furent. Τρομερὰ μόνον, ἀλλ' ὅμως πρόθυμα.

662 *Clivum*] Inæqualitatem mensæ clivum appellat. *R.*

663 *Menta extersere virenti*] Alii *mentæ extersere virentes:* sed verum est, *mentæ tersere virentes* cum codice S. Marci, sec. Palat. tert. Medic. prim. Hamburg. aliisque quamplurimis. *Heins.*

664 *Bicolor*] Olivæ virides et nigræ: hic autem fructus et arbor intemeratæ virginis Pallados, VI. 77.

665 *Fæce*] Qua condita servantur, *pickle.* Farn.

666 *Intubaque et radix*] Intubum, quod et cicoreum vocatur, herba est agrestis. *R. Lactis*] Caseus recens. *Lactantem metam* appellat Martial. Epig. I. 44. *Farn.*

668 *Cælatus eodem Sistitur argento crater*] *Eodem argillo* unus Palatinus. Græcis quidem ἄργιλος est, sed apud Latinos obtinet, ut argilla dicatur: in primo Mediceo pro diversa lectione *argilla*, cum Glossa, 'id est, terrá;' bene: in multis præterea 'de argilla' adscriptum est pro interpretatione: sic lib. V. Fast. 'Terra rubens crater, pocula fagus erant.' Nec placet *cælatus crater* iste: non enim tam delicatos Baucida et Philemona fuisse opinor, ut vasis non nisi operis cælati sint usi. Idem ille qui craterem nobis argenteum hic commentus est, ut pretium ei adderet, cælatum quoque multa arte procudit. Quare legendum puto, *illatus crater:* 'inferre craterem,' ut 'inferre lucernam,' quod sæpe apud Nostrum occurrit, et contra *efferre.* Propert. IV. El. 9. 'Lumina sopitos turbant elata Quirites:' intelligendum de vase vinario capaciori: unde Juvenalis 'urnæ cratera capacem;' Noster 'vastum cratera' lib. XII. 'ingentem' l. V. 'magnos crateras' Virgilius non uno loco: crateras autem cum ne in regum quidem conviviis nisi ahenos et inauratos soleant poëtæ apponere, quanto lautiore apparatu splendidissimus noster Philemon et Baucis illa opulenta argenteos, si Dis placet, crateras hic ostentant! et tamen 'nullos paratus' Noster, quod mireris maxime, paulo post est dicturus. *Heins. Eodem*] Fictilis ergo. Agathoclea. Ausonius Epigr. 8. 'et recubans sub eodem marmore' (quo scil. fingebantur urceoli) Chiron. Juvenal. Sat. III. 'Magnus animus,' inquit Seneca, 'fictilibus utitur tanquam argento et auro.' *Farn.*

669 *Sistitur*] Collocatur in mensa. Apparatum autem mensæ rusticæ eleganter effingit poëta. *R.*

670 *Pocula quæ cava sunt*] *Qua* ex melioribus. *Heins.*

673 *Dantque locum*] Hic versus præcedenti videtur præponendus. *Idem. Secundis*] Cœnæ apud Romanos tres fuisse missos, nemini non notum. 1. Ante cœnam promulsidem, sive Gustum. 2. Cœnæ caput, ex cibis firmis et præcipuis. 3. Bellaria, sive mensas secundas. *Farn.*

674 *Caryca*] Ficus est a Caryca Laconiæ loco, ubi optimæ nascuntur, denominata, quæ quia optimæ sunt siccæ, hinc usus obtinuit ut carycæ pro ficubus siccis accipiantur. Vide Plinium XIII. 5. et XV. 19. *Rugosis palmis*] Cum fructibus palmæ rugosis et siccis, quos nunc vulgo dactylos vocant.

675 *Redolentia mala canistris*] *Volentia* Florent. S. Marci: primus Mediceus et prior Hamburg. cum Spi-

rensi, *olentia:* alius Mediceus *dolentia.* In nonnullis vetus lectio erasa. Scribe *halantia:* sic ‘halantes floribus hortos’ dixerat Virgil. Adi Notas IV. 393. Apud Martial. ‘Quod spirat tenera malum mordente puella.’ Apud Juvenalem Satyra XI. ‘Æmula Picenis et odoris mala recentis.’ Putabam aliquando *ridentia mala.* Heins.

678 *Nec iners*] Voluntas est quæ apud nos ponit beneficium. Sen. Benef. IX. 2. *Farn.*

684 *Custodia*] ‘Canibusque sagacior anser,’ II. 599.

687 *Illuditque diu*] *Eluditque* cum plerisque. *Heins.*

693 *Ite simul: parent; et Dis præeuntibus ambo Membra levant baculis: tardique senilibus annis Nituntur longo vestigia ponere clivo*] Versus medius in optimo Florentino S. Marci, Neap. Spirensi, et uno Mediceo, manu recentiori adscriptus est margini; et puto tollendum: primus sic in eodem S. Marci codice exhibebatur, *Ite simul: parent ambo, baculisque levatis;* pro *levati;* quod disertim Spirensis agnoscit: atque ita in Neapol. etiam videtur exaratum fuisse, erat enim erasa vetus lectio. Illud, *tardique senilibus annis,* nugatoris commentum est, nam senio confectos fuisse tam Baucida quam Philemonem jam supra non semel monuerat, jamque et *tardos ætate* vocarat: nec opus eo *Dis præeuntibus,* cum et Deos jussisse ut se comitarentur, et illos paruisse præmiserit: pro tribus itaque versibus duo, quos exhibuimus in contextu, sunt reponendi. *Idem.*

695 *Quantum semel ire sagitta*] Neapol. et sec. Medic. *finire sagitta:* sic ‘finire pacem intra mœnia’ auctor Elegiæ in Nucem. Noster Fast. II. ‘riparum margine finit aquas:’ et ibidem ad Terminum, ‘Tu populos, urbesque, et regna ingentia finis.’ *Id.*

697 *Manere*] Stare, superesse.

698 *Dum deflent fata suorum, Mersa vident quæruntque suæ pia culmina villæ*] Hic denuo versum ejecimus, idque ex auctoritate utriusque Hamburg. Oxon. Arondel. Thuan. Neapol. prim. Palat. prim. Medic. cum octo aliis. Nec agnoscunt a manu prima Florent. S. Marci, et primus Regius: quidam tam editi quam scripti hunc versum, qui ferri non potest, *Sola loco stabat, dum deflent fata suorum,* paulo post agnoscunt. *Heins.*

700 *Furcas*] Cervi lignei transeunt in marmoreas columnas. *Farn.*

701 *Adopertaque marmore tellus*] Ex fide optimorum codicum hæc legenda sunt hoc ordine quo a nobis exhibentur. Mox codices denuo ex editis nonnulli et ex scriptis odiose versum exhibent qui jam supra occurrebat, *Concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon.* Heins. *Adopertaque marmore tellus*] Solum templi marmore stratum.

703 *Talia tum*] *Cum* ex scriptis; ut sæpe alibi. *Heins.*

704 *Fœmina conjuge justo Digna*] *Fœmina conjuge digno Digna* tres scripti. Sic apud Val. Flaccum libro VII. ‘tu laude nova, tu supplice digno Dignior:’ et in illo veteri carmine a rusticis cantato, apud Festum, ‘Digna dignis: sic Sarmentus habeat crassas compedes.’ Tibullus IV. Eleg. 7. ‘cum digno digna fuisse ferar.’ *Idem.*

706 *Judicium superis aperit*] *Judicium* pro sententia dixit. *Indicium* plurimi veteres. Excerpta Jureti et Calandræ cum octo scriptis *Consilium;* quod non est omnino negligendum. *Idem.*

711 *Vota fides sequitur*] ‘Ab illo, quod cum dictum est fit, fides nominatur.’ Cic.

712 *Annis ævoque soluti*] Malim *annis senioque soluti.* Heins.

714 *Narrarent casus*] *Inciperent* Neap. et sec. Medic. non invenuste. *Idem.* *Frondere*] Philemona in quercum, Baucida in tiliam mutatam ferunt. *Farn.*

719 *Tyaneius*] Tyana, urbs Cappa-

dociæ, media inter Cæsaream et Tarsum, urbem Ciliciæ, Apollonio alumno nobilis. Qui vero Tyaneius potuerit ostendere rem in Phrygia gestam, non video, nisi forte alia sit in Phrygia Tyana. *Farn.*

724 *Cura Deum Di sint*] Nihili hæc sunt, nec ad rem quicquam faciunt. *Cura Dei Dii sunt* in uno Mediceo: in uno meo, *Cura Deum sunt isti sint:* in uno Leidensi *Cura Deum sunt isti: sint isti* Spirensis. Castigatiores certe plerique *sunt* non *sint:* et *coluntur* non *colantur.* Noricus *Cura Deum hi sunt.* Scribe, *Cura pii Dis sunt, et qui coluere coluntur;* quod proxime ad Medicei libri scripturam accedit: sic in Fastis lib. II. 'Di pia facta vident.' Apud Horatium lib. I. Od. 17. 'Dis pietas mea curæ est.' Apollo apud Callimachum Hymno in Delum, εὐαγέων δὲ καὶ εὐαγέεσσι μελοίμην. *Heins.*

FAB. X. 727 *Calydonius amnis*] Achelous.

731 *Ut tibi complexi terram maris incola Proteu*] Proteus Oceani et Tethyos fuit filius, ut in Theogonia Hesiodus scribit. Fuit autem vates clariss. Iliacis temporibus, qui se in varias mutabat figuras: vide Natal. myth. VIII. 8. *Complexi terram*] Nam terra infima est omnium elementorum, quam ita Oceanus complectitur, ut aër Oceanum, aërem æther, ætherem cœlum. *R. Proteu*] Rex Ægypti, Cetes; Græcis Πρωτεὺς dictus, et Deus maris; quem se in varias mutasse formas fingunt: Homer. Odyss. IV. Orpheus in hymn. Aristoph. in Ranis. Virgil. Georgic. IV. Quem nonnulli Magica arte se in eas formas mutasse ferunt. Plato in Euthydemo tradit Sophistam fuisse. Rhetorem alii et dicendi peritum; Politicum alii, qui arte varia pro re ac tempore Rempubl. administrarit. Ad regum insignia referunt alii, quæ subinde immutantur, nunc tauri, &c. Lucianus de saltatore interpretatur varias figuras repræsentante. Tzetzes λεκανόμαντιν vaticinantem per pelves fuisse arbitratur. Philosophum fuisse putant alii, de variarum rerum natura disserentem. Ponticus Heraclides in libro Homeric. allegoriarum, et hunc sequutus Clariss. Fr. Baconus in Sap. vet. interpretantur informem rerum Materiam, variarum formarum susceptibilem. *Farn.*

733 *Quem tetigisse timerent*] *Quam* prim. Medic. et Spirens. Vide Notas IV. 495.

FAB. XI. Arg. *Erisichthone nata*] Erisichthon Thessalus fuit, Deorum contemptor, qui cum Cereri nemus consecratum, ac in eo quercum, in qua Nympha habitabat, succidisset, Hamadryades illorum montium incolæ ad Cererem convenerunt, precantes ut tantam impietatem ulcisceretur. Ea vero et sua et Hamadryadum causa mota, numinum contemptorem Erisichthonem novo pœnæ genere, assidua videlicet fame, cruciare decrevit. *R.* Fabula Erisichthonis describitur apud Callimachum in Hymno Cereris. *Micyl.*

738 *Autolyci*] Πολυμορφίας secundum exemplum adjicitur Metra, filia Erisichthonis, quæ nupsit Autolyco patri Anticleæ, quæ, Ulyssis mater, se datura est in tertium exemplum. *Farn.*

740 *Aris adoleret honores*] *Odores* vetustiores plerique. Virgilius tamen Æn. III. 'Junoni Argivæ justos adolemus honores.' *Heins.*

741 *Nemus Cereale*] Cereri consecratum.

743 *Quercus*] Callimacho, in Hymno Cereris, est populus, Ἦν δέ τις αἴγειρος, μέγα δένδρεον, αἰθέρι κῦρον. *Farn.*

744 *Una*] Quæ una nemoris instar erat: vide Jul. Scalig. Poëtic. lib. V. 8. *Farn. Memores tabellæ*] Memoriam eorum continentes, qui ope illius Nymphæ compotes voti facti fuissent.

745 *Voti argumenta*] Ἀναθήματα, donaria ab iis suspensa qui Cereris ope votorum compotes fuerunt: sic

vs. 56. supra. De platano a Xerxe torquibus et armillis ornata, Ælian. Var. hist. II. 14. Sed et notum est de more suspendendi memorum tabellarum.

746 *Sæpe*] Τῷ δ' ὕπο ταὶ νύμφαι ποτὶ τὤνδιον ἐψιόωντο. Callimach. ibid.

749 *Cætera tantum Sylva sub hac omnis quantum fuit herba sub illa*] Locus male habitus. Florentinus S. Marci, Bernegger. prim. Hamburgensis, Cant. prim. Gronovii, prim. tert. quart. Medic. Spirens. et alii multi, *tanto*, et *quanto;* recte. Deinde *fuit herba sub omni* in plerisque castigatioribus; nisi quod in prim. Erfurt. prim. Gronov. et uno meo, *jacet herba sub omni.* Rottendorphianus, *Silva quantum fuit herba sub illa:* prim. Medic. *quanto fuit herba sub arbore.* Scribe, *nec non et cætera tanto Silva sub hac, silva quanto jacet herba sub omni.* Libro XIII. 'quanto dux milite major, Tanto ego te supero:' ita recte meliores codices. 'Jacet silva,' ut libro II. 'terræ penitus penitusque jacentes.' Seneca Hercule Furente, 'Campus hanc circa jacet, In quo superbo digerit vultu sedens Animas recentes.' Val. Flaccus lib. I. 'Ingenti jacet ore Chaos:' et sic de inferis sæpe poëtæ. 'Cubantem Usticam' pari modo pro depressa dixit Horatius Od. I. 17. *Heins.*

751 *Triopeius*] Triopæ filius: sic enim Tzetzes in Lycophronem. Alii substituunt, *Dryopeius*, id est, Thessalus. *Farn.*

752 *Famulosque jubet*] *Famulisque* cum uno meo malim. *Heins.*

758 *Dodonia quercus*] An quia Dodonæum nemus quercu celeberrimum, propterea quercus omnes Dodoniæ sunt dicendæ, etiam Thessalæ? haud opinor. *De vulnere quercus* plurimi veteres: nonnulli *deciduæ;* vel *jam decida* vel *mox decida.* Ex vetustioribus Florent. S. Marci, Neapol. Bernegger. prim. Hamburg. prim. Vatican. sec. tert. Medic. prim. Gronov. Noricus, et sex alii, *Deoida. Deida* prim. Palat. et prim. Moreti. *Theoida* fragmentum Theat. et duo alii, *Dodoyda, Dedoida, Dedonida,* et similia. Scribe *Deoia quercus, ἀπὸ τῆς Δηοῦς. Cereale nemus* paulo ante dixerat. *Deoida* pro Proserpina habes lib. VI. 114. et apud Ausonium Epist. V. ad Theonem. Hæc scripseram, cum vidi veram lectionem subodoratum quoque esse Carolum Vivianum in suis castigationibus. *Idem.*

760 *Longi pallorem ducere rami*] *Sudore madescere* Cantabrig. unus Mediceus, et unus Palatin. cum margine Gryphiano; nil muto: *sudorem ducere* Barberin. *Idem.*

762 *Discusso cortice sanguis*] *Discusso sanguine cortex* plerique vetustiores. Scribe *discussus sanguine cortex;* atque ita quartus Mediceus: nisi malis cum uno Strozzæ *discussa cortice sanguis;* de quo vide Notas Met. IV. 375. Mox etiam *cruor profusus* pro *profundi* bene prim. Basil. prim. Gronov. et quinque aut sex alii. *Idem.*

765 *Obstupuere omnes*] Puto *Obstupuere animi:* quia τὸ *omnibus* mox sequitur. Statius, 'Obstupuere animi, fecitque silentia terror.' *Idem. Aliquisque*] Sacerdotem, inquit Scalig. poët. v. 8. excitat Ceres, ut Erisichthona castiget; Ovid. famulo attribuit. Non excitat sacerdotem, pace tua, Juli; sed ipsa assimilata est sacerdoti. Αὐτίκα Νικίππῃ (τάν οἱ πόλις ἀρήτειραν Δαμοσίαν ἔστασαν) ἐείσατο. Huic simile quippiam de Hamadryade monente Parœbum Μὴ ταμέειν πρέμνον δρυὸς ἥλικος, narrat Apollonius lib. II. Argonaut. vs. 475. et commentator ibi. *Farn.*

768 *Thessalus*] Erisichthon. *R.*

771 *Nympha*] Servius ad eclogam X. Virgilii, Nymphæ, inquit, Hamadryades sunt quæ cum arboribus nascuntur et pereunt, ἀπὸ τοῦ ἅμα καὶ τῆς δρυός· qualis fuit illa, quam Erisichthon occidit: qui cum arborem incideret, et vox inde erupit, et sanguis,

sicut docet Ovidius. Et Scaliger Poëtic. v. 8. Nudis Callimachi rebus Ovidius addit ornamenta: veluti cum orationem attribuit Nymphæ; Callimachus solum, κακὸν μέλος ἴαχεν ἄλλαις. *Farn.*

772 *Quæ tibi*] Ναὶ' ναὶ, τεύχεο δῶμα, κύον, κύον, ᾧ ἔνι δαῖτας Ποιησεῖς· θαμιναὶ γὰρ ἐς ὕστερον εἰλαπίναι τοι· ipsa Ceres interminata Erisichthoni. Callim. *Id.*

775 *Adductaque funibus arbor*] Nihil hoc loco mutandum. Lucanus libro IV. ‘ sed tertia puppis Hæsit, et ad cautes adducto fune secuta est.’ *Heins.*

777 *Nemorumque suoque*] *Nemorisque* rectius alii. *Idem.*

787 *Oreada*] Nympham montanam. Oreades namque montium sunt Nymphæ, ἀπὸ τοῦ ὄρους, hoc est, a monte, cognominatæ.

795 *Alte moderere*] Per aërem moderere et regas in sublimi. Vide Gebhard. Crepund. II. cap. 14. *Pont.* *Dracones*] Cereris jugales l. v. 642. ‘ geminos Dea fertilis angues Turribus admovit, frænisque coërcuit ora, Et medium cœli terræque per aëra vecta est.’ Sic et Triptolemo dedit currum, quem alati trahebant dracones, quo vectus mortales agriculturam doceret. *Farn.*

797 *Rigidique cacumina montis*] *Cacumine* ex plurimis antiquorum. *Heins.*

798 *Caucason appellant*] Caucasus mons est Scythiæ omnium altissimus, perpetuisque nivibus tectus. *R.* *Serpentum collo levavit*] Id est, ademit iis jugum. *Pont.*

800 *Raris vellentem dentibus herbas*] *Raras* rectius unus Bonon. ‘ raras herbas,’ quia in agro lapidoso. Lucanus de Africa libro IX. ‘ Hoc tam segne solum raras tamen exerit herbas:’ *ac atris* unus Voss. quidam *duris.* Heins.

802 *Scabri rubigine dentes*] De dentibus jam præcesserat: quare assentior plerisque antiquis, in quibus *scabræ fauces*; nisi quod in uno Langermanni, *scabræ malæ:* libro tamen II. de Invidia, ‘ livent rubigine dentes, Pectora felle virent.’ Et ‘ rubiginosos dentes’ dixit Martialis. Petronio quoque ‘ scabræ rubigine dentes:’ habes et ‘ scabros dentes’ apud Suetonium et Martianum Capellam, ex quibus vulgatam lectionem in hoc Nasonis loco tuebatur noster Grævius. *Idem.*

803 *Per quam*] ‘ Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet. Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet; Ita is pellucet, quasi laterna Punica.’ Euclio de agno macilento sibi a Megadoro misso in Plauti Aulularia. *Farn.*

805 *Ossa extabant*] Οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν. Hom. Odyss. Λ. v. 218. ‘ Cujus viscera non aperta Tuscus per pellem poterit videre Aruspex.’ Petron. Priap.

807 *Genuumque tumebat Orbis*] *Rigebat* Arondel. et duo alii. Auctor Moreti, ‘ Continuis rimis calcanea scissa rigebant.’ Quanquam nec vulgata scriptura inconcinna est. Mox *immodico prodibant tubera talo,* non *tubere tali,* Florent. S. Marci, et unus Bonon. bene. *Heins.*

809 *Neque enim*] Ita et lib. II. vs. 630. ‘ postquam mandata peregit Iris, abit: neque enim ulterius tolerare soporis Vim poterat; labique ut somnum sensit in artus, Effugit.’ *Farn.*

813 *In Æmoniam*] Thessaliam, quæ sæpius nomina mutavit. Nam et Pelasgicum Argos, et Hellas, et Dryopis, et Græcia, et Hellenis a regibus fuit cognominata.

814 *Quamvis contraria semper Illius est operi*] Neque enim ubi sunt fruges, quæ sunt opera Cereris, ibi Fames potest esse. Fruges præterea, a Cerere inventas, Fames assidue consumit.

815 *Perque aëra vento*] *Vecta* Neap. sec. Medic. pri. Basil. pri. Hamburg. et pro diversa lectione Florent. S. Marci. Nil muto. *Heins.*

816 *Ad jussam delata domum est*] Erisichthonis.

817 *Altoque*] Quin etiam invasio atque impressio famis apud Callimachum nulla: Ovidio adeo luculenta, ut nihil supra, 'altoque sopore solutum,' &c. Scaliger Poët. v. 8. *Farn.*

818 *Noctis enim tempus*] *Erat tempus* Bernegg. pri. Erfurt. pri. Hamburg. et decem alii. Pro *ulnis* plurimi veteres *alis*; etiam probe. *Heins.*

820 *Peragit jejunia*] Prim. Basil. tert. Medic. Excerpta Jureti, pri. Vatic. et octo aut novem alii, *spargit*; quod omnino arridet: duo *sparsit*. Idem.

822 *Inque domos inopes assuetaque vertitur antra*] Scripti maxima ex parte, *assueta revertitur antra*: quidam etiam *arva*, quos inter pri. Medic. pri. Moreti, uterque Hamburg. Bernegger. et prim. Reg. recte; nam lapidosum 'agrum,' non 'antrum,' Fami paulo ante assignarat. 'Domus inopes antra,' familiaris Nasoni appositio. *Idem.*

823 *Lenis adhuc*] In quibus, inquit Scaliger, fuerat Callimachus æquo fusior ac laxior, uti in pecoribus, mulis, equis, usque ad felem ipsam: ea noster bono judicio neglexit, illaque est imitatus, quæ ingenii sui vi effecit ut essent sua. Ea vero argute acuteque ac plusquam humano ingenio est prosecutus. Ipso in somno esurientem facit: 'Lenis adhuc somnus,' &c. Farn.

826 *Delusum guttur*] *Desuetum* S. Marci codex, et unus Medic. unusque Bonon. *Heins.*

828 *Ardor*] Βουλεμία, φαγέδαινα, γαστριμαχία. *Farn.*

829 *Immensa viscera*] Inexplebilia. *Ardor edendi*] Dira fames.

834 *Plusque cupit*] *Sitit* pri. Gronov. venuste. *Heins.* *Plusque*] Σχέτλιος ὅσσα πάσαιτο, τόσων ἔχεν ἵμερος αὖτις. Callim.

835 *Utque*] Κακὰ δ' ἐξάλλετο γαστὴρ Αἰεὶ μᾶλλον ἔδοντι· τὰ δ' ἐς βυθὸν οἷα θαλάσσας Ἀλεμάτως ἀχάριστα κατέῤῥεεν εἴδατα πάντα. Ὡς δὲ Μίμαντι χιών, &c. Callimach. *Farn.*

838 *Innumerasque faces*] *Trabes* cum Florentino S. Marci, Excerptis Jureti, Moreti, et uno meo. *Heins.*

839 *Plura cupit*] *Petit* cum melioribus; alterum jam præcessit: nisi *capit* reponis cum uno Vossiano et altero Erfurt. Adeantur Notæ Art. Amat. III. vs. 757. Sed forte paulo ante legendum, *Plusque capit, quo plura suam demittit in alvum*: nam ita Grævianus aliique nonnulli. *Idem.* *Ipsa turba*] Ipsa rerum copia.

841 *Accipiunt*] Laudat Scaliger, Poët. v. 8. sententiarum hæc acumina et pondera: 'Inque epulis epulas quærit:' ignem copia fieri voraciorem: 'Accipiunt poscuntque simul. Cibus omnis in illo Causa cibi est:' et 'semperque locus fit inanis edendo.' *Farn.*

844 *Inattenuata manebat*] *Manebas* ex Neap. Urbin. sec. Medic. et tribus aliis. *Heins.*

846 *Demisso in viscera censu*] Consumpto patrimonio.

848 *Hanc*] Is. Tzetzes ad illa Lycophronis τῆς παντομόρφου Βασσάρας λαμπουρίδος Τοκῆος, ἥ τ' ἀλφαῖσι ταῖς καθ' ἡμέραν Βουπείναν ἀλθαίνεσκεν ἀκμαίαν πατρὸς, vocat hanc Μήστραν, et φαρμακίδα fuisse ait, quam in varias animalium formas mutatam pater vendidit, quæ paulo post recepta sua forma ad patrem reversa est. Ant. Liberalis Ὑπερμήστραν nominat, et quæ pro muliere vendita, mox in virum mutata, patri suo hinc alimenta suppeditarit. *Farn.*

851 *Hæc Neptunus habebat*] Exponit Poëta id quod puella tacuerat, a Neptuno fuisse raptam.

853 *Hero*] Domino, cui a patre Erisichthone fuerat vendita. *R.*

854 *Et vultus pisces capientibus aptos*] Imo *cultus* cum Naugerii et Calandræ codicibus et uno Mediceo, nam 'vultus' jam præcesserat. Deinde *piscem*

cum pri. et sec. Medic. Florent. S. Marci, Neap. Bernegger. Thuan. pri. Hamburg. et sex aliis. *Captantibus* denique Excerpta Jureti, sec. Palat. et duo Medicei ex melioribus. *Heins.*

856 *Æra cibo*] Hamos æreos, aut ferreos. ‘ Quique tegis parvis æra recurva cibis.’ *Farn.*

862 *Bene cedere sensit*] *Sentit* sec. Palat. et duodecim alii : sic et infra meliores, ‘ transformia corpora sentit.’ *Heins.*

865 *Studioque oneratus inhæsi*] Scribe *operatus* cum tertio Mediceo et Thuaneo. Lib. VII. ‘ Montibus errabat, studiis operata Dianæ.’ Vide Notas Epist. IX. 35. et Amor. II. 7. 23. *Idem.*

872 *Triopeida tradit*] *Vendit* prim. Gronov. et sex alii. *Idem. Triopeida*] Ὁ πατὴρ τῆς μήτρας πάντα καταφαγὼν, &c. Erisichthon, ubi bona sua omnia luxu dilapidasset, demum et filiam prostituit : illius vero ætatis homines ante cusas pecunias pecora aliasque merces invicem permutabant. Illa itaque ab hoc accepto ove, bove ab alio, alia ab aliis mercede, et suæ et paternæ subvenit inediæ : atque hinc natam fabulam ait Is. Tzetzes in locum modo dictum Lycophronis.

874 *Non justa*] Πόρνῃ et dolo malo quæsita. *Farn.*

876 *Pabula morbo*] *Monstro* alter Erfurtanus, quæ vox Nasoni familiaris. *Heins.*

879 *Quid moror externis*] *Exemplis* pri. Gronov. et unus Patav. ut in Fastis, ‘ Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat ?’ *Idem.*

880 *O juvenes*] Theseum et Lelega alloquitur Achelous. *R. Numero*] Non infinita, ut Proteo et Metræ : sed numero præscripto, ternario sc. in hominem, taurum, anguem ; quæ ad fluviorum imagines pertinent, ut in lib. seq. vide et Æliani Var. hist. lib. II. 33. Deianira apud Sophoclem in Trachiniis : Μνηστὴρ γὰρ ἦν μοι ποταμὸς, Ἀχελῶον λέγω, Ὅς μ' ἐν τρισὶν μορφαῖσιν ἐξῄτει πατρὸς, Φοιτῶν ἐναργὴς ταῦρος, ἄλλοτ' αἰόλος Δράκων ἑλικτὸς, ἄλλοτ' ἀνδρείῳ κύτει Βούπρωρος, et commentator ibidem.

881 *Nam modo qui nunc sum*] *Quod nunc sum* prim. Gronov. prim. Erfurt. et duo alii. *Heins.*

883 *Cornua dum sumsi*] *Dum potui* eleganter excerpta Jureti, Florent. S. Marci, Neap. sec. Medic. et quatuor alii cum Arondeliano : ut τὸ *sumsi* subintelligatur : tertius Medic. et sec. Vatic. *dum gessi.* Apud Maronem libro XI. ‘ Hactenus, Acca soror, potui : nunc vulnus acerbum Conficit :’ ubi Servius : ‘ Absolute, vel pugnare vel vivere ; necessaria enim eclipsis in defectione, quæ ex arte non semel posita est :’ ubi *necessaria enim ellipsis* scribendum. *Idem.*

884 *Gemitus sunt verba secuti*] *Sua verba* scribendum : quod codex Zulichemianus confirmat : unus Medic. *sibi verba.* Adeantur Notæ ad Epist. XVII. 252. *Idem.*

METAMORPHOSEON LIB. IX.

Fab. i. Arg. *Quæ gemitus, &c.*] Herculis luctam cum Acheloo in hujus voluminis initio ita describit poëta, ut et librum libro et fabulam fabulæ eleganter connectat, variasque Acheloi transfigurationes inter luctandum exponat. Cum enim Deianiram Œnei Calydoniæ regis filiam cum multis aliis Hercules Achelousque petiissent; virginis pater decrevit, ut is illa potiretur, qui in luctæ certamine superior esset. Cum igitur alii cessissent, Hercules atque Achelous ineunt luctam: in qua cum alter virtute superior esset, Achelous ad notas artes decurrit; ac cum se et in anguem, et in taurum frustra mutasset, victus, alteroque cornu mutilatus, pudore se in suum fluvium conjecit. Nymphæ vero cornu illud suscipientes, omni fructuum genere repleverunt, *cornuque copiæ* appellaverunt. *R.* Vide Erasm. in proverbio Copiæ cornu.

1 *Truncæ frontis*] Mutilatæ, altero enim cornu carebat. *Micyl.* *Neptunius*] Theseus, Neptuni ab Ægeo patre, nepos. *Truncæ frontis*] Redi ad Epist. ix. 140. et Epist. xvi. 265.

3 *Arundine*] Arundinibus et salictis prætexuntur majorum fluviorum ripæ: hinc et ipsi arundineis coronis redimiti a poëtis: 'eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.' Æneid. viii. *Farn.*

7 *Tantus victor*] Quantus Hercules fuit. *Micyl.* *Magnaque*] Pudorem tollit victo, cui contigit a magna ac nobili manu vinci. Cassiodor. viii. 15. Redi ad lib. v. vs. 191. supra. *Farn.*

12 *Parthaone*] Œnei patrem Homerus Porthea vocat. Il. 18. Πορθεῖ δὲ τρεῖς παῖδες, &c. τρίτατος δ' ἦν ἱππότα Οἰνεύς.

14 *Famamque laborum*] *Summamque* Grævianus eleganter. *Heins.* *Laborum*] Quos ipse Junoni exprobrans recensebit moriens: inf. vs. 182.

15 *Novercæ*] Junonis, cujus per Eurystheum jussu tot labores subiit: inf. vs. 200. *Farn.* *Novercæ*] Argon. Apoll. i. vs. 996. Δὴ γάρ που κἀκεῖνα θεὰ τρέφεν αἰνὰ πέλωρα Ἥρη Ζηνὸς ἄκοιτις ἀέθλιον Ἡρακλῆϊ. 'Fatis Junonis iniquæ.' Epist. ix. 8.

16 *Cedere dixi*] *Duxi* cum uno Strozzæ, vel *ducens.* Verius tamen est excidisse τὸ *ratus*, pro quo subrepserit τὸ *deum* ex interlineari interpretatione: ut Nasonem sit vero simile scripsisse, *Contra ego turpe ratus mortali cedere, dixi.* Mox pro *dominum me cernis aquarum*, multi veteres *numen:* Neapol. prim. sec. Medic. et duo alii cum Norico, *regem*, quomodo Virgilio 'fluviorum rex Eridanus.' *Fluentum* etiam unus Thuani: *vagantem* prim. Gronov. et Zulich. *meantem* unus Ambros. *Heins.*

17 *Nondum*] Nondum erat in numerum Deorum relatus. Ἀποθέωσιν ejus habes infra vs. 240. *Farn.*

20 *Popularis*] 'Amicus summus meus, et popularis.'

32 *Rejeci de corpore vestem*] Ex Virgil. v. 'duplicem ex humeris rejecit amictum, Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque Exuit, atque ingens media consistit arena.' Quod ex Homer. Iliad. Ψ. Ζωσαμένω δ' ἄρα τώ γε βάτην ἐς μέσσον ἀγῶνα, &c.

33 *Varas*] Incurvatas instar varo-

rum, quibus crura obtorta. *Farn.*

34 *Pugnæ membra paravi*] Præliantis statum composui.

35 *Ille cavis*] Luctaturi oleo aut ceromate inungebantur, quo, poris stipatis, contineretur sudor; namque ex hoc diffluente lassitudo: Lucan. lib. IV. 622. ‘Exhausitque virum,’ Anteum Hercules, ‘quod creber anhelitus illi Prodidit, et gelidus fesso de corpore sudor:’ tum ut elaberentur apprehendentium antagonistarum manus: denique ut firmaretur cutis adversus ventos et frigus. Quod nisi ipsi se, aut etiam aliptæ aut ceromatistæ, pulvere legitime inspersissent, adversarii se invicem jacta arena, hanc ἁφὴν vocabant, consperserunt: ut corpora oleo et ceromate lubrica mutuas palæstritarum prehensiones admitterent: quamvis gloriosum erat ἀκονιτὶ vincere. Plin. lib. XXXV. 2. de Dioxippo pancratiaste. Vide Hier. Mercurialem lib. I. de arte Gymnastica cap. 8. *Farn.*

36 *Tactu flavescit arenæ*] Erudite multis tuetur hanc lectionem Johannes Fridericus Gronovius, cujus amicitia glorior, ut et Hermolaus ad Plinii librum XXXVIII. 10. Barthius tamen Adversar. LVII. 16. *jactu* reponit; quomodo alter Hamburg. Rottendorph. et tres alii. Virgil. ‘atque hæc certamina tanta Pulveris exigui jactu composta quiescunt.’ Priscianus in Periegesi, ‘Pulveris hunc jactus potis est exstinguere solus.’ Ammianus lib. XXIII. ‘nec remedio ullo, quam jactu pulveris consopitur.’ Idem libro XXXI. ‘objectum pulveris’ dixit: quare apud Plinium libro XXXV. cap. 11. ‘citra pulveris jactum’ non ausim mutare. Horat. Od. I. 25. ‘Parcius junctas quatiunt fenestras Jactibus crebris juvenes protervi:’ ita libri veteres; nisi *Tactibus* mavis: ut apud Claudianum lib. I. in Eutrop. ‘raro pulsatur janua tactu.’ *Heins.*

40 *Haud secus*] Vide quæ Virgil. Æneid. V. de Entello: lib. VII. 586. de Latino: lib. X. 693. de Mezentio: omnia ex Hom. Iliad. XV. ἠΰτε πέτρη Ἠλίβατος, &c. *Farn.*

44 *Cum pede*] ‘Hæret pede pes, densusque viro vir.’ Æneid. X. 362.

45 *Premebam*] *Premebat* tres scripti. Forte *premebar*. Heins.

46 *Non aliter*] Virg. XII. 715. *Farn.*

54 *Protinus avertit*] *Advertit* pri. Gronov. sec. Pal. tert. Medic. prim. Basil. aliique plurimi. Lego, *Pronus humum advertit*, vel *humo:* sic et libro XI. conjeci, ‘Vi multa advertit terræque inflixit Achilles.’ Lib. XIII. ex veteri codice, ‘vestris periturum advertite regnis.’ Lib. XV. ‘monitis animos advertere.’ Val. Flaccus libro III. ‘Continuo puppem petere, et considere transtris Imperat Ampycides, nec visum advertere terræ:’ sic scribo; *visum vertere* nunc legitur. Lib. IV. idem, ‘Jam Mariandinis advertit puppis arenis.’ ‘Pronus humo advertit,’ quomodo Noster lib. II. ‘Stravit humi pronam.’ Libro VIII. ‘Pronus ab arborea cecidit radice retentus.’ *Heins.*

57 *Vix tamen inserui Brachia*] *Exserui* in tribus scriptis. Puto *Vix tandem exserui:* et mox *a pectore*, pro *corpore*, cum melioribus: nisi mavis *asserui;* quod impense placet. *Idem.*

61 *Arenas ore*] Virg. Æneid. XI. 418. ‘humum simul ore momordit:’ et Horat. Od. lib. I. 15. ‘Crines pulvere collines.’ Vide autem quæ ad vs. 40. lib. V. supr. *Farn.*

62 *Divertor ad artes*] *Devertor* vetustiores: dictum alibi. *Heins.*

63 *Longum*] Διὰ τὸ μῆκος καὶ τὴν σκολιότητα, propter longitudinem, obliquos et sinuosos flexus, assimulantur fluvii anguibus. Strab. X. de hoc eodem Acheloo locutus. *Farn.*

67 *Cunarum*] Infans in cunas elisit angues duos a Junone immissos. Plaut. Amphitryon. Act. V. Philostr. Icon. Herc. in cunis. *Farn.* *Cunarum labor est*] Epist. IX. 22.

69 *Echidnæ*] Hydræ, Excetræ, nu-

merosi mali, cui resecto uno capite repullulabant duo; quos hic appellat geminum hæredem. Ex frequenti amputatione potuit a septeno suo ad centenarium capitum numerum excrescere: sed adi Mythologos. *Οὐχ οἷός τε ἦν τῇ ὕδρᾳ διαμάχεσθαι σοφιστρίᾳ οὔσῃ. καὶ διὰ τὴν σοφίαν ἀνιείσῃ εἰς μίαν κεφαλὴν ἀποτμηθείη τοῦ λόγου. πολλὰς ἀντὶ τῆς μιᾶς.* Plato in Euthydemo. *Farn.*

71 *De centum numero*] *De comitum* multi ex vetustioribus: pri. Basil. et duodecim alii, *De capitum numero*, non inconcinna repetitione. Scribe, *Centeno e numero.* De numero capitum Hydræ, non convenit inter scriptores, centena tamen illi a plerisque assignantur. Ita Diodorus Siculus lib. IV. Suidas, Simonides teste Servio, Silius Italicus, Vibius Sequester, Apostolius in parœmia *ὕδρας κεφαλὰς τέμνεις.* Auctor Herculis Œtæi choro Act. IV. ‘Si qua sub Lerna numerosa pestis Sparget in centum rabiem dracones:’ ita locus ille ex optimo exemplari Mediceo restituendus, qui vulgo mendosissimus circumfertur. Virgil. lib. VII. ‘Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.’ Hinc Euripidi *ἑκατογκέφαλος ὕδρα.* Nonnulli novem capita. Zenobius in adagio *ὕδραν τέμνεις*, octo. Palæphates, Alcæus, et Tzetzes, quinquaginta; ut et Virgilius diverso loco, ‘Quinquaginta artis immanis hiatibus hydra.’ Plura alias in uberioribus Notis. *Heins.*

72 *Gemino hærede*] *Gemina* Noricus liber et prima editio Aldina, ut ad cervicem respiciat. *Idem.* *Gemino hærede*] Duobus successoribus; nam uno capite reciso, duo renascebantur.

73 *Ramosam*] Multa capita veluti ramos habentem.

74 *Crescentemque malo*] Horat. ‘Vinci dolentem crevit in Herculem.’ *Domitamque reduxi*] *Revinxi* prim. Palat. et Lovan. *subegi* quart. Medic. cum aliis novem: quinque *reliqui:* unus *recessi:* Arond. pro diversa lectione, *repressi:* duo mei *peremi*, quod placet; nisi quod *perussi* vel *præussi* censeo reponendum. Flammis enim hydræ cervix desecta est domita, ne repullularet: cujus rei ignorantia librarios fefellit, ut ex *peruxi* conflarent *reduxi*. Heins.

75 *Quid fore te credis*] *Credas* ex Flor. S. Marci, uno Leid. et Græviano, prim. Palat. Oxon. duo alii *credes.* Idem.

80 *Tertia tauri forma*] Epist. IX. vs. 139. *Tauri*] *Ταύρῳ μὲν ἐοικότα λέγεσθαι τὸν Ἀχελῷον φασὶ, καθάπερ καὶ τοὺς ἄλλους ποταμοὺς, ἀπό τε τῶν ἤχων, καὶ τῶν κατὰ τὰ ῥεῖθρα καμπῶν ἃς καλοῦσι κέρατα.* Strab. lib. x. qua ratione et Aristot. 25. sect. quæst. *βούμυχοι* dicti; vel quia se in ramos, brachia, alveos, et ostia diducunt: qua de causa et Hercules fingitur alterum cornu avulsisse Acheloo; quod in gratiam Calydoniorum alterum Acheloi alveum alio vertens, plurimos Ætolis agros asseruit omni fructuum genere fertiles: atque hinc, pro Acheloi cornu ablato, iis Amaltheæ cornu dedisse. Strabo x. et Diodor. l. v. Vide quæ Ælianus Variar. hist. II. 33. *Farn.*

81 *Mutatus membra rebello*] Puto *revellor:* ut supra, ‘Elaborque viro longum formatus in anguem.’ Certe jam paulo ante se frustra tentasse avelli significavit. Quid quod in Spirensi et tribus aliis *revello* exstat, in totidem *repello?* Heins.

83 *Depressaque cornua*] *Deprensaque* Cantabrig. pri. Moreti, Arond. et multi alii; bene: sic paulo ante pro *forcipe pressus*, duo veteres *prensus.* Idem.

87 *Naides*] Amalthea autem, vel capra, vel Nympha Melissi filia ubera Jovi infanti præbuisse dicitur: qua gratia et ipsa a Jove cœlum sortito inter sidera relata est, illiusque cornu forte avulsum hoc munere donatum, ut quicquid optares inde enascere-

tur, oppletum usque pomis, omnique autumnalium fructuum genere. Ovid. Fast. v. *Farn.*

88 *Divesque meo bona Copia cornu*] Acheloi cornu a Naiadibus repletum variis fructibus, Copiæ fertilitatis Deæ fuit dicatum. Quod idcirco fingitur, quod Hercules in Calydoniorum gratiam fluvium Acheloum in alium cursum divertens, plurimos agros ex aquæ irrigatione fertiles præstitit: Ætolis autem dono dedisse illud, quod 'Amaltheæ cornu' vocant, fingitur, fructuum omnium copia repletum.

91 *Totum Autumnum*] Omnes autumni fructus. *Secundas mensas*] Primæ mensæ carnium erant, secundæ pomorum.

94 *Juvenes*] Theseus, Lelex, Pirithous, et comitatus eorum: l. VIII. 565.

95 *Totæque residant aquæ*] Malim *motæque* cum uno Basil. et Gryphii margine: ut apud Virgil. 'motos præstat componere fluctus.' *Heins.*

96 *Agrestes*] Deformes, cornu altero avulso. Horatius quidem Epist. ad August. lib. II. 'Agrestem Cyclopa' dicit: et Sat. I. 5. Sarmentus rogat Cicerrum cui deturpata fuit frons execto Campani morbi cornu, 'Pastorem saltaret uti Cyclopa.' *Farn.*

97 *Et lacerum*] Clariss. Baconus in Vet. Sap. fabulam hanc ad belli expeditiones et apparatus, ad impressiones invadentis, sustinentis subterfugia spectare censet. *Farn.*

99 *Cætera sospes habet*] *Abit* eleganti Græcismo unus ex meis Mediolani emtus: nec male *erat* in altero Regio. Noster Pont. III. 2. ut quidem legendum, 'Cætera par concors et sine lite fuit.' Virgil. Æn. IX. 'Cætera parce, puer, bello.' Silius lib. XVII. 'Cætera parce, precor, pelago.' Horat. Epist. I. 10. 'Multum dissimiles, at cætera pœne gemelli:' quæ illic vera lectio. Postea pari modo, 'Excepto, quod non simul esses, cætera lætus:' ita passim optimi scriptores. 'Sospes abit,' ut 'Hector abit violatus vulnere nullo.' Et lib. VIII. 'Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat.' *Heins.* *Capitis quoque fronde saligna*] Fœditatem capitis, ex ablato cornu, corona saligna aut arundinea occultabat. Sic calvitium suum Julius Cæsar laurea gestanda tegebat. Vide Sueton. cap. 45. *Pont.* *Saligna*] Vide quæ ad 3. vs. libri hujus. *Farn.*

FAB. II. 104 *Eveni*] Ætoliæ fl. qui prius Lycormas dictus.

105 *Uberior solito*] *Uberius* recte pro diversa lectione Bernegger. prim. Gronov. et unus Mediceus. Mox *nimbis pluvialibus* alter Hamburgensis, et pro diversa lectione Grævianus. *Heins.*

108 *Scitusque*] Portitor quippe trajiciendi fluvii erat. Πορθμεὺς ὑφ' Ἡρακλέους ἀποθανῶν ἐπειδὴ πορθμεύων τὴν Δηϊάνειραν ἐπεχείρει βιάσασθαι. Strabo lib. X. *Farn.*

111 *Pallentemque metu, fluviumque timentem*] Vetustiores plerique hunc versum præponunt illi, cujus initium, 'Tradidit Aonius.' Ego cum aliis multis ab aliena manu procusis censeo delendum esse. *Heins.*

112 *Aonius*] Hercules oriundus Thebis in Bœotia, quæ et Aonia. *Calydonida*] Deianiram e Calydone. *Farn.*

119 *Nessoque paranti*] *Parante* meliores. *Heins.*

123 *Orbes*] Rota, cui pater tuus Ixion affixus versatusque assidue ob interpellatam Junonem, te moneat. lib. IV. 161. *Farn.*

125 *Quamvis ope fidis equina*] *Fidus* sex scripti. Forte pro *fisus*. Heins.

127 *Re probat*] Multi ex vetustioribus *Res*. Idem.

131 *Neque enim*] Moriturus ex vulnere, inquit Diodorus, pollicitus est ei se amoris medicamentum traditurum, quo nullam præter se mulierem Hercules aliam appeteret, παρεκελεύσατο οὖν, λαβοῦσαν τὸν ἐξ αὐτοῦ πεσόν-

πα γόνον, καὶ τούτῳ προσμίξασαν ἔλαιον, καὶ τὸ ἀπὸ τῆς ἀκίδος ἀποστάζον αἷμα, χρίσαι τὸν χιτῶνα τοῦ Ἡρακλέους, lib. v. Idem habetur in argumento Sophoclis ad Trachinias: εἰ θέλον φίλτρον πρὸς Ἡρακλέα ἔχειν, τόν τε ἰὸν, &c. *Farn.*

133 *Velut irritamen amoris*] Forte *lenti irritamen amoris*, vel *vetiti*, vel *tepidi*. Sic lib. XIII. 'sceleris nisi præmia magnas Adjecisset opes, animi irritamen avari.' *Heins. Irritamen*] Provocationem ac stimulationem. *Irritamen amoris*] 'Quod vires defecto reddat amori:' infra, vs. 154. Φρενός σοι τοῦτο κηλητήριον τῆς Ἡρακλείας.

FAB. III. 136 *Cenæo Jovi*] Jupiter Cenæus a Cenæo promontorio Eubœæ est dictus, ubi ab Œchaliæ expugnatione Hercules reversus Jovi aram extruxit. *R. Victor*] Eurytum Œchaliæ Euboicæ regem (quod Iolen filiam sibi uxorem negaverat) cum filiis interfecit Hercules, Iolem captivam secum abducens. Legatur argumentum ad Trachinias Sophoclis, et Diodor. lib. v. *Cenæo*] Ὅθ' εἷρπε κλεινὴν Εὐρύτου πέρσας πόλιν Νίκης ἄγων τρόπαια κἀκροθίνια, Ἀκτή τις ἀμφίκλυστος Εὐβοίας ἄκρον Κήναιόν ἐστιν, ἔνθα πατρῴῳ Διῒ Βωμοὺς ὁρίζει, &c. Hyllus nunciat Deianiræ in Sophocl. Trachiniis.

139 *E minimo sua per mendacia crescit*] *E minima* duo veteres et prima Aldi editio: quod placet. Cæterum locus distinctione juvandus, qui male habebat se antea. *Heins.*

142 *Flendoque dolorem Diffudit*] Lenivit, consolata est, minuit: juxta illud Ovid. 'Flere licet, flendo certe diffundimus iram.' *P.*

143 *Mox deinde, Quid autem Flemus? ait*] Puto distinguendum, *mox, Deinde quid autem flemus?* Seneca Hercule Œtæo Act. III. 'occupa ferrum ocyus. Cur deinde ferrum?' ita optimus Medic. non cum vulgatis, *Quin deme ferrum.* Postea, 'Cur deinde latebras, aut fugam vecors petam?' *Heins.*

145 *Quæ quoniam adveniet*] *Adveniat* multi veteres. Lege *adventat* cum Berneggeriano et aliis duobus: sic lib. XII. 'Fecerat hæc notum Graias cum milite forti Adventare rates.' *Idem.*

147 *Morerne*] Maneamne in ædibus Herculis? *R. Repetam*] Utrumne ad patrem reversa, vacuam domum novis nuptiis relinquam? an Meleagri sororem me approbans ulciscar conjugem meum et pellicem? *Farn.*

148 *Ac sic nihil amplius obstem*] *Ac si* in multis: alii, *ut sic*, *aut si*, *et sic*, et similia: primus Mediceus, et Spirensis, cum tribus aliis *an si*; probe. *Heins.*

149 *Memorem esse sororem*] *Memor esse* cum Florentino S. Marci, Bernegger. uno Leid. uno Ambros. et excerptis Langermanni, et uno meo. Trist. v. 3. ad Bacchum, 'Huc ades, et casus releva, pulcherrime, nostros, Unum de numero me memor esse tuo.' *Idem.*

152 *In cursus varios*] In diversas cogitationes: sunt autem Poëtæ verba. Istos cursus animi διανοίας dicunt Græci. Sed melius Palatini leg. *Incursus animus varios habet.* Heins. *Omnibus*] Jovi sacra facturus Hercules in Cenæo Eubœæ promontorio, Lycham servum ad Deianiram in Thraciam misit, ut ei vestem, qua in sacris uti consueverat, afferret. Hæc quum anxie (ut habet Sophocles in Trachiniis) inquirendo ex Lycha intellexisset de amore Ioles, ut retineret ipsa Herculis amorem, vestem medicamine sibi a Nesso dato tinctam Herculi misit. *Farn. Omnibus illis*] *Illi* sec. Moreti; nempe *mittere*. Heins.

155 *Ignaroque Lychæ*] *Lichæ* passim scribendum, tam hic quam apud auctorem Herculis Œtæi: neque aliter Hyginus Fab. 36. et Servius, Æn. VII. apud Græcos Λίχας est: ita So-

phocles in Trachiniis sæpe, Æschylus in Glauco Marino apud Strabonem, Apollodorus, Tzetzes in Chiliad. alii. *Idem.*

158 *Induiturque humeris*] *Humeros* tres antiqui: de quo dixi Trist. IV. 10. *Idem.* *Lernææ*] Vestem illam sibi a Deianira missam, Herculis sagittis, Hydræ felle tinctis, et cruore Nessi, ut ad vs. 131. supra, et nota præced.

161 *Incaluit vis illa mali*] *Invaluit* malo: ut lib. VIII. 'postquam pestifer ignis Convaluit.' Postea pro *diffusa* multi ex melioribus *dilapsa.* In Ibide tamen, 'Ut cruor Herculeos abiit diffusus in artus.' *Heins.* *Incaluit*] Miseras molestæ hujus tunicæ, ἣ προσπτύσσετο πλευραῖσιν ἀρτίκολλος, vires narrat Hyllus, in Sophoclis Trachiniis, inde idem in Senecæ nescio cujus Hercule Œtæo.

165 *Nemorosam Œten*] *Nemorosum* Florent. S. Marci et septem alii: sic idem Florent. aliique quinque. Infra vs. 204. 'altum Œten.' Seneca Hercule Furenti, 'Titan summum prospicit Œtan:' ubi tamen *summa Œta* in nonnullis codicibus: 'auratus Œta' Virgilio in Culice: in Ciri 'gelidus Œta.' Noster tamen infra, 'quas ardua gesserat Œte.' *Heins.* *Œten*] Quæret, inquit Micyllus, quispiam, unde nobis Hercules in Œta, qui modo in Eubœa? Rem expediet Diodor. l. v. et in Sophoclis Triclinias argumentum. Invalescente veneni vi et dolore, Hercules Lycham vestis latorem, quamvis inscium, in mare præcipitavit: dimisso inde exercitu, in Trachiniam profectus, Delphos mittit Lycinium et Iolaum consulturos de morbi remedio. Jubet Apollo eum in Œta ingentem struere pyram, de reliquis Jovi curam fore. *Farn.* *Œten*] Œte mons est Thessaliæ, morte, rogo, et sepulchro Herculis clarus.

171 *Stridet*] *Stridit* codex S. Marci, Neapol. tres alii; ἀρχαϊκῶς; sic noster; et alii sæpe. Vide Notas Trist. I. 10. Virgil. lib. IV. 'infixum stridit sub pectore vulnus.' Lib. XII. 'striduntque hastilibus auræ.' Georg. IV. 'Ut mare sollicitum stridit:' ita iis locis codex Mediceus longe veterrimus; neque aliter ipse Virgilius passim. *Heins.*

172 *Nec modus est: sorbent*] Malim, *Nec modus: exsorbent avidæ præcordia flammæ.* Fast. V. 'Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis.' *Idem.*

176 *Saturnia*] Juno nocitura ut plurimum Saturnia a poëtis appellatur.

183 *Busirin domui*] Busiris Neptuni fuit filius ex Libya susceptus, qui cum in Ægypto tyrannidem exerceret, hospitesque ad provocandam Nili inundationem, inter quos et Thrasium, a quo id fuerat edoctus, immolaret, ab Hercule aris impositus, fuit jugulatus. *Sævo*] Antæus Libyæ fuit Gigas, qui omnes provocabat ad luctam, victosque interficiebat. At Hercules cum illo congressus, animadvertit eum, quotiens sterneretur, valentiorem surgere. Terra enim, cujus erat filius, vires subministrabat. Eum igitur Hercules altius sublatum emittere spiritum coëgit. *Parentis*] Terræ matris. *R.* *Alimenta*] Vires renovatas ex tactu terræ. Lucan. IV. 630.

184 *Pastoris*] Geryonis, qui cum fratribus duobus unanimiter imperavit tribus inss. Hispaniæ. De anima vegetativa, sensitiva, rationali intelligunt Physici. *Pastoris Iberi*] De Geryone invenies Epist. IX. 91.

185 *Triplex*] Lib. IV. 450. et VII. 412.

186 *Tauri*] Ignivomi, quem iratus Minoi Neptunus in Cretam immisit. *Farn.* *Vosne manus*] Taurus quem Pasiphaë amavit e Creta in Peloponnesum ad Eurystheum ab Hercule fuit adductus. *Raph.*

187 *Vestrum opus Elis habet*] *Elis est* unus Vossian. Scribe, 'Vestrum

est Ælis opus?' Sic l. III. 'opus hæc victoria nostrum est.' Horatius carmine sæculari, 'Roma si vestrum est opus.' *Heins.* *Vestrum*] Augiæ regis Elidos stabulum expurgatum. *Stymphalides*] Aves humanis vescentes carnibus, ad Stymphalum lacum Arcadiæ.

188 *Partheniumque*] Mons Arcadiæ, ubi cervam æripedem cepit.

189 *Thermodontiaco*] Hippolytæ reginæ Amazonum ad Thermodonta fl. Scythiæ habitantium.

190 *Pomaque*] Lib. IV. 637. *Dracone*] Lib. IV. 647. *Farn.*

191 *Nec mihi*] *Nec non*, vel *nec tu*, nonnulli veteres: *nec trux* alter Erfurt. ut l. X. 'Trux aper insequitur.' *Heinsius.* *Nec mi Arcadiæ vastator aper*] Maximus aper, Arcadiam vastans, ab Hercule vivus ad Eurystheum fuit adductus. *R.* *Centauri*] Pholus et alii nubigenæ, ebrii.

192 *Hydræ*] Vs. 70. supra. *Farn.*

194 *Quid quod Thracis equos*] *Quid cum* prim. sec. Medic. Cantabrig. S. Marci, Neapol. Bernegger. et septem alii. *Thraces* Neapol. Bernegger. et unus Voss. Lege *Thracas equos;* quomodo Noricus a manu prima. Statius Theb. VI. de iisdem, 'sed Thraces equi ut videre jacentem Hippodamon, redit illa fames.' Silius Italicus l. III. 'Juxta Thraces equi, pestisque Erymanthia, et altos Æripedis ramos superantia cornua cervæ.' Paulo post plurimi codices addunt, *His jacet horrendum Tiberino littore monstrum*, vel *Cacus et horrendum.* Sed cum in simili prorsus nostri hujus querela apud Senecam Hercule Œtæo et Ciceronem Tuscul. Quæst. nulla Caci mentio fiat, ne hic quidem est admittenda. *Heins.* *Quid? cum Thracas*] Diomedes rex Thraciæ, qui hospites equis suis lacerandos objiciebat, ab Hercule et vita et equis ipsis fuit spoliatus.

197 *Moles Nemeæa*] *Pestis* prim. Gronov. et prior Twisdenius: ut Epist. Deianiræ, 'Nempe sub his animam pestis Nemeæa lacertis Edidit.' Auctor Herculis Œtæi, 'Utinam meo cruore satiasset suos Nemæa rictus pestis!' Postea 'malum Nemeæum' non semel appellavit; sic et 'pestis Lernæa' Lucretio: sed hoc Nasonis loco, quia 'pestis' mox sequitur, nil ausim mutare. *Heins.*

198 *His Cacus*] In nonnullis Ciofani, et in uno Ms. nostro, non apparet hic versus. De Caco vid. Æneid. VIII. 193. Propert. IV. Eleg. 10. Ovid. Fast. I. 551. *Farn.*

198 *Cælum cervice*] Vice Atlantis: de quo l. II. 296. et l. IV. 655.

200 *Cui nec*] *Δυσχεραίνει δ' ὁ ἀνδρεῖος θάνατον τὸν τοιοῦτον.* Arist. Nicom. Ethic. III. 9. graviter fortis mortem illam fert, in qua virtuti suæ exercendæ non est locus.

203 *At valet*] Sen. Herc. Fur. vs. 523. Audi hæc ipsa stomachantem Herculem apud Sophoclem in Trachiniis: quædam ex iis transtulit Cicero in Tusc. quæst. II. *Farn.* *At valet Eurystheus*] Hic fuit Stheneli Mycenarum regis filius, qui impellente Junone Herculem varia pericula adire jussit.

205 *Venabula taurus*] *Cervus* duo veteres: *tigris* Florent. S. Marci: alter Hamburg. *pardus.* Deinde *residerit auctor* unus ex melioribus meis. *Heins.*

206 *Facti auctor*] Auctor vulnerum, qui venabulis taurum confixit. *R.* *Sæpe*] *'Εσπᾶτο γὰρ πέδονδε καὶ μετάρσιος, Βοῶν, ἰύζων, &c.* Sophocles in Trachiniis. Et Senec. in Herc. Œtæo. *Farn.*

207 *Sæpe trementem*] Dignius omnino Hercule sit si reponas *frementem*, quod animum indignantem examussim refert; et sic codex quo Carolus Sprotius me donavit: *dementem* pri. Bonon. *gementem* Cantabrig. et

prim. Gronov. *Heins.*

209 *Irascentemque videres Montibus*] Sic et codices veteres. Repone nihilominus *incursantemque*. L. XIV. de Polyphemo hæc imitatus: 'Ille quidem totam fremebundus obambulat Ætnam, Prætentatque manu silvas, et luminis orbus Rupibus incursat:' ubi etiam legebatur perperam *gemebundus*. Idem.

211 *Lycham*] Inscium: supr. ad vs. 165.

212 *Collegerat omnem*] *Ingens* Cantabrig. sec. Pal. septem alii. *Heins.*

213 *Feralia*] Ciof. *furialia*. Sic enim Cic. Tusc. II. vertit, ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον ᾧ διόλλυμαι: Hæc me irretivit veste furiali inscium. *Farn.* *Dona dedisti*] Duo veteres *tulisti*. In Ibide, 'Quam qui dona tulit Lernæo tincta veneno, Euboicasque suo sanguine tinxit aquas.' *Heins.*

216 *Genibusque*] Quæ sedes misericordiæ: vide quæ ad Senecæ Troada vs. 689. *Farn.*

218 *Tormento fortius*] Validius quam machina bellica. *In Euboicas undas*] In mare Euboicum. Nam Cenæum promontorium, ubi Hercules sacrificaturus peste correptus est, imminet Euboico mari.

221 *Nivibus quoque mole rotatis*] *Molle* scribendum, ut ad *corpus* referatur; id quod Bersmannus jam vidit. *Heins.* *Mole rotatis*] Conglobatis, validius flante Borea, aut frigido aliquo vento. *Farn.*

223 *Jactum per inane*] Alter Regius *actum*: ut l. XIV. 'Vidi iterum veluti tormenti viribus acta Vasta giganteo jaculantem saxa lacerto.' *Heins.*

225 *In rigidos silices*] *Rigidas* unus Mediceus et Rottendorph. est enim silex communis generis: infra hoc ipso libro vs. 613. *rigidas silices* membranæ etiam agnoscunt; ut et l. XI. 225. Sic 'dura silex' Virgilio Æn. VI. et Elegia ad Messallam. Vide Trist. IV. 6. infra hoc libro vs. 303. 'moturaque duras Verba queror silices:' ita primus Moreti. *Idem.*

226 *In Euboico scopulus brevis eminet alte Gurgite*] *Alto* vetustiores plerique. Scribo, *in Euboici alto Gurgite*; vel, *Euboici alti*. Euboicum, ut Ægæum, Icarium, et similia. *Idem.*

229 *Appellantque Lichan*] Sive a λίξαι, quod ὁρμῆσαι, hoc est, *impellere*, atque *impetum facere*, significat; sive etiam a forma, λίχας enim Græcis ἀπότομον, hoc est, abruptum ac truncum, significat. Ut intelligamus scopulum hunc a reliquo Cenæo velut abruptum quendam et detruncatum apparere. *Micyl.*

232 *Regnaque visuras*] An *versuras?* Heins. *Visuras iterum sagittas*] Primum quidem sagittæ Herculis Trojana regna videre cum ipse una cum Telamone et Argonautis Trojam expugnavit; deinde cum ob Helenæ raptum duce Agamemnone fuit deleta. Nam cum oraculum accepissent Græci, sine sagittis Herculis Trojam capi non posse, missus est Ulysses qui Philocteten una cum sagittis illis ad exercitum Græcorum adduceret. Fabula hæc tractatur a Sophocle. *Micyl.* *Regnaque*] Prius enim expugnarant Trojam sub Laomedonte. In fatis autem esse, Trojam capi non posse secundo, ab Agamemnone et Græcis Helenam repetentibus, absque Herculis sagittis, l. XIII. 49. et 400.

233 *Pœante*] Philocteten, qui facem rogo subjecit: vid. Sophocl. Philoct. *Pont.*

235 *Nemeæo vellere*] Pelle Nemeæi leonis. *Micyl.*

236 *Clavæ*] Clava Herculis insigne, ut fulmen Jovis, Neptuni tridens, &c. *Farn.*

FAB. IV. 241 *Pro vindice*] Pro salute vindicis ac liberatoris terræ totius. *Micyl.*

243 *Nostra est, timor iste, voluptas*] Fungitur officio Jupiter, et hunc pro

filio Deorum timorem sibi gratum accidere confitetur, ut signum scilicet benevolentiæ in illum, et in se ut patrem illius. *Pont.*

244 *Grator*] Gratulor. *Grator*] Gratulor et grator promiscue usurpant auctores antiqui. Redi ad Consol. ad Liv. 31.

247 *Datis hoc*] *Datur hoc* Florent. S. Marci, sec. Medic. et multi alii. *Heins.*

248 *Obligor ipse tamen*] Ego tamen me vobis debere fateor.

251 *Materna parte*] Ex parte corporis quod a matre sumpsit. *Micyl.* *Nec nisi*] Ὥσπερ φασὶ τὸν Ἡρακλέα ἐν τῇ Οἴτῃ κατακαυθέντα, &c. Non secus atque Herculem, in Œta monte combustum, ad Deos migrasse tradunt, et ipsum Deum factum. Etenim ille cum a se abjecisset quicquid a matre humani atque mortalis contractum acceperat, servata pura atque incorrupta divinitate, probe prius extructæ pyræ incendio purgatus, in cœlum subvolasse creditur. Ita Philosophiæ opera tanquam igni perpurgati, conscenso cacumine felicem et beatam * divitiarum, honorum, et voluptatum memores quidem amplius. Luciani Hermotimus. Vera ἀποθέωσις et mortalis divinitas, 'si quis tamen hæc quoque, si quis, Captus amore Dei, spernit mortalia, cælum Mente sapit tota.' *Farn.*

253 *Nullaque domabile flamma*] *Nullique* unus meus. Lege *nullique flammæ:* ut infra, 'quodcunque fuit populabile flammæ:' ita enim vetustiores omnes. Pro *immune necis* Florentinus S. Marci *simul:* an *immune situs?* Heins.

255 *Cœlestibus oris*] In cælum. Nam (ut refert Diodorus) post exustum Herculis rogum, accedente Iolao ut ossa colligeret, cum nullum prorsus repertum foret, crediderunt Herculem secundum oraculum in Deos translatum, illique ut heroi sacra fecerunt.

257 *Præmia nollet*] Imo *nolet* cum castigatioribus. *Heins.*

263 *Populabile*] Delebile.

265 *Jovis vestigia*] Similitudinem Jovis. Nam, ut Jupiter, Deus est effectus Hercules. *Micyl.*

266 *Utque novus*] Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος, &c. Il. X. et Æn. II. 'Qualis ubi in lucem coluber, &c. Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa, Lubrica convolvit sublato pectore terga Arduus ad Solem.'

269 *Parte sui*] Animo, et immortali gloria. 'Parte tamen meliore mei super alta perennis Astra feror:' ipse de se Noster in peroratione hujus operis.

270 *Augusta fieri*] Nempe cœlo donandus. Nec Diis solum, sed et fato functis, 'augusta et major imago Humana' tribuitur a poëtis et historicis. *Farn.*

272 *Quadrijugo curru*] Triumphali. Innuit enim Herculem cum maxima gloria, triumphantum more, in cælum fuisse sublatum. *Micyl.*

273 *Pondus neque*] Cœli, sibi jam gravioris recepto Hercule. Juv. Sat. XIII. 'contentaque sidera paucis Numinibus miserum urgebant Atlanta minori Pondere.' *Sthenelеius iras*] Stheneli filius Eurystheus, veritus ne Herculis progenies patrem ultura se regno exueret, Hyllum Herculis filium et Licymnii liberos, et Iolaum, qui Athenas confugerant, poposcit, arma minatus, nisi sibi redderentur: a Theseo tamen et Atheniensibus adjuti Eurystheum sustulerunt. Diodor. v. et Liberalis Fab. 33. *Farn.*

Fab. v. Arg. *In prole*] Hæc autem a poëta referuntur, ut facilius connectat cum superioribus Galanthidis ministræ Alcmenæ mutationem in mustellam. Nam Alcmena cum parere non posset, Lucinam Deam, quæ parentibus præesse dicitur, in-

vocavit; ac ea quidem venit Junonis iussu partum impeditura. Cum igitur in vetulæ figuram conversa ante ianuam Alcmenæ ita sederet, ut manuum digitis cancellatim junctis genua teneret, forte Galanthis ministra suspicata eam illo gestu dominæ, quo minus pareret, esse impedimento, falso ei nunciavit Alcmenam partu solutam. Quod cum Dea accepisset, surrexit, statimque Alcmena Herculem peperit. Ceterum Dea indignata se a Galanthide illusam, quamprimum illam in mustellam ea conditione convertit, ut pareret ore quo fuerat ementita.

276 *Argolis Alcmene*] Argolica, quæ post mortem Herculis Thebas profecta, illicque mortua divinos meruit honores.

277 *Testatos labores*] Celebrata atque confessa certamina. *R.*

278 *Herculis illam*] Hyllus Iolen sibi a patre donatam in uxorem duxerat, gravidamque fecerat. *Farn.*

279 *Hyllus*] Herculis ex Deianira fuit filius. *R.*

280 *Generoso semine*] *Germine* vetustiores magna ex parte, nisi quod Cantabrig. Arondel. et tres alii *sanguine.* Tertius etiam Medic. et quatuor alii *cui sic*, pro *cum.* Heins.

281 *Numina saltem*] Ant. Liberalis τὰς μοίρας τῇ εἰλειθυίᾳ adjungit in remorando Alcmenæ partu, fab. 29. tanquam γενετυλλίδας. *Farn.*

283 *Timidis parientibus*] *Tumidis* pr. Vatic. et decem aut duodecim alii. Mox *decimo premeretur sidere signum*, non *decimum*, Florent. S. Marci, pr. Pal. quart. Medic. et xv. alii. *Heins.* *Ilithyiam*] Ilithyia Dea est, quæ parientibus præesse dicitur, quam nostri Lucinam appellant, quod in lucem nascentes producat. *R.* *Ilithyiam*] Εἰλείθυιαν, quod parturientibus adveniat opifera, ὅτι εἰς τὰς τικτούσας ἐλεύθει. Aliis ἀπὸ τοῦ ἑλίττεσθαι, ab evolvendo. Eadem cum Diana existimata. Ἄρτεμις εἰλείθυια καὶ ἡ σεμνὴ προθυραῖα. Orpheus hymno I. Plato in Theæteto ait Dianam, cum sterilis sit, partuum tutelam suscepisse. Callimachus hymno ad Dianam, quod eam Latona mater citra dolorem gestarit in utero et pepererit. Melius Philosophi ad Lunæ, quæ eadem cum Diana, potentiam referunt: quæ, ut Plin. II. 102. fœmineum, molle, et nocturnum sidus humores solvit, fœtibus concipiendis edendisque accommoda. Horat. Od. III. 22. et in carm. Seculari.

285 *Laboriferi*] Laboribus nati: ut supra vs. 180.

286 *Sydere*] Sole. *Farn.* *Et decimum signum*] Hoc est, cum jam decimus ageretur mensis.

288 *Auctorem dicere tanti*] *Tecti* cum melioribus. *Heins.*

291 *Horror habet*] *Adit* Neapol. sec. Medic. Urbin. Forte *obit.* Vide Notas l. I. vs. 552. *Idem.*

294 *Lucinam ad nexos partus clamore vocabam*] Scripti vetustiores maxima ex parte, *Lucinam nexusque pares*, vel *nixusque:* quod posterius a Turnebo in Adversariis probatur. Florent. S. Marci, *nexusque*, cum diversa lectione, *vel nixus vel noxas.* *Lucinam nexosque pares* pri. Medic. sec. Palat. et duo alii: unus meus *nexosque pares;* quod verum est: ut Nixos Deos intelligat puerperiis præsidentes: de quibus videatur Festus in *Nixi Dei;* quanquam is tres fuisse contendit, ut forte sit legendum, *Lucinam Nixosque pari clamore:* nam in uno nostro *nixusque parens;* in Spirensi, *Nexasque pari:* in Mureti Excerptis ac uno Basil. *rursus pariens:* in Græviano, *nixusque pares*, cum Glossa, *illos Deos:* in priore Twisdenio *nexosque pares;* sed emendatum *nixosque:* addito scholio, ‘ Nexi sunt Di, qui connectunt membra mulierum soluta ad partum, unde dicantur nexi. Nixusque pares: duo sunt fratres, Dii par-

tus, sicut et Lucina.' In altero Twisdenio *Nexasque Deas* pro diversa lectione notatur. *Idem.*

298 *Dextroque est poplite*] *A poplite* Priscianus, et sex scripti; bene. Multi ex nostris *e poplite;* duo *in.* Versu proximo, pro *digitisque,* idem Priscianus et codices antiqui multi *divitis.* Heins.

299 *Pectine junctis*] Pectinatim, decussatim: καὶ αὗται μὲν καθέζοντο κρατοῦσαι τὰς ἑαυτῶν χεῖρας· fab. 29. *Farn.*

300 *Sustinuit partus*] Quatuor veteres *nixus;* nam *partus* sequitur. *Heins.*

302 *Vana convicia*] Convicium proprie est maledictum. Quod Cicero explicat in Orat. pro Muræn. 'Si vere objicitur, vehementis accusatoris, sin falso, maledici conviciatoris.' Deinde etiam contentionem vocis significat, quasi convocium, sive ab uno, sive pluribus tollatur clamor. Cic. pro Arch. 'An tu existimas ferre animos nostros tantam posse contentionem, nisi ex hoc forensi strepitu reficiamur, et aures convicio defessæ conquiescant.' Item Phædr. lib. I. fab. 6. 'Clamorem ranæ sustulere ad sidera: Convicio permotus quærit Jupiter Causam querelæ:' et alibi.

304 *Verba queror*] Figurate dictum est. Verbis enim queri, conquerique, est in usu. *Cadmeides*] Thebanæ. *R.*

306 *Una ministrarum*] Συμπαίκτρια καὶ ἑταίρισα Ἀλκμήνης Liberali.

307 *Flava comas*] Vs. 321. inf.

310 *Divam*] Lucinam. *Farn.*

314 *Exsiliit, junctasque manus patefacta remisit*] *Exsiluit* meliores: et *patefacta* prim. Mediceus, pri. Basil. et octo alii. Narrat fabulam Libanius in Diagematis a Leone Allatio editis, ubi Acalanthis est, quæ Nasoni Galanthis. Nicandro in ἑτεροιουμένοις apud Antoninum Liberalem Galinthias est Prœti filia. *Heins.*

317 *Prensamque ipsis*] *Suis* unus ex meis et Grævianus: rectius. Putabam aliquando, *prensamque solo Dea sæva capillis Stravit.* Lib. II. 'arrepta prensis a fronte capillis Stravit humi pronam.' Pro *relevare volentem* quinque veteres *parantem.* Idem.

320 *Strenuitas*] Fuerat enim 'faciendis strenua jussis;' vs. 308. &c. *Colorem*] *Flava comas:* qui color mustelinus. Liberalis in felem mutatam refert: καὶ αὐτὴν ἐποίησαν δολερὰν γαλῆν, καὶ δίαιταν ἔδωκαν ἐν τῷ μυχῷ. *Farn.*

323 *Ore parit*] Καὶ ἄμορφον ἀπέδειξαν τὴν εὐνήν. Θορίσκεται μὲν γὰρ διὰ τῶν ὤτων. Æque verum per aures coire, ac per os parere. Sed hinc color a natura mustelarum, quæ catulos suos quotidie transferunt, mutantque sedem, Cicerone autore, quem citat Plin. XXIX. 4. Quin ipsa decies in die mutat locum. Plautus in Sticho. *Farn.*

FAB. VI. VII. 325 *Nurus est*] Iole uxor Hylli filii Herculis ex Deianira: supr. vs. 280. *Farn.*

326 *Aliena a sanguine nostro*] *Alienæ sanguine vestro* meliores. *Heins.*

330 *Me pater ex alia genuit*] Hac parenthesi exponit Iole, cur Dryope unica matri filia fuerit. *Notissima forma Œchalidum*] Dryope Euryti filia, quæ pulchritudine Apollinem in suos amplexus pellexit.

332 *Dei tenentis Delon*] Periphrasis est Apollinis, qui et Delphos et Delon in potestate sua habet.

334 *Est lacus acclivis*] *Acclivi* unus Mediceus, ut referatur ad τὸ *littoris;* unus Voss. et Twisd. *acclivus:* sic 'acclivus limes' initio lib. II. pari quoque modo *declivus* et *declivis* dicebant. Vide Notas Fast. III. vs. 13. *Heins.*

335 *Summum*] Summitatem marginis. *Myrteta*] Myrtus est arbor Veneri dicata: unde *myrtetum* locus myrtis consitus dicitur.

336 *Venerat hic*] *Huc* plerique; et recte. *Heins.*

341 *Aquatica lotos*] Juxta aquas

nascens. Fuit autem Lotos Nympha, quam cum insequeretur Priapus, ut eam comprimeret, miseratione Deorum in arborem sui nominis conversa est. *R.*

344 *Vidi guttas*] Sic e Phaëthontis sororibus lib. II. vs. 360. in arbores versis, 'Sanguineæ manant tanquam de vulnere guttæ:' idem de Polydoro Æneid. III. *Farn.*

346 *Tardi*] An epitheto a bobus quos agunt pascuntque sumpto? ut Virgil. Eclog. x. 'tardi venere bubulci.' Vide quæ Erythræus in Indice, voce *Tardi.* An quia sero, clade nempe accepta, sorore amissa, nunc denique id retulissent? *Farn.*

347 *Lotos in hanc Nymphe*] *Lotis* cum Florent. S. Marci, Spirensi, et uno Gronoviano; quomodo et Naugerius: neque aliter duo vetustissimi codices in argumento hujus fabulæ. Lotis etiam hæc Nympha in Fastis dicitur Servio lib. I. Georg. In hac fabula Lotos est. *Heins.* *Obscœna Priapi*] Priapus autem Bacchi et Veneris filius fuit, qui ob eximiam fœcunditatem hortorum Deus fuit existimatus.

350 *Iret et oratis*] *Iret adoratis* Florent. S. Marci, Spirens. et quatuor alii. Lege *Ire et adoratis:* quomodo Urbinas, Langerm. unus Vossii cum Calandræ excerptis: *Ire et oratis* unus Medic. *Heins.*

351 *Hæserunt*] Sed audiamus Liberalem: Amphissus urbem in Œta condidit, monti ipsi cognominem, ibique regnavit. Posuit et Apollini in Dryopide regione templum. In quod cum se contulisset Dryope, Hamadryades benevolentia inductæ eam rapuerunt, et in sylva occultarunt, loco ejus alno vel populo αἰγείρῳ producta atque excitata e terra, ac prope arborem fonte. Ita Dryope, naturæ mutatione de mortali facta est Nympha. Amphissus Nymphis tam bene de matre sua merentibus templum posuit, et certamen curule instituit, quo mulierem accedere nefas, quod Dryopen a Nymphis sublatam duæ virgines incolis indicarunt, &c. *Farn.*

355 *Frondes caput omne tegebant*] *Tenebant* vetustiores magno numero. Adi Notas Fastor. III. vs. 219.

356 *At puer Amphisus*] *Amphisos* plerique veteres; neque aliter in argumento veteri hujus fabulæ: male alii *Amphysos*, vel *Amphrysos;* scribe *Amphissos.* Ἄμφισσος Antonino Liberali bis dicitur, qui fuse fabulam ex Nicandri ἑτεροιουμένοις narrat Metamorphosi XXXII. Mox *sentit* pro *sensit* meliores. *Idem.*

358 *Ducentem*] Trahentem, sugentem ubera. *Lacteus humor*] Periphrasis est lactis.

363 *Genitorque*] Eurytus.

365 *Tepido ligno*] *Trepido* Cantabrig. pri. Basil. et decem alii; ut l. I. 'Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus.' *Heins.*

366 *Suæ radicibus*] Filia scil. Sperchii uxor Andræmonis fuerat. *Farn.*

368 *Cara soror*] *Toto soror* Sixius; forte *Loti soror.* Pro *misero de corpore* scribendum *verso de corpore*, vel contra membranarum veterum auctoritatem; nam *miseris* mox sequitur. *Ac dum licet* in plerisque scriptis. *Heins.*

379 *Latet hoc in stipite*] *Sub stipite* rectius octo veteres. *Idem.*

380 *Stagna*] Meo monitus exemplo. *Farn.*

383 *Qui si qua est pietas*] *Quîs* Urbin. et sex alii. *Heins.*

385 *Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non est*] Editiones nonnullæ et sex scripti, *non est incumbere vobis;* atque ita sec. Palat. nisi quod in illo *non fas est:* unus Medic. *vobis incumbere non est:* Thysii, *Et quoniam nymphas.* Τὸ *ad vos* a manu secunda in Urbinati, erasa veteri lectione: *vobis occurrere non est*, unus Vossianus. Puto latere Græcismum. Scribe, *Et quoniam non est ad vos incumbere nobis:* vel, *Et quoniam fato non est incumbere*

vobis. Adeantur quæ notavimus supra l. II. vs. 189. *Idem.*

387 *Dum tangi possum*] *Possunt* vetustiores; oscula videlicet: sed alterum præstat. *Idem.*

390 *Sine munere vestro Contegit*] *Contegat* ex scriptis. *Idem.* *Sine munere*] Oculos morientium claudere erat pietatis officium, quod ad quemque, ut erat sanguine aut affinitate proximus, spectabat: quod officium hic supervacuum ait, ubi cortex id præstat. *Farn.*

392 *Desierat simul ore loqui*] *Desierant ora* ex scriptis. *Heins.*

394 *Factum miserabile*] *Mirabile* veteres majori ex parte. Lege *fatum mirabile;* et sic unus Mediceus: supra dixerat, 'quid si tibi mira sororis Fata meæ referam?' Vide Notas l. VIII. vs. 612. Potest et *fatum miserabile* legi; ut l. VI. 'Pygmææ fatum miserabile matris.' *Idem.*

395 *Eurytidos*] Ioles Euryti filiæ. *Farn.*

397 *Nam limine constitit alto*] Iolaus (ut scribit Solinus) Iphicli Herculis fratris fuit filius, qui cum ad decrepitam pervenisset ætatem, Herculis precibus ab Hebe juvenili ætati fuit restitutus.

398 *Dubia lanugine*] Quæ vix videbatur ob tenuitatem. *Pene puer*] Iolaus ex sene denuo pubertatem adeptus, quod de eo fingitur, quia in ætate senecta multa et egregia facinora gessit.

FAB. VIII. 402 *Post hunc*] Neapol. sec. Medic. et unus Leid. *post hac:* alii nonnulli *post hæc.* Heins. *Talia dona*] Ut quemquam juvenili ætati restituat. *R.*

403 *Themis*] Dea, quæ fas jubet, nefas vetat: vaticinii et oraculi præses, ut ad l. I. vs. 321. vide etiam quæ Gyrald. 15. Synt. et Jac. Boissard. de Divinat. *F.* *Nam jam discordia Thebæ Bella movent*] Amphiaraus Oiclei filius, vates clarissimus, cum se a bello Thebano non reversurum prævidisset, a Polynice nullis precibus adduci poterat, ut illi interesset. Quare Polynices aureum illud monile a Venere Hermionæ dono datum, Eriphylæ Amphiarai uxori, quo belli societatem viro persuaderet, largitus est. Cum vero eo tempore Amphiaraus Adrastusque de regno dissentirent, ad Eriphylen Amphiarai uxorem, Adrastique sororem, judicium omnium dissensionum detulerunt. Illa vero pro Amphiarao quidem sententiam tulit: sed ut belli Thebis inferendi socius adjutorque esset. Cæterum Amphiaraus, existimans se ab uxore proditum, Alcmæoni filio mandavit, ut post suum obitum Eriphylen necaret.

404 *Bella movent*] *Manent* unus Voss. Forte, *nam jam discordia Thebas Bella manent, dixit.* Heins. *Capaneusque*] Unus e septem ducibus ad Thebas, qui cum mœnia scalis conscendere tentaret, lapidibus a defensoribus obrutus est. Hinc, ut ait Veget. l. IV. fulmine Jovis interiisse dictus, 'hunc toto Jove fulmen adactum Corripuit.' Statius Thebaid. X. Et mox, 'paulum si tardius artus Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum.' *Farn.* *Capaneus*] Vide Consol. ad Liviam, 322.

405 *Flebuntque pares in vulnera fratres*] Ita Florentinus S. Marci: reliqui *deflentque,* vel *fientque in vulnere.* Scribe, *ibuntque pares in vulnera fratres.* Hinc 'Thebanorum par' Minucii Octavio. Statius Theb. VIII. 'Atque adeo fratres (hæc nostris omina sunto Prima odiis) fratres alterna in vulnera læto Marte ruent.' 'Ire in vulnera,' ut 'ire in arma,' 'in bella,' 'ire in fata:' nec cæsura obstat, cujus exempla apud nostrum non desunt. Lib. VII. 'Et Dis cara ferar, et vertice sidera tangam.' Lib. VII. 'querorque In superis opis esse nihil: at in ædibus ingens Murmur erat.' Lib. X. 'Et bicolor myrtus, et baccis cærula tinus.' Ibidem,

'fugitque Et color et sanguis! animusque relinquit euntem.' Lib. XIV. 'Ire negabamus, et tecta ignota subire:' ita enim vetustiores plerique. Lib. XV. 'Et locus, et laurus, et, quas habet illa, pharetræ.' Virgil. 'Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis.' Florentinus tamen S. Marci *poterunt* pro *poterit;* et *Bella movens.* Heinsius. *Flebuntque*] Mutuis concident vulneribus Eteocles et Polynices Œdipi filii; de quibus Euripides, Seneca, Statius. *Farn.*

406 *Subducta tellure*] Nam hiatu terræ absorptus est Amphiaraus. *R.*

407 *Vivus adhuc*] Præcepit filio Alcmæoni, ut mortem suam matris morte ulcisceretur: quo facto, Alcmæon furiis agitatus morbi remedium quæsivit a Phegeo, cujus filiæ Alphesibœæ, quam in uxorem duxerat, monile illud fatale dedit. Sed ubi apud Phegeum non inveniret morbi medelam, ab oraculo monitus se ad Acheloum contulit, cujus filiam Callirhoën cum amaret, illa autem ab eo posceret monile, ad Alphesibœam contendit ab ea repetiturus illud. *Farn.*

408 *Natus*] Filius Amphiarai Alcmæon, qui patrem ulciscendo pius, occidendo vero matrem impius fuisse judicatur.

409 *Exul mentis*] Demens atque furiosus.

411 *Donec eum conjunx*] Callirhoë filia. *Fatale aurum*] Monile perniciosum, quod qui habebat, infortuniis vexabatur. Id autem Alcmæon ablatum matri jam Alphesibœæ tradiderat.

412 *Phlegeius*] Imo *Phegeius* cum melioribus, ex fide historiæ. *Heins. Phlegeius ensis*] Phlegei filiorum, a quibus Alcmæon fuit interemptus.

413 *Petit hoc Acheloia supplex*] *Hos* S. Marci, et Urbin. et tres alii; nonnulli *hæc* cum Cantabrigensi: quidam omittunt eam vocem. Pro *petet* etiam prim. Medic. Arond. prim. Hamburg. aliique complures *petit.* Heins. *Acheloia supplex*] Callirhoë, Acheloi filia, Alcmæonis uxor. *R. Tum demum*] Callirhoë igitur a Jove impetrabat liberis suis ex Alcmæone præproperatam juventutem, quo patris necem ulcisci posset. *Farn.*

414 *Annos addat, neve necem sinat esse ultoris inultam*] *Neve necem sinat esse diu victoris inultam* Florentinus S. Marci, Urbin. sec. Pal. alii nonnulli *genitoris* vel *ultoris:* Neapol. *Neu genitorque necem sinat esse parentis inultam:* alii aliter. Ego versum esse spurium contendo; nihil enim ad rem facit. Certe in primo Vaticano non comparebat. In uno meo margini adscriptum offendi hunc ipsum versum. *Heins. Ultoris*] Alcmæonis, qui patrem fuerat ultus. *R.*

415 *Privigni dona nurusque*] *Privignæ* ex scriptis. Hebe privigna Jovis, quod ex Junone nata sit: nurus, quod uxor Herculis. *Heins. Privignæ*] Hebes, quæ Junonis filia, Herculis uxor.

416 *Præcipiet*] Ante capiet.

Fab. IX. 417 *Faticano ore*] Alii *fatidico;* scribe *faticino;* nam quatuor codices *Vaticino:* lib. II. 'Ergo ubi faticinos concepit mente furores:' lib. XV. 'sic dicere vates Faticinasque ferunt sortes.' *Heins.*

419 *Eadem dona*] Ut juvenes fierent. *R.*

420 *Pallantias*] Hyperionis filia, soror patruelis Pallantis, fil. Crei. Hesiod. Theogon. ibi, Θεία δ' ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε σελήνην, Ἠῶ θ' ἣ πάντεσσιν, &c.

421 *Conjugis*] Tithoni, quem Aurora succo suo perfudit, et cui a Parcis immortalitatem impetravit, oblita interim perpetuitatem juventutis poscere: exaruit itaque in cicadam versus. Adi Cl. Baconi Sap. Vet. *Canescere mitem Iasona Ceres*] *Mitis Ceres* in plerisque veterum; recte: libro V. Arethusa ad Cererem, 'Hanc habeo sedem, quam tu mitissima serva.' Et lib. VI. 'frugum mitissima mater:'

sic et 'fruges mites' Noster passim vocat. *Heins.*

422 *Iasiona*] Jovis ex Electra filium, Cereri adamatum, ex qua genuit Plutum. Vide quæ Jacob. Boissardus lib. de Divinatione in Japyge.

423 *Erichthonio*] Lib. II. 554. *Farn.*

425 *Cui studeat*] Unus Leidensis *studeant.* Puto, *Cui studeant Deus omnis habent:* sic lib. XII. 42. ex optimo codice, 'Penetrantque caras vox omnis ad aures.' Apud Virgilium Georg. I. 'atque omnis navita ponto Humida vela legunt:' ita enim in vetustis aliquot exemplaribus se testatur invenisse Pierius Valerianus. Val. Flaccus libro IV. 'te cuncta precantur Gens hominum.' Ita enim Carrionis liber, venuste; quod ille tamen non percepit. Eodem libro, 'sprevere quod omnis Pollueruntque manus, quodque unguibus excidit atris, Has mihi fert in luce moras:' sic scribe; nam Carrionis liber *manus;* vulgati, *sprevere quod omnes manu:* sic paulo ante, 'at manus omnis Heroum densis certatim amplexibus urgent.' Mox lege apud eundem Valerium, *sed vos o servate precor*, pro *observate.* Silius libro XIII. 'Stabant innixi pilis exercitus omnis.' Libro XVII. 'Hannibal unus Dum restet, non si muris Carthaginis ignis Subdatur, cæsique cadant exercitus omnis, Profectum est Latio:' ita scribe. Apud Horatium Epist. I. 16. 'Jactamus jampridem omnis te Roma beatum:' in Odis, 'Io triumphe non semel dicemus civitas omnis.' Et Epod. XVI. 'eamus omnis civitas.' Epicedio Drusi, 'Funeris exequiis adsumus omnis eques.' *Heins.*

428 *Tantumne aliquis sibi posse videtur*] *Tantum ne sibi quis posse* unus Moreti; venuste. *Idem.*

429 *Fata*] Hæc ex Stoa noster. Stoicis enim quod in fatis est ipsum exsuperat Jovem. Sed vide Tertull. lib. de fato. Augustin. lib. V. de civitate Dei. D. Thomam lib. de fato. Euseb. lib. VI. de præparatione Euangelii. Minut. Felicis Octavium. Jup. Sirerum de fato. *Farn.* *Fatis Iolaus in annos rediit*] Reviruit, recepit juventutem Iolaus fatis volentibus. Est item similiter in fatis Callirhoë procreatis juvenescere. *Pont.*

430 *Juvenescere*] *Revirescere* alter Hamburg. et unus Medic. lib. VII. 'Arte suum parili virescere posse parentem:' ubi tamen vetustiores multi *juvenescere.* Heins.

434 *Nec nostrum curvarent Æacon*] Hoc est, incurvum senectute redderent. Natalis lib. III. c. 9. *R.*

438 *Nec sustinet ullus queri*] Nec ullus audet conqueri.

439 *Fessos Rhadamanthon et Æacon annos*] Scribendum *annis*, ut libri nonnulli veteres, et distinctione succurrendum. Nullus sustinet queri, cum Æacon et Rhadamanthon annis fessos videat. *Videant* etiam Cantabrig. et octo alii. *Heins.*

442 *Deionidemque*] Deiones ex Phœbo filium, qui, Minoë jam senescente, Cretæ regnum invadere moliebatur, verum a Jove deterritus in Asiam navigans Miletum urbem condidit: ibi ex Cyanee Nympha genuit gemellos Caunum et Byblida. Ant. Liberalis refert, Miletum, consulente Sarpedone, in Cariam profugisse, ibique Eidotheam Euriti Carum regis filiam uxorem duxisse: fab. 30. *Farn.*

443 *Miletum*] *Mileton* unus meus. *Heins.*

447 *Ægæas metiris aquas*] Ægæum mare transis. *In Aside terra*] In Asia terra.

450 *Redeuntis eodem*] *In orbem* duo veteres. *Heins.*

451 *Cognita*] Duæ nymphæ hoc nomine a poëtis donantur. Altera Sicula, Proserpinæ socia, altera Mæandri filia. *Cognita Cyanee præstanti corpore Nympha*] *Cognita Cyane* multi veteres: unus Basil. *Callirhoë:* pri. Palat. pro diversa lectione *Crineo;* secundus, *Prociane:* *Cretei* Urbin.

Creneis Spirensis et optimus Thuaneus, ἀπὸ τῆς κρηνῆς, quod nomen Nymphæ conveniens. Ex Eidothea Carum regis filia Caunum et Byblida fuisse Mileto natos ait Antoninus Liberalis: Parthenius in Eroticis, ex Tragasia. Canon Diegesi II. apud Photium in bibliotheca matrem non expressit, de patre cum aliis consentit. Cæterum Βίβλις ne, an Βύβλις sit scribendum, vix liquet. Apud Liberalem enim utraque occurrit lectio, qui civitatem Cariæ Bybliden facit. Malim tamen Βύβλις quomodo Hesychius et Suidas. Apud Theocritum quoque Idyll. VII. Βύβλις scribitur, et fons est. Neque aliter ejus Scholiastes; qui Mileti et Ariæ filiam facit. Meminit et montis Cariæ Byblidis. Ibidem Δαῦνος pro Καῦνος perperam bis scribitur. Stephanus Byzantius Βύβλος, Βύβλην non Βύβλιδα Mileti hanc filiam appellat. Eidem in Καύνῳ est Βίβλις. Quomodo et Parthenio in Eroticis: ex quo liquet copiose hanc fabulam ab Aristocrito et Apollonio Rhodio in Καύνου κτίσει fuisse descriptam. Hinc et parœmia apud Græcos Καύνιος ἔρως, cujus Hesychius, Suidas Diogenianus, Apostolius, et alii meminerunt. Conon apud Photium ait Byblidem a Cauno fuisse perdite amatam, in quo a cæteris auctoribus discedit. Nam quod e nuce arbore se suspendisse Byblis ab illo traditur, id ipsum Ovidius quoque Remedio Amoris testatum reliquit hisce verbis, 'Byblida quid referam, vetito quæ fratris amore Arsit, et est laqueo fortiter ulta nefas?' Meminit ejus quoque carmine in Ibin. Hyginus Fab. 243. de morte violenta quidem meminit, sed genus mortis non expressit. 'Byblis,' inquit, 'Mileti filia propter amorem Cauni fratris seipsam interfecit.' Porro pro *præstanti corpore nympha* in eodem Spirensi, Florent. S. Marci, Thuan. Neap. Urbin. Bernegg. pri. Erfurt. pri. Moreti, pri. Palat. sec. Medic. aliisque nonnullis, *præstantia corpora forma: præstanti corpore nympha* prim. Vatican. et Sixianus: *formæ* unus Medic. lege *præstanti corpora forma*, ut pro diversa lectione Berneggerianus, vel *præstantis formæ*, vel *præstantia corpora formæ;* ut 'præstans animi' apud Virgil. *Heins.*

460 *Paulatim declinat amor*] *Succrescit* Politianus ex veteri codice; et sic primus Gronovii et tres alii; sed male. Horatius, 'Lydus in asperam Declinat Pholoën;' pro, amat Pholoën. Spartianus initio vitæ Hadriani, 'Imbutus impensius Græcis studiis, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut a nonnullis Græculus diceretur.' *Idem.*

463 *Sed nondum manifesta sibi est*] Nondum, inquit, se amore captam esse intelligit. *Nullumque sub illo*] Quod nondum tam magnus erat is amor, ut propterea votum aliquod susciperet, quod facere solent qui vehementer amant.

467 *Animo dimittere*] *Demittere* veteres plerique. *Heins.*

470 *Quamvis jaceret*] Vetustiores *jacebat*. Idem.

476 *Et possim*] *Possum* cum scriptis, ut superioribus hæc respondeant: nisi mavis, *ut possim.* Idem.

477 *Nocet esse sororem*] *Sorori* forte scribendum esse ad Elegiam de Nuce monui. *Idem.*

487 *Quam bene, Caune, meo*] *Quam bene tu nostro* multi ex vetustioribus. Quidam hunc versum omittunt. *Idem.*

492 *Hei mihi quæ male sum*] *At mihi* ex scriptis. *Idem.*

493 *Quod obest id habebimus unum*] Hæc mendosa sunt, aut adulterina: potest tamen reponi, *id habebimus una.* Idem.

494 *Quid mihi significant ergo*] *Quid mihi significant ægræ* putabam; nisi *miseræ* mavis cum primo Gronoviano; sed *ægra* pro amante. Cicero pro Cœlio, 'Medea animo ægra, amore sævo saucia.' *Idem.*

496 *Dii nempe*] 'Velocius et gra-

vius Conrumpunt vitiorum exempla, magnis cum subeant animos auctoribus.'

497 *Junctam Tethyn, Junonem*] Sororem. *Farn. Sic Saturnus Opim*] Opis filia fuit Cæli, quæ Saturno fratri nupta multos filios procreavit: alio nomine Rhea a poëtis vocata et Cybele, et Magna mater.

498 *Oceanus Tethyn*] Tethys Cæli et Vestæ filia Oceano fratri nupsit, eique maximam nympharum multitudinem peperit.

499 *Sunt superis sua jura*] Malim *sint;* ut infra, 'Jura senes norint.' *Heins.*

502 *Peream precor ipsa*] *Precor ante* meliores. *Idem.*

504 *Et tamen*] Iidem *Attamen.* Lege *Sed tamen;* nam *At* sequitur. *Idem.*

506 *Æolidæ*] Æolo quidem, ut habet Homer. Odyss. x. δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροις γεγάασιν· Ἕξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἷεες ἡβώοντες. Ἔνθ' ὅγε θυγατέρας πόρεν υἱάσιν εἶναι ἀκοίτας. Quia tamen, ubi Macareus ex sorore Canace filium suscepit, Æolus indignatus gladium filiæ misit, quo adversus se uteretur incestus vindice, Macareus vero fuga sibi consuluit; videtur Byblis multitudinis usa numero, ad majorem criminis auctoritatem conciliandam, simul suum scelus elevandum. *Farn. Thalamos timuere sororum*] Vetustum apud Cæsenates fragmentum, cujus excerpta V. Cl. Lucas Langermannus mecum communicavit, *tenuere,* et quinque præterea ex nostris. Scribendum, *thalamos renuere:* lib. xv. 'parsque negandum Non putat auxilium; multi renuere: suamque Non amittere opem:' ita et illic pro *retinere* codices nonnulli; bene: cum quarto casu etiam junxit Gratius, ubi de forma canum, 'tum sortis cura secundæ Ne renuat species, aut ne detrectet honorem:' sic scribo. Cura, inquit, secunda esto, ne ipsa canum deformis species rejiciat et detrectet honorem; hoc est, ne parum liberalis et honesta canibus sit forma. Paulo post, 'Si renuit junctos, et mater adultera non est:' ita et illic scribo; non *cunctos:* 'junctos' honesto vocabulo dixit, qui ad coitum admittuntur. 'In venerem jungere' paulo ante dixerat, et 'junge pares.' Silius libro iv. 'renuit tibi Daunia regna Armiger ecce Jovis:' dixi aliquid libro vii. vs. 606. Contra apud Val. Flac. lib. v. 'Annuitur thalamis Albani virgo tyranni.' *Heins.*

509 *Nec nisi*] Puto, *Ne, nisi qua fas est, ametur.* Idem.

510 *Si tamen*] Et captum Byblidis amore Caunum fuisse ex Cononis Narrationibus refert Photius in Bibliotheca: Καύνῳ δ' ἔρως ἐγείρετο ἀμήχανος τῆς ἀδελφῆς Βυβλίδος ὡς δ' ἀπετύγχανε, πολλὰ κινήσας, ἔξεισι τῆς γῆς ἐκείνης. *Farn.*

512 *Quæ fueram*] Melius nonnulli *quem fueram.* Heins.

516 *Hoc placet*] *Hæc* multi veteres; et recte: libro iv. 'Hæc placet, hanc quoniam communis fabula non est, Talibus orsa modis.' *Vincit* etiam castigatiores. *Idem.*

518 *Viderit*] Caunus; vel ipse rei eventus: ut 'Viderit utilitas; ego cœpta fideliter edam;' et Met. x. *Farn.*

521 *Ceram*] Ceratam tabellam, quam rursus, si quid deletum vellent obtusa et plana styli parte æquabant et levigabant ad scripturam novam: illud vocabant, 'sub acumen styli subire:' hoc 'stylum vertere.' *Farn.*

522 *Damnatque tabellas*] Forte *mandatque tabellis.* Heins.

523 *Notat*] Scribit: quamvis verbum hoc *notare* inter alias significationes accipitur pro *notis scribere,* διὰ σημείων γράφειν· hoc est, signis quibusdam animi sensus comprehendere, non literis et sermonibus. Turn. Advers. lib. xiv. 24. *Farn.*

524 *Sumptas*] Tabellas.

528 *Correptis ceris*] Imo *correctis* cum pri. Pal. pri. Gronov. Oxon. Arondel. prim. Erfurt. utroque Hamburg. aliisque multis. *Heins.*

529 *Quam*] Noster ita exordium sumit epistolæ Phædræ ad Hippolytum: 'Quæ, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem, Mittit Amazonio Cressa puella viro.' *Farn.*

535 *Humida Lumina*] Vel *invida* quartus Mediceus: forte *uvida.* Paulo ante *esse poterant index*, non *poterat*, novem codices. *Heins.*

539 *Animi grave vulnus*] *Animo* rectius quidam. *Idem.*

544 *Ego dura tuli*] In eandem sententiam Virg. 'Æneadæ duri.'

546 *Tu servare*] Sententia et locutione haud dissimili usus est in laudatissimo illo opere Medeæ tragœdiæ, quam citat Quintilianus, 'Servare potui, perdere an possim rogas?' *Farn.*

549 *Vinclo*] Συνουσιασμοῦ.

550 *Jura*] Juris legumque apices norint et observent sicci senes: nos flore ætatis nostræ utamur. 'Nos vivamus et amemus, Moresque senum severiorum Omnes unius æstimemus assis.' *Farn.*

554 *Deorum*] Saturni, Jovis, Oceani, qui suas habuere sorores, vs. 498. supra. *Farn.*

555 *Reverentia famæ*] Pudor: 'neque enim specie famave movetur;' de Didone Æneid. IV. et deinde, 'te propter eundem Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam Fama prior.' 'Jam nunc confundor, et omnes In nostris oculos vultibus esse reor.' Epist. Heroid. XVIII.

556 *Impediet*] *Impedient* unus Gronov. Pro *tantum absit*, multi ex vetustioribus *tantum sit*. Τὸ *tantum* abest a primo Vatican. *tantum si* pri. Moreti: nonnulli *tantum adsit* vel *assit*. Puto, *nam quæ sit causa timendi?* Heins.

560 *Quantum est quod desit*] *Quod defit*, puto. *Idem.* *Quantum est quod desit*] Ac si diceret, Parum admodum deest ad explendum amorem nostrum. *R.* *Quantum*] Intra quatuor, ex quinque illis amandi lineis: visum, alloquium, tactum, osculum sine suspicione licet consistere: cur non et quintam? cur non et quinta illa μελιτόεντι καὶ μυελόεντι nectaris parte, non imbuere nos? Vide lib. x. 343. *Desit*] Al. *defit.* Farn.

562 *Neve merere meo*] Hic versus non uno mihi nomine suspectus est, nec Ovidianum esse persuadeor ut credam. *Heins.*

563 *Talia nequicquam perarantem*] *Properantem* sec. Medic. et alii duo *parantem:* sic infra præcipitantiam suam deplorat, quod 'tam cito commisit properatis verba tabellis.' Et pro *summo margine* Florentin. S. Marci, Neapol. prim. Palat. sec. Medic. et tres alii *summusque in margine versus adhæsit;* bene. Pro *crimina* mox nonnulli *carmina.* Pro *tinxit* Rottendorph. et unus meus *tingit.* Idem.

564 *Summoque*] Ita Juvenalis Sat. I. 'Summi plena jam margine libri Scriptus, et in tergo, necdum finitus.' *Farn.*

565 *Gemma*] Annulo, sigillo inclusa. 'Se lautum atque beatum Exiguis tabulis et gemma fecerit uda.' Ibid. *Idem.*

568 *Et paulum blandita*] *Pavidum blandita* plurimi veteres; optime: est enim timentium blandiri. Deinde pro *feras* iidem codices *fer has;* et illud recte. *Heins.*

573 *Juvenis*] Caunus Mæandri nepos; supra, vs. 444. *Farn.*

577 *Quod si*] *Qui si* meliores. Τὸ *qui* refer ad *pœnas dedisset.* Pro *traherent tecum* iidem *secum;* bene: sic lib. II. Fast. 'Et secum lacrymas invidiamque trahit.' *Heins.*

581 *Glaciali frigore corpus*] *Pectus* nonnulli ex castigatioribus. *Idem.*

585 *Quid quæ*] *Quod quæ* prim. Vatican. sec. Palat. duo alii. Puto *quo, quæ:* 'quo commisi,' cur commisi. *Idem.*

589 *Qualis foret aura*] Qualis foret Cauni voluntas. *R.* *Parte*] Allegoria pulchre continuata se temeritatis in scribendo arguit: mox augurii male servati, diei crisin improbat, nuncium

importunum. 'Lascivior aliquanto est Ovidius,' inquit Fabius lib. x. Institutionum cap. 2. 'et nimius amator ingenii sui.' Et mox: 'Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset.' Et hic sane fatendum est, lascivire ipsius ingenium, nactum scil. materiam sequacem et genio suo affinem. *Farn.*

591 *Non exploratis ventis*] Non intellecta Cauni voluntate.

592 *Nunc feror in scopulos*] *Auferor* plerique; recte. Et pro *subversaque*, *submersaque*. Amor. II. 4. 'Auferor, ut rapida concita puppis aqua.' *Heins.*

593 *Neque habent*] Nescit enim vox emissa reverti, ut inquit Horatius.

596 *Cera*] Tabella cerata.

602 *Vultus amantis*] Malo *amantes*, vel *vultum amantem*: nam *vultum* plurimi veteres. Adi Notas ad Epist. II. vs. 93. *Heins.*

608 *Potuissent omnia*] Concinne unus meus et unus Ambros. cum codice Bersmanni, *poterant tamen omnia.* Id.

610 *Non adiit*] Non opportunos tentavit 'aditus, et quæ mollissima fandi Tempora.' *Farn.* *Nec legit*] Elegit. *Nec legit*] *Non legit* meliores, quod efficacius. Et mox *non petiit* duo pro *nec.* Malim etiam *horamque animumque vacantes*, quam *vacantem.* Heins.

611 *Animumque vacantem*] Curis solutum. Eleganter Terent. 'ab animo ociosum esse.' Id quod Cicero illustrat Epist. XI. 16. ad Brutum: 'Permagni interest, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit; utrum, cum solicitudinis aliquid haberes; an, cum ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolæ tibi reddendæ.' Quæ Virgil. vocat, 'commoda tempora,' et 'molles aditus.'

612 *Neque enim*] Neque enim 'natus es e scopulis, nutritus lacte ferino: Nec dicam silices pectus habere tuum.' Trist. III. 11. Vide citatos a nobis in Indice Poëtico, sub titulo *Durus:* qui omnes Homerum secuti, Il. Π. γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα, Πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής. Adi etiam Aul. Gellium lib. XII. cap. 1. Macrob. Saturnal. lib. v. 11. Jul. Scalig. lib. v. Poëtices cap. 3. *Farn.*

613 *Nec rigidas silices*] Duodecim præstantiores *rigidas.* Spirensis *rigida silice.* Vide quæ noto libro hoc, vs. 225. *Heins.*

617 *Facta revocare*] *Fata* in plurimis veterum. *Idem.*

618 *Cœpta expugnare*] Incœpta perficere.

623 *Plurimus urget et urit*] *Urit et ussit* plerique veteres; vel *ussit et urit:* tres *urit et urget;* duo *urget et ussit.* Puto Nasonem scripsisse, *qui plurimus urit, et urat, Pectora nostra.* Epistola Sapphus, 'Per, tibi qui nunquam longe discedat, Amorem:' sic 'abest absitque,' 'fertque feratque;' de quibus ad Epist. IV. et Trist. I. 6. Mox malo *nil commisisse nefandi*, quam *nefandum;* quod confirmat codex Spirens. *Heins.*

629 *Discordia mentis*] Rectius legas *menti.* Idem.

632 *Patriam*] Καῦνος ἔξεισι τῆς γῆς ἐκείνης, &c. Caunus terram illam deseruit. Doloribus inde plurimis affecta Byblis, paternam et ipsa domum reliquit, et per deserta diu oberrans et propter frustratos amores animo fracta, nexo de zona laqueo, ex nuce seipsam suspendit. Inde ab illa flente fluxerunt lacrymæ, et fons hinc enatus, quem Byblida indigenæ nominant. Hæc Photius ex Conone. Aliter Liberalis: ut mox ad vs. 651. *Farn.* *Mox ubi finis abest*] Deinde, inquit, cum nullus finis imponitur Byblidos flagitio, Caunus patriam reliquit.

633 *Inque peregrina*] In Caria urbem ædificavit, quam de nomine suo Caunum appellavit, et æstate et autumno pestiferam.

634 *Miletida*] Byblida, Mileti filiam.

635 *A pectore vestem Diripuit*] *Deripuit* ex scriptis: dixi lib. VI. 566. *Heins.*

638 *Si quidem patriam*] *Sine qua* veteres plerique; nisi quod duo Medicei *pro qua.* Idem.

641 *Ismariæ*] Thraciæ. *Triennia*] Trieterica Græce dicuntur: eo quod tertio quoque anno celebrarentur. *R.*

643 *Bubasides*] Cariæ. Bubasus Cariæ regio est.

644 *Caras*] Populum Cariæ in Asia: lib. VIII. 6. *Farn.* *Et armiferos Lelegas*] Leleges populi sunt Cariæ bellicosissimi.

645 *Jam Cragon*] Cragus mons est Lyciæ Apollini sacer, qui promontoria octo habere scribitur, ac ejusdem nominis urbem. *R.* *Lymiram*] Urbem Lyciæ. *Xanthique*] Fluvii Lyciæ.

646 *Quoque*] Ita legendum ex auctoritate duorum Vatican. Ursini, Cœlestini, monet Ciofanus: quin ex meis unus disertim habet *hircum*, alter suprascriptum: vulgo leg. *ignem*, et alii leg. *Quodque Chimæra jugum.* De Chimæra, vide quæ supra ad l. VI. vs. 339. *Farn.* *Quodque Chimæra jugum*] Chimæra mons est Lyciæ: qui, ut Ætna in Sicilia, fumum ac flammarum globos emittit. Id quod Poëtis causam præbuit, ut fingerent Chimæram esse monstrum, partem anteriorem leonis habens, flammas evomentem, medium ac ventrem capræ, posteriorem draconis.

649 *Concidis*] *Procidis* Oxon. bene: sic apud Horatium, 'rex procidit Heu pervicacis ad pedes Achillei.' *Incidis* prim. Gronov. Pro *Bybli jaces,* unus Medic. *taces;* nam mox sequitur 'Muta jacet.' *Heins.*

651 *Sæpe illam*] *Etiam* S. Marci, Neapol. sec. Medic. Cantabrig. et septem alii cum Spirensi. *Idem.* *Sæpe*] Ἐπεὶ δὲ καθ' ἡμέραν εἴχετο χαλεπωτέρῳ δαίμονι, &c. Cum vero indies magis urgeret malus genius, inquit Liberalis, noctu statuit seipsam de saxo præcipitem dare: proximum ergo montem conscendit. Nymphæ autem miseratæ eam cohibuerunt, et Byblidem immortalitate donatam in suum sodalitium Hamadryadum adsciverunt. Liquor e saxo illo distillans, in hunc usque diem ab incolis appellatur 'Lacryma Byblidis.' *Farn.*

652 *Ut medeatur amori*] *Mederetur* multi veteres contra metrum; sed *moderetur* bene prim. Palat. prim. Vatican. Cantabrig. tert. Medic. Oxon. prim. Hamburg. et alii complures. *Heins.*

654 *Tenet unguibus herbas*] *Terit* quatuor veteres; bene. *Idem.*

659 *Bitumen*] De bitumine Plin. lib. XXXV. 15. *Micyl.*

662 *Phœbeia Byblis*] Phœbi neptis. ad vs. 444. supra.

663 *Vallibus illis*] *Imis* prim. Ambros. duo Moreti, Arondel. alter Hamburg. et unus meus: libro VI. 'Forte lacum melioris aquæ prospexit in imis Vallibus.' *Heins.*

664 *Nomen*] Ἐν δὲ τῇ Μιλεσίᾳ πηγή τε Βυβλὶς, καὶ ὅσα ἐστι τῆς Βυβλίδος τὸν ἔρωτα ᾄδουσιν. Strabo lib. VII. *Farn.*

Fab. X. 665 *Cretæas*] Unde Miletus coloniam deduxerat in Asiam vs. 444. supra. *Farn.*

667 *Iphide mutato*] *Mutata* meliores; recte. *Heins.*

668 *Phæstia tellus*] Phæstus urbs fuit Cretæ a Minoë ædificata, et a Gortyniis deleta. *Gnossiaco regno*] Gnossos una fuit ex præstantibus Cretæ urbibus. *Raph.*

669 *Nomine*] Hunc Ant. Liberalis nominat Lamprum, uxorem Galateam, filium Leucippum, Deum auxiliarem, quæ nostro Isis, Latonam. *Farn.* *Ligdum*] Possit et *Lygdum* legi; nam et λίγδος et λύγδος Græca sunt: prim. Ald. *Lyctum,* et sic in argumento; cujus nominis in Creta civitas: Spirensis liber *Lugdus.* Malim etiam cum uno meo *ignoto nomine,* quam *ignotum;* neque aliter pri. Gronov. et unus Leid. pro diversa lectione. *Heins.*

673 *Vocibus his monuit*] *Movit* ex

quinque scriptis: libro IV. 'factum mirabile moverat aures;' ita veteres nonnulli, non *ceperat*. Idem.

674 *Relevere dolore*] *Labore* Urbin. pri. Erfurt. et quatuor alii. Hinc 'laborantes puerperæ.' Apud Virgil. Georg. 'primos Lucinæ experta labores:' sic Noster et alii passim. *Idem.*

675 *Onerosior*] Educatione et dote gravior, sexus sequior.

676 *Et vires Fortuna negat*] *Natura* prim. Mediceus, primus Vatican. et decem alii; quod verum est. *Heins.*

677 *Edita*] *Prodita* unus Medic. *Idem.*

683 *Jamque ferendo Vexerat illa ventrem*] Insignis barbarismus. *Vinxerat* S. Marci et Urbin. cum Jureti excerptis: *Duxerat* Neapol. sec. Medic. pri. Gronov. tres alii: duo *Gesserat:* unus Medic. *Auxerat: Vixerat* prim. Palat. prim. Vatican. prim. Basileensis, prim. Erfurt. Spirensis, Arondel. et sex alii. Scribe, *jamque ferendo Vix erat illa gravem maturo tempore ventrem.* Libro x. de Myrrha, 'Vixque uteri portabat onus.' *Idem.*

686 *Inachis*] Isis, ex Io Inachi filia, ut lib. I. vs. 729. Hanc, inquit Diodorus lib. I. alii Isidem, alii Cererem, et Thesmophoram, Lunam alii, nonnulli Junonem. Opportune itaque adest parturienti, et in somnis. Namque, ut ibidem Diodorus, in somnis opitulatur eis quos censuerit dignos, &c. *Farn.* *Pompa comitata sacrorum*] *Suorum* prim. Medic. sec. Palat. prim. Moret. aliique plurimi; probe. Pompam describit postea, Anubin, Bubastin, Apim, Osirin, et Harpocraten. Lib. VI. 'Concita per silvas, turba comitante suarum, Terribilis Procne.' *Suarum* Bernegger. et octo; alii non pauci *sororum;* male. Paulo post, 'Pars o Telethusa mearum.' Et ipsa Telethusa ad Isin, 'miserere tuarum:' ita enim libri veteres. *Heins.*

687 *Lunaria*] Isidis simulachrum muliebre erat cornutum. Herodotus in Euterpe. Colebatur autem Isis sub specie vaccæ, cujus corniculata forma referret Lunam; ut et Osiris sub specie bovis, cujus cornua pleno orbe coëuntia repræsentarent Solem. Alii autumant per vaccam Isin significari Ægyptum Osiri, id est, Soli suppositam, vel Osiri, id est, Nilo inundatam. Lege Plutarch. libel. de Iside et Osiride. Macrob. Saturn. l. I. c. 20. Diodor. Sic. Gyrald. Syntagm. I. 12. Euseb. de præparat. Euang. II. 1. de Theologia Ægyptiorum; et lib. III. c. 11.

688 *Cum spicis*] Est Isis, quæ Græca lingua dicitur Δημήτηρ, id est, Ceres. Herodot. Euterpe. Tertullian. de Corona militis, cap. 7. Apuleius VII. Metamorph.

689 *Regale*] Diadema corniculatum, vel etiam aspidibus redimitum, quarum duo eriguntur, quæ Lunam referant. *Anubis*] Deus κυνοκέφαλος, sive ille significet tempus, vel Horizontem, vel Nilum, vel Mercurium, vel Canem stellam, qui Solis recessus et Nili inundationis tempus denotat. Vide quæ nos ad Lucan. lib. VIII. 832. et præter citatos ibi auctores, adi Lil. Girald. 9. Synt.

690 *Bubastis*] Diana Ægyptiis præcipue culta in urbe Bubasti. Herod. Euterpe. Gyrald. Synt. 12. *Variisque*] Bos ab Ægyptiis vice numinis cultus: insigne ei in dextro latere candicans macula: non est fas eum vita excedere: mersum itaque in fonte sacerdotes enecant, quæsituri alium quem substituant, &c. Plin. VIII. 46. Hunc Epaphum Isidis filium fuisse scribit Herodotus in Thalia, et hæc illi esse signa, in fronte maculam albam formæ quadratæ, in tergo effigiem aquilæ, cætera nigrum, cantharum in palato, duplices in cauda pilos. Hunc alii eundem cum Osiride putant. Adi Boissardum de Divinat. tit. Serapis: et quos citat Clariss. Jo. Seldenus Syntagmate de Diis Syris I. c. 4. et Gyraldi Synt. 6. *Variisque coloribus Apis*] *Variusque* meliores; hoc est, versicolor: sic lib. XIV. 'va-

riasque coloribus herbas:' quomodo et ibi codices scripti. *Heins.*

691 *Quique*] Harpocrates, Deus silentii, qui digito ori admoto taciturnitatis symbolum est.

692 *Sistraque erant*] Tympana. *Micyl.* Σεῖστρον Græcum est nomen, a σείεσθαι, hoc est, quatiendo, dictum. Erat enim crepitaculum æneum, cujus agitatione sonitum reddebant, in sacris Isidis solemne. *Nunquamque satis quæsitus Osiris*] Deus est Ægyptiorum, Isidis maritus, quem singulis quibusque annis Ægyptii et amissum maximo cum mœrore quærunt, et inventum maxima cum lætitia persequuntur. *R.* Non tantum annuis sacris, sed singulis is ritus apud Ægyptios sacerdotes fuit, ut cum fletu prodirent, mox cum lætitia et cantu redirent: imitantes hoc Isidis exemplum. *Micyl.*

693 *Plenaque somniferis venenis*] *Somniferi veneni* Thuan. et Junian. sic sæpe alibi noster. *Heins.* *Plenaque*] Aspis cujus morsu homines tanquam sopiti moriuntur. Micyllus crocodilum intelligit, cujus venenosus morsus insanabilis. Utraque Ægyptiis indigena, aliis terris peregrina. Turneb. VII. 8. Sed ut credam aspidem intelligi, suadet somniculosa aspis. A. Gel. IX. 12. ὑπναλὴ Solino dicta. Cleopatræ aspides, quæ ad mortem fecere occultum soporis iter. Propert. Eleg. III. 11. et Lucan. lib. IX. vs. 610. et 701. *Farn.*

698 *Dea sum auxiliaris*] Ad id alludit, quod (ut scribit Diodorus) Ægyptii asserunt, Isidem plurimorum inventricem fuisse ad morbos medicamentorum, et medicinæ arti multa contulisse: quam immortalitate quoque potitam gaudere hominum cultu, inque eorum valetudine præcipue versari, quin etiam in somnis palam eis opitulari, quos censuerit dignos. *R.* *Tollere*] Educare, non exponere, non interficere. 'Quicquid peperisset, decreverunt tollere.' Terent. Andria. *Auxiliaris*] Redi ad notata super vs. 686. vide et Apuleium Met. l. II. 'Tu quidem sancta, et humani generis sospitatrix,' &c. *Farn.*

701 *Durasque ad sidera tollens palmas*] *Purasque* plurimi ex antiquis: nihil verius. P. Syrus, 'Puras Deus non plenas aspicit manus.' Vide Notas Fast. v. 435. Seneca Medea Act. v. 'Vindicta levis est, quam ferunt puræ manus:' ita vetus codex. *Heinsius.*

702 *Rata sint*] Exitu ipso comprobentur. Videtur autem Telethusa putare non satis potentem esse Isidem, nisi cœlestibus etiam annuentibus ejus promissis. *Pont.* *Cressa manus*] Telethusa Cretensis.

703 *Seque*] Citra opem obstetriciam, ne qua forte compotrix fœminam natam patri indicaret, conscia tantum nutrice. *Farn.* *Seque ipsum pondus in auras Expulit*] Hoc est, postquam peperit, pondusque uteri in lucem extulit.

706 *Neque erat facti nisi conscia nutrix*] *Ficti* ex antiquioribus multi. Censeo scribendum *furti:* quicquid enim occulte agebatur, furtum vocabant. Sic et infra vs. 767. 'sed jam consumserat omnem Materiam furti:' nam in aliis libris est *ficti,* quod præcesserat paulo ante; in aliis *tecti,* vel *facti.* Heins.

709 *Quod commune foret*] Puero et puellæ: nam *Iphis* tam fœmina quam mas appellari potest. *R.*

710 *Impercepta mendacia*] *Indecepta* plurimi veteres: *Indeprensa* Calandræ excerpta, sec. Palat. pr. Basil. pr. Reg. alter Hamburg. et quinque alii; quomodo apud Statium, 'vestigia cunctis Indeprensa procis.' *Imperfecta* prim. Gronov. *Intercepta* unus meus cum excerptis Jureti. Nihil muto. Hinc 'imperceptiora' apud Gellium XIV. 1. *Heins.* *Impercepta*] Indeprehensa, non animadversa.

711 *Facies*] Ἐπεὶ δὲ ηὔξετο ἡ κόρη, καὶ ἐγένετο ἄφατόν τι κάλλος. Ant. Liberalis, in hac eadem fab. *Farn.*

716 *Dictæo Teleste*] Cretensi: a

Dicte namque monte Cretæ *Dictæus* declinatur.

717 *Primasque*] Disciplina plane Laconica; siquidem in iisdem gymnasiis, sub iisdem magistris, artium imbiberint elementa 'grandis virgo bonusque puer,' ut habet Martialis Epigr. VIII. 3.

718 *Accepere artes*] Vide Ep. Par. 150.

719 *Hinc amor amborum*] *Ambarum* recte Neapol. sec. Medic. pri. Vatican. prim. Gronov. et sex alii melioris notæ. Mox *Conjugii* meliores, non *Conjugium:* et *expectat* optimus Thuan. *Heins. Rude*] 'Contactum nullis ante cupidinibus.' Propert. I. *Farn.*

720 *Sed erat fiducia dispar*] Nam Iphis diffidebat se viri officio fungi posse. Ianthe vero contra fidebat se munera mulieris satis obituram. *R.*

722 *Quamque virum pudet esse, virum fore credit*] *Virum putat esse virum* plerique veteres: *putat esse suum* pr. Vatic. Arond. multique alii: unus meus, *Quamque virum putat esse, virum.* Scribe, *Quamque virum putat esse, suum fore credit Ianthe;* suum nempe virum. *Heins.*

723 *Quo posse frui desperat*] *Qua* cum melioribus. *Idem.*

728 *Perdere debuerant*] Alii *Parcere debuerant.* Neutrum bene. Est enim versus adulterinus. *Idem.*

729 *Naturale*] Ut viri, non virginis, amore caperetur.

735 *Filia Solis*] Pasiphaë. Vide quæ nos ad Virgil. Eclog. VI. et Æneid. VI. 'Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto Pasiphaë:' et quæ ad l. VIII. supra vs. 156.

738 *Dolis, &c.*] Inclusa vaccæ ligneæ, Dædali opera, ut habent mythologi. Vide Natal. Comitem VI. 5. et adi Martialem lib. spectacul. 5. Epigr. quod et repræsentatum a Nerone. Suetonius in vita ejus, c. 12.

742 *Dictis Artibus efficiet*] *Doctis artibus* vetustiores plerique; recte: quanquam pro vulgata pugnat amicus noster curis ad Gratium secundis. Nullas Dædali artes recensuit Naso, præter volatum: qui hic locum non habet. Mox *animum firmas* dixit, pro *obfirmas:* atque ita fortassis scribendum. *Heins.*

746 *Quid sis nata vides*] *Vide* multi ex castigatioribus: sequentia 'pete' 'et ama' confirmant: nisi mavis mox *I pete;* nam sex scripti *Id pete.* Idem. *Nisi te quoque*] 'Fallere alios in proclivi est: sed ipsum a se falli miserrimum.' Plutarch. de Adul. *Farn.*

748 *Spes est quæ capiat*] Piget diversas lectiones adscribere, quæ sunt plurimæ. Nimirum sententias hic est locutus aliquis carnifex. Cave enim credas hunc versum Nasonis esse: sed pro eo quod sequitur, *Hanc tibi res adimit*, arbitror *spem* reponendum esse. *Heins.*

749 *Hanc tibi res adimit*] Necessitas et sexus qualitas tibi hanc eripit, quam uxorem ducere cupis.

750 *Cauti cura mariti*] *Magistri* in nonnullis. Viderant nimirum eosdem utrisque magistros fuisse. Cave quicquam mutes: unus Vossian. *ministri.* Heins.

752 *Potienda*] *Potiunda* meliores, ut et l. X. vs. 569. ἀρχαϊκῶς. *Idem.*

754 *Nulla est*] Sensus est: Etiam nunc ea quæcunque votis expetivi contingunt mihi, et Dii faciles dant quæcunque optavi, scilicet ut Ianthen, et patrem illius, et item meum, faventes atque paratos habeam. Una obstat mihi, quæ cætera vincit omnia. *Micyl.*

755 *Nunc quoque votorum pars nulla est vana*] *Nulla est pars una* plerique. Alii aliter. *Nulla est pars tuta* quatuor: unus meus *votorum est pars nulla vita;* unde legebam aliquando *pars irrita nulla.* Nunc persuasum habeo hunc cum sequenti versu esse tollendos. Vix enim intelligas quid sibi velint. *Heins.*

756 *Quod volo vult genitor, vult ipsa socerque futurus*] Multi veteres, *Quod-*

que ego, vult genitor, socer et vult ipse futurus: meliores tamen, *Quodque ego, vult genitor, vult ipsa socerque futurus;* nisi quod in Neapolitano τὸ *vult* a manu erat secunda, erasa veteri lectione. Forte, *Quodque ego, quod genitor, vult ipsa socerque socrusque:* vel, *socerque futurus.* Idem.

759 *Et jam mea fiet Ianthe*] *Ut jam mea fiat* rectius tert. Medic. et quatuor alii. *Idem.*

760 *Mediis*] Allusum ad Tantali fabulam. *Farn.*

763 *Pressit ab his vocem*] Post hæc, inquit, siluit. *Altera virgo*] Ianthe, quæ Iphin, cui fuerat desponsata, marem esse credebat. *Nec lenius altera virgo Æstuat*] Puto *nec secius.* Vide quæ notamus l. II. 809. *Heins.*

766 *Omina, visaque*] Auguria et somnia.

770 *Crinalem capiti vittam*] Scribe *capitis*, vel contra libros veteres; nisi pro *sibique* legas *suoque.* Heins.

772 *Isi*] Supra vs. 688. *Parætonium*] Quam colit Ægyptus, in qua Parætonium opp. et portus; Mareotis palus; Pharos insula Alexandriæ objecta, turri et specula lucernis instructa, nocturnæ navigationi accommoda, illustris; et Nilus septem ostiis se in mare exonerans. *Farn.*

773 *Septem in cornua*] Ostia.

775 *Tuaque hæc insignia vidi*] In ara namque Isidis ea omnia simulachra erant, quæ per somnum viderat Telethusa. *R.* *Tuaque*] Vs. 687. supra.

776 *Sonitum comitesque facesque*] *Sonitum comitantiaque æra* Thuan. primus Moret. prim. Erfurt. prim. et tert. Pal. Neap. Spirens. et a manu secunda Florent. S. Marci, cum aliis multis. Puto *crepitantia æra;* et sic unus meus: nisi mavis *resonantiaque æra* cum uno Moreti. Infra 'crepuitque sonabile sistrum:' sic et Propertio l. III. 'crepitans sistrum.' S. Marci codex a manu prima, et unus Bonon. *sonitum comitesque facetas.* Forte etiam scribendum, *vidi, Visaque cognovi:* ut supra, 'præsepia vidi, Visaque dejeci.' *Heins.*

778 *Quod non ego punior ipsa*] Locus mendosus. *Punior ecce* Florent. S. Marci, et unus Bonon. cum pr. Hamburg. et uno Voss. *Ponor in ignem* vel *igne* Thuan. Bernegger. prim. Vatic. sec. Pal. Spir. et octo alii: *punior hoc est* Arondel. et Zulich. *punior hocque* Neap. et unus meus: *thalamo quod non ego ponor* prim. Medic. cum Glossa, 'id est, deponor.' Divinent acutiores: mihi hoc hemistichium valde suspectum. *Idem.*

779 *Consilium monitumque tuum est, miserere duarum*] Tres libri *monitusque:* unus *monitusque tuus.* Forte, *Consilii monitusque tui est.* Deinde *tuarum* recte sec. Palat. et octo alii: dictum supra. *Idem.*

780 *Lacrymæ sunt verba secutæ*] Scribe, vel invitis membranis, *sua verba:* et vide quæ notamus ad Epist. XVII. 252. *Idem.*

781 *Visa Dea*] Ἡ δὲ Λητὼ συνεχῶς ὀδυρομένην καὶ ἱκετεύουσαν ᾤκτειρε, καὶ μετέβαλε τὴν φύσιν τῆς παιδὸς εἰς κόρον. Liberalis 17. fab.

782 *Imitataque*] Supra ad vs. 689.

783 *Crepuitque sonabile sistrum*] *Sonatile*, iisdem codicibus invitis, repono: sic 'volatilis ætas' l. X. et 'volatile ferrum' Virgilio: 'telum volatile' Lucretio lib. I. et 'versatile templum' lib. V. 'intactile' apud Lucretium lib. I. 'rotatiles trochæi' Prudentio: et 'Jupiter conflatilis' eidem passione Romani: et 'flatile virus' Hamartig. et Nostro in Tristib. 'tinctile virus.' *Solubile sistrum* in Spirensi: an *volubile?* Heins. *Crepuitque*] Dextra ferebat æreum crepitaculum: cujus per angustam laminam, in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem. Apul. de Iside l. II. Metamorph. Quin et sistri formam, et formæ rationem, vide apud

Plutarch. in lib. de Iside et Osiride. *Farn.*

789 *Nam quæ*] Puto *jam quæ*. Heins.

791 *Dant munera*] *Ταύτης ἔτι μέμνηνται τῆς μεταβολῆς Φαίστιοι, καὶ θύουσι Φυτίῃ Λητοῖ, ἥτις ἔφυσε μήδεα τῇ κόρῃ,* &c. Liberalis fab. 17.

794 *Totum orbem*] *Latum* scripti nostri. Mox *sociosque Hymenæus ad ignes* prim. Gronov. et alii quatuor, non *sociusque:* bene. *Heins.*

795 *Venus, Juno, Hymenæus*] Dii conjugales: ut lib. IV. 758. et alibi sæpius. *Ignes*] In sacris nuptialibus sacrificia l. V. 37. et l. IV. 60. *Farn.*

METAMORPHOSEON LIB. X.

FAB. I. Arg. *Inde per immensum*] Orpheus, Apollinis et Calliopes, vel (ut alii scribunt) Œagri fluvii et Polymniæ Musæ, filius, scientia ac cantus suavitate mortales omnes dicitur superasse, cujus modulatione non homines solum, sed feras sylvasque ac saxa mota fuisse. Navigavit insuper cum Argonautis: obque uxoris amorem ad inferos cum descendisset, a Proserpina suavitate cantus allecta impetravit, ut defunctam uxorem ab inferis excitaret: sed ea conditione, ne illam prius, quam ad superos reversus esset, respiceret: sed Orpheus veritus ut se uxor sequeretur, cum jam fere ad superos pervenisset, eam respexit: quæ illico ad inferos retracta, Orpheum in maximis cruciatibus reliquit. Cum igitur desperaret se iterum ea potiri posse, omnes aspernatus mulieres dicitur, primusque apud Thraces puerorum amoribus indulsisse. Id vero ægre ferentes Thraciæ mulieres, sacra Bacchi celebrantes, illum cithara canentem, ferasque mulcentem, discerpserunt.

1 *Croceo*] Qui concolor flammeo, quo nova nupta pudoris et boni ominis gratia velatur.

2 *Ciconumque*] Thraciæ pop. ad Ismarum montem et Bistonidem lacum. *Ciconum*] Tibull. l. IV. horum mentionem facit. De Ulysse autem loquitur, 'ille per ignotas audax erraverat urbes, Qua maris extremis tellus includitur undis, Quem Ciconumque manus adversis reppulit armis.' Et Silius l. XI. 'O diræ Ciconum matres, Geticique furores.' Adeoque Thraces semper inhumani.

4 *Sed nec*] Neque enim feliciter cessere nuptiæ. Vide l. VI. 428.

6 *Fax quoque*] Lib. IV. vs. 60. *Fax quoque quam tenuit*] Quinque faces ante novam nuptam præferri solebant. Vide Alex. ab Alex. II. 5. *Fax lacrymoso stridula fumo*] *Σὺν αἵματι, σὺν κάπνῳ.* 'Tristis Erinnys Prætulit infaustas sanguinolenta faces.' Vide Epist. Hypsip. 46. et Canac. 103.

7 *Nullosque invenit motibus*] Catull. 'Pineam quate tædam.' Concussionem seu quassationem non sequebatur flamma. *Usque fuit, nullosque*] Numeri paulo duriores. In uno Vossiano, et uno Leidensi, *Utque fuit, novos invenit motibus ignes;* recte, si quid video. Fast. III. 'Utque erat, in duro procubuere solo:' et, 'Hæc

quoque funestos, ut erat, laniata capillos:' et, 'Utque erat, immissis puppim stetit ante capillis:' atque ita passim tam Noster, quam alii. Similiter, 'sicut erat,' frequenter occurrit. *Heins.*

8 *Nam nupta*] Virg. Georg. IV. refert Eurydicen dum fugeret Aristæum incidisse in colubrum, cujus morsu interiit. *Farn.*

9 *Naiadum turba*] *Mænalidum* sec. Palat. alter Twisdenius, et unus Basil. Latet aliquid. Apud Virgilium Dryades Eurydicen comitantur. *Heinsius.*

10 *Occidit in talum*] Lib. sequenti de Eperie Nympha: 'Ecce latens herba coluber fugientis adunco Dente pedem strinxit, virusque in corpore liquit.' Morsa a serpente, dum una cum Naiadibus vagatur, e quarum numero fuerat, interiit. *Pont.*

11 *Rhodopeius vates*] Orpheus poëta Thracius: Rhodope autem mons est Thraciæ altissimus. *R.*

13 *Tænaria*] Tænarus promontorium est Laconiæ; ubi antrum, cujus vastus hiatus, mephites, auditus strepitus occasionem dedere fabulantibus patere hic descensum ad inferos. Virgil. Georg. IV. super hac eadem re; 'Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis, Et caligantem,' &c.

15 *Persephonen*] Proserpinam. *R.* *Inamœnuque*] Lib. IV. 432. et quos in Indice Poëtico monstrat tit. *Inferi.* Farn.

16 *Umbrarum dominum*] Plutonem.

17 *Positi sub terra mundi*] Periphrasis est inferorum. *R.* *Positi mundi*] Lege quæ Cælius Rhodigin. II. 18. *Farn.*

18 *In quem decidimus*] *Recidimus* meliores magno numero. Dictum alibi de hoc loco. Julius Firmicus contra gentes, 'quia hæc est natura terræ, ut in eam recidant omnia.' *Heins.*

21 *Non huc descendi*] Ex Virg. Æn. VI. 'Nullæ heic insidiæ tales, absiste moveri: Nec vim tela ferunt,' &c.

22 *Terna guttura*] *Tetra* Oxon. *Torva* prim. Basil. et sex alii: *Trina* duo: *Cerva* unus Medic. quod non capio. *Heins.* *Medusæi*] Cerberi, quem, ut et Orthum Geryonis canem, peperit ex Typhone Echidna Medusæ progenies.

28 *Veteris rapinæ*] Nam Pluto Proserpinæ amore captus eam rapuit. *R.* *Rapinæ*] Lib. V. 386.

30 *Chaos*] Lib. I. 6. *Farn.*

31 *Retexite fata*] *Fila* quinque veteres; quod elegantius: sic 'retexere telam' de Parcis Statius Sylv. l. III. ad uxorem. *Heins.*

32 *Omnia debentur vobis*] *Debemur* optime pri. Mediceus; quo alludunt Florent. S. Marci, prim. Vatic. sec. Palat. Neapol. tert. Medic. prim. Erfurt. Spirensis, et sex alii, in quibus *debemus.* Censeo etiam scribendum *paulumque morata,* pro *morati.* Horatius, 'Debemur morti nos nostraque.' Paulo ante, 'In quem recidimus, quicquid mortale creamur.' Lucanus lib. VII. 'Quicquid signiferi comprensum limite cæli Sub Noton et Borean hominum sumus, arma movemus.' Vide plura hujus generis Notis ad lib. V. Mox non sunt audiendi codices qui *sedem ad imam* pro *unam* exhibent. Horat. Od. II. 3. 'Omnes eodem cogimur;' ubi plura ad rem. Epicedio Drusi, 'Tendimus huc omnes: metam properamus ad unam: Omnia sub leges mors vocat atra suas.' Virgil. Æn. II. 'Hanc ex diverso sedem veniemus ad unam.' *Idem.*

33 *Serius*] 'Serius ocyus Sors exitura.' Horat. Od. II. 3. Πᾶσιν ἀνθρώποις ὀφείλεται ἀποθανεῖν ἢ πρότερον ἢ ὕστερον. Archinus. 'Longius aut propius sors sua quemque manet.' Propert. II. El. 28.

36 *Justos annos*] Hominum opinione 'injusti' sunt anni eorum qui citius de vita demigrant, dicunturque ante diem rapi seu emori. *Pont.*

37 *Pro munere poscimus usum*] Ut Eurydice uti fruique possim.

41 *Tantalus, &c.*] Vide lib. IV. 457. *Farn.*

42 *Stupuitque Ixionis orbis*] Ixion cum Junonem de stupro interpellasset, ad inferos damnatus rota assidue circumagitur.

43 *Nec carpsere*] Tityi subaudiatur: nam cum Latonam violare tentasset, in novem jugera distentus, jecore suo vultures assidue pascere narratur. *Volucres*] Τὸν Τιτυὸν κατὰ γῆς δύο γύπες ἔδουσιν. Lucilius, Antholog. B.

44 *Belides, Sisyphe, Tum*] 'Quid mirum? ubi illis carminibus stupens Demittit atras bellua centiceps Aures, et intorti capillis Eumenidum recreantur angues?' &c. Horat. Od. II. 13. *Farn. Inque tuo*] Sisyphus, Æoli filius, cum Isthmum infestaret, ad inferos trusus, saxum in montis cacumen subvolvere cogitur, quod semper in vallem devolvitur.

46 *Nec regia conjux*] Proserpina. *R. Nec regia*] Memoriæ proditum est, inquit Pausanias in Bœoticis, Orpheum, uxore mortua, venisse ad Aornum Thesprotiæ, ubi per necromantiam evocarentur umbræ: ibi, cum Eurydices animam pone sequi putasset, et sua se opinione falsum respiciens animadvertisset, ultro sibi ipsi, mœrore confectum, mortem conscivissse. Ejusmodi de Bavaro quodam refertur fabula a Sabino. Neque illepidum est illud carmen Hispano scriptum idiomate et ingenio, quo invertitur hæc Orphei fabula. *Abuscara su muger Orfeo baxo à el infierno. Que por la muger no pudo baxar à otra parte Orfeo.* Orpheus ad inferos descendit quæsitum uxorem. 'Nam ubi alias quærenda erat uxor?' Descendebat cantans. 'Et hoc licebat viduo jam et cælibi.' Dederunt Orpheo Pluto et Proserpina ut uxorem abduceret. 'Pacatiorem scilicet fore locum rati unde mulier discessisset, et umbris sane subsecuta est a suppliciis suis cessatio.' Sed hac lege dederunt hoc Orpheo, ne illam respiceret, priusquam ad superas oras reversus esset. 'Ille, ne cruciatum sibi ab inferis in superas auras subveheret, consulto respexit.'

50 *Rhodopeius Orpheus*] Rectius *heros* prim. Palat. prim. Basil. prim. Vatican. prim. Moret. aliique complures. *Heins.*

53 *Acclivis trames*] Puto *acclivus*, quo modo Zulichemianus: sic noster solet. Vide Notas libro IX. 334. et Fast. III. 13. *Idem.*

55 *Nec procul abfuerant*] *Abfuerunt* S. Marci. *Idem.*

58 *Prendique et prendere certans*] Omnes nostri *captans* præter Florentinum S. Marci, Bernegger. Excerpta Jureti ac Calandræ, et unum Bononiensem: sic 'captans prensare' Auson. Mosella vs. 275. Phædrus lib. V. 'Calvi momordit musca nudatum caput; Quam opprimere captans.' Nil muto tamen. Fast. I. 'Quærere ut absumant, absumta requirere certant.' *Idem.*

61 *Quid enim nisi se quereretur amatam*] *Nisi subsequeretur amantem*, vel *amatam*, multi veteres: *si subsequeretur* Florent. S. Marci et alter Twisdenius: *nisi se sequeretur* prim. ac sec. Medic. et septem alii cum Spirensi. Scribe, *quid enim sese quereretur amatam? Quid enim nisi sequeretur* Noricus. *Idem.*

63 *Revocataque rursus eodem est*] *Revolutaque* vetustiores magno numero. Virgil. 'Rursus et in veterem fato revoluta figuram.' Apud Val. Flaccum lib. III. 'revolutaque puppis Turbine flectit iter:' ubi *resolutaque* nunc legitur perperam. *Idem.*

65 *Quam tria qui timidus*] *Timidas* alter Hamburg. *tumidus* Langerman. et unus Voss. *tumidi* prim. Reg. *timidi* Medic. chartaceus. Puto *Stygii canis:* illud *midi* in *timidi* ex *medio* repetitum est. 'Stygius canis' passim Poëtis Cerberus dicitur. 'Stygius

janitor' Silio lib. III. *Idem.* *Medio*] Collo subaudiatur. Nam e tribus Cerberi collis medium catenis fuerat ligatum. *Micyl.* *Qui timidus*] Vir quidam erat timidus, qui metu Herculis speluncam subiit, unde capite inclinato procumbens, prospiciens aliquando Herculem, dum Cerberum traheret, diriguit, in saxum versus. Suidam adi in Δειλότερος τοῦ παρακύπτοντος, et Zenobium.

68 *Quique*] Lethæa, forma sua freta, se Deabus prætulit. Cujus superbiam cum illæ jam ulturæ essent, uxoris crimen in se transtulit Olenus, supplicio interveniens: una itaque cum uxore in lapidem fuit conversus. Turneb. I. 23. legit, *tuque o confixa figuræ Infelix Lethæa tuæ:* atque interpretatur: tu, o Lethæa, cum figura tua in lapidem obriguisti. Mei certe membranei manu exarati habent, *tuque o confisa figura Infelix Lethæa tua.* Farn.

69 *Olenus*] *Olenos* veteres majori ex parte; et *confisa figuræ tuæ,* non *figura tua:* ut apud Lucanum lib. x. ‘Quem formæ confisa suæ Cleopatra sine ullis Tristis adit lacrymis.’ Pro *Lethæa* unus Medic. *Letheti: Lethæc* prim. Strozzæ, et sec. Med. et Florent. S. Marci, a manu secunda; Neapol. *Lethie:* lege *Lethei.* Heins.

71 *Humida*] Πολυπίδαξ, fontibus scatens. *Farn.*

73 *Portitor arguerat*] *Arcuerat* tres scripti præter Bernegger. et Thuaneum; vere. *Heins.*

77 *Pulsumque Aquilonibus Hæmum*] Montes sunt Thraciæ Rhodope et Hæmus, Boreæ obnoxii. *R.*

78 *Tertius*] Tertia jam vice Sol emensus fuerat Zodiacum, cujus ultimum signum *Pisces.* Farn. *Æquoreis Piscibus*] Ita et veteres. Scribe nihilominus *ætheriis Piscibus:* de signo enim cœlesti hic agitur. Paulo ante *Hæmon* pro *Hæmum* tres scripti: sic et alibi non semel. *Heins.*

Fab. II. 87 *Area, quam*] Orpheium hoc theatrum nostro lib. I. 22. et Martiali 21. Epigr. lib. Spectacul. *Farn.*

89 *Diis genitus vates*] Orpheus, Apollinis et Calliopes filius.

90 *Chaonis*] Quercus qua Chaonia, olim Molossia, in Epiro abundat.

91 *Nemus*] Populeum. Lib. II. 340. Sed adi Indicem poëticum nostrum, tit. *Arbores:* quibus adde quæ Seneca in Œdipo, vs. 350. *Farn.* *Heliadum*] Solis filiarum. Helios enim Sol dicitur. *Frontibus esculus altis*] Nostri omnes *frondibus;* quomodò etiam Scholiastes Statii agnoscit Theb. VI. Sic libro XI. ‘non alta fronde virentem Ilice detraxit virgam.’ Paulo ante *arbos* duo veteres. *Heins.*

92 *Et innuba laurus*] Innupta virgo Daphne. *R.* *Innuba*] Lib. I. 478. *Farn.*

95 *Platanus genialis*] Genio ac voluptati dicata. *Acerque*] Unde acernæ mensæ post citreas in pretio apud priscos fuisse scribuntur. *R.* *Genialis*] Umbram hospitalem præbens convivantibus. Virg. Georg. IV. ‘ministrantem platanum potantibus umbram.’ *Coloribus*] Crispo macularum discursu varia. Plin. XVI. 15. *Farn.*

96 *Amnicolæ salices*] Juxta fluvios nascentes.

98 *Baccis cærula ficus*] *Pinus* Florent. S. Marci, Spirensis, prim. Medic. et tres alii: neque aliter Scholiastes Statii; quod tamen ferri non potest, cum *pinus* postea sequatur: *cinus* Langermanni codex; quod ex suo etiam notavit Constantius Fanensis. Scribendum *tinus,* ut jam monuimus ad Art. Amat. III. 692. ubi vide quæ noto. Pro *buxus* paulo ante *buxum* idem S. Marci codex; ut Art. lib. III. ‘Nec densum foliis buxum fragilesque myricæ.’ *Heins.*

99 *Flexipedes*] Cissos adolescens fuit histrio et saltator Liberi patris; qui dum thyasos exerceret, in profundum terræ hiatum casu lapsus, interiit. Tellus in gratiam Bacchi

pro juvene remisit hederæ fruticem, quæ nunc etiam flexipes est, implicitos staticulorum nexus imitata: ex Geoponicis Parrhasius. *Farn.* *Vos quoque flexipedes, &c.*] Cum enim edera flexuosis et errabundis flagellis per humum serpat, velutque pedibus flexis et curvis erret, *flexipes* accommodatissime dicta est. Ea est sacra Baccho. *Pont.* *Et una Pampineæ vites et amictæ vitibus ulmi*] Ita constanter libri veteres. Repono nihilominus *et uva amictæ vites.* Scholiastes Statii et quatuor scripti *amicæ;* perperam: quod Constantio tamen Fanensi arridebat, ex illis Plinii lib. XVI. 'vitiumque amicitia accipitur ulmus.' Vide quæ notamus ad lib. I. Fast. 153. Alter Erfurtanus *et amatæ.* Heins.

103 *Et succincta comas*] Nam pinus in vertice solum frondes emittit.

104 *Grata Deum matri*] Cybele. *R.* *Grata*] Puer a Cybele amatus, qui cum in Sagaritide nympha peccasset, in furorem versus se castravit, mox a Dea in pinum versus est. De quo post cæteros Mythologos legatur Gyraldus Syntagm. 4. et Catulli Galliambicum, et Arnobius lib. v. et Diodorus Sic. lib. IV. *Farn.*

FAB. III. 106 *Affuit huic turbæ*] Cyparissus puer fuit formosissimus, Apollini gratus, qui cervum, quem in deliciis habebat, cum imprudens occidisset, tanto est affectus dolore, ut, cum mori omnino vellet, in arborem cupressum ab Apolline fuerit commutatus. *Metas*] Κωνοειδής, metæ modo in acutum surgens, pyramidalis. Virgil. Æneid. III. 'coniferi cyparissi:' hinc etym. ἀπὸ τοῦ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρέμωνας.

107 *Deo illo*] Apolline, qui cithara et arcu æque claret.

109 *Carthæa*] Est Carthæa una ex quatuor urbibus Ceæ insulæ e numero Cycladum, Cyparissi patria.

110 *Ingens*] Adumbratus hic cervus est ad illum Sylviæ et Tyrrhidarum Æneid. VII. sed huic cultus elegantior. *Patentibus*] Patalis scil. cervus, Arist. lib. IX. hist. ad animalium παταλίας. *Farn.*

115 *Parilesque ætate nitebant Auribus e geminis*] *Parilique,* et *in geminis,* plerique meliores. Pro *ætate,* quod mendosum est, unus Gronovii *ex arte;* unus Medic. *in core;* unus meus, *a mane:* multi *parilique nitore.* Scribe cum sec. Vatic. quarto Mediceo, et tribus aliis, *parilique ex ære.* Heins.

116 *Baccæ*] Margaritæ, uniones.

120 *Ceæ gentis*] Cea insula est Ægæi, unde Ceus, a, um, derivatur. *R.*

121 *Cyparisse*] Silvani hunc fuisse amasium tradit Servius ad vs. 20. Georg. I. Virg. cervam mansuetam a Sylvano inscio interemptam, hinc puerum dolore extinctum a Sylvano in arborem versum. Pierius lib. II. Hieroglyph. Asclepiadem citat auctorem, nomen huic arbori inditum a Cyparissa filia Boreæ regis Celtarum. Didymus Cyparissos Eteoclis filias fuisse dicit, quæ, choreas ducentes, in puteum devolutæ, a Tellure vicem earum miserata in arbores versæ sunt. *Farn.*

122 *Undas*] *Undam* scripti plerique. *Heins.*

123 *Tu modo texebas*] Primus et sec. Medic. Neapol. Spirens. pri. Hamburg. et quatuor alii, *tendebas:* tres *sternebas* cum fragmento Cæsenati, S. Marci veterrimo libro, et sec. Palat. *sibi texebas* Cantabrig. *spargebas* unus Leidens. *terrebas* unus Voss. *Idem.*

124 *Huc latus et illuc*] Scribe *latus,* a ferendo; et sic unus Mediceus. Posset et *vectus.* Idem.

128 *Sua corpora*] *Tergora* unus Gronov. alii *brachia* vel *pectora.* Idem.

142 *Lugebisque alios*] Hoc ex Romana consuetudine dictum est. Nam (ut Servius scribit) cupressi rami ante fores domus in qua esset cadaver ponebantur, ne quis per imprudentiam ingrediens pollueretur; unde

illam inferiis fuisse consecratam dicunt, hoc est, lacrymis et luctibus: vel, quod cæsa nunquam revirescit. *R.* *Lugebisque*] Plinius Diti sacram cupressum dicit, eoque funebri signo ante domos poni solitam. *Mic.* *Lugebisque*] Cupressum rogis adhiberi scribit Varro propter gravem ustrinæ nidorem: amovendi scilicet tetri cadaveris gratia. Plin. lib. XVI. 33.

FAB. IV. 144 *Turba volucrumque*] *Turbæ* pri. Reg. pri. Basileensis, sec. Vatican. quart. Medic. et tres alii: lib. V. 301. monui videri scribendum, *turba volucrisque*. Heins.

148 *Ab Jove, Musa parens*] Calliopem Musam sibi matrem invocat Orpheus. Ex principio autem hymni Orphei in Jovem hæc sumpta esse videntur.

150 *Plectro graviore*] Sono graviore, quali bella cantari solent. *Gigantes*] Lib. I. 151. et 184. *Gigantes*] *Gigantas* S. Marci, Bernegger. pri. Pal. prim. Medic. pri. Vatic. Cantabrig. prim. Erfurt. Spirens. et duo alii; quomodo et alibi sæpe. *Heins.*

151 *Phlegræis*] Hos alii in ea parte Macedoniæ quæ postea Pallena dicta est; Stephan. alii in Thessalia; in Campania alii statuunt, ubi Forum Vulcani. *Farn.* *Victricia fulmina*] *Carmina* octo ex melioribus; quod non intelligo quid sibi velit. *Heins.*

152 *Leviore lyra*] Humiliore sono, amoribus convenienti. *R.*

155 *Phrygii Ganymedis*] Ganymedes Trois Phrygiæ regis filius a Jove in aquilam verso raptus fingitur. Ἐγὼ Γανυμήδην οὐ σώματος ἀλλὰ ψυχῆς ἕνεκα ὑπὸ Διὸς δὲ φημὶ Ὄλυμπον ἀνενεχθῆναι, &c. Xenophon in Symposio. Videatur Sabinus, et Cl. Minos in Alciati embl. 4. *Farnab.* *Ganymedis amore*] Ex Virgil. V. 'Puer frondosa regius Ida...quem præpes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.'

158 *Nisi quæ posset sua fulmina ferre*] *Portet*, vel *portat, terræ*, aut *terris*, plerique veteres; *quo portat terræ* unus; alius, *qua portet terræ;* duo *quæ portet terra: portat terra* prim. Hamburg. Arond. *quæ possit ferre.* Scribe, *quæ possit sua fulmina ferre:* vel, *nulla tamen alite verti Dignatus, nisi cui possent sua fulmina ferri;* quod malo. Silius de aquila libro XII. 'Illa hostem rostro atque assuetis fulmina ferre Unguibus incessens.' Hinc 'Jovis armiger' aquila dicitur Virgilio lib. V. Nostro lib. XIV. Germanico et Avieno in Arateis: 'Tonantis Armiger' Claudiano; 'minister fulminis ales' Horatio; 'flammiger ales' et 'vector fulminis' Statio. Allusit autem hoc loco noster ad signum Aquilæ cœleste fulmen unguibus tenentis. *Heins.* *Nisi quæ portat sua fulmina terræ*] Periphrasis est aquilæ, quæ fulmina Jovi subministrare dicitur.

160 *Arripit Iliaden*] *Abripit* Florent. S. Marci, Urbin. Spirensis, et duo alii; bene: vide libro VII. 735. *Heins.* *Iliaden*] Ili nepotem. *R.*

161 *Invitaque*] Ægre ferenti rapti Ganymedis honores, remota a pocillandi ministerio filia sua Hebe. *Farn.*

FAB. V. Arg. *Te quoque Amyclide*] Hyacinthus puer fuit formosissimus, ab Apolline simul et Zephyro vento adamatus. Qui cum in Apollinis amorem magis inclinaret, ob zelotypiam in se Zephyrum armavit. Cum igitur se disco cum Apolline exercerēt, Zephyrus vehementius flare cœpit, discumque ab Apolline in aërem conjectum ita repercussit in Hyacinthum, ut ipsum interfecerit. Apollo autem, ne tam formosi pueri memoria interiret, ipsum in sui nominis florem commutavit. *R.*

162 *Amyclide*] Fili Amyclæ, qui urbem Amyclas condidit. *Farn.*

164 *Qua licet, æternus, &c.*] Non es adeptus æternitatem qualem Ganymedes, sed qualem potuisti, in florem mutatus, ac verno tempore exoriens, dum Sol Arietis signum ingreditur. *Pont.*

167 *Te meus ante omnes*] *Ante alios* meliores. Deinde *orbis in medio*, non *orbe*, unus Thuan. Paulo ante pro *viridi cespite* Boschii liber, quo Gruterus usus, *vivoque*. Horat. ' Hic vivum mihi cespitem, hic Verbenas pueri ponite thuraque.' Ausonius Ephemerid. ' foculum vivi cespitis' dixit. Calpurnius Eclog. v. ' tum cespite vivo Pone focum.' Val. Flaccus libro v. 61. ' tum vivo frondens e cespite tellus Aggeritur, cineremque Lyco commendat Iason;' sic scribe : perperam legebatur *frondes et cespite tellus*. Sic et ' vivax cespes,' Fast. IV. 397. *Heins. Meus genitor*] Apollo. Nam Apollinis et Calliopes Musæ filium se esse Orpheus ipse testatur. *R. Orbe*] Apollo amore Hyacinthi captus, deserto oraculo Delphico, juxta Parnassum, quem τὸν τῆς γῆς ὀμφαλὸν appellat Strabo lib. IX. ad quem locum vide quos citat Is. Casaubonus; et fab. quam ex Pindaro citat, de duabus columbis a Jove emissis ex Oriente et Occidente, quæ hic convenerint. *Farn.*

169 *Eurotan*] Fluvius est Laconiæ. *Immunitamque*] Lacedæmonii mœnibus urbem cingere diu noluerunt, ut qui tuendæ urbi virtutem juvenum sufficere arbitrarentur. *Farn.*

171 *Immemor ipse sui*] Suæ divinitatis.

173 *Ire comes*] *Isse* prior Erfurt. et alii quinque. Idem Erfurt. *longa trahit assuetudine flammas*, pro *longaque alit*. Heins.

176 *Succo*] Oleo se ungere non luctaturi modo, ut ad lib. IX. vs. 35. dictum, sed et lusuri solebant. *Pinguis olivæ*] *Olivi* meliores : ut apud Statium Theb. VI. ' pinguique cutem fuscatur olivo.' Sammonicus cap. 50. ' succos inspergere pinguis olivi :' auctor Moreti, ' Palladii guttas instillat olivi.' Horat. ' olivum Sanguine viperino Cautius vitat.' *Idem.*

177 *Ineunt certamina disci*] ' Seu splendentem sub sidera nisu Exigeret discum.' Silius lib. XIV. Et Statius Thebaid. VI. ' abenæ lubrica massæ Pondera vix toto curvatus corpore juxta Dejicit.' Smyrn. lib. IV. σόλον περιμήκεά τε βριαρόν τε. Pindar. Olymp. X. Μᾶκος δ' Ἐνικεὺς ἔδικε πέτρῳ Χέρα κυκλώσας ὑπὲρ ἅπαντας. *Disci*] Orbis ex ferro, ære, lapide, aut etiam ligno; qui medius loro, vice amenti, trajectus, in sublime jaciebatur, ut infra præscriptos fines decideret. Mercurial. Gymnast. lib. II. 12. *Farn.*

180 *Decidit*] Etiam hoc loco *Recidit* vetustiores plerique : dictum alibi. *Heins.*

181 *Artem*] Nam ita emittebatur, ut in gyrum se volvens recideret in terram. *R.*

182 *Protinus imprudens actusque cupidine lusus*] *Ludi* in multis antiquis : *actusque cupidine jussus* Florent. S. Marci : *artisque cupidine lusus* prim. Gronov. sec. Pal. sec. et tert. Medic. Neap. Bernegger. Thuan. pr. Erfurt. pr. Hamb. Spirensis, aliique non pauci; sed *artem* præcessisse vidimus : alii aliter. *Incumbens* etiam pro *imprudens* prior Erfurt. et unus Leid. *artisque cupidine ductus* Menagianus. Vide quæ notamus lib. VIII. 123. *Heins.*

183 *Tænarides*] Lacon. Tænarus enim Laconiæ promontorium.

184 *Dura*] Zephyrum Apollinis rivalem, et sibi in amore prælati, vehementius flantem divertisse discum in pueri caput, scribunt Palæphatus lib. I. et Tzetzes Chil. I. 2. et Lucianus in Dialogo Apollinis et Mercurii. *Farn. Repercusso subjecit in aëre*] *Repercussum in aëre* prim. Medic. Thuan. Spirens. et quatuor alii. Tum lege *Et vultus, Hyacinthe, tuos* : unus Argent. *repercusso ab aëre*; non male. *Heins.*

186 *Quam puer*] *Ac puer* prim. Bononiensis; probe. *Idem.*

190 *Ut si quis*] ' Purpureus veluti cum flos succisus aratro Languescit moriens, lassove papavera collo De-

misere caput,' &c. Virgil. de Euryalo Æneid. IX. 435. *Farn.* *Riguoque papavera in horto*] *Riguove papaver* Neapol. Arondel. et sex alii. *Heins.*

191 *Fulvis hærentia linguis*] *Lignis* Florent. S. Marci, Thuan. Spirens. uterque Erfurt. aliique complures: *truncis* pri. Gronov. et unus Mediceus; quod ipsi Gronovio arridebat: *signis* duo alii; *virgis* prim. Moreti, Arondel. pri. Reg. sec. Palat. Neapol. sec. Medic. Oxon. Excerpta Mureti, et præterea non pauci; quod sequor. Statius Theb. VII. de rosis, 'informes ornat sua gloria virgas.' Ad rem Plinius lib. XXI. 5. de liliis, 'Nec ulli florum excelsitas major, interdum cubitorum trium, languido semper collo, et non sufficiente capitis oneri.' Virgæ liliorum recte fulvæ dicuntur, cum infractæ fulvescant, virides cæteroquin. Posset tamen et legi, *virgis hærentia longis.* Idem.

194 *Sic vultus moriens jacet, &c.*] *Vultum* unus meus: alius *vultu.* Scribe, et redde Nasoni suos numeros, *Sic vultu moriente jacet: defecta vigore, &c.* nisi altius mendum putas subesse, et scribendum, *Sic vultus moriens flaccet;* quod proprium huic rei verbum; vel *marcet;* et tum supra pro *Marcida* sit reponendum *Flaccida.* Vide Nonium in *Flacceo;* pro quo *Flaccescere* magis in usu: sic *ægrere, pigrere, senere,* veteres dicebant, *dulcere, lentere,* et similia; de quibus Nonius copiose. *Idem.*

196 *Œbalide*] Œbali urbs est Laconiæ. Micyllus per Prolepsin dictum vult ab Œbalo Hyacinthi nepote ex Cynorta fratre. Apollo ipse apud Lucianum dict. dial. ἐρώμενον πενθῶ τὸν Λάκωνα τοῦ Οἰβάλου. *Farn.*

197 *Videoque tuum, mea crimina, vulnus*] Elegans appositio: cui non dissimile illud Virg. Æneid. IX. 'nec te, tua funera, produxi.'

203 *Quod quoniam fatali lege vetamur*] *Tenemur* plerique vetustiores: at Bernegger. Excerpta Jureti, duo Leidens. et alii quindecim, *sed quoniam fatali lege tenemur:* 'teneri legibus' formula Juris, ut in illo, 'patriæ teneor nec legibus ullis,' apud Maronem. Neque aliter Cicero passim, et Livius, et cæteri ex optimis scriptores. Etiam Lucretius lib. II. 'Sed ne forte putes animalia sola teneri Legibus his.' *Sed tenetur* Arondel. *quod tenetur* prim. Hamburg. et duo alii. *Heins.*

206 *Scripto*] Literis; nam in Hyacintho flore *aï* syllaba gemitum significans bis inscripta videtur. *R.* *Scripto*] Mox, vs. 215.

207 *Fortissimus*] Ajax Telamonis, e cujus sanguine natus flos hyacinthus. 'Qui prius Œbalio fuerat de vulnere natus: Litera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis; hæc nominis, illa querelæ;' lib. XIII. vs. 396. unde liquet scribendum non *hya,* ut in vulgatis, sed *ai ai.* Farn.

208 *Folioque legatur eodem*] Nam in Hyacinthi foliis (ut dixi) prima syllaba hujus nominis *αἴας* inscripta videtur. *Raph.*

210 *Qui fusus homo*] *Humi* meliores. *Heins.*

213 *Purpureus color his*] *Huic,* nempe flori, cum uno meo, et uno Voss. *Idem.*

215 *Et ai ai*] Monstra lectionum sunt in antiquis libris, *et ya, et aë, et ay: et ia, et aia, et e e: et eæ, et æ æ:* pluraque hujus notæ: Vulgata scriptura sincera est. Moschus Epicedio Bionis, Νῦν, ὑάκινθε, λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἶ αἶ Λάμβανε σοῖς πετάλοισι. Pro vulgata etiam stat illud Nostri, 'cum se fortissimus Ajax Addat in hunc florem, folioque legatur eodem.' Hinc Virgilio 'inscripti nomina regum flores' hyacinthi dicuntur; ubi Servius cum Probo insigniter nugatur, cum negat Ajacis nomen hyacinthis esse inscriptum, sed *Hya,* primas Hyacinthi literas. Plinius lib. XXI. 12. de hoc flore, 'ita

discurrentibus venis, ut Græcarum literarum figura AI legatur inscripta.' Hinc ἁ γραπτὰ ὑάκινθος Theocrito dicta Idyll. x. ubi Scholiastes inter cætera, διά τοι τοῦτο ἔχειν ἐγγεγραμμένον, αἶ, αἶ, τὴν ἀρχὴν τοῦ ὀνόματος τοῦ Αἴαντος. Nonnus Dionys. lib. III. Γράμματα δενδρήεντα φιλοκλαύτων ὑακίνθων. Et mox, Αἴλινον αὐτοκέλευστον ἐπιγράψας ὑακίνθων. *Heins.* *Ai ai*] Ita apud Soph. Ajax 430. Αἶ, αἶ· τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς; Adstipulante Plinio lib. XXI. 11. Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens ejus quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discordantibus venis, ut Græcarum literarum figura AI legatur inscripta. Lege quæ Rigaltius in Tertullianum de coronis, et quæ G. Sabinus referat de ejusmodi flore ad Laz. Bonamicum Alexandria allato: quin et Planudes vertit: καὶ αἶ αἶ τὸ ἄνθος ἔχει δὴ γεγραμμένον. *Farn.*

217 *Nec gemuisse pudet*] *Genuisse* vetustiores: sequentia id requirunt. *Heins.* *Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthum*] Non simpliciter de loco seu patria accipiendum, sed et de persona Sparta. Fuit enim hæc uxor Lacedæmonis, mater Amyclæi, ipsiusque Hyacinthi avia; ut Pausan. tradit. *Micyl.*

219 *Hyacinthia*] Horum festorum meminit Pausanias bis in Laconicis: ἐν Ὑακινθίοις πρὸ τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος θυσίας ἐς τοῦτον Ὑακίνθῳ τὸν βωμὸν διὰ θύρας χαλκῆς ἐναγίζουσι, et in Messenicis. *Farn.*

FAB. VI. Arg. *At si forte roges*] Per comparationem ostendit Orpheus pueros formosos et Diis placuisse, et maximo ornamento suis fuisse civitatibus; puellas vero contra et Diis perquam displicuisse, et maximo suas urbes dedecore affecisse. Nam Propœtides quædam Venerem Deam esse negare ausæ, non minore sunt odio civibus suis quam Cerastæ quidam, qui in ara hospites immolabant: quos ut Venus in juvencos convertit, ita Propœtidas et sua corpora primas prostituere coëgit, et in saxa commutavit.

220 *Fœcundam Amathunta metallis*] *Metalli* malim cum uno Gronoviano: sic infra vetus codex *gravidamque Amathunta metalli*; quomodo et apud Silium libro II. 'Mellis apes gravidæ.' *Heins.* *Amathunta*] Cypri urbem, ut et ipsam insulam ærifodinis claram. *Farn.*

221 *Propœtidas*] Quæ Venerem Deam esse negare ausæ, numinis ira, postquam corpora sua vulgo prostituissent, in lapides versæ sunt. *Annuat æque*] Imo *abnuat*: certe *abnuit* in multis veterum: quatuor cum prim. Reg. *abnuet*. Heins.

223 *Cerastæ*] Cyprus ipsa Cerastis olim dicta, quod multa κέρατα, inquit Stephanus, hoc est ἄκρα, id est, promontoria habeat; unde forte occasio fabulæ.

225 *Lugubris sceleris*] Hæc mendosa sunt. Florent. S. Marci, *Inlugubris celeri:* Neapol. pri. Medic. et quatuor alii, *Inlugubri sceleris: Inlugubris sceleri* pri. Vatican. tert. Medic. et duo alii: at Spirensis, *Inlugubris sceleris:* Bernegger. sec. Palat. prim. Erfurt. sex alii, *Illugubris celeris:* unus Medic. et Jureti Excerpta, *Illugubris sceleri: Lugubris celeris* Arond. et Genev. *Lugubris celeri* unus Leidens. *Lugubris sceleri* tres: alter Hamburg. *illigubris sceleri.* Forte, *Ilicibus celebris;* ut alibi 'celeberrimus ilice lucus:' vel, *In luco obscuro;* vel *Ilice sub veteri*, ut apud Virg. 'juxtaque veterrima laurus Incumbens aræ.' Viderint acutiores. *Heins.*

227 *Amathusiacasve bidentes*] *Amathusiadesque* unus Leidensis. Lege *Amathusiadasve:* sic 'Amathusias renidens' in versibus Symmachi, quos emendabo infra hoc libro ad vs. 558. *Idem.* *Amathusiacas bidentes*] Cyprias oves. Nam Cyprus *Amathusia* etiam

fuit appellata. *R.*

229 *Ophiusiaque*] Cypria: cujus tamen nominis Cypro competentis neque mentio ulla apud Geographos, neque ratio apud interpretes. *Farn.*

232 *Gens impia*] Cerastarum.

233 *Fugæque*] Exilii.

237 *Torvos*] Truces, terribiles aspectu. *R.*

FAB. VII. 238 *Sunt tamen obscœnæ*] Quamvis, inquit, Cerastas in juvencos converterit Venus, Propœtides tamen ausæ sunt eam negare Deam esse.

239 *Pro qua*] Pr. Vatic. quinque alii, *quo;* ut et a manu secunda Florent. S. Marci; idem a manu prima *pro quis.* Heins.

240 *Vulgasse*] Prostituisse. *R.* Videtur hæc fabula a libidine et turpitudine Cypriarum mulierum occasionem traxisse. Nam et Herodotus et Justinus tradunt, antiquitus Cyprias quæstu corporis dotem quærere, vulgoque ad littus etiam advenis ac nautis prostare solitas fuisse. *Micyl. Corpora vulgasse*] Hinc 'Venus volgivaga' Lucr. Πάνδημος ἑταίρα. 'Meretrix fortunati est oppidi simillima; non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.' Plaut. Cistellar. I. 1.

FAB. VIII. Arg. *Quas quia Pygmalion ævum*] Pygmalion quidam, flagitiis Propœtidum offensus, vitam cœlibem exigere decrevit, sed ex ebore virginis simulacrum adeo fabre effinxit, ut, perinde atque si viva esset, illius amore caperetur. Quare Venerem oravit, ut sibi talem concederet uxorem. Venus autem plusquam petebatur effecit. Nam illi quam in lecto Pygmalion collocaverat animam inspiravit, nubilemque ætatem donavit: ex insperato igitur Pygmalion voti compos factus, ex ea Paphum sustulit, a quo et insula, et urbs Paphos fuit appellata. *R.*

243 *Per crimina agentes*] *Per crimen* meliores. *Heins.*

248 *Sculpsit*] *Sculpit* prim. Ambros. sec. Medic. et duo alii. *Idem.*

250 *Virginis est vere facies*] *Veræ.* Idem.

251 *Velle moveri*] *Posse* pr. Gronov. et alii duo. *Idem.*

252 *Ars adeo latet arte sua*] Ita distingue. *Idem. Haurit*] Philostephanus in Cypriacis author est, inquit Arnobius lib. IX. Pygmalionem regem Cypri simulachrum Veneris, quod sanctitatis apud Cyprios et religionis habebatur antiquæ, adamasse ut fœminam, mente, animo, lumine rationis judiciique cæcatis, solitumque dementem, tanquam si uxoria res esset, sublevato in lectulum numine, copularier amplexibus atque ore, resque alias agere libidinis vacua imaginatione frustrabiles. Sed legatur et historia nobilis cujusdam juvenis qui simulachrum Veneris Cnidiæ impotens amabat apud Lucianum in Amoribus. *Farn.*

253 *Simulati corporis*] In similitudinem virginis effecti.

255 *Nec adhuc ebur esse fatetur*] *Nec ebur tamen* pr. Gronov. rectius. *Heins.*

257 *Insidere*] Inhærere, infigi ac subsidere, sic ut membra digitis cederent.

262 *Lilia perpictasque pilas*] *Liliaque pictasque pilas* Cantabrig. Urbin. Thuan. pr. Erfurt. pr. et sec. Palat. et alii multi. Nec pauciores *Liliaque et pictasque:* proxime verum Zulichem. *Liliaque et pictas violas: tabulas* unus Palat. *Heins.*

263 *Heliadum*] Armillas et lineas ex electro seu succino stillante a populis in quas Phaëthontis sorores versæ finguntur: lib. II. 364.

265 *Baccæ*] Uniones, margaritæ.

267 *Concha*] Purpura Sidonia, seu Tyria. *Farn.*

269 *Festa dies Veneris*] *Veneri* prim. Strozzæ. *Heins.*

271 *Et blandis indutæ cornibus aurum*] *Inductæ* plerique vetustiores: dixi lib. VII. 161. Deinde *pandis cornibus* jam puer olim legendum vidi; neque aliter in suis ad me literis

noster Gronovius: in uno meo et uno Basil. et pr. Erfurt. *auratis ornatæ cornua vittis*, vel *sertis*; sed perperam. *Blandus* etiam pro *pandus* perperam legitur apud Val. Flaccum libro II. 'Alcides Telamonque comes dum littora pando Anfractu sinuosa legunt, vox attigit aures Flebile succedens, ceu fracta remurmurat unda:' nam *blando anfractu* nihil est. Male etiam illic *cum fracta remurmurat unda* vulgati. *Idem.* *Blandis*] Politis, vittatis, inauratis. *Farn.*

273 *Munere*] Sacrificio.

276 *Similis mea, dixit, eburnæ*] *Eburneæ* Oxon. prim. Erfurt. aliique multi; rectius. *Heins.*

277 *Venus aurea*] Homero passim χρυσῆ Ἀφροδίτη. *Farn.*

279 *Flamma*] Felicis utique ominis erat: sic ubi in sacris et libaminibus crebrius et altius emicarent ignis scintillæ et flammæ. Georgic. IV. 385. 'Ter flamma ad tecti summum subjecta reluxit. Omine quo firmans animum,' &c.

283 *Tentatum*] Non una et sola fuit hæc virgo eburnea aut marmorea: plurimas credo, duras primum et difficiles amatoribus, obsequio tamen et assiduis precibus emollitas. *Farn.*

284 *Subsedit*] *Subsidit*, bene, unus Medic. *Heins.*

285 *Tractataque pollice multas Vertitur in facies*] *Flectitur* plerique meliores; sic apud Horatium, 'Cereus in vitium flecti.' Male plurimi veterum, *multas quæ pollice tracta.* Idem.

287 *Et dubie gaudet*] *Et medio* multi. Arondel. et tres alii, *timide*: placet. Lib. IX. 'Nec timida gaudete fide.' *Idem.*

289 *Corpus erat*] Proprie: 'Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res.'

290 *Paphius*] Pygmalion Cyprius, sed προληπτικῶς. *Farn.*

291 *Grates agit*] *Agat* ex castigatioribus. *Heins.* *Ora non falsa*] Veram faciem. *R.*

293 *Ad lumina lumen Attollens*] *Ad limina* cum uno Moreti et uno Bonon. Val. Flac. lib. VII. 'Jam jactata toro, nimiumque experta cubile, Ecce videt tenui candescere limen Eoo.' *Heins.*

297 *Illa Paphum*] *Paphon* vetustiores plerique. Versu proximo opinor legendum *Editus hoc ille est*, non *hac*; ut Paphi filium fuisse designet Cinyran, Pygmalionis nepotem. Certe Apollodorus, quanquam de Cinyra rem longe aliter narrat, tamen Pygmalionis generum facit, cujus filiam Metharmen duxerit uxorem. *Idem.*

FAB. IX. 298 *Editus hac ille est*] Cinyras Pygmalionis filius Myrrham genuit, quæ, nefando patris amore capta, nutricis opera cum eo inscio concubuit, Adonimque concepit; quod cum rescivisset pater, stricto ense filiam persequi cœpit: illa vero fugiens in Arabiam usque pervenit; ubi, longo errore fessa, Deorum miseratione in arborem sui nominis fuit mutata. Vide Fulgentium libro tertio. *R.*

299 *Felices*] Erat enim rex Cypri, divitiis a Deo datis pollens, ut canit Pindarus in Nemeis ode VIII. Σὺν θεῷ γάρ τοι φυτευθεὶς Ὄλβος ἀνθρώποισι παρμονώτερος· Ὅσπερ καὶ Κινύραν ἔβρισε πλούτῳ ποντίᾳ ἔν ποτε Κύπρῳ. Lycophronis interpreti, et Aut. Liberal. Smyrna est filia Theiantis, 34. Fab.

305 *Nostro orbi*] Thraciæ. Nam Orpheus Thrax fuit. *R.* *Gentibus*] Thraciæ nostræ gelidæ, quæ non calet amore incesto.

307 *Sit dives*] Simili Epitrope utitur Virgilius in conferenda cum aliis terris Italia. Georg. II. 140. et 461. ubi cæteris vitæ rationibus rusticam præfert.

308 *Costumque suum*] *Suam* Urbin. prim. Vatican. Oxon. et sex alii cum nonnullis editionibus. Sic 'Eoaque costus' Lucano; 'sicca costus' Claudiano, ex antiquis libris, Nuptiis Honorii. *Heins.*

309 *Panchaica tellus*] *Panchaia* me-

liores; bene: sic Virgilio, 'thuriferis Panchaia pinguis arenis.' In Culice Virgiliano 'Panchaia thura' ex antiquis membranis. *Idem.* *Panchaia tellus*] Virgilius: 'Totaque thuriferis Panchaia pinguis aristis.' *R.* *Panchaica*] Panchaia Arabiæ Felicis pars felicissima, utpote flagrantissimo Solis sideri subjecta: 'Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.' Al. *aristis.* Georg. II.

314 *E tribus una soror*] Una ex furiis, Tisiphone, Alecto, aut Megæra.

318 *Elige Myrrha virum*] *Myrrha tibi* Neap. et sec. Med. *Heins.* *Unus*] Pater tuus.

323 *Sed enim*] Ejusmodi luctam videre est in Medea lib. VII. in Scylla lib. VIII. in Byblide lib. IX. *Farn.*

324 *Coëuntque animalia nullo Cætera delicto*] *Coëunt* ex vetustioribus quidam. *Nullo delectu* fragm. Cæsenas; optime: nisi *dilectu* malis cum Florentino S. Marci, quod verum est. Diligere enim idem quod seligere; hinc militum dilectus: *deletu* fragmentum Boxhornii: unus Palat. et unus Voss. *dilecto.* Heins.

328 *Ex illo concipit*] *Ex illa* Neapol. prim. et tert. Medic. et tres alii. *Idem.*

330 *Remittit*] Permittit.

331 *Gentes tamen esse feruntur*] Hi sunt Troglodytæ, Æthiopes, qui et uxores habent communes, et brutorum more vivunt.

333 *Ut pietas crescat*] *Et crescit* plurimi veteres. *Heins.*

336 *Dignus*] 'Myrrha patrem, sed non ut filia debet, amavit.' I. de Arte. *Farn.*

339 *Nunc quia jam meus est*] *Tam meus:* atque ita liber Langermannianus. *Heins.* *Meus*] Pater. *Meus*] Conjux.

340 *Proximitas*] Sanguinis et generis propinquitas. *Farn.*

341 *Patriæque relinquere fines*] Rectius codex Naugerii cum uno Bonon. *patriosque.* Sic 'patrii enses' lib. X. apud Lucanum, 'Dum patrii veniant in viscera Cæsaris enses:' hoc est, Romani enses, non Ægyptii. *Heins.*

342 *Malus ardor amantem*] *Error* pri. Moret. Excerpta Jureti, et alii viginti aut plures: *ardor euntem* pr. Gronov. Puto *error euntem.* Vide Notas Trist. I. 2. 99. 'Error' pro amore Poëtis passim; quomodo apud Virgil. 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!' nam et furor et insania amor Poëtis dictus, et amentes amantes et malesani. Plato in Phædr. IV. species μανίας θείας statuit, fatidicam Apollinis inspirationem, Bacchi mystica, Musarum afflatum. Τετάρτην δὲ Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος ἐρωτικὴν μανίαν ἐφησαμέν γ' ἀριστὴν εἶναι. Noster Amor. I. X. 'Cum bene pertæsum est, animique resanuit error:' et Eleg. II. ad Cupidinem, 'Blanditiæ comites tibi erunt, Errorque, Furorque, Assidue partes turba secuta tuas:' ita illis locis scribendum. Propertius Eleg. I. 13. 'Quæ tibi sit felix, quoniam novus incidit error.' *Heins.*

347 *Tune eris*] Ænigma simile posuit de se Œdipus in Thebiade Senecæ, vs. 134. 'Avi gener, patrisque rivalis sui, Frater suorum liberum, et fratrum parens; Uno avia partu liberos peperit viro, Ac sibi nepotes.'

349 *Crinitas*] Furias ὀφιοπλοκάμους, lib. IV. 432. et 480. scelerum ultrices. 'Nolite,' inquit Cicero pro Roscio Amerino, 'putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri furiarum tedis ardentibus: sua quemque fraus et suus terror maxime vexat; suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit,' &c. *Farn.* *Sacro angue*] Execrandis anguibus et viperis.

354 *Memorque est Moris*] Pr. Gronov. Excerpta Jureti, et quinque alii *Juris:* recte. *Heins.*

358 *Nominibus dictis*] Expositis pro-

corum nominibus. *R.* *Nominibus*] Procorum: *ταύτην διὰ κάλλος πλεῖστοι καὶ ἐκ πόλεων πλείστων ἐμνήστευον.* Liberalis fab. 34.

359 *Patrisque in vultibus*] *Patriisque* cum Arondel. et uno meo, et altero Twisdenio. *Heins.*

364 *Optat habere*] *Optet* plerique meliores. *Idem.* *Optet habere*] Ducere uxorem. Virgil. III. 'Me famulam famuloque Heleno transmisit habendam.' Et Ter. 'Nec se illam posse habere domi.' Illa autem constructio, *Optat habere*, a Græcis sumpta, etiam Virgilio et Terent. famil. 'Donat habere viro' Æneid. v. 'Date bibere' Ter. Andr. Ennius I. Annal. 'Donavitque viro divinum pectus habere.' Ex Homer. Π. vs. 386. *δοῖμεν ἔχειν.*

367 *Demisit vultus virgo*] Κάτω βλέψας. Theocrit. Idyll. VIII. et Argon. Apoll. I. vs. 790. de Medea. Ἡ δ' *ἐγκλιδὸν ὄσσε βαλοῦσα Παρθενικὰς ἐρύθηνε παρηΐδας*, &c.

369 *Igne*] *Igni* sec. Pal. pri. Erfurt. Spir. quatuor alii. *Heins.*

372 *Quid agat non invenit*] *Quod agat* cum Juniano. *Heins.* *Utque*] 'Ac veluti summis antiquam montibus ornum Cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant Eruere agricolæ certatim: illa usque minatur, Et tremefacta comam concusso vertice nutat,' &c. Æneid. II. *Farn.*

378 *Mors*] Remedium amoris ultimum, ut habet epigramma incerti autoris l. I. Antholog. c. 27. *Ἔρωτα παύει λιμός· εἰ δὲ μή, χρόνος. Ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ, Θεραπεία σοι τολοιπὸν ἠρτήσθω βρόχος.* Suidas Crateti tribuit, ut et Laërtius. *Farn.*

382 *Nutricis*] Nutricem hanc Liberalis fab. 24. appellat Hippolyten. *Farn.*

383 *Limen servantis alumnæ*] Libro IV. vs. 421. monui videri scribendum, *limen alumnum;* ut et paulo post, *ante pedes supplex procumbit alumnus*, non *alumnæ*. Heins.

385 *Instrumenta*] Zonam laquei vice de poste revinctam. *Farn.*

386 *Scinditque sinus*] Vestium subaudiatur. Id autem in magnis doloribus fieri consuevit.

387 *Tum denique flere vacavit*] Male in aliis *vetavit*, vel *paravit*. Lib. VI. 'nec flere vacat, sed fasque nefasque Confusura ruit.' Lucanus libro II. 'cui funera vulgi Flere vacet?' *Heins.*

391 *Canosque*] Hinc Phædræ nutrix illa in Hippolyto Senecæ; 'per has Senectæ splendidas supplex comas, Fessumque curis pectus, et cara ubera Precor, furorem siste, teque ipsam adjuva.' Pars sanitatis velle sanari fuit; vs. 245. *Farn.*

395 *Nec solam spondere fidem*] Nec solam fidem promittere, sed etiam opem et auxilium.

396 *Pigra*] Imo *male sedula* abunde; ut infra vs. 438. Verum de improbitate hujusmodi vetularum, quæ plerumque se scelerum et flagitiorum præstant ministras atque instrumenta, vide quæ ad hunc locum Georgius Sabinus.

397 *Habeo quod carmine sanet*] *Quæ sanet* plerique vetustiores. *Heinsius.* *Carmine*] Quid valeat Magia in amoribus solvendis aut impediendis dixi ad Æneid. IV. 'Hæc se carminibus promittit solvere mentes Quas velit,' &c. Vide etiam lib. VII. supra 200. et 225. *Farn.*

399 *Sacris placabitur ira*] *Placabilis ira* in Florent. S. Marci: Ponticis, 'placabilis' ira Deorum est.' Fast. II. 'sed et his placabilis umbra est.' Pont. III. 3. 'Effice sit nobis non implacabilis ira.' Gratius, 'Est aliud quod præstet opis placabile numen:' quomodo ibi scribendum, non *opus*. Val. Flaccus lib. IV. vs. 471. 'namque en tibi nostra voluntas: Si non ira Deum cœlo implacabilis urget:' sic versus mendosissimi restituantur. Vide Notas Trist. III. 5. 31. *Heins.*

401 *Sospes ab incursu est*] *Sospes it*

Florent. S. Marci, et Neap. Lege *sospes et in cursu est*, quomodo Bernegger. Spirens. et, a manu secunda, Florentinus S. Marci; ita noster sæpe: vulgata scriptura parum Latina est. Lib. XIII. 'In cursuque meus dolor est.' Pont. IV. 11. 'Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.' Remed. Amor. 'Dum furor in cursu est, currenti cede furori.' Sic 'furere in cursu.' Epist. Œnones, 'in cursu famulæ rapuere furentem:' ita scribe, non *incursu*. Fast. IV. 'In medio cursu tempora veris eunt.' Lib. V. 'Vox erat in cursu.' Lib. VI. 'Spes erat in cursu.' *Heins.*

405 *Quodcunque est*] *Quodcunque sit* pr. Gronov. pr. Ambros. et quatuor alii; bene. *Idem.*

407 *Complectens membra lacertis*] *Colla* sec. Palat. aliquanto rectius: at in uno Mediceo, *nata;* venuste. Natæ enim alumnæ a nutricibus appellabantur, et illæ contra ab alumnis matres. Sic nutrix Phædræ apud Euripidem ipsam allocuta, *θάρσει, τέκνον, καὶ μὴ χαλεπῶς Μετάβαλλε δέμας.* Atque ita passim Tragici; et Nonnus initio libri IV. Dionys. ter quaterve. Apud Statium Theb. VII. Antigone nutritorem Phorbantem 'patrem' appellat. Medea ad nutricem apud Valerium Flaccum, 'Quæ manus hæc, certo ceu me petat agmine, mater, Advenit, haud armis, haud unquam cognita cultu?' *Idem.*

408 *Sensimus*] Qua solertia Leptines Mathematicus, vel, ut alii tradunt, Erasistratus medicus, amorem indagarit Antiochi filii Seleuci regis, qui novercam deperiit, lege apud Plutarchum in Demetrio, Appianum in Syriacis, Val. Maximum lib. V. cap. 7. *Farn.*

410 *Exsiliit*] *Exsiluit* vetustiores. *Heins.*

417 *Et indicium laquei*] Hoc est, minatur se indicaturam patri, quod se suspendere voluerit Myrrha.

428 *Potiatur amore*] *Amato* fragmentum Cæsenas, pr. Gronov. et duodecim alii. *Heins.*

430 *Numine*] Jurejurando. *R.*

431 *Festa*] Mense Boëdromione celebrabantur Eleusinia, quæ et Thesmophoria: sed Romanis recepta Cerealia dicta. Has celebraturæ novem noctibus a Venereis abstinuere et vino: albis deinde vestibus indutæ et vittatæ procedebant. Mystæ lampades, seu faces, manu ferebant, media scil. nocte: matronæ aliæ primitias frugum offerebant: virgines præcedebant canæphoræ, cistas in capite ferentes. Vide quæ annotavi ad v. 343. *Farn.*

434 *Tactusque virorum*] *Viriles* cum melioribus. *Heins.*

435 *Turba Cinyreis in illa Regis adest conjux*] *Cencreis*, vel *Cenchreis*, Florentinus S. Marci, Bernegger. Neapol. Cantabrig. Oxon. pri. et sec. Palat. aliique complures; recte: quo alludunt nonnulli, in quibus *Cenereis.* Auctor argumentorum in Metamorphoses Myrrham Cinyræ et Cenchreidis filiam facit. Hyginus fab. LVIII. Smyrna Cinyræ Assyriorum regis et Cenchreidis filia. Apollodorus Metharmen Pygmalionis Cypriorum regis filiam ei uxorem assignat, ex qua Adonin pluresque liberos genuerit. Pro *adest* malim *abest* cum primo Palatino et Rottendorphiano: pr. Gronov. pr. Reg. et duo alii *abit:* sec. Pal. et Oxon. *turbam in illam abit.* Idem.

443 *Non toto pectore sentit*] *Corpore* Oxon. quart. Medic. et quatuor alii; bene: nam sequitur proxime, 'præsagaque pectora.' *Idem.*

445 *Sed tamen et gaudet*] *Gaudent* sec. Medic. et alius. *Flet tamen* alius Medic. Forte *Flens tamen et gaudet:* nisi mavis *Sic tamen et gaudet.* Idem. *Tanta est discordia menti*] Explicatur hoc egregie a Virgil. Æneid. IV. 'Ac veluti annosam valido cum robore quercum Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus il-

linc Eruere inter se certant, &c. Haud secus assiduis hinc atque hinc motibus heros Tunditur.' Quod ex Homer. Iliad. IX. a vs. 4. Hic de mari, ille de quercu : 'Ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα, Βορέης καὶ Ζέφυρος, &c. Ὣς ἐδαΐζετο θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν Ἀχαιῶν.

446 *Interque Triones*] *Trionem* Florent. S. Marci. Adeantur Notæ lib. I. 64. *Heins.* *Inter Triones*] Stellæ sunt ad polum Arcticum Triones, qui a numero septentriones vocantur. Sane Triones prisca lingua boves aratores dicti, quasi teriones: hoc est, arandæ vertendæque terræ idonei. Efficiunt autem sydus plaustro simile, quod Græci ἅμαξαν, Latini septentriones vocant. Gellius libro secundo cap. 21. *R.* *Tempus*] Conticinii notatio, hoc est, intempestam ac mediam noctem describit. Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις, Στρέφεται ὅτ' Ἄρκτος ἤδη Κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου. Anacr. *Farn.*

447 *Bootes*] Sydus est Bootes, qui et Arctophylax appellatur. *R.*

448 *Fugit*] Luna prius nitida et sydera latuerunt subito nubibus tecta, tanti sceleris conspectum perhorrescentia: præcipue vero Erigone propter pietatem in patrem Icarium a rusticis interemptum in constellationem Virginis relata. Hygin. fab. 130. *Farn.*

450 *Primus tegis, Icare, vultus*] *Primos vultus* meliores magno numero. *Heins.* *Primus tegis Icare vultus*] Ne tantum scelus aspiceres. Icari autem Erigonesque filiæ historia fuit nobis exposita. *R.* Atque Icarus Arcturi, sive Bootæ; Erigone autem virginis nomine appellata, ut Hyginus ait. Cæterum notandum hoc loco a poëta *Icarum* dici τρισυλλαβῶς, quem alii *Icarium* vocant. *Micyl.*

453 *Funereus bubo*] Ex Virg. Æn. IV. 'Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces.'

454 *It tamen, et tenebræ minuunt*] Puto, *ut minuunt*. Heins.

459 *Animusque reliquit*] *Relinquit* cum melioribus: et mox *deducit* pro *deduxit*. Pro *Cunctantem* sec. Medic. *Luctantem*. Idem.

464 *Devotaque pectora junxit*] *Corpora* veteres plerique. *Idem.*

467 *Filia, dixit; dixit et illa, Pater*] *Dicat* utroque loco cum castigatioribus. *Idem.*

469 *Plena patris*] Gravida ex patre. *Farn.* *Plena*] 'Sed cum te gravidam, et pulcre plenam adspicio, gaudeo.' Plaut. Amphitr. I. 2. 'Ingentique implet Achille.' Noster lib. XI. 265.

475 *Vagina diripit ensem*] *Deripit* meliores; nisi quod in tribus, *liberat:* quomodo libro VI. vs. 551. locutus, et lib. II. Fast. in fabula Lucretiæ, vs. 753. 'Eripere ferrum vagina' Virgilio lib. VI. *Heins.*

476 *Tenebrisque et cæcæ munere noctis Intercepta neci est*] *Tenebris* prim. Vatican. pr. Gronov. Cæsen. aliique satis multi. Τὸ *est* etiam tollendum cum uno Moreti. Pro *vagata* alius Moreti *ululata*. *Relinquit* etiam, pro *reliquit*, meliores. Denique *radiantis Lunæ* pro *redeuntis* sec. Pal. et sex alii: nil muta. Noster Metam. XIV. 'Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis Lumina viderunt.' Statius Theb. V. 'Septima jam rediens Phœbe mihi respicit ægras Stare genas.' *Idem.*

478 *Palmiferos Arubas*] Apud quos multæ palmæ nascuntur. *Panchæa rura*] Arabica. Est enim Panchaia regio Arabiæ Felicis.

481 *Nescia voti*] Quid cuperet ignara.

483 *Est tales complexa preces*] *Exorsa* Arondel. et sex alii. *Heins.*

486 *Ambobus regnis*] Et vivorum et mortuorum.

492 *Ossaque robur agunt*] Hoc est, ossa in lignum crassius convertuntur.

495 *Præcinxerat arbor*] *Perstrinxerat* S. Marci, tert. Medic. Oxonien. Spirensis, Excerpta Jureti, et alii octo:

constrinxerat Neap. et sec. Medic. *præstrinxerat* Urbin. et tres alii: duo *præstruxerat*. Heins.

496 *Pectoraque obruerat*] 'Obrui telis,' 'unda,' 'tecto labente' dicuntur bene et eleganter; 'obrui cortice' durius paulo dictum. Quare persuadeor, ut credam scripsisse Nostrum, *Pectora obsuerat;* id est, occluserat, operuerat: vide quæ de hoc verbo annotavi Fast. II. 578. certe in altero Hamburgensi *horruerat*. Idem.

497 *Venienti ligno*] Succrescenti. *Subsedit*] Submisit se.

500 *Flet tamen*] Hoc ad naturam arboris myrrhæ refertur: sponte namque sudat, ut scribit Plin.

502 *Nulloque tacebitur ævo*] *Nullique* alter Strozzæ. *Heins.*

FAB. X. Arg. *At male conceptus*] Adonis ex incesto patris ac filiæ coitu natus, in tantam crevit pulchritudinem, ut ejus amore Venus caperetur; quo cum ut diutius esse posset, una cum illo venationibus indulgebat, præcipueque fugacium animalium, feras autem natura armatas vitabat, Adonimque ut sibi ab illis caveret admonebat. Ille vero gloriæ suavitate motus aprum excipere ausus, ab eo fuit interemptus. Quod cum Venus rescivisset, in purpureum florem illum commutavit. *R.*

506 *Habent sua verba dolores*] *Labores* Arondelianus. *Heins.*

508 *Crebros Dat gemitus*] *Spissos* Florentinus S. Marci, pro diversa lectione. Sic 'spissæ nubes' libro V. et Amor. I. 13. 'spissa grando' lib. IX. 'spissus sanguis,' lib. XI. 'spissus lactis liquor,' ex Mss. lib. XII. 'spissus aër' et 'spissum littus' lib. XV. et Arte Amatoria: 'spissum cælum' Valerio Flacco lib. I. vs. 616. 'vasto pariter ruit igneus æther Cum tonitru; spissoque tegit nox omnia cælo:' ubi vulgatum *piceo* non potest ferri, cum mox sequatur, 'picei fulsere poli.' Virgil. 'spissis noctis se condidit umbris.' 'Spissus imber' Propert. Eleg. III. 4. 'Pleiadum spisso cur coit imbre chorus?' ita enim pro *igne* opinor legendum; quod Pleiades sint imbriferæ, ut Lucano dicuntur: Statio 'aquosæ' et 'nubilæ:' 'madidæ' Claudiano 'coire spisso imbre:' quomodo idem Val. Flaccus lib. III. 'ceu pectora nautis Congelat hiberni vultus Jovis agricolisve, Cum coït imbre minax:' perperam ibi *umbra minax* nunc legitur. Sic et 'cogi in nubem aër' dicitur: et 'spissari in imbrem' Lucano lib. IV. de nubibus, 'Jamque polo pressæ largos densantur in imbres Spissatæque fluunt.' Conjecturam in Propertio nostram confirmat alter locus ejusdem Valerii Flacci lib. V. 415. ubi de Pleiadibus similiter agitur, 'densæque sequuntur Pliades, et madidis rorant e crinibus imbres.' Vulgati codices eodem illic modo peccant, quo apud Propertium, cum præferant, *rorantes crinibus ignes*. Idem.

512 *Scisso cortice*] *Fisso* castigatiores plerique; nisi quod in Florent. S. Marci, Bernegger. Cæsen. Oxon. pr. Basil. pr. Erfurt. Spir. *fissa* recte. Videantur quæ notamus lib. IV. 375. *Idem.*

514 *Lacrymis*] Myrrhæ guttis. 'Illius lacrymis, quas arbore fundit odora, Ungitur, et dominæ nomina gutta tenet.' De Arte lib. I. *Farn.*

521 *Avoque*] Redi ad vs. 347.

524 *Ignes*] Apollodorus lib. III. scribit Myrrham, ab irata Venere, quod eam nihili faceret, in dirum patris amorem fuisse impulsam. Lactantius matri hoc Myrrhæ imputat. *Farn.*

526 *Distrinxit arundine pectus*] *Destrinxit* meliores. *Heins.*

527 *Altius specie*] Altius quam videbatur externa specie.

531 *Gravidamque Amathunta metallis*] *Metalli* Genevensis: dictum supra. *Heins.* *Gravidamque Amathunta*] Amathus urbs fuit Cypri ærifodinis abundans, propter quod poëta illam

metallis gravidam vocat. *R.* *Cnidon*] Promontorium Cariæ velut peninsula, in qua urbs celebris Veneris imagine quam fecit Praxiteles, quam ut viderent, ab omni parte plurimi navigarunt Cnidon. Plin. lib. XXXVI. 5. *Metallis*] Supra vs. 220.

536 *Nuda genu*] *Fine genu* Florent. S. Marci, sec. Palat. pr. Medic. et Bernegger. cum priore Twisdenio: *Fune genu* prim. Palat. *Inde Venus* Neap. et sec. Medic. *Funiculo* Urbin. et a manu secunda, *Usque genu;* quomodo et pr. Vatican. Arondel. pr. Gronov. pr. Basil. pr. Moreti, uterque Hamburg. aliique plurimi. *Visque genu* Noricus. *Pene genu* alter Erfurt. Puto scribendum, *Crure tenus;* ut apud Juvenalem, 'Nam si docta nimis cupit et facunda videri, Crure tenus medio tunicas succingere debet:' aut si veterrimorum codicum vestigiis insistendum, *Fine genûs* scribe; ita enim declinat *τὸ genu* Servius ad Æneid. III. 22. quam conjecturam confirmat codex Spirensis: 'fine inguinum' Sallustius apud Philargyrum ad Georg. III. 153. 'Costarum sub fine' apud Nemesianum in Cynegetico: vulgata tamen lectio ex illis Virgilianis potest asseri, 'Venatrix dederatque comam diffundere ventis, Nuda genu.' 'Summo palla genu,' Venatricibus apud Val. Flaccum lib. III. *Heins.* *Nuda genu ritu succincta Dianæ*] Ex Æneid. I. 'Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.' Et deinde, 'Succinctam pharetra, et maculosæ tegmine lyncis.' Quod ex Græco, *ἐξηρτημένοι τόξοις.*

538 *Pronos*] Veloces, in fugam inclinatos, ut quibus anteriora crura sint breviora. *Celsum*] Ὑψίκερον ἔλαφον, Nonn. lib. X. 'Surgentem in cornua cervum,' Virg. Æn. X. Καρήατα μετήορον ἀείροντα, Oppian. lib. II. *Farn.*

543 *Posset*] *Possit* cum melioribus. *Heins.*

544 *In audaces*] 'Licet eminus esse Fortibus, Ancæo nocuit temeraria virtus.' Theseus Pirithoo lib. VIII. 410. *Farn.*

549 *Animos ferarum*] Iram et rabiem ferarum.

550 *Fulmen*] Vide lib. I. 305. et lib. VIII. 289. *Farn.* *In aduncis dentibus*] *Et aduncis* plerique vetustiores. Forte *præaduncis;* ut 'præacutæ hastæ' lib. VII. 131. *Heins.*

553 *Mirabile culpæ*] *Mirabere* Thuan. pr. Vatican. pr. Medic. pr. Moreti, aliique complures. *Idem.*

558 *Inque sinu juvenis posita cervice*] Ex Lucret. lib. I. 35. 'in gremium qui sæpe tuum se Rejicit, æterno devinctus volnere amoris; Atque ita suspiciens, tereti cervice reposta, Pascit amore avidos, inhians in te, Dea, visus, Eque tuo pendet resupini spiritus ore,' &c. *Posita cervice reclivis*] *Reclinis* plerique; nisi quod optimus S. Marci Florentinus, *renidens;* venuste mehercules, cum Glossa, 'id est, ridens.' Hinc φιλομμείδης Ἀφροδίτη Homero. Horatio, 'Erycina ridens:' et 'perfidum ridens Venus.' Epistola Paridis Noster, 'Dulce Venus risit.' Neque aliter poëtæ Græci passim. 'Amathusias renidens' Symmacho Epist. I. 8. quo ordine in ultima Casparis Schioppii editione legitur. Sed cum versus isti mendosissimi circumferantur, producam eos, ut legendos esse arbitror: 'Ubi corniger Lyæus Operit superna Gauri; Vulcanus æstuosis Media incoquit cavernis. Tenet ima pisce multo Thetis et vagæ sorores: Calet unda, friget æthra. Simul innatat choreis Amathusias renidens, Salis arbitra et leporis, Flos siderum Dione.' Secundo versu pro *Operit superna vite,* quæ Jureti conjectura est, cum libri veteres haberent *superam gutturi,* vel *superna guttur,* Lectius *superna gutti* concinnavit; nos *superna Gauri,* verissima conjectura, qui mons est in hoc ipso tractu, a vino, quod præstantissimum proferebat, multum anti-

quis laudatus: unde Statio, 'Bacchei vineta madentia Gauri.' Florus lib. I. cap. 16. 'Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus:' sed hoc notum. Versu quarto *media incoquit*, pro *medium coquit;* ita præcedentia et quæ sequuntur postulant. Versu sexto, pro *Baiæ sorores*, reposuimus *vagæ* consulentes metro. Alludit autem ad Lucrinum lacum pisce celeberrimum, qui ad radices Gauri. Versu nono pro *Amathusium* reposuimus *Amathusias*, cum Juretus notet *Amathusiam* ex veteri codice. Ipse pessime *Amatorium renidens* contra metrum. Denique versu decimo pro *vaporis* rescripsimus *leporis*. Intelligendi autem posteriores versus de templo Veneris, quod ad Lacum Lucrinum colebatur: unde 'Lucrina Venus' Statio lib. III. Sylv. I. et hæc de mendosissimo loco. De Gauro tamen, quod in secundo versu Symmachi corrigebam, jam occupasse juvenilibus ad Florum notis Salmasium Gronovius me monuit, cum hæc jam scripsissem. Sed revertamur ad Venerem ridentem. Silius lib. VII. 'postrema nitenti Affulsit vultu ridens Venus,' de judicio Paridis: sed et Cupido ridens exprimebatur. Seneca Hippolyto, 'Iste lascivus puer et renidens Tela quam certo moderatur arcu:' ita scribendus iste locus ex optimo codice Mediceo. *Heins.*

559 *Mediis interserit oscula verbis*] *Labris* Florent. S. Marci, Neapol. Bernegg. Cæsen. pr. et sec. Medic. Urbin. Spir. et septem alii. Similis error apud Propertium Eleg. I. 12. 'Et cupere optatis animam deponere verbis,' pro *labris*, perperam legitur; quod Passeratio quoque deprehensum video. Notum illud ex Anthologia, Τὴν ψυχὴν Ἀγαθῶνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον. Vide quæ ad Claudiani Epithalamium Palladii notamus, vs. 132. In hoc tamen Nasonis loco vulgata scriptura non videtur mutanda. *Idem.*

FAB. XI. 561 *Non fabula rumor Ille fuit*] Ita distingue: rumor ille non fuit fictus. Sic 'fabulæ manes' apud Horatium. *Heins.* *Non fabula*] Non est hæc, inquit Venus, fictio ad delectandum comparata; sed rumor, imo fama constans et certa. Confunditur tamen hæc fabula. Cum enim duæ fuerint Atalantæ, ut habet Io. Tzetzes XIII. Chil. 453. et Scholiastes Apollonii Argonaut. I. ἡ μὲν Ἀρκὰς Ἰάσονος θυγάτηρ ἣν ἔγημε Μειλανίων· ἡ δὲ Ἀργεία ἡ Σχοινέως, ἣν ἔγημε Ἱππομέδων. Tzetzes ipse, Palæphatus, alii tribuunt hoc filiæ Iasii, quod erat filiæ Schœnei; Milanioni item, quod erat Hippomenis. *Farn.*

564 *Deus*] Apollo. *R.*

566 *Teque*] Transformata scil. vives humanæ formæ superstes. *Farn.*

567 *Sorte*] Oraculi responso. Æneid. IV. 'Nunc Lyciæ sortes.'

568 *Et instantem turbam*] Ad Epist. Ulyssis Sabiniani scribendum monui, 'instantum turbam procorum.' *Heins.*

569 *Potienda*] *Potiunda* meliores: dictum lib. IX. 752. *Idem.*

575 *Cursus iniqui*] Quia lex et conditio crudelis. Sedebat ergo spectaturus, et admirans eorum juvenum temeritatem Hippomenes. *Pont.*

580 *Tollensque manus*] Gestus veniam petentium, manus tollere. *Pont.*

582 *Concipit ignes*] *Ignem* iidem. *Heins.*

584 *Invidiamque timet*] *Invidiaque* margo Gryphianæ editionis ex veteri libro, et unus meus. Scribe *Invidiaque timens*. Pro *sed cur*, *sed quid* prim. Moreti, et Bernegger. In Norico, *Invidaque timet.* Idem.

585 *Intentata*] Non tentata.

587 *Passu alite*] Veloci cursu.

588 *Scythica*] Velocissima. Scythæ namque plurimum sagittando valent. *Non segnius ire sagitta*] *Non secius* Florentinus S. Marci. Neapol. et sec. Medic. in tertio *segius;* hoc est *secius:* quomodo primus Mediceus, et

Spirensis, ac pro diversa lectione primus Gronovianus: diximus l. II. 810. *Heins.*

589 *Aonio*] Bœotico Hippomeni: est Aonia pars Bœotiæ.

590 *Cursus facit ipse decorem*] *Decoram* multi veteres. *Heins.*

591 *Aura refert ablata citis talaria plantis*] *Oblata* pr. Palat. pr. Vatic. sec. tert. quart. Medic. Cantabrig. Arond. Bernegg. Urbin. pri. Reg. uterque Hamburg. pr. Erfurt. Spir. aliique plurimi; bene: tunicam talarem intelligit. *Idem.*

593 *Genualia*] Γονατόδεσμοι, gloss. genuum vincula, seu ornamenta.

596 *Similem dat et inficit umbram*] *Simul edit et inficit* Bernegger. et quatuor alii: *simul addat* Arondel. *simul edat* pr. et alius Medic. *similem datur* unus Bonon. *simul et dat et inficit* pr. Moreti et septem alii: *similatas inficit umbras* Florentinus S. Marci omnium optimus, quod sequor: nec abludit Spirensis, in quo *similis dat inficit.* Heins.

597 *Hospes*] Hippomenes. *Decursa novissima meta est*] Ad ultimam metam decursum est.

603 *Mecum confer, ait*] Nil juvant libri veteres. Putabam nihilominus, *Te mihi, confer, ait.* Paulo ante *juvenum deterritus horum* multi, non *juvenis.* Heins. *Mecum confer*] Quod Virg. Æn. XI. explicat: 'dimitte fugam, et te cominus æquo Mecum crede solo.'

609 *Schœneia*] Atalanta Schœnei regis filia.

611 *Formosis, dixit, iniquus*] *Inquit* vetustiores. *Formosum dixit*, pr. Moret. et quatuor alii: in Neapol. erasa vetus lectio. Latet aliquid: *fortunis iniquis* pr. Ambros. an *formis tam dixit iniquus?* Heins.

612 *Perdere vult*] *Pendere* Cantabrig. et unus Basil. Vide Notas ad l. VIII. 75. *Idem.*

617 *Ab æquorea origine*] Neptuno æquoris Deo. *R.*

619 *Sors illi dura negarit*] *Fors* cum melioribus. *Heins.*

622 *Nollet*] *Nolet* pri. Palat. Bernegger. uterque Hamburg. Arondel. et sex alii. *Idem.* *Sapiente*] Dotes tuas, uti par est, æstimante, et cui nuptiæ cordi.

624 *Viderit*] Verum ipse viderit. 'Viderit utilitas; ego cœpta fideliter edam.' *Farn.*

626 *Voluit quia vivere mecum*] *Vovit* Urbinas et Noricus; *quia vovit* alter Hamburg. et alter Erfurt. nil mutandum temere. *Heins.*

631 *Ah quam*] *At* Urbin. Spir. et unus Regius. Vide Notas ad Epist. XII. 1. *Idem.*

635 *Cubilia vellem*] *Possem* Cantab. pr. Pal. pr. Vatic. et decem alii ex melioribus. *Idem.*

637 *Quod facit ignorans*] *Quid facit* plerique meliores: Cæsen. et tres alii *Quid faciat.* Scribe, *Quidque agat ignorans.* Idem.

639 *Cum me sollicita*] Me, Venerem: refert enim hæc Venus Adonidi. *Pont.* *Proles Neptunia*] Hippomenes, Neptuni pronepos.

640 *Cythereaque comprecor*] *Cythereia comprecor* iidem meliores magna ex parte. *Heins.*

643 *Nec opis mora longa dabatur*] *Opi* malim. *Idem.*

644 *Est ager*] Describit agrum nomine *Damasenum*, unde Venus tria aurea poma, quæ Hippomeni tradidit, se sumpsisse ait. Interpres Theocriti, non ex Cypro, sed ex Hesperidum hortis aurea hæc mala allata dicit. *Tamasenum*] Levi unius literæ mutatione restitutum spero redonatumque solo cœloque Cyprio agrum suum. *Damascum* sibi habeat Syria; *Damaseum, Damascenum* Critici. Inter oppida Cypri quindecim admittit Tamaseum Plin. V. 31. et Stephanus. Tamassum in eadem ins. agnoscit Strabo l. XIV. Μέταλλά τε χαλκοῦ ἐστιν ἄφθονα ἐν Ταμασσῷ· hodie *Borgo di*

Tamasso. Ferrarius. *Farn. Damasenum*] *Amasenum* Bosch. et Thys. multi *Damascum* vel *Damacenum: Damaseum* Arondel. Scribe *Tamaseum;* hoc est Ταμασεῖον. Vide Notas lib. I. 579. Ταμάσεος πόλις Κύπρου· τὸ ἐθνικὸν Ταμασίτης καὶ Ταμασεῖος, Stephano. Quare dubito an non *Tamasiten nomine dicunt* hoc loco sit legendum: nam pr. Vaticanus *Damasithona*. Tamaseum etiam urbem hanc vocat Plinius; apud quem codices nonnulli antiqui *Tamasus;* ἡ Ταμασὸς quoque Straboni lib. VI. Ταμάσσος Ptolemæo, sed mendose, ut puto. Ταμεσία, Polybio. Ταμασία Constantino Porphyriogenetæ in Thematibus: nihil autem usitatius in antiquis libris, quam *T* in *D* degenerare. Sic superiori libro codices omnes vetusti *Driopeius* pro *Triopeius*. Auctor argumentorum *Damasum agrum* habet, sed codex veterrimus S. Marci, illic *Amasenum* exhibet. *Heins.*

645 *Quam mihi prisci sacravere senes*] *Quem* rectius sex scripti: de agro enim Tamaseo mentio est. *Idem.*

647 *Nitet arbor*] *Viret* Excerpta Mureti et duo ex nostris. Deinde *comam*, pro *comas*, meliores. *Idem.*

649 *Hinc tria*] Mala hæc Hesperidum hortis deportata narrat Scholiastes Theocriti in Idyll. III. et Virgil. Eclog. VI. ' Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.' Scyros autem certaminis hujus scena est.

650 *Poma*] Mala esse inter illicia et symbola Veneris notum ex Theocriti Idyll. VI. Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα, et interprete ibi, ut et Scholiaste Aristophanis. ' Malo me Galatea petit.' Virg. Eclog. III. *Farn.*

654 *Posse putes*] ' Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina,' &c. Æneid. VII. de Camilla. *Farn.*

659 *Megareius*] Hippomenes Megarei filius, Neptuni nepos vs. 605. supra Pomum aureum. Δρόμῳ νικῶσα πάντας δὲ ποδῶν τῇ ταχύτητι Νικᾶται Μειλανίωνι μῆλα χρυσᾶ ῥιπτοῦντι, Καὶ ταῦτα δὲ συνάγουσα, καὶ οὕτως ἡττηθεῖσα, Μᾶλλον δὲ τούτῳ ἔρωτι πολλῷ κατασχεθεῖσα. Io. Tzetzes XIII. Chil. 453. qui ibidem citat Theocriti versus ex Idyll. III. Ἱππομένης ὅκα δὴ, &c. *Farn.*

663 *Aridus a lasso*] *E lasso* castigatiores. *Heins.*

667 *Aurum volubile*] Aureum pomum. Similiter Virgil. ' volubile buxum,' pro trocho.

672 *Pars ultima*] *Pars optima* unus Moreti. *Heins.*

675 *Liquidum juveniliter aurum*] Ita unus Patavinus ex nostris: reliqui omnes *nitidum*, nisi quod Barberin. *fulvum:* paulo ante, ' nitidique cupidine pomi Declinat cursus.' Lib. IX. ' cum spicis nitido flaventibus auro.' Τὸ *liquidum* metuo ne ex *obliquo* profluxerit. *Idem.*

679 *Cursu sit tardior ipso*] *Illo* quatuor scripti. *Longior* etiam alter Hamburg. et alter Erfurt. *Idem.*

680 *Duxit sua præmia victor*] Hippomenes, inquit, victor duxit Atalantam uxorem. *R. Præterita*] Cl. Baconus hanc fab. interpretatus, Atalantæ, inquit, id est, artis prærogativam et vigorem, mala aurea retardant: illa enim plerumque stadium deserit, et ad lucrum declinat, &c. quæ videre operæ pretium.

684 *Contemtuque dolens*] *Contemnique* rectius duo Medicei cum altero Hamburgensi: alter Erfurtanus *Contemtique*. Heins. *Ne sim spernenda futuris*] Τοῖς ἐσσομένοισι πυθέσθαι Homer. Quo Cicero dicto sæpe utitur in Epistolis.

685 *In ambos*] Contra ambos, Hippomenem et Atalantam. *R.*

691 *Luminis exigui*] *Liminis* in plurimis. *Heins.*

693 *Multa sacerdos*] *Vota* Neapol. et sec. Medic. bene. Adi Notas lib. VIII. 152. Apud Minucium Felicem Octavio *nulla simulacra nota*, pro *vota*,

similiter perperam legitur: et apud Virgilium in nonnullis exemplaribus, 'ubi figere dona solebant Laurenti Divo et notas suspendere vestes,' pro *votas:* at in Spirensi *vitta sacerdos.* Idem.

696 *Sacra*] Simulachra Deorum. *R. Retorserunt*] Averterunt oculos, ne scelus viderent. *Turritaque*] Cybele, mater Deorum, quam turrigeram, instar muralis coronæ cinctam ferunt; vel, quia urbis Midæ clausæ muros capite sublevavit, atque ita est ingressa, Arnob. l. v. vel, 'quod primis turres urbibus illa dedit,' Ovid. Fast. vel, quia eadem est cum Terra, quæ urbes turribus munitas sustinet. Lucret. lib. II. 'Muralique caput,' &c. *Farn.*

701 *Cauda*] Caudam leonum animi esse indicem, ut aures equorum, Plinius scribit. Nam immota placidum, mota iratum significat.

704 *Cybeleia frena*] Nam matris Deum currum a leonibus trahi fingunt poëtæ. Cybele autem dicta est a Cybelo monte Phrygiæ, ipsi Deum matri sacro. Vel etiam ἀπὸ τοῦ κύβου, hoc est, cubo, quoniam terra cubica, hoc est, solida, et per hoc constans et immobilis intelligatur. *Micyl.*

706 *Quod non terga fugæ, sed pugnæ pectora præbet*] *Quæ præbent* ex melioribus. *Heins.*

Fab. XII. et XIII. 710 *Suem*] Aprum. Sues autem et apri Veneri sunt invisi propter Adonidis cædem. Unde proverbium apud Græcos in eos qui rem ingratam alicui faciunt; Ἀφροδίτῃ ὗν ἔθυκεν, hoc est, Veneri suem sacrificavit. *R. Suem*] Ἄρης δὲ ἀντεραστὴς ὢν, &c. Tzetzes in Lycophr. Mars rivalis in apri speciem mutatus juvenem incaute se ferentem interemit. Jul. Firmicus. *Farn.*

712 *Juvenis Cinyreius*] Adonis, Cinyræ filius.

713 *Pando rostro*] Recurvo.

715 *Totosque sub inguine dentes*] *Tortosque* quinque veteres: nil muta. Pro *pando rostro* duo libri *patulo.* Heins. *Sub*] Ἄγριον ἕλκος ἔχει κατὰ μηρὸν Ἄδωνις· Μεῖζον δ' ἁ Κυθέρεια φέρει ποτικάρδιον ἕλκος. Bion. Idyll. Lege lepidum Theocriti Idyllion in mortuum Adonin.

721 *Exanimem, inque suo jactantem sanguine corpus*] Si exanimis, quomodo jactabat corpus? Scribe vel invitis membranis *Semanimem.* De Procride moribunda lib. VII. 'Semanimen et sparsas fœdantem sanguine vestes, Invenio.' *Heins.*

722 *Desiliit, pariterque sinum*] *Desiluit*, et *sinus*, meliores. *Idem.*

723 *Percussit pectora palmis*] *Pectus percussa lacertis* unus Leidensis. *Idem.*

724 *Et non tamen*] *At non* Calandr. Arondel. et sex alii; bene: vide quæ notamus initio Epist. Medeæ. Mox pro *dixit* idem Arond. Zulich. et unus Medic. *inquit.* Idem.

726 *Repetitaque mortis imago*] *Recitataque* Spirensis; *redivivaque* sec. Medic. Scribe *recidivaque*, de qua voce fusius egimus ad Phœnicem Claudiani: etsi minime ignoro vulgatam scripturam ex aliis Nasonis nostri locis defendi posse. Adi Notas Fastor. IV. 45. *Idem.*

727 *Annua simulamina*] Simulachra. Nam singulis quibusque annis Adonia, id est, sacra in Adonis honorem celebrabantur, in quibus Adonis plangebatur, ac luctus Veneris referebatur. Addunt Græci fabulæ huic, Martem, quia Adonidi invideret, tanquam rivalis, sese in aprum transformasse, et sub specie illius Adonim interemisse. Florem autem qui ex cruore Adonidis enatus sit *Anemonem* fuisse. *R.*

Fab. XIV. 729 *Fœmineos*] Menthen Plutonis pellicem Proserpina in herbam cognominem mutavit. Nicandri interpres in Alexipharmacis. *Farn.*

732 *Sparsit*] *Spargit* cum melioribus. *Heins.*

736 *Celant sub cortice granum*] *Grana* pr. Gronov. frag. Boxhornii, et

septem alii: *in cortice* idem Gronov. *quæ cortice* prim. Moret. *sub vertice* pri. Pal. atque alii quatuor. Forte, *Qualem, quæ lento celantur cortice, grana Punica ferre solent;* vel, *celant se cortice:* scriptum fuerat *celant urtice;* mendose; hinc factum *celant sub vertice*, vel *cortice*. Martial. 'Aut imitata breves Punica grana rosas.' Ita optimus Thuaneus: nam *Punica mala* perperam nunc legitur. *Idem.*

739 *Qui perflant omnia venti*] Hæc scriptura a scriptis nullis confirmatur. Plerique veteres *præstant omnia* vel *præbent omnia*. At pr. et tertius Medicei, Oxonien. pr. Hamburg. pr. Twisd. et duo alii, *præstant nomina:* septem alii pro diversa lectione eandem scripturam quoque exhibent; vere: nec abludit Arondelianus, in quo *præbent nomina*. Adonidis enim cruor in anemonem florem mutatus est, qui flos ἀπὸ τοῦ ἀνέμου nomen deducit: quo allusit noster. Vera scriptura hujus loci jam mihi puero olim deprehensa ex Leidensis bibliothecæ codice; de qua me monuerunt postea Desiderius Heraldus, et Johannes Peyraredus: de ea quoque jam lectorem monuit Ægidius Menagius magnum Galliæ suæ ornamentum in erudito et ingenioso opere, quod Gallicas Origines inscripsit. Apposite Plinius l. XXI. 23. de anemone, 'Flos nunquam se aperit, nisi vento spirante, unde et nomen accepit.' *Idem.* *Qui præstant nomina*] Nam *Anemon* ab ἄνεμος ventus dicitur. *R.*

METAMORPHOSEON LIB. XI.

FAB. I. Arg. *Carmine dum tali*] Orpheus Thracias mulieres aspernatus (ut diximus) in se earum odium traxit. Quare cum Bacchi sacra celebrarent, ipsum in ferarum cœtu canentem aspexerunt, ac impetu facto dilacerarunt, caputque ac lyram in Hebrum fluvium conjecerunt, quæ ad insulam Lesbon usque delata cum essent, serpens Orphei caput dilaniaturus ab Apolline in saxum fuit conversus.

1 *Animosque ferarum*] Intelligamus ferorum hominum animos ab Orpheo fuisse execultos, id quod Horatius aperte scribit: 'Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.' *R.* *Sylvas*] Orpheus, postquam naturali instructus Philosophia in rerum corruptibilium conservatione et instauratione laborasset, sed frustra: ad moralem et civilem conversus, homines a sylvestri et ferino convictu ad æquitatem et pacem transferre; vitia tollere; virtutes, leges, religionem sancire; oppida munire, agros colere instituit: sed et hæc successu haud feliciori. Namque et hic seditiosi rudis vulgi oboriuntur tumultus; quorum inter strepitus non audiuntur leges, verum in ipsorum principum et legislatorum perniciem sævit populi furor: quod in Lycurgi, Solonis, aliorum, misero exitu videre est. *Animosque*] Sensus: infra vs. 41. 'perque os Auditum saxis intellectumque ferarum Sensibus.' *Farn.*

2 *Saxa sequentia ducit*] Hæc vera scriptura: perperam alii codices *traxit* vel *duxit*. Redde et Propertio

hoc verbum Eleg. III. 2. ‘ Orpheu, te duxisse feras et concita dicunt Flumina Threicia detinuisse lyra :’ vulgati *Orpheu, te tenuisse*, vel *Orphea detinuisse;* inconcinne prorsus, cum idem verbi in pentametro proximo repetatur. Horatius de Orpheo Od. I. 12. ‘ Blandus auritas fidibus canoris Ducere quercus :’ et Od. III. 11. ‘ Tu potes tigres domitasque silvas Ducere.’ *Heins.*

3 *Nurus*] Thressæ Bacchantes: sunt autem Cicones Thraciæ populi ad Ismarum montem. *Farn.*

6 *Leves auras*] *Levem auram* meliores : et pro *En ait en hic est*, Bernegger. Rottendorph. et unus Mediceus cum uno Regio *hic hic est;* ut in Amoribus : ‘ Atque ait, Hic hic est, quem ferus urit amor.’ Claudian. ‘ Hic est, hic Stilicho.’ *Heins.*

16 *Berecynthia*] Qua primum usi sunt in sacris Cybeles, quæ Berecynthia dicta a monte Phrygiæ Berecyntho, Matri Deum dicato. ‘ Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia Matris Idææ.’ Æn. IX. 619.

17 *Tympanaque et plausus*] Τὸ *et* abest ab Oxon. et uno Medic. Lege *Tympanaque plaususque:* quomodo et ex suis scriptis Gebhardus. *Heins.*

18 *Obstrepuere sono*] *Sonum* Urbin. Cæsen. pr. Moret. sec. Pal. octo alii : *sonos* unus Moreti et Vossii; quod tantundem est : alius Medic. *sonis:* fragm. Boxhornii *soni: Obstupuere sonum* octo alii : pr. Reg. et Zulichem. *Obstruxere sonum.* Idem.

22 *Mænades*] Bacchæ, ἀπὸ τοῦ *μαίνεσθαι*, hoc est, a furendo, dictæ.

25 *Utrinque*] Amphitheatro, in quo spectacula matutina, ubi cum bestiis pugnabant; et meridiana, ubi qui superfuerant ex bestiarum pugna, inter se dimicabant. Lips. Saturn. III. 15. *Farn.*

26 *Ut matutina*] Multi ex melioribus *Cum.* Scribe *Ceu;* ut bene pr. Vatican. et Calandræ Excerpta. *Heins.*

27 *Fronde virentes*] *Virenti* Cantabrig. pr. Palat. Arondel. Excerpta Jureti, et decem alii : sic paulo post, ‘ cornuque minaci Divellere boves :’ quæ vera scriptura est, non *minaces*, aut *Divulsere. Divellere* recte pr. Palat. Cantabrig. Oxon. Thuan. uterque Erfurt. et alii duodecim. Adi Notas ad Epist. VI. 104. Catullus de Bacchis, ‘ Pars e divulso jactabant membra juvenco.’ Sic Canidiam et Saganam veneficas Horatius Sat. I. 8. inducit, ‘ Scalpere terram Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam.’ De ritu autem illo discerpendi tauros in sacris Bacchicis plura nos congessimus in notis ad hunc locum uberioribus, quas publico mox committemus. Apud Prudentium lib. I. contra Symmachum, ‘ Virides chelydros ore discindunt bacchantes.’ *Idem.*

29 *Direptos arbore ramos*] *Dereptos* malim : vide Amor. lib. I. 5. 13. quæ noto. *Idem.*

32 *Multo fructum sudore*] *Merito sudore* unus Gron. non ineleganter. *Idem.*

43 *In ventos anima exhalata recessit*] Ex Virgil. ‘ Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.’

44 *Te mœstæ*] Lege Antipatri epigramma in Orph. Anthol. III. 25. *Farn.*

45 *Te rigidi silices*] *Rigidæ* pr. Ambros. et duo alii : jam monitum ad lib. IX. 225. *Heins.*

47 *Tonsa comas*] *Comam* quatuor veteres cum Berneggeriano : ex vetustioribus multi *coma.* Idem.

49 *Habuere*] *Habuisse* unus Moreti. Scribe, *Naidas et Dryadas passosque habuisse capillos;* et refer ad τὸ *dicunt.* Idem.

50 *Membra*] Membra tamen Orphei discerpti a Musis collecta et in Dio Macedoniæ condita refert Pausanias in Bœoticis : caput in Lesbum, lyram in sidus novem insignitum stellis relatam ferunt. Lege quæ Lucianus habet advers. indoctum, de

Neantho nacto Orphei lyram.

52 *Membra*] 'Eurydicen vox ipsa et frigida lingua, Ah miseram Eurydicen! anima fugiente, vocabat: Eurydicen toto referebant littore ripæ.' Virg. Georgic. IV.

54 *Flumen populare*] Fluvium patrium. Hebrus enim Thraciæ fluvius est.

55 *Methymnææ Lesbi*] Methymna urbs est Lesbi, optimo vino insignis, dicta a Methymne Macarei filia, ac Lepydni uxore: unde Methymnæus derivatur. Lesbos autem insula est clarissima, quam nunc Mitylenem a nomine urbis vocant. *Potiuntur littore*] *Littora* Spirensis: adi Notas infra XIII. 730. *Heins.*

57 *Os petit*] Hæc vera lectio. Cæterum versus proximus ex auctoritate optimorum codicum hinc ablegandus est, *Lambit et hymniferos inhiat divellere vultus.* Joannes Gulielmus Capoferreus censet ex duobus versibus conficiendum unum, hoc modo: *Os petit, et sacros inhiat divellere vultus:* cum de *capillis* otiosam mentionem esse contendat. Pro *sparsos stillanti* in antiquis multis *sparso stillantes.* Idem.

61 *Umbra*] Imago, animæ et corporis simulacrum. Hoc autem ex opinione eorum, quibus homo constat anima, corpore, umbra: animam cœlo, astris, aëri; corpus terræ; umbram inferis reddi volunt. Dido Æn. VI. 'Et nunc magna mei sub terras ibit imago;' et quæ nos ibi. *Farn.*

FAB. II. Arg. *Non impune tamen*] Thraciæ mulieres, quæ Orphei cædi interfuerunt, omnes a Baccho cædem Orphei ægre ferente in aërias arbores fuere conversæ. *R.*

68 *Sacrorum*] Sacra Liberi Patris Orpheus primus induxit in Græciam, celebravitque in monte Bœotiæ Cithero. Ea sacra Orphica nominantur. Lactantius lib. I. et Diodorus lib. I.

69 *Edonidas*] Thracias. Edonus mons Thraciæ. Plin. IV. 11. ἀπὸ Ἠδωνοῦ τοῦ Μύγδονος ἀδελφοῦ. Steph.

70 *Quæ videre nefas*] Rectius *fecere* pr. Reg. pr. Medic. pr. Basil. Excerpta Jureti, cum sex aliis. *Heins.*

75 *Ac trepidans adstringit vincula motu*] *Trepidus* Barberin. in Bernegger. *trepid.* additis postea manu recentiori tribus ultimis literis *ans.* Supra lib. III. 125. monui scribendum, 'Plangitur, ac trepido substringit vincula motu.' Sic 'substricta ilia' dat canibus venaticis lib. III. et lib. XI. 'substricta crura' mergo. *Idem.*

76 *Sic quæcunque solo*] *Sic ut quæque* prim. Vatic. unus Patav. et unus Voss. Lib. VII. 'His ut quæque pia est hortatibus, impia prima est.' *Idem.*

80 *Succedere suras*] *Succrescere* in multis veterum, etiam bene: ut alibi, 'succrescit ab imo Totaque paulatim lentus premit inguina cortex.' *Idem.*

83 *Porrectaque brachia veros Esse putes ramos*] Plurimi ex vetustioribus *longos quoque brachia veros;* vel, *brachia tandem:* pr. Basil. et Bernegger. *veros quoque brachia longa:* tert. Medic. *longos quoque brachia vera.* Puto *brachia vara;* vel *porrectaque brachia varos Esse putes ramos.* Vide Notas lib. VI. 625. *Idem.*

FAB. III. Arg. *Nec satis hoc, &c.*] Midas rex Phrygiæ, cum Silenum a rusticis captum, sibique traditum, Baccho reddidisset, jussus est a Deo, ut quicquid vellet peteret. Ille petiit ut quicquid corpore suo tangeret, aurum fieret. Id illi concessit Bacchus, quamvis inutile ipsi futurum videbat. Cum vero panis quoque ac vinum in aurum verterentur, fameque perire cœpisset, tandem cognovit stolidus se rem damnosam petiisse: Bacchum itaque rogavit, ut peccato veniam daret, et munus datum irritum faceret. Bacchus igitur illi mandavit, ut ad fontem Pactoli pergeret, seque totum in eo lavaret: quod cum fecisset, vis illa aurum efficiendi quic-

quid tangeret, in fluvium transivit, unde etiam arenas aureas efficere memoratur.

85 *Ipsos agros*] Thraciæ.

86 *Sui Timoli*] A se amati. *Lact. Choro meliore*] Quam qui Orpheum discerpsit. *Sui vineta*] Feracissimi, scil. optimi vini. *Timoli*] Timoli montis Lydiæ. *Farn. Timoli*] *Tymoli:* Græcis Τυμῶλος καὶ Τμῶλος. *Heins.*

87 *Pactolonque*] Pactolus fluvius est Lydiæ aureis arenis notissimus. *Lact.*

88 *Nec charis*] Necdum pretiosis et auriferis. *Farn.*

90 *Silenus*] Οἰνοβάτης. Quem Plautus vocat, 'veternosum senem, qui dorso vehitur asinario:' παιδαγωγὸς καὶ τροφεὺς Διονύσου. Diod. Sic. lib. v. 1. Scaliger de R. P. 'Silenus fuit,' inquit, 'reconditæ atque compositæ sapientiæ Deus,' lib. III. Quod ex convivio Platonis. Redi ad lib. IV. Metam. vs. 26. *Titubantem*] 'Quique senex ferula titubantes ebrius artus sustinet,' &c. de eodem Sileno, lib. IV. 26.

92 *Midam*] Meliores *Midan. Traxere* etiam pro *duxere* Arondel. ut apud Virg. 'Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus.' *Heins. Cui Thracius*] Midam sacrorum solennibus ab Orpheo initiatum, Phrygiam religione excoluisse, scribit Justinus lib. II. *Farn. Ad regem Midam*] Midas, Gordiæ bubulci filius, Phrygiæ rex fuit ditissimus, eoque fictus est omnia quæcunque tangeret in aurum transmutare.

93 *Cecropio*] Eleusinio seu Atheniensi, Musæi filio, Orphei discipulo, ad differentiam Thracensis, qui filius Neptuni et Chiones. *Farn.*

99 *Juveni alumno*] Baccho. *R.*

100 *Huic Deus optanti*] *Optandi* cum scriptis melioribus; muneris videlicet. Pro *altore* Urbinas *alitore*. Heins. *Huic Deus*] Max. Tyrius refert, Midam a captivo Satyro inebriato, non a Baccho, impetrasse, ut arbores, segetes, flores, terra, omnia in aurum verterentur; annonæ hinc penuriam Phrygas invasisse: quem vide Dissertat. 30. Vide Photii bibliothecam, ex Conone: vide et Philostrat. I. lib. Icon. *Farn.*

101 *Altore*] Sileno nutritore.

106 *Gaudetque malo*] *Dato* Cantabrig. et prim. Reg. *datis* alter Hamburg. ut lib. VIII. 'Myrrha datis nimium gaudet.' *Heins. Berecynthius*] Midas rex Phrygiæ, in qua mons Berecynthus. *Farn.*

107 *Pollicitique fidem*] *Pollicitisque* excerpta Jureti et unus Medic. tertius *Pollicitoque:* unus Basil. et unus Argent. *Pollicitaque.* Lege *Pollicitamque;* quomodo postmodum in altero Twisdenio exaratum offendi. Fast. lib. III. 'Pollicitam dictis Jupiter adde fidem.' Sic et 'pacta fides' paulo post. *Heins.*

108 *Alta fronde*] *Fronte* quatuor. Vide notata lib. x. 91. *Idem.*

111 *Contigit et glebam*] Puto *ut glebam:* et mox *Aurea messis erant,* nempe *aristæ,* pro *erat.* Idem.

114 *Hesperidas donasse putes*] Nam Hesperides hortos habuisse dicuntur aurea poma ferentes.

117 *Danaën*] Referebat aureum imbrem, quo Jupiter auripluus Danaën elusit. Lib. IV. 611. *Farn. Danaën*] Redibis ad Amor. II. 19. 27. et Metam. IV. 610.

120 *Tostæ frugis*] Periphrasis est panis.

124 *Admoto dente nitebat*] *Nitebant* veteres multi; nempe dapes; quod rectius: *premebat,* Florent. S. Marci, Neap. Bernegger. sec. Palat. prim. et tert. Medic. Excerpta Jureti, aliique complures; quod Naugerius in postrema editione expressit. Id esset simile illi, 'lentus premit inguina cortex,' pro *tegit. Premebant* fragment. Theat. et duo Leidenses; *carebant* alius Leidens. *rigebant* codex Politiani et octo ex nostris: *negabat* Arondel. et unus ex Moreti libris;

negabant sec. Medic. Forte *crepabant*. Heins.

125 *Auctorem*] Bacchum; vinum. *Farn.*

127 *Miserque*] Quia auro frui non poterat. *R.* *Divesque*] Dives utique erat Midas, *φιλόχρυσος* Suidæ; *ὅπως τε θησαυρῷ περιτυχὼν, ἀθρόον εἰς πλοῦτον ἤρθη*, ut habet Photius: sed avarus; cui tam deerat quod habuit quam quod non habuit. Tantali instar congesto pauper in auro: nec habendi fructu felix, et cupiditate quærendi miserrimus; 'fœlix atque miser, dives inopsque simul.' Lege apud Plutarchum, lib. de virtutibus mulierum, solertiam uxoris cujusdam Pythæ, cui in aurifodinis toti occupato opposuit panes et cibos aureos, adeoque avocavit a metallis ad agriculturam. *Farn.*

128 *Quæ modo voverat*] Puto *quas*; nimirum opes. *Heins.*

130 *Merito torquetur*] *Meritus* cum plerisque scriptis. *Idem.*

132 *Lenææ pater*] Bacche.

135 *Factique fide data munera solvit*] *Pactique* sec. Medic. et pro diversa lectione Neapolitanus; quomodo et in Berneggeriano videbatur a manu prima fuisse. In eodem Neapol. post *τὸ fide* erasa erat una litera: *fidem* fuisse primo opinor: quomodo Moreti primus, pr. Bonon. et unus ex meis: *factaque fide* pr. Hamburg. fragmen. Theat. et duodecim alii: *fatique fide* tert. Medic. *factamque fide* pr. Gronov. Scribe, *pactamque fidem data munera solvit?* vel, *pactique fidem*; elegans appositio. Epist. Hypsip. 'Heu ubi pacta fides? ubi connubialia jura?' Fastor. III. 'Heu ubi pacta fides? ubi quæ jurare solebas?' Epist. Acont. 'Conjugium pactamque fidem, non crimina, posco.' Phædrus Fab. III. 13. 'Si pactam fuci non recusassent fidem.' Seneca Hippolyto, 'redde nunc pactam fidem Genitor: moraris?' Posset et *rata munera* legi. *Heins.* *Factique*] Eadem fide qua dederat, data munera resolvit atque irrita fecit. Neque enim placet quod habent interpretes; 'ob præstitam fidem restituendo Silenum amissum.' *Farn.*

136 *Maneat circumlitus auro*] *Maneas* sec. Palat. Arondel. Florent. S. Marci, Neapol. aliique non pauci. *Heins.*

137 *Magnis Sardibus*] Sardis urbs est Lydiæ, Crœsi regia. *R.* *Vicinum*] Pactolum ex Tmolo monte ortum Sardis opp. præterfluere scribit Strabo lib. XIII. per medium Sardium forum fluere, Herodotus lib. v.

138 *Perque jugum ripæ*] *Vitæ* Florentinus S. Marci, et Spirensis. In Neap. erasa est vetus lectio: in primo Regio, optimo Thuan. et aliis duobus est *montis*. Puto *Perque jugum Tmoli*. 'Ρεῖ δ' ὁ Πακτωλὸς ἀπὸ τοῦ Τμώλου, Straboni lib. XIII. quod ipsum alii etiam Geographi confirmant; nisi pro *ripæ* mavis reponi *rupis*, ut Tmolus subintelligatur. *Heins.*

142 *Vis aurea*] Propter grumulos et ramenta auri, quæ sabulo suo mista devehit, Pactolus inter Chrysorrhoos fluvios nobilitatur, quæ perhibentur Indus, Ganges, Hermus, Pactolus, Iber, Tagus, Arimaspus, Padus, Hebrus, Rhenus, &c. *Farn.*

FAB. IV. Arg. *Ille perosus opes*] Midas facultate auri efficiundi quicquid tangeret liberatus, opesque perosus, in sylvis habitabat, Panaque pastorem Deum colebat, qui, cum fistula inventa sibi multum nymphis placere videretur, ausus est Apollinem in certamen provocare, Tmolo montis Deo judice constituto. Cum vero sententia pro Apolline lata omnibus placeret, solus Midas, naturali stultitia ductus, eam ut injustam improbavit. Quare Apollo indignatus, aures illius in asininas convertit, quibus ipsius stoliditas indicaretur. Longiores namque aures ex physicorum sententia vecordiam præ se ferunt. Cæterum Midas aures asininas

tiaris purpureis occultavit, tonsorique mandavit, ne verbum cuiquam de illis faceret. Tonsor vero cum reticere non posset, in locum desertum secessit, ibique foveæ factæ immurmuravit, Midam aures asininas habere. Deinde foveam terra replevit. Arundines autem eo in loco natæ, ventoque agitatæ, eadem verba, hoc est, Midas rex asininas aures habet, referebant. *R.*

146 *Perosus*] Ibi, inquit Max. Tyrius Dissertat. 30. Midas divitias deplorare suas, preces aversari priores: nec amplius Satyrum, sed Deos Deasque precari omnes, ut priorem illam fœcundam paupertatem sibi restituerent, aurum in hostium capita transferrent.

147 *Montanis habitantem semper in antris*] *Arvis* Florent. S. Marci, Thuan. Neapol. Oxon. Arondel. sec. Palat. et alii complures; sed frustra. Val. Flaccus lib. III. ‘ Pan nemorum bellique potens, quem lucis ad ortum Antra tenent.’ *Heins.*

148 *Pingue*] Quod deprecatur Venusinus vates, ipse utcunque pinguis, nitidusque bene curata cute, et Epicuri de grege porcus. Satyra 6. ‘ Hac prece te oro, Pingue pecus domino facias, et cætera, præter Ingenium.’ *Farn.*

151 *Tmolus in ascensu*] *In accessu* Frag. Theat. et duo alii. *Heins.*

152 *Parvis Hypæpis*] Hypæpa urbs est Lydiæ, ut diximus.

154 *Cerata*] ‘ Disparibus calamis compagine ceræ junctis.’ Lib. I. 712.

156 *Tmolo*] Deo montis: namque et montibus sua fuerunt numina æque ac fontibus. *Farn.*

157 *Et aures Liberat arboribus*] Ab auribus arbores removet: vel aures removet ab arboribus, quibus cingebatur, quo commodius audiat litigatores.

159 *Pendent circum cava tempora glandes*] *Baccæ* secundus Moreti, ut baccas quernas pro glandibus posuerit. *Heins.*

161 *Insonat ille*] *Intonat* pr. Medic. bene. *Idem.*

163 *Ora retorsit*] *Resolvit* perperam in antiquis plurimis. *Idem.*

166 *Saturata*] Infecta, bis tincta. *Tyrio murice*] Tyria purpura. *Verrit*] Magnifice procedebant in scenam cum histriones, tum citharœdi, purpureum induti trahentesque syrma. Horat. in Arte, ‘ traxitque vagus per pulpita vestem.’

167 *Distinctamque lyram gemmis*] *Instructamque lyram* Oxon. quart. Medic. et decem alii: *Distinctamque fidem* Bernegger. et unus Medic. *Instructamque fidem* Florent. S. Marci, Spirensis, et unus Vatican. quod amplector. Vide Notas Fastor. III. 318. *Heins.* *Distinctamque*] Vide habitum ornatumque ipsius Phœbi apud Tibullum III. Eleg. 4. nec non citharœdi lib. IV. ad Herennium. Uti citharœdus, cum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, et cum corona aurea fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam, &c. *Farn.* *Dentibus Indis*] Ebore.

169 *Stamina*] Chordas. *Sollicitat*] Tangit, percutit.

171 *Cannas*] Tibiam ex cannis confectam.

174 *Nec Delius*] Aristophanis interpres narrat, Midæ natura prælongas fuisse aures, vel etiam, quod Bacchi asinos præteriens injuria affecisset, affixas illi ab irato numine aures asininas. Midam tyrannum dimittere solitum Corycæos *ὠτακουστὰς* referunt Lucianus, Suidas, Photius. Jo. Tzetzes ad illa Lycophronis, *Ὃς δή ποτ' ἀμφώδοντος ἐξ ἄκρων λοβῶν Φθέρσας κύφελλα καλλυνεῖ παρωτίδας*, refert, duos fuisse in Phrygia colles, qui aures asini vocarentur, quos cum expugnasset Midas, latronesque inde sustulis-

set, fabulose dictum esse, Midam asini aures occupasse. *Nec Delius*] Apollo. *Aures stolidas*] Omni carentes judicio.

176 *Villis albentibus*] *Ardentibus* S. Marci, et Spirensis: in Neapol. et uno meo erasa vetus lectio. Forte *villis horrentibus;* ut lib. II. 'Brachia cœperunt nigris horrescere villis.' *Heins.*

177 *Instabilesque illas facit*] *Imas* Florent. S. Marci, Neapol. Bernegger. prim. Ambros. *ime* prim. Palat. prim. Reg. et duo alii: *imo* Thuan. opt. Spirens. sec. Palat. et alius; bene: consule Notas libro v. 588. *Idem.*

Fab. v. 180 *Ille quidem celare cupit, turpique pudore*] Sec. Palat. et prim. Basil. *turpemque pudorem;* ut sit oppositio: sed duo Moreti codices, Arondel. Oxon. prim. Bonon. Zulich. et unus Voss. *Ille quidem celat, turpique onerata pudore Tempora purpureis tentat velare tiaris.* Neque aliter scripserat Ovidius. Auritum Midæ caput eleganter dixit 'turpi onerata pudore tempora:' sic Fast. IV. 219. Cybele dicitur 'caput turrifera onerata corona,' ut quidam codices. *Heins.*

192 *Prodidit agricolam*] Indicavit eum qui illam effoderat terram. *R. Agricolam*] Servum tonsorem, qui scrobi verba illa infoderat. Persius Sat. I. 'Men' mutire nefas? nec clam? nec cum scrobe? Nusquam. Hic tamen infodiam, vidi, vidi ipse, libelle, Auriculas asini quis non habet?' *Farn.*

193 *Obruta verba*] Quæ talia fuerunt: Midas rex Asini aures habet.

Fab. vi. Arg. *Ultus abit Tmolo*] Apollo atque Neptunus cum Laomedontem mœnia Trojæ ædificantem vidissent, in humanam figuram conversi, pacto auro se cito opus illud absoluturos receperunt. Mœnibus vero perfectis cum promissum aurum reposcerent a Laomedonte, illo fraudati, qui jurejurando se nihil promisisse affirmavit, tantam perfidiam inultam esse non permiserunt. Neptunus enim et diluvium immisit, quo totus ager Trojanus est devastatus, et Hesionem filiam monstro marino exponere Laomedontem coëgit. Quam quidem cum Hercules illac cum Argonautis transiens liberasset, ac promissis equis a perfido rege fraudaretur, et Trojam expugnavit, et Hesionem captam Telamoni socio donavit. *R.*

194 *Ultus abit Tmolo*] Ultus se de Mida, quemadmodum expositum est, Tmolum montem Lydiæ deseruit Apollo. *Pont.*

195 *Angustum*] Citra Hellespontum, cui nomen ab Helle, Athamantis ex Nephele filia, quæ ab aureo vellere vecta ibi intercidit. *Farn. Nepheleidos Helles*] Nepheles filiæ.

197 *Dextera*] Inter promontoria Sigæum a dextra et Rhœteum a sinistra ara est Jovis Panomphæi, ex πᾶν et ὀμφή· quod omnium voces audiat, vel quod omnium vocibus colatur. *Eustat.*

203 *Mortalem*] Quid Apollo? inquit Lactantius lib. I. nonne muros Laomedonti extruxit, cum Neptuno, mercede conductus, &c. Jovis jussu, ut Pindarus in Olympicis: damnati a Jove quod cum Junone adversus Jovem conspirassent, ut habet Didymus. *Phrygiæque tyranno Ædificat muros pactus pro mœnibus aurum*] *Phrygioque* meliores, et *Ædificant pacti aurum*, vel *pacto auro*, quod posterius amplector, ut a pango, pepigi, deducatur; quod pro paciscor subinde ponitur. *Heins.*

204 *Auro*] Herodotus scribit, Laomedontem templa Apollinis et Neptuni depeculatum, thesauros Deorum sacris dicatos ad exstruenda Trojæ mœnia convertisse. Quamvis vero similius est, lutea, vel etiam lateritia, mœnia aqua Neptunia primum mista,

Phœbeâ deinde face aruisse. Martialis crateras aureos fuisse ait: 'Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ: Ferret ut hæc, muros struxit Apollo lyra,' Epigr. VIII. 6. *Farn.*

207 *Rector maris inquit*] *Infit* prior Twisdenius, ut alibi. *Heins.*

210 *Fluctibus obruit agros*] *Arva* pri. Palat. Vatican. prim. Gronov. Cantabrig. aliique complures; rectius: quia 'agricolis' paulo ante præcesserat. *Idem.*

211 *Filia*] Hesione. *Farn.*

214 *Equos*] De semine Solis equorum progenitos.

215 *Bis perjura*] In Deos primum, deinde in Herculem.

216 *Nec pars militiæ Telamon*] Telamon Æaci filius ex Hesione Laomedontis filia Teucrum suscepit.

217 *Nam conjuge Peleus Clarus erat Diva*] Peleus Æaci filius ac Telamonis frater, neposque Jovis, solus ex hominibus Deam uxorem ducere meruit. Cum enim Proteus Thetidi prædixisset, ipsam esse parituram filium patre majorem, Jupiter, quamvis ejus amore captus, illo quidem abstinuit conjugio: nepoti autem Peleo mandavit, ut illam duceret uxorem. Quare Peleus Thetida in spelunca quiescentem frustra est amplexus: nam Dea, cum in volucrem, et arborem conversa a Peleo non dimitteretur, in Tigridem se transfiguravit: cujus sævitia territus Peleus, eam dimisit. Admonitus autem a Proteo, ut eam dormientem vinclis ligaret, et quamvis in mille varias figuras converteretur, tantisper detineret donec in pristinam rediisset formam, sic illa tandem est potitus: ex qua Achillem suscepit. *R.*

219 *Quam soceri*] Nerei. Nam Thetis Nerei filia fuit. *R. Jovis esse nepotem Contigit haud uni*] *Nepoti* Florent. S. Marci, et unus Mediceus; vere et eleganter; quo et Neapolitanus alludit, in quo *nepote*. Adi Notas ad Epist. XIV. 64. *Heins.*

220 *Dea dixerat, undæ*] *Udæ* in nonnullis. *Idem.*

FAB. VII. 222 *Mater*] Vaticinii hujus meminit Lucian. I. dialogo Deorum. Jovi, inquit Fulgentius, qui ignis est, cum Thetide, id est, aqua, coire non licet, lib. III. *Farn. Qui fortibus armis Acta patris vincet*] *Fortibus actis* prim. Medic. prim. Basileensis, prim. Gronov. Oxon. Bernegger. et quinque alii; recte. Vide Notas ad Epist. VIII. 44. Recte etiam *juveni* pro *juvenis* excerpta Langermanni et prior Strozzæ. *Heins.*

225 *Haud tepidos ignes*] Vehementes amores.

226 *Connubia fugit*] *Vitat* multi ex melioribus. *Heins.*

227 *Inque sua Æaciden*] *In suaque* idem. *Idem.*

231 *Portus*] 'Hic nunc Emathiæ portus patriamque revisit Pallenen,' &c. Virg. IV. Georg. de Proteo ipso. *Farn.*

233 *Nec remoretur iter*] Prim. Palat. Urbin. et duo Ambros. *aquis*. Nec remoretur aquis vestigia. Pro *Hæmoniæ* paulo ante Zulich. *Emathiæ*. Pro *ubi si foret*, puto scribendum, *qui si foret*. Heins.

238 *Ut somno victa jacebas*] *Vincta* Florent. S. Marci, Bernegg. prim. Med. prim. Basil. prim. Erfurt. et sex alii: ita passim Poëtæ. 'Molli devinctus lumina somno' apud Catullum: 'dulci devinctus lumina somno' apud Virgilium in Ciri. Moschus Europa, Ὕπνος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίζων, Λυσιμελὴς, πεδάα μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ. Lucretius lib. IV. 'Denique cum suavi devinxit membra sopore Somnus.' In Catalectis Pithœi, 'Nimphius æterno devinctus membra sopore Hic situs est.' Apud Nostrum Fast. I. ex antiquis codicibus, 'corpora vincta sopore.' Ammianus lib. XXV. 'quos securitas placido vinxerat somno:' sed modus exemplorum non esset. Hinc somnus δεσμὸς Græcis dictus: ita Aristoteles

non semel in libro de somno et vigilia. Orpheus hymno in somnum, Σώματα δεσμεύων ἐν ἀχαλκεύτοισι πέδησι. Simile quid apud Homerum etiam videor legisse. Pari modo ‘ alligare artus somnus’ Senecæ dictus Hercule Furenti, ‘ Sopor indomitos alliget artus.’ Valerio quoque Flacco et aliis, ‘ mentem vincire Lyæo.’ Propertius Eleg. III. 4. Sic et ‘ amore vinciri,’ et ‘ amoris vinculum ;’ de quibus dictum Fastor. IV. 224. *Heins.*

240 *Vim parat*] Ποντίαν Θέτιν κατέμαρψε ἐγκονητί. Pindarus III. Nemeorum.

243 *Sed modo tu volucris*] *Si modo* unus Gronov. *Nam* alter Hamb. Puto, *Seu modo tu volucris ; volucrem tamen ille tenebat : Seu gravis arbor eras ; hærebat in arbore Peleus.* Heins. *Sed modo*] Φασὶ τὴν Θέτιν φεύγουσαν Πηλέως συνουσίαν Πρὸς πῦρ, πρὸς ὕδωρ, τρέπεσθαι, πρὸς φύσιν τῶν θηρίων, Πρὸς δὲ σηπίας μορφὴν, &c. Jo. Tzetzes II. Chil. 46.

247 *Vino*] Sicut Diis aliis in ara, mensa, foco, aut terra libatum est: ‘ Extaque falsos Projiciam in fluctus, et vina liquentia fundam.’ Æn. III.

249 *Carpathius*] ‘ Est in Carpathio Neptuni gurgite vates Cæruleus Proteus.’ Virgil. Georg. IV. *Farn.*

250 *Æacide*] *Æacida* unus Vossian. et prim. Twisden. at prim. Erfurt. *Æacidæ*, propius vero. Dixi Epist. III. 87. *Heins.*

251 *Cum gelido sopita quiescit in antro*] *Rigido antro* Florent. S. Marci, unus Medic. et unus Bononiensis. *Quieverit* etiam primus Gronov. et unus Basileensis, cum Jureti Excerptis : multi alii *quiescet*. Idem.

252 *Vincloque innecte tenaci*] Ad imitationem Homerici Protei, a Menelao constricti. Odyss. Δ. ‘ Utque fatigarit complexu fortius angens, Consilio Nymphæ, lubrica membra senis.’

257 *Inclinatoque petebat*] *Tenebat* meliores; ut in Fastis lib. II. ‘ medias sole tenente vias.’ Lib. IV. ‘ hac Hyades Dorida nocte tenent.’ Adi Notas Fast. III. 219. *Idem. Inclinato temone*] Inclinato curru.

258 *Hesperium fretum*] Atlanticum mare, in quod Sol condi videtur.

259 *Consueta cubilia fluctu*] *Ponto* cum melioribus : nam *fluctus* jam præcesserat. Florentinus tamen S. Marci, Neapol. et unus Bonon. *saxo.* Apud Virgilium de Proteo in simili narratione, ‘ Consueta petens e rupibus antra.’ *Heins.*

260 *Peleus*] Peleus, inquit Fulgentius, est πηλὸς, lutum, terra, id est, caro ; Thetis aqua, id est, humor ; Jupiter, qui utraque gignit et conjungit, est ignis, id est, anima : hinc natus Achilles, id est, homo perfectus, &c. lib. III. *Farn.*

262 *Sensit et in partes diversas brachia tendit*] *Sentit* præstantiores. Nonnulli *tendens*, ut lib. V. ‘ in partes diversas brachia tendens Obstitit :’ at in margine Gryphianæ editionis, *tendi*, quod placet ; in partes diversas tenduntur brachia, quando ligantur post tergum. *Heins.*

264 *Exhibita*] Modo vs. 253.

265 *Ingentique implet Achille*] Redibis ad lib. X. 469.

FAB. VIII. Arg. *Jugulati Phoci*] Phocus Æaci filius ex Psamathe nympha a Peleo fuit interfectus. Quare Peleus a patre in exilium ejectus, ad Ceycem, Trachiniæ regem, infelicem Dædalionis fratris casum lugentem, confugit. Nam Dædalion Luciferi filius Chionem habuit : quæ cum jam ex Mercurio Autolycum, ex Apolline Philemonem genuisset, Diana se formosiorem esse jactavit. Quare Dea irata sagittis eam confecit. Cujus morte Dædalion tantum concepit dolorem, ut ex Parnassi vertice se in mare præcipitarit. Sed Apollo non immemor voluptatis quem de illius filia conceperat, eum in accipitrem, antequam in mare caderet, commutavit. *R.*

267 *Jugulati crimina Phoci*] *Fratris*

Arondel. Langerm. et unus Basil. *Heins.* *Jugulati*] Peleus Phocum fratrem disco per quinquertii ludum, sed sævum, interemit; matri, scilicet, gratificatus suæ, quæ Scyronis erat filia: namque Phocum Æaco peperit Psamathe Nerei filia. Pausan. Corinth. Ant. Liberalis fab. 38. *Farn.*

269 *Trachinia tellus*] Thessaliæ regio τραχεῖα, in qua Trachin urbs ab Hercule condita. Infra vs. 627. Apollodorus tamen lib. III. refert Peleum non Trachin, sed Phthiam exulatum pervenisse. *Farn.*

270 *Regnum regebat*] *Tenebat* cum melioribus. Paulo post, 'nec inhospita regna tenemus.' Fast. III. 'Regna tenent fortesque manu pedibusque fugaces:' ita passim Noster, aliique. *Heins.*

271 *Lucifero genitore satus*] Ceyx Phosphori, hoc est, Luciferi, fuit filius, Halcyonesque maritus.

273 *Dissimilis sui*] Nam præ se quandam hilaritatem antea ferre consueverat, quæ tunc in mœstitiam fuerat conversa. *Fratrem ademptum*] Dædalionem in accipitrem commutatum. *R.*

276 *Quosque greges pecorum*] Exercitus consuesse greges et armenta secum trahere, notum est. Hos greges in pastu ante urbem reliquit cum pastoribus. *Pont.*

278 *Adeundi tecta tyranni*] *Prima* prim. sec. Palat. prim. Vatican. Cantabr. Oxon. Calandr. Græviamus, et alii decem: sequor. *Heins.*

279 *Velamenta*] Velamenta supplicum erant κλάδοι ἐλαίας περιπεπλεγμένον. Aristophanis interpr. in Pluto. Pacem quippe aut veniam petentes præferebant oleæ ramos laneis vittis obvolutos, qui repræsentarent manus vinctas et sese dedentes. Æneid. VI. 237. et XI. 160. *Farn.* *Quis sit*] *Qui* meliores; bene. Et mox *Mentitusque* pro *Mentiturque* prim. Moreti aliique multi; probe. *Heins.*

280 *Sua crimina*] Phoci fratris cædem. *R.* Hujus Phoci et Pindarus meminit Ode. 5. Nemeorum. *Micyl.*

285 *Huic animo*] Nostro animo per se benigno ac liberali. *Monumenta potentiæ*] *Momenta* scribendum; atque ita unus Vossii, et unus Gronovii pro diversa lectione. Eandem vocem reposui Pont. IV. 13. 'Quanta potes præbe nostræ momenta saluti.' *Heins.*

287 *Tuaque hæc pro parte vocato*] *Videto* cum prim. Palat. pri. Vatican. Cantabrig. prim. Reg. Neapol. Urbin. altero Hamburgens. Norico, et quatuor aliis. *Idem.*

292 *Pennas habuisse putatis*] *Putetis* meliores. *Idem.*

293 *Vir fuit, et tanta est animi constantia quantum*] Alii, *quanta est animi constantia tantum,* sed quoquo modo legas, vix Latinus est versus, quem si tollis, omnia erunt plana. Præterea illos duos versus, qui mox sequuntur, quorum initium, *Illius virtus,* auferendos censeo, cum Nasoniano nitori non respondeant, et superflui sint. Pro *pacis tuendæ* omnes nostri uno alteroque exceptis *tenendæ.* Idem.

296 *Qui vocat*] Auroræ prævius, et qui languentium ex conspectu Solis orientis stellarum fixarum agmina cogit, et 'cœli statione novissimus exit,' lib. II. 115. utpote sphæra terræ propiore vectus. *Farn.*

301 *Chione*] Cui nomen forte a nive, quæ χιών. De cognomine quadam Martial. Epigr. III. 34. 'Frigida es, et nigra es; non es, et es Chione.' *Farn.*

302 *Mille procos habuit*] *Procis placuit* duo veteres, et editiones nonnullæ; ut Epist. Didus, 'Mille procis placui.' *Heins.*

304 *Hic vertice Cyllenæo*] Hic Mercurius, a Cyllene Arcadiæ monte, ubi Mercurius ipse natus esse fingitur. *Raph.* *Vertice*] Monte Arcadiæ.

305 *Pariter traxere calorem*] Una ambo cœperunt amare.

310 *Prærceptaque gaudia*] *Præceptaque* quatuor libri veteres. Vide No-

tas Epist. XVII. 107. *Heins.*

312 *Alipedis*] Mercurii, talaria alata in pedibus gestantis. Quod idcirco fingitur, quia Mercurius velocissimus est omnium planetarum.

314 *Patria*] Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Pater quidem Mercurius Ἠῶος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐγκιθάριζεν Ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. Filius Autolycus patriæ non degener artis, furta exercuit, et ipse ὀξύχειρ ἐστὶ, καθάπερ ἐν τῇ γαστρὶ ἐκμελετήσας τὴν κλεπτικὴν, ut de Patre, Lucianus in Dialogo Apollinis et Vulcani.

316 *Namque*] Superfœtationi hic locus.

317 *Philammon*] Philammonem hunc cum Argonautis navigasse, non Orphea, ex Pherecyda citat Apollonii interpres; Thamyræ Thracis patrem fuisse scribit Suidas. *Farn.* Pherecydes, ut quidem in commentariis Homeri citatur, Autolycum et Philammonem, Philonidis, ejus quæ fuit Deionis, et Mercurii filios facit. Ac Philammonem dicit etiam choros virginum primum instituisse. Autolycum autem patris artes secutum, furta exercuisse. Hujus filia et Anticlea fuit, mater Ulyssis. Ex Philammone autem Thamyris natus traditur, matre Argiope Nympha, ut Pausaniæ placet, sive ut aliis, Erato Musa: quem Musæ, certamine canendi superatum, postea oculis privarunt. *Micyl.*

319 *Progenitore Tonante*] *Tonanti* meliores. Forte et scribendum *esse satæ prodest*, non *satam.* Adi Notas in Nucem vs. 107. *Heins.*

326 *Lingua jacet*] *Tacet* sex scripti cum opt. Thuan. *Idem.*

328 *Quam miser amplexans ego tum patrioque dolorem*] *Quam misero pietas* scripti plerique, et recte; nisi quod scribendum *Quem;* nam in uno Palatino, *Quem misero o pietas.* Deinde pro *patrio,* nonnulli *patriumque.* Bernegger. et Rottendorph. pro diversa lectione, *patruique;* quomodo prim. Medic. et quatuor alii in ipso contextu: at Arondel. prim. Basil. Junian. Medic. chartac. frag. Boxhorn. pr. Bonon. sec. Vatican. *patruo.* Nihil verius: 'corde patruo,' est corde forti, vel duro. Sic apud Horatium, 'ne sis patruus mihi.' Vide omnino quæ notamus Amor. lib. III. 6. 49. Præterea cum in multis veterum sit *misero pietas,* vel *misero o pietas,* censeo scribendum *misera o pietas* per parenthesin: *Quem (misera o pietas!) ego tum patruoque dolorem Corde tuli, fratrique pro solatia dixi.* Sic apud Senecam Œdipi initio, 'Pro misera pietas! eloqui fatum pudet.' Hercule Œtæo, 'O misera pietas! si mori matrem vetas, Patri es scelestus.' Et paulo post, 'O misera virtus! summus Alcidæ dies Nullum malum prosternit.' Prudentius Hamartigen. de Absalone, 'Ausus in auctorem generis qui stringere ferrum (Ah pietas!) signis contraria signa paternis Egit, et unius commisit sanguinis arma.' Pro *solatia* opt. Thuan. et duo alii *solamina;* ut sæpe alibi noster. *Idem.*

335 *Pressa cervice gerenti*] *Læsa* pri. Basil. quart. Medic. Arondel. Oxonien. et octo alii: *læva* sec. Palat. *passa* Junian. nimirum *spicula crabronum.* Sic lib. VII. 'Ora caputque novem cornicis sæcula passæ.' Libro XIII. 'tam raro prælia passus Integer est clypeus.' Pro *repulsus* paulo ante Boxhornii fragmentum *revulsus.* Idem.

337 *Alasque pedes sumpsisse*] Jam enim in accipitrem verti cœptus erat.

338 *Effugit ergo omnes*] Hunc quoque versum esse adulterinum vix dubito. *Heins.* *Cupidine leti*] Cupiditate mortis.

339 *Miseratus*] Aliam Metamorphoseos causam ex Bœi Ornithogonia recitat Ant. Liberalis fab. 3. Hieracem, quia Teucris fame ab irato Neptuno immissa laborantibus suppetias tulisset, ejusdem numinis ira in accipitrem versum. Καὶ τὸ ἦθος ἤλλαξεν, ἀφανίσας μέγιστα γὰρ ὑπ' ἀνθρώπων φιληθέντα πλεῖστον ἐποίησε, ὑπὸ

τῶν ὀρνέων μισηθῆναι, &c. *Farn.*

341 *Subitis alis*] Subito natis. *Sustulit alis*] *Sustinet* pri. Gronov. pri. Hamburg. excerpta Jureti, et decem alii: alibi, 'Sustinuere tamen se perlucentibus alis.' *Heins.*

Fab. ix. 347 *De consorte suo*] Fratre suo Dædalione.

349 *Et Peleu, Peleu*] *O Peleu* tres: unus Vossii *En:* Arond. et quatuor alii *Heu;* placet: nisi mavis, *Et Peleu, heu Peleu.* Heins.

351 *Pendet et ipse metu trepidat Trachinius oris*] *Trepidat Trachinius heros* vetustiores, aliquanto rectius: sed et hunc versum cum aliis spuriis ex hac purpura censeo esse ablegandum. *Idem.*

352 *Ad littora*] Aquarum, aut ad refrigerium Mercurius, patris jussu, armenta illius regionis ad littus compellit: sub exitu lib. ii.

353 *Medio*] 'Jamque dies medius rerum contraxerat umbras, Et sol ex æquo meta distabat utraque,' lib. iii. *Farn.* *Medio orbe*] Periphrasis meridiei.

356 *Latarum campos aquarum*] Μέγα λαῖτμα θαλάσσης. Homer. unde Virgil. 'immensique æquora ponti.' Et alibi 'camposque liquentes.' Uti autem campus maris dicitur, sic et æquor soli. Æquor autem proprie est æquum solum. Virg. 'æquo mecum te crede solo.' Et solum de mari etiam dicitur. Virgil. v. 'Subtrahiturque solum.' Τὸ ὑποκείμενον. Ita et 'cœleste solum.' *Campos spectabat*] *Campum* Neapol. tert. Medic. et quatuor alii: ut lib. i. 'campoque recepta Liberioris aquæ.' Deinde *illuc et istuc* nonnulli. *Heins.*

363 *Densis obsessa salictis*] *Raris* plurimi ex vetustioribus: ut apud Virgil. Eclog. vii. 'En quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra.' Videtur tamen scribendum *varis* vel *canis salictis*, ut lib. v. 'Cana salicta dabant nutritaque populus umbra Sponte sua natas ripis declivibus umbras.' *Idem.*

365 *Inde fragore gravi strepitus*] Alii *gravis* vel *gravi strepitu:* Excerpta Calandræ *gravis crepitans.* Lege *gravi strepitans* cum Langermanniano, et nonnullis editionibus. Spirensis *strepita.* Idem.

367 *Oblitus est spumis et crasso sanguine rictus Fulmineus*] *Et spumis* bene meliores: *spisso* etiam *sanguine* Oxon. sec. Palat. et alii quatuor: de quo lib. x. 508. Denique *rictus Fulmineos* Calandr. Bernegger. pr. Gronov. et octo alii, cum editione Gryphiana; probe. *Idem.*

368 *Fulmineos*] Fulminis instar omnia prosternentis. De fulmineis apri dentibus dictum ad 305. vs. lib. viii. *Farn.*

371 *Diramque famem finire*] *Lenire* prim. Reg. *sentire* Cantabr. at sec. Palat. Juret. Oxon. et multi alii *sedare;* ut lib. xv. 'Carne feræ sedant jejunia.' Sic et 'placare jejunia' et 'famem' alibi dixit. Prim. Gronov. prim. Vatican. et sex alii *satiare.* Cantabr. pro diversa lectione *saturare;* ut libro x. 'armenti saturatos cæde leones.' Statius Achill. 'Uberibus satiasse famem.' 'Finire' tamen 'sitim' Horat. dixit Epist. ii. 11. 'Si tibi nulla sitim finiret copia lymphæ.' *Heins.*

372 *Sternitque hostiliter omnes*] *Omne* cum Florentino S. Marci, et uno meo. *Idem.*

375 *Undaque prima rubet*] *Rubent* cum Rottendorphiano: et sic Naugerius in postrema editione expressit. *Idem.* *Demugitæque*] Boum sauciorum mugitu reboantes. *Farn.* *Undaque prima*] Quod est principium undarum, quod littus tangit. *Pont.*

377 *Cuncti coëamus ad arma*] *Et arma* plerique veteres; ut jam alii monuerunt. Virgil. Æn. vii. 'Arma amens fremit arma toro tectisque requirit.' Lib. xi. 'Arma manu trepidi poscunt, fremit arma juventus.' Statius Theb. iii. 'Improvisus adest Tydeus, et postibus aulæ Vociferans, Arma, arma, viri.' Theb. x. 'Nec mihi difficilis præsens vindicta, sed

arma, Arma prius famuli.' Seneca Hercule Furente, 'Arma, arma, Theseu, flagita propere mihi Subtracta reddi.' Sidonius Panegyrico Aviti, 'tandem prorumpit: et arma Arma fremit.' Silius lib. XI. 'furiata juventus Arma, arma, Hannibalemque volunt.' Idem libro XII. 'arma, cruentus Hostis adest, capite arma, viri.' Noster ipse lib. XII. ex antiquis membranis, 'Certatimque omnes uno ore, Arma, arma, loquuntur.' Plura Zinzerlingus Promulsidis Criticæ cap. I. *Heins.*

380 *Nereida colligit orbam*] Hoc est, ratiocinatur Psamathen Nympham Phoci matrem filio inferias mittere. *R.* *Sed memor*] Conscius sibi parricidii Peleus, suspicatur Psamathen, Nerei filiam, quæ in templo illo colebatur, sibi infensam, boum cæde filio suo Phoco inferias referre velle; reprimit ergo se suosque ab armis et vindicta, atque ad placandum numen se convertit. *Farn.*

381 *Damna suo*] *Sua* vetustiores vel *sui;* posterius amplector. *Damna sui* pro sua damna: lib. IX. 'captus amore mei,' pro meo. *Heins.*

383 *Œtæus*] Ceyx rex Trachinis urbis Thessaliæ, quam Hercules sub Œta monte condidit: supra ad vs. 270.

384 *Excita*] Evocata ex intima ædium parte ac Gynæceo. Significat autem Halcyonem de viri salute, quem vehementissime amabat, maxime sollicitam esse.

385 *Totos ornata capillos*] *Tortos* multi veteres; sed nihil muta: nondum plene ornata: quanquam de tortis capillis probe memini, qui passim apud scriptores occurrant. *Heins.*

386 *Disjicit*] Libri veteres magna ex parte *Dissicit;* quod applausores suos invenit: vetustissimi tamen *Disicit:* nil muto. *Idem.*

388 *Ut servet in una*] *Conservet* opt. Thuan. et unus Vossian. *Idem.*

392 *Numen Pelagi*] Psamathe, Nympha marina.

393 *Arce locus summa, fessis loca grata carinis*] Quam inconcinnum *locus* et *loca* in uno eodemque versu! Scribo igitur, *Arce focus summa.* Pharon designat, seu turrem, ex qua nocturni ignes in usum navium lucebant. Hanc conjecturam postea primus Vaticanus confirmavit; ita tamen ut erasa quodammodo esset vetus et genuina scriptura: in altero etiam Twisdenio a manu prima *phocus:* an *pharus* scripserat Naso? ut apud Val. Flaccum, 'Non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister, Qui portus, Tyberine, tuos, claramque serena Arce Pharon præceps subiit:' Et Statium libro III. Sylvar. ad Uxorem, 'Theleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ:' Juvenal. Sat. XII. 'Tandem intrat positas inclusa per æquora moles Tyrrhenamque Pharon.' Sed *focus* præstat; nisi *faces* mavis. Potest et *foci;* nam sec. Palat. et Urbin. *loci;* quod in suis Constantius etiam Fanensis invenerat. *Heins.* *Fessis loca grata carinis*] Illam namque nautæ adspicientes in portum naves dirigebant, seque terræ propinquos esse cognoscebant.

396 *Ore ferum longos*] *Longosque* Oxon. Arond. et sex alii. Puto, *Ore ferum, et longos.* Heins.

397 *Inde manus*] Sed audi Ant. Liberalem fab. 38. Peleus ad Eurytionem Iri fil. se confert, eique supplex cæde expiatur. Hunc Peleus in venatione postea, dum aprum ferire intendit, imprudens interficit. Profugus deinde ad Acastum contendit: is eum (ab uxore falso insimulatum de solicitata pudicitia, quum ipsa in amore repulsam a continenti Peleo passa esset, ut Pindarus Nemeor. v. et Horat. Ode III. 7.) in Pelio monte solum et inermem destituit. Peleus oberrans ad Chironem venit: inde multis ovibus et bobus collectis ad Irum pergit, eaque cædis mulctæ nomine offert. Cum recusaret Irus, Peleus ea, oraculo monitus, incusto-

dita dimittit. Ibi lupus ea invadit et occidit. Is lupus divino prodigio in saxum mutatur, quod diu permansit inter Locridem et Phocidem. *Farn.* *Aperti ponti*] Statius lib. v. ‘qua longe pelago despectus aperto.’ Cæs. B. G. VII. ‘Longe aliam esse navigationem in concluso mari, atque in vastissimo et apertissimo Oceano.’

398 *Psamathen*] Psamathe Nympha fuit Nerei filia et Phoci mater.

399 *Rogantis Æacidæ*] Pelei precantis: illi namque fuerat irata, eoque precibus illius nihil movebatur.

401 *Sed enim irrevocatus*] *Revocatus* plerique vetustiores; et recte: aut per Thetidem revocatus, aut per Peleum ejusque comites. *Heins.*

408 *Magnetas adit*] Magnetes populi sunt Thessaliæ, equorum domitores clarissimi.

409 *Ab Æmonio Acasto*] Acastus rex fuit Thessaliæ, Peliæ filius. Is uxorem duxit Hippolyten, quæ quidem Pelei amore capta est. Spreta autem illum marito accusavit, quod se de stupro interpellasset. Quare Acastus Peleum tanquam ad venationem in Pelion montem ex urbe eduxit, illicque penitus inermem reliquit, ut a feris interimeretur; sed Mercurius, vel (ut quidam putant) Chiron, illi est opitulatus, deditque ensem a Vulcano fabricatum, quo et feras occurrentes interfecit, et in urbem reversus Acasti uxorem ipsumque Acastum interemit. *R.* Hujus fabulæ et Pindarus meminit quarta Nemeorum oda. *Micyl.*

FAB. X. Arg. *Interea fratrisque sui*] Ceyx Luciferi filius, fratris casu admodum sollicitus, ad Clarium oraculum consulendum ire cum vellet, diu ab Halcyone uxore fuit remoratus. Cum vero illi promisisset se intra duos menses reversurum, abire permissus est. Sed in Ægæo tempestate deprehensus naufragium fecit, navique amissa una cum sociis submersus, quem uxori promiserat reditum præstare non potuit. Uxor autem, cum quotidie pro mariti salute Diis omnibus, Junonique in primis, vota solveret, opera illius per somnum admonita est, maritum in mari perisse. Quare expergefacta ad littus unde solverat maritus accessit: ac dum infortunia sua quereretur, cadaver in mari longius aspexit: quod cum mariti esse cognovisset, ad illudque per undas exilire vellet, in avem Halcyonem conversa ad os mariti advolavit: qui miseratione Deorum pia uxoris oscula sentiens in ejusdem generis avem ipse quoque fuit transfiguratus. Ab his autem avibus 14. dies Halcyonii sunt dicti, quibus mare quietum est. *R.* Hujus fabulæ et Lucianus meminit, περὶ μεταμορφώσεως. *M.*

410 *Fratrisque sui*] Dædalionis, Chione filia Dianæ iram provocante, orbati ipsius, deinde in accipitrem mutati, lupi denique Pelei hospitis sui boves persecuti, in lapidem versi, prodigiis territus. *F.*

411 *Prodigiis fratris sui*] Cujus filia Dianæ sagitta subito fuerat interfecta. *Fratremque secutis*] Qui in accipitrem fuerat commutatus. *R.*

412 *Hominum oblectamina*] *Homini lactamina* Sixianus. *Heins.*

413 *Ad Clarium*] Ad Apollinis Clarii oraculum. Claros autem, urbs fuit Ioniæ non procul a Colophone, ubi templum et nemus Apollini dicatum. Strabo lib. XIV. *Profanus Phorbas*] Thessalus, Lapithæ filius, vir ferox et sacrilegus, qui obvios cogebat, ut pugillatu secum certarent, victosque necabat; eo arrogantiæ postremo profectus, ut etiam Deos ipsos provocando lacesseret, donec ab Apolline superatus ac morte mulctatus fuit. Pausan. Eliac. prior. Phlegyas autem Delphicum templum spoliare aggressos, idem testatur in Phocicis. *Farn.*

414 *Faciebat Delphica Phorbas*] *Faciebant* unus Vossian. et unus Basil. eleganter. *Heins.*

418 *Obit*] Occupat.

422 *Vertit? ubi est*] In Neapolitano vetus lectio erasa. *Est ubi nam* Florentinus S. Marci, et superiori versu *vertit* pro *dixit*. Forte, *Quæ mea culpa tuam vertit, carissime, mentem? Eia ubi jam, quæ cura mei prius esse solebat?* Τὸ *eia* sæpe corruptum esse in aliam vocem jam supra non semel monuimus. *Heins.*

429 *Et sæpe in tumulis*] *In titulis* prim. Medic. optime: titulos tumulorum intelligit. Nihil frequentius occurrit in monumentis veterum sepulcralibus. Met. XIII. ex veteri codice, 'Prensantem titulos, atque ossibus oscula dantem Dulichiæ traxere manus.' Juvenalis Satyra VI. 'titulo res digna sepulcri est.' Auctor Herculis Œtæi ex vetusto libro, 'Quæ tibi sepulcra, nate, quis tumulus sat est? Hic totus orbis fama erit titulus tibi:' sed forte scribendum, *vix tumulo sat est Hic totus orbis: vis* pro *vix* erat exaratum; inde *quis* factum: sic pro *quam vix* sæpe in veterrimis codicibus *quamvis* offendi. *Idem. Tumulis*] Sicubi in bello, naufragio, aut perægre interiissent aliqui, ita ut corpora eorum haberi non possent ad sepulturam justam, amicorum pietas illis exstruebat repræsentativa busta, sepulchra imaginaria seu cenotaphia: persuasum sc. antiquis insepultorum animas Styga trajicere non posse per annos centum, nisi corporibus quoquo modo sepultis, justisque peractis. 'Tumulum inanem' Hectoris appellat Virgil. Æn. III. et Deiphobi Æn. VI. Vide Anthol. lib. IV. 22. Εἰς Ναυαγήσαντας.

431 *Hippotades*] Lib. IV. 663. *Farn. Hippotades*] Æolus Hippotæ Trojani nepos; filius namque fuit Jovis ex Segesta Hippotæ filia.

433 *Tenuerunt æquora venti*] *Æquora* et *venti* jam præcesserant. Timide dico, sed dico tamen, videri scriptum ab Nasone, *tenuerunt cærula fratres*, vel *aëra;* ut alterum ex Glossa natum sit. Sic libro I. 'His quoque non passim mundi fabricator habendum Aëra permisit: vix nunc obsistitur illis, Cum sua quisque regant diverso flamina tractu, Quin lanient mundum: tanta est discordia fratrum.' Lib. XIV. 'Aëraque et tumidum subitis concursibus æquor Astræi turbant, et eunt in prælia, fratres.' Æolii quoque fratres nonnunquam dicuntur. *Heins.*

434 *Incommutata*] Lege *incommendata*, ut intelligamus, neque terram neque mare ventis esse commendata, hoc est, curæ esse, sed violenter perturbari atque vastari: vel *incommendataque*, susque deque habita, sine respectu aut cura perturbata. 'Maria ac terras cœlumque profundum Quippe ferunt rapidi secum, verruntque per auras.' Æn. I. *Farn.*

438 *Magis hos reor esse timendos*] *Magis hoc* pr. sec. Palat. Neapol. Urbin. aliique plures; bene: nam *hos* jam dixerat. *Heins.*

444 *Æolidis*] *Æolidos* duo veteres. In Epistolis, 'Hæc est Æolidos fratri scribentis imago.' *Idem. Æolidis*] Halcyones: quam Noster Æoli filii Hippotæ filiam facit: Lucianus vero, in Halcyone sua, filiam Æoli Hellenis, qui fuit Deucalionis nepos.

445 *Sidereus*] Ceyx, Luciferi filius.

446 *Propositos pelagi cursus*] Propositam ac deliberatam navigationem. *R.*

452 *Per patrios*] Per patrem meum Luciferum, stellam lucidissimam. *Farn. Si me modo fata remittant*] Nisi fatis reverti prohibear, et cogar in peregrina regione mori. Fata vincere nemo potest. *P. Fata remittant*] *Remittent* meliores. *Heins.*

460 *Collapsaque corpore toto est*] *Tota est* Arondel. prim. Moret. prim. Gronov. prim. Basileensis, et sex alii. *Idem.*

462 *Ordinibus geminis*] Nam biremis erat; gestum exprimit remigantium. *R. Ordinibus*] De remorum remigumque ordinibus, vide quæ nos ad Æneid. v. 'triplici pubes quam Dardana versu Impellunt; terno con-

surgunt ordine remi,' vs. 119. et quos ibi citamus. *Farn.*

464 *In puppe recurva*] *Relicta* Florent. S. Marci, Cantabrig. prim. Medic. Spirensis, et sex alii: unus Medic. *redicta.* Forte *reducta*, vel *redunca*; ut lib. XII. 'rostroque redunco Hamatisque viri laniaverat unguibus ora.' Sic 'repandus' libro IV. et 'resimus' lib. XIV. *Heins.*

466 *Recessit*] Videsne navem illam? (inquit Cicero in Lucullo,) stare nobis videtur: at iis qui in navi sunt, moveri hæc villa. Quære rationem cur ita videatur, &c. reddent Mathematici. Oculus nempe quiescere non judicans, motu conspecto, quasi semet retractans, terram retro tendere, solventibus e portu, opinatur. 'Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.' Æneid. III. Et Lucret. IV. 'Qua vehimur navi, fertur, tum stare videtur: Quæ manet in statione, ea præter creditur ire,' &c. Supra lib. VI. 518.

469 *Spatio submota*] *Semota* nonnulli. *Heins.*

473 *Halcyones lacrymas, et quæ pars admonet, absit*] *Halcyonæ*, S. Marci veterrimus, et unus Mediceus, cum uno Vossiano. Pro *absit* prim. Vatican. prim. et tert. Medic. Calandr. et duodecim alii, *abstit;* mendose et inepte: quod cum Priscianus in suo etiam codice invenisset, non dubitavit amplecti, et interpretari pro *abstitit;* ridicule. Quis enim veterum sic locutus? tamen Prisciano subscripserunt Giphanius in Indice Lucretiano, Vivianus, Ciofanus, Constantius Fanensis, ad Asinariam Plauti Meursius, et in doctissimo opere Grammatico Vossius. In aliis codicibus, *obstat, abstat, obstet, abstet, obsit:* omnia frustra. *Idem.*

476 *Cornua*] Antennarum.

477 *Excipit auras*] *Accipit* omnes meliores. *Heins.*

479 *Utraque tellus*] Et a qua discesserat, et quam petebat Ceyx. *R. Utraque*] Hinc Trachine, inde Ionia, in qua Claros: supra vs. 383. *Farn.*

484 *Procellæ*] Ventorum impetus.

488 *Æquorque refundit*] Ecquid elegantius aut ingeniosius dici fingive potest? et tamen Hypercriticus Jul. Scalig. in lib. v. poëtices, qui Criticus inscribitur, 12. cap. 'nimis propere' hæc induci a nostro clamitat. 'At enim vero,' inquit, 'nautas ita repente facere amentes minime decuit: nondum enim re desperata, Hic rapit antennas,' &c. *Farn.*

490 *Omnique a parte*] *E parte* vetustiores. *Heins.*

492 *Ipse pavet, nec se quis sit status ipse fatetur*] *Qui sit status* iidem: otiosa præter hoc repetitio τοῦ *ipse.* Censeo scribendum, *Ecce pavet, nec se, qui sit status, ipse fatetur Scire ratis rector, nec quid jubeatve vetetve.* Ita enim pro *jubeatve velitve* optimus Thuan. prim. Bonon. prim. Erfurt. et alii septem. *Idem.*

494 *Tanta mali moles, totaque potentior arte est*] Ex Virgil. Æneid. v. 'Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus: superat quoniam fortuna, sequamur.' Et alibi: 'Vicit hyems.' *Tantoque potentior arte est*] *Totaque* multi veteres, probe: at Bernegger. sec. Palat. prim. Hamburgensis, aliique complures *tantaque.* Forte *cautaque arte.* Heins.

499 *Et modo*] Tempestatem hanc maris confer, si lubet, cum Virgil. Æn. I. vs. 83. ut et illa Æneid. III. 194. et in Culice vs. 346. Videantur et Horat. Epod. X. Ovid. Fast. III. vs. 587. Ovid. Trist. I. 2. et 3. et 10. Senec. Agamemn. vs. 462. Thyest. 575. Lucan. v. 565. et 625. Stat. Theb. III. 26. et v. 363. Sil. Ital. XVII. 241. Val. Flac. I. 614. Juven. Satyr. XII. 17. Barcl. Euphor. 1. l. II. metr. Caussin. Solym. act. III. scen. 2. Jac. Gaddii II. 65. *Farn.* *Ex imo vertit arenas*] *Verrit* sec. Palat. pri. Basil. et septem alii; quod placet. Avienus Ora Maritima ex veteri libro

Mediolanensi, 'Quantus arenarum numerus verratur ab Euro:' non *versetur* cum vulgatis. *Heins.*

501 *Sternitur interdum*] Stratum videtur et æquale.

511 *Protentaque tela*] *Prætentaque* plurimi: dictum l. VIII. 341. Lib. XII. 'Prætentaque sustinet arma.' Lib. III. 'Cuspide prætenta.' *Heins.*

512 *Commiserat unda*] *Admiserat* eleganter optimus Thuan. prim. Moreti, prim. Bonon. Spirens. prim. Regius, et quatuor alii: Florentinus S. Marci, *amiserat:* in Neapolitano erasa vetus lectio. *Idem.*

513 *Arma ratis*] Armamenta et instrumenta navis. Virgil. v. 'Colligere arma jubet, validisque incumbere remis,' et alibi.

514 *Cunei*] Quibus tabulæ navium inter se committuntur. Subscudes, Fest. l. XVII. cuneatæ tabellæ quibus tabulæ inter se configuntur; quia, quo eæ immittuntur, succiditur. Turnebo l. XIV. c. 1. succuditur. Vitruvio l. x. securiculæ, a forma, quibus duo tigna tenacissime inter se vinciuntur. Nostri hirundinum caudas appellant. *Ceræ*] Picis, qua obducuntur navium rimæ. Scaliger Poët. v. 12. hunc locum confert cum illo Virgiliano, 'laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.' *Farn.*

517 *Totum descendere cælum*] *Discedere* duo veteres. Forte *desidere.* Virgil. III. 564. 'Tollimur in cælum curvato gurgite, et idem Subducta ad manes imos desidimus unda:' ita scribo; nam longe vetustissimus Mediceus *desedimus.* Vulgati *descendimus.* Heins.

520 *Ignibus*] Stellis, quæ jam nubibus obductæ. *Farn.*

522 *Præbentque*] 'Incendia lumen Præbebant, aliquisque malo fuit usus in illo,' l. II. de Phaëthontis incendio. *Discutiunt*] Depellunt. *Micantia Fulmina*] Multi *minantia:* prim. Palat. sec. Medic. Urbin. Bernegger. Spirensis, duo alii *minacia:* an *micacia?* Certe amare nostrum hujusmodi verba ad Amores lib. II. 6. jam monui. *Heins.*

523 *Ardescunt ignibus*] *Candescunt* pri. Erfurt. quod impensius arridet. *Idem.*

524 *Intra cava texta*] Intra concavitatem carinæ. *R.* *Dat quoque jam saltus*] Non per rimas tantum, ut prius, illabebatur aqua in navim: sed toti fluctus insiliebant. *Pont.*

526 *Cum sæpe assiliit*] *Assiluit* vetustiores. *Heins.*

529 *Celsi latera ardua fluctus*] *Acres fluctus* Thuan. prim. Bonon. prim. Moreti, uterque Erfurt. et octo alii; nec dubito sic fuisse in Florentino S. Marci et Neapolitano, in quibus erasa erat vetus scriptura: quatuor ex vetustioribus *cæli:* an *cæci?* duo *puppis:* quinque alii, *navis.* Mox *decumæ undæ* prim. Mediceus, ἀρχαϊκῶς. *Idem.*

530 *Decimæ*] Decumanus fluctus, qui maximus putatur. Sic et maxima quæque dicuntur decumana. Ova, scuta, porta in castris, decumana. Denarium quippe numerum volebant esse perfectissimum, ut qui constet ex uno, duobus, tribus et quatuor: unde ad numerum denarium progressi redimus ad unitatem. Sphærarum insuper decada mundo tribuebant Pythagoræi. Laudat et ipse Scalig. Poët. v. 12. numeri hujus expressionem. Trist. I. 2. 'Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes, Posterior nono est, undecimoque prior.' *Farn.*

533 *Tentabat adhuc invadere*] *Tendebat* duo veteres. Apud Virgilium Æn. II. 'tendit divellere nodos:' et l. x. 'locum tendunt superare priorem.' Adeantur quæ noto ad Claudianum; ubi plura congessimus. *Heins.*

534 *Trepidant haud segnius omnes*] Ad l. II. 809. monui videri *secius* scribendum. *Idem.*

536 *Murum tenentibus*] *Tuentibus*

quatuor libri; frustra: agit de hostili milite, qui jam murum obsessum occupavit. *Idem.*

537 *Deficit ars*] Tempestati ars succumbit. *Animique cadunt*] *Labant* unus Strozzæ. *Heins.*

538 *Quot veniunt*] *Veniant* S. Marci, Neapol. Arond. prim. Basil. et quinque alii. Pro *mortes* in multis veterum *montes;* ut apud Virgilium 'præruptus aquæ mons:' et alibi, 'Curvata in montis faciem circumstetit unda.' Silius lib. XVII. in descriptione tempestatis, 'stridorque immite rudentum Sibilat, ac similem monti, nigrante profundo, Ductoris frangit super ora trementia fluctum.' Sed, quia jam supra monti undam compararat, hic nihil censeo mutandum. *Idem.*

540 *Funera quos maneant*] Qui exequiarum honore non priventur. *R. Funera*] In mari interire acerbe tulerunt fortes, ubi virtuti suæ non erat locus, ut pulchre exirent e vita. Arist. Ethic. Nicom. III. 6. Adde quod animam censebant veterum plerique igneam esse, quam in aquis extingui naturæ contrarium videbatur. Super omnia exequiarum honore destitui et exequiis horrebant: sine quibus Styga transvehi per annos centum desperabant. Vide quæ ad vs. 429. supra: et Trist. I. 2. 'Est aliquid fatove suo,' &c. *Farn. Beatos, Funera quos maneant*] Virgil. 'Funere felici spolior:' et alibi 'qui solus honos Acheronte sub imo est.' Τὸ γέρας θανόντων. Homer.

542 *Fraterque parensque*] *Fratresque* in melioribus. *Heins.*

546 *Patriæ oras*] Malim *patrias.* Idem.

550 *Duplicataque*] Supra vs. 251. 'Cæcaque nox premitur tenebris hyemisque suisque.' *Farn.*

552 *Spoliisque animosa superbit Unda velut victrix, sinuataque despicit*] *Animosa superstes,* S. Marci, Urbin. Neapol. Bernegger. Cantabri. prim. Palat. prim. tert. quart. Medic. prim. Basil. prim. Reg. prim. Erfurt. uterque Hamburg. aliique plurimi: *superstat* prim. Reg. Calandr. Barberin. et codices Constantii Fanensis: *superstans* quatuor; recte. *Sinuatas* etiam prim. Erfurt. et alter Strozzæ cum Twisdeniano altero: unus meus *sinuata.* Scribe, *spoliisque animosa superstans Unda velut victrix, sinuatas despicit undas.* Heins.

554 *Quam si quis Athon Pindumve*] Montes esse Macedoniæ Athon, et Pindum Thessaliæ, superius diximus. *Raph. Nec levius*] Naufragium describunt Lucret. II. 552. Propert. III. Eleg. 5. Lucan. I. 498. Silius X. 321. Juvenal. Sat. XIV. 395. Claudian. IV. Cons. Honorii vs. 136. *Farn. Pindumque revulsos Sede sua totos*] *Pindumve* meliores: sed non placet illud *revulsos totos;* unus meus *revulsum:* Neapol. et unus Gronovii *revolsos.* Pro *totos* Twisdenianus alter *tortos.* Forte, *Nec levius, quam si quis Athon, Pindumve, vel Ossan Sede sua motos in apertum everterit æquor:* nam *everterit* pro *everteret* meliores. *Heins.*

556 *Præcipitata cadit*] *Ruit,* bene, libri quatuor. *Idem.*

561 *Socerumque*] Æolum. *Patremque*] Luciferum. *Farn.*

568 *Niger*] Nubes atra aquis gravida, inquiunt: ego fluctum instar arcus triumphalis advolutum factumque intelligo. *Farn.*

571 *Excedere cœlo*] *Olympo* alter Regius. *Heins.*

572 *Texit sua nubibus ora*] *Sua texit* plurimi veteres: prim. Gronov. *subtexit.* Idem.

573 *Æolis*] Halcyone Æoli filia.

575 *Festinat*] Non patronis tantum purpuras trahebant clientæ plebeiæ, ut Hor. Od. II. 18. sed et nobilissimarum fœminarum erat lana ac tela: viris, fratribus, sibi, liberis vestes manu sua texebant: ut omittam Deianeiram et Clytemnæstram, Augustus non temere alia quam domestica veste

usus est, ab uxore et sorore et filia neptibusque confecta. Sueton. August. c. 73. ad quem locum vide quæ Casaubonus. *Farn.*

578 *Antea tamen*] Æn. IV. 'Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.' *Farn.* *Junonis templa*] *Junonia* puto: ut jam monui Fast. I. 55. *Heins.*

584 *Manus funestas*] Funere et morte mariti pollutas.

589 *Induitur*] 'Ergo Iris croceis per cælum roscida pennis, Mille trahens varios adverso Sole colores, Devolat,' Æneid. IV. sub exitu lib. ad quem locum vide quæ nos: videatur et Jul. Scaliger Exercitat. 80. *Farn.*

590 *Arcuato curvamine*] *Arcato* veteres multi: prim. Palat. et unus Mediceus *arquato;* quod sequor. Certe Nonius inter *arcum* et *arquum* distinguit, quod alter fornicem designet, alter iridem: unde et *arquatos* dici contendit; quæ vox occurrit apud Lucretium. *Heins.* *Arquato*] In arcus similitudinem figurato. *R.* *Arcuato curvamine*] Virgil. 'secuit sub nubibus arcum.' Omne curvum poëtæ cum plurimum referunt ad arcum. Virgil. 'Portus sinuatur in arcum.' Quod Sulmonensis noster non parum sæpe est secutus.

591 *Sub nube latentia*] De nube nugæ sunt. Scribe *sub rupe* cum primo Gronovii, quarto Mediceo, Rottendorph. Græviano, et aliis duobus: sec. Pal. et duo alii *sub nocte;* frustra. Audi Statium Theb. l. x. ubi Somni domum describit ad Nostri imitationem, 'Stat super occiduæ nebulosa cubilia noctis, Æthiopasque alios, nulli penetrabilis astro, Lucus iners, subterque cavis grave rupibus antrum It vacuum in montem, quæ desidis atria Somni.' Cæterum similis quoque error apud Val. Flaccum l. VIII. sub finem operis est commissus, ubi *nubes* pro *rupibus* irrepserunt: 'Si Pagasas vel Peliacas hinc denique rupes Cerneret, et Tempe viridi ridentia luco;' at nunc ibi non tantum *nubes* perperam legitur, sed *viridi* quoque *lucentia fumo* etiam in scriptis exemplaribus; perperam. Sequenti versu unus Gronovii *longi spelunca recessus;* rectius quam vulgati *longo recessu.* Heins.

592 *Est prope*] Somni regiam accommodatissime amovet ad Scythiæ regionem frigidam, tenebrosam, humidam, Bosphorum Cimmerium, Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε, πόλις τε, Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ' αὐτοὺς Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν, Οὐδ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα, Οὔθ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται, &c. Homer. Odys. Λ. 14. *Farn.*

596 *Dubiæ lucis*] Redibis ad Epist. Ariad. v. 7.

597 *Ales cristati oris*] Periphrasis est galli.

599 *Sollicitive canes*] *Sollicitæve* duo Bononienses et prim. Hamburgensis: de quo libro III. Cæterum multi codices subjungunt istum versum, 'Garrula nec Procne stertentia pectora mulcet;' qui prorsus adversatur menti Nasonis nostri: nam si mulcet Procne stertentia pectora, nihil causæ est cur hinc ablegetur. *Heins.* *Canibusque*] Respicit historiam. Rom. qua ab anseribus excitati canes, Manlius aliique repulerunt Gallos, qui noctu Capitolium conscenderant. Liv. lib. v. Columella XVIII. 13. *Farn.*

603 *Unda labens*] Murmure siquidem aquæ somni efficiuntur suaves. *R.* *Rivus*] Et somno tanquam ᾅδου κασιγνήτῳ convenit Lethe, et dormientes occupat ad tempus rerum oblivio, nec non somniculosos veternum.

605 *Ante fores*] Civitatem somni, quam describit Lucian. Verar. Hist. lib. II. cingit silva, cujus arbores μήκωνες ὑψηλαὶ καὶ μανδραγόραι. Elegantissime autem apponit quæ somnum concilient: amovet quæ somnum impediant. *Farn.*

608 *Janua ne verso*] *Quæ reddat* octo scripti; quod rectius. *Heins.*

610 *At medio torus est ebeno sublimis in antro*] Aut *ebeni* legendum, aut *ebeno sublimis in atra* cum primo Mediceo. Pro *unicolor*, quod quid sibi velit nescio, S. Marci Florentinus *atque color:* Spirensis *utve color.* Scribe *atricolor:* sic 'concolor,' 'decolor,' 'discolor,' 'versicolor,' 'bicolor,' et similia passim. Sic literas Ausonius Epist. VII. ad Theonem, 'Cadmi filiolas atricolores' dixit. Apud eundem 'nocticolor Styx,' et 'Iricolor spuma:' 'albicolor' apud Corippum Africanum, poëtam non malum, ut illa ferebant tempora: 'multicolora prata' apud Prudentium Cathemer. Hymno III. et 'multicolor fucus' περὶ στεφάνου, Hymno Hippolyti: et 'omnicolor pictura' eidem Hymno SS. Petri et Pauli; quomodo et Lucilio 'omnicolor fomentum' apud Nonium in *colustra:* et 'animæ unicolores' Hamartig. eidem Prudentio: in Catalectis Pithœi, 'multicolor Iris,' et 'floricolor:' 'nocticolor' etiam occurrit apud Gellium ex Nævio lib. XIX. 12. et 'pudoricolor Aurora.' Virgilius in dedicatione Æneidos, 'Marmoreusque tibi, Dea, versicoloribus alis In morem picta stabit Amor pharetra;' quomodo scribendum. Amori alas purpureas adscribi a Poëtis quis nescit? Scaliger 'diversicoloribus alis;' quod Latinum non est; nec felicius Pithœus, 'aut ignicoloribus:' sed cum nullus dubitem eam Pithœanæ editionis lectionem ex vetusto aliquo codice depromtam esse, parum abest quin persuadear ut credam reponendum esse *Dea, cygnicoloribus alis;* sive candidis sive purpureis intelligas: nam et purpureæ alæ Amori a Poëtis passim assignantur, et olores Horatio purpurei sunt. Sed ad rem: *atricolor* etiam in Neapolitano videbatur scriptum, erasa quidem lectione veteri, sed restante interlineari glossa, 'id est, niger:' sec. Palat. *inicolor.* Cogitabam aliquando *æquicolor* insistens vestigiis optimi Florentini codicis; hoc est, æqui cum ebeno atra coloris, ebeno concolor: ut locutus Silius libro VII. 'Terrificus nigris prorumpit Maurus in armis, Nigra viro membra, et furvi juga celsa trahebant Cornipedes, totusque novæ formidinis arte Concolor æquabat liventia currus equorum Terga.' Apud Ausonium pari modo 'æquimanus' occurrit, 'Quis Myrmilloni componitur æquimanus? Thrax.' *Atricolor* tamen non damno: qua voce etiam Plinium in Naturali Historia usum memini; sed locus non succurrit. *Idem.*

614 *Somnia*] Et somniorum formas atque naturas varias recenset Lucianus lib. modo dicto: vide et Indicem Poëticum nostrum, tit. *Somnium.* Farn.

615 *Ejectat littus arenas*] *Ejectas* cum melioribus. *Heins.*

618 *Sacra domus*] Puto *Atra.* Idem.

623 *Somne, quem cura fugit*] Ex Virgil. Æn. IV. 'Somno positæ sub nocte silenti Lenibant curas, et corda oblita laborum.' *Quies*] Lege ὕπνου θυμίαμα, in iis quæ tribuuntur Orpheo, et quos citat autores Index noster Poëticus tit. *Somnus.* Farn.

624 *Qui corpora duris Fessa ministeriis*] *Qui corda diurnis* prim. Basil. recte; nisi mavis cum aliis quatuor, *membra diurnis.* Libro IV. 'ea fessa diurnis Membra ministeriis nutrit reparatque labori.' Libro VIII. 'Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis Pectora somnus habet.' Similiter 'currus' solis 'diurnos' lib. IV. et 'diurnos ignes' lib. VII. dixit. *Heins.*

626 *Somnia quæ veras æquant*] *Æquent* sec. Palat. Arondel. et alii complures; bene. *Idem.* *Somnia, quæ veras æquent imitamine formas*] Respicit Poëta ad Virgil. in fine Æn. VI. 'Sunt geminæ somni portæ, &c. Altera candenti perfecta nitens elephanto, Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.' Ex Homer. Odyss. T. a vs. 562. Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων· Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύ-

χαται, αἱ δ' ἐλέφαντι, &c. Unde et Coluth. Theban. δοιὰς δὲ πύλας ὤϊξεν ὀνείρων, &c. Horat. III. 27. ' An vitiis carentem Ludit imago Vana, quæ porta fugiens eburna Somnium ducit?' Vide et Luciani Gallum, in somnio; ubi more suo hæc omnia salse ridet. *Quæ veras æquent, &c.*] Paulo ante dixit: ' varias imitantia formas,' id est, vera et falsa somnia. Hic jubet vera mitti ad Alcyonem, in urbem Trachinem, simulachrum scilicet Ceycis naufragi. *Pont.*

627 *Herculeam Trachina jube*] *Herculea Trachine* cum melioribus. *Heins. Regis*] Ceycis. *R.* *Herculeam*] Ab Hercule conditam ad vs. 383. supra. *Farn.*

630 *Neque*] Ita et Cereris Nympha lib. VIII. 814. ' Quanquam aberat longe, quanquam modo venerat illuc, Visa tamen sensisse famem,' &c. *Farn. Tolerare soporis Vim poterat*] Spirensis, Florent. S. Marci, *vaporem vi poterat.* Forte *vaporam vim;* ut ' vaporus ardor' apud Prudentium: a vaporo, vaporus et vaporatus; quomodo a soporo, soporus et soporatus. Nec male tertius Bononiensis ex veterrimo, quod passim apparebat, codice descriptus, *vaporis vim.* Statius Theb. X. ubi Somni regiam describit, ' corpore pigro Strata calent, supraque torum niger adflat anhelo Ore vapor:' ita scribe, non *efflat.* Heins.

633 *E populo*] Ex numero innumero somniorum evocat Morphea, qui primipilus, tribunus, ceu dux somniorum, quæ formam personamque humanam sustinere possunt. *Farn.*

634 *Simulatoremque figuræ Morphea*] Morpheus ἀπὸ τῆς μορφῆς, hoc est, a *forma*, dicitur formæ simulator. *R.*

636 *Exprimit*] Malo *Exprimat.* Mox sec. Palat. et unus meus *modumque loquendi*, non *sonumque.* Heins.

643 *Falluciter omnia transit*] *Feliciter* bene unus Palat. et meus chartaceus, cum uno Moreti. Pro *Quæque vacant anima*, Spirensis *animi;* ut secundum casum hoc verbum regat: codex S. Marci *animo.* Idem.

647 *Thaumantidos edita*] Iridis jussa, Thaumantis filiæ. *Somnus*] Somni Deus.

649 *Languore solutus*] *Solutum* rectius duo veteres. *Heins.*

651 *Urbem Æmoniam*] Trachina, urbem Thessaliæ, ut supra ad vs. 270.

654 *Sumptaque figura*] *Formaque sub illa* cum pr. Basil. Arondel. pr. Moreti, et decem aliis. *Heins.*

656 *Madidisque gravis*] *Madidisque viri* Florent. S. Marci, Neapol. et tert. Bonon. *Idem.*

658 *Hæc ait*] Malim, *Huncne ait agnoscis Ceyca?* sic libro VI. ' Heu quantum hæc Niobe, Niobe distabat ab illa!' Paulo ante pro *profuso fletu* prim. Erfurt. Thuan. Bernegger. Cantabrig. et quatuor alii, *refuso.* Idem.

662 *Falso tibi me promittere noli*] *False* pr. Gronov. Lege *falsa.* Mox *navim* pro *navem* meliores. *Idem.*

663 *Ægæo*] Quod e sinu Maliaco sub Heraclea ceu Trachine solventi trajiciendum est in Ioniam naviganti; supra vs. 478. namque Ægæum mare duo alluit Græciæ latera; illud ad ortum Solis, hoc ad Meridiem, &c. Strabo lib. VII. Ægæum unde dicatur, vide quæ ad Senecæ Thebaidem vs. 313. *Farn.*

665 *Clamantia*] Vs. 566. supra. *Idem.*

670 *Inania*] Virgil. Æneid. VI. dixit, ' domos Ditis vacuas et inania regna:' in quibus sc. neque corpora, nec animæ, sed idola tantum, umbræ, et simulachra rerum. Dido Æn. IV. ' et nunc magna mei sub terris ibit imago.' Ἦ ῥά τίς ἐστι καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι Ψυχὴ καὶ εἴδωλα, ἀτὰρ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν, quæ Homeri citat Plato III. de Republica. Hinc Horatio Od. I. 4. ' domus exilis Plutonia.'

673 *Gestumque manus*] Frustra cum Planude quidam codices *sceptrumque:* dixi lib. VI. 308. *Heins.* *Gestumque*]

Planudes, *καὶ σκῆπτρον τῇ χειρὶ εἶχε*.

674 *Ingemit Alcyone, lacrymas movet atque lacertos*] *Lacrymans* cum pri. Erfurt. altero Hamburg. et aliis nonnullis. Recte itaque Gronovius, *Ingemit Alcyone lacrymans, motatque lacertos.* Sed ut dicam quod res est, habeo persuasum, cum sequentibus duobus hunc versum ab aliena manu hic inculcatum esse. Auget suspicionem, quod paulo post sex scripti agnoscant, *Voce sui specieque viri*, non *voce sua;* quomodo omnino legendum, si hi tres versus tollantur. *Heins.*

681 *Percutit ora manu*] *Perculit* unus meus, de quo alibi. Mox *crinem* pro *crines* nonnulli. *Idem. Laniatque*] In dolore crines lacerare, vestes abscindere, usitatum. Æn. XII. Amata 'moritura manu discindit amictus:' ibid. 'it scissa veste Latinus.' Curtius lib. III. nobilium fœminarum turba steterat, laceratis crinibus, abscissa veste. *Farn.*

682 *Nec crines solvere*] Et solvere et solutos laniare crines rebus adversis solebant. Alcyone quamvis adhuc compositos et colligatos vellit. *Pont.*

688 *Umbra fuit*] *Fugit* pri. Erfurt. Bernegger. pri. Vatican. fragmen. Theat. et viginti alii; recte. *Heins.*

690 *Assuetos vultus*] Puto *cultus;* ne bis idem dicat: atque ita hæc respondebunt sequentibus, 'Pallentem nudumque.' *Idem.*

697 *Fuit ah fuit utile tecum*] *Fuit o* decem scripti: *multum fuit* Florent. S. Marci, et duo alii: *quoniam* Bernegger. at Neapol. pr. Medic. pr. Hamburg. et præterea sex, probe, *tecum fuit utile, tecum.* Idem.

699 *Neque*] Te pereunte, quæ melior pars mei: *δύο μὲν σώματα, ψυχὴ δὲ μία*. *Farn.*

700 *Nunc absens perii; jactor quoque fluctibus absens*] *Pereo* Urbin. Thuan. pr. Gronov. pr. Moret. uterque Erfurt. aliique complures. *Jactor nunc* quoque recte unus meus. *Heins.*

701 *Et sine me te pontus habet*] Redde Nasoni suum acumen, et scribe, *sine me me pontus habet;* quomodo in Barberiniano postea inveni, et in uno Mediceo a manu prima; nihil verius: superiora confirmant: nisi mavis, *Nec sine me te pontus habet:* sed alterum præstat. Ludunt frequenter scriptores in his argutiis: vide Epigramma CIII. Ausonii, cujus initium, 'Vado: sed sine me, quia te sine.' *Idem.*

706 *Littera*] Epitaphium: inscribar scil. sepulchro 'Halcyone Ceycis conjux:' lib. sequent. vs. 2. de cenotaphio, 'tumulo quoque nomen habenti.' *Farn.*

709 *Gemitus a corde*] *E corde* Bernegger. alii nonnulli *de corde.* Heins.

712 *Dumque moratur ibi*] Puto *Dumque, Moratus ibi est;* ut Halcyones sint verba. Mox *dicit* pro *dixit* meliores. *Idem.*

714 *Dumque notata oculis reminiscitur acta fretumque*] *Quæ dum tota locis* S. Marci, et duo alii: *Dumque novata oculis* prim. Basil. *Dumque notat littus* sec. Palat. Versus est adulterinus. Proximo opinor legendum, *Prospicit, en liquida.* Idem.

717 *Postquam paulum appulit undæ*] *Unda* ex scriptis: *paulo* etiam multi veteres; bene. *Idem.*

719 *Quis foret*] *Quid* vel *Qui* meliores: et mox *lacrymam* pro *lacrymas.* Idem.

723 *Hoc minus et minus est mentis, jam jamque propinquæ*] S. Marci, Neapol. Urbin. pr. et sec. Palat. pr. Vatican. aliique complures, *mentis sua: jamque propinquæ;* septem cum Spirensi, *mentis suæ;* unus Medic. *menti sua;* Oxon. *jam mens sua.* Scribe, minima mutatione, *Hoc minus et minus est amens sua.* Adeantur quæ notavimus III. 687. Cicero tertio Tusculanar. Quæst. 'Nec minus illud acute, quod animi affectionem lumine

mentis carentem nominaverunt amentiam, eandemque dementiam.' *Idem.*

728 *Adjacet*] Portus manu et arte facti notatio; quam Juvenal. Sat. XII. circumscribit, 'positas inclusa per æquora moles, Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum, Quæ pelago occurrunt medio, longeque relinquunt Terram.' *Farn.*

729 *Primas æquoris undas Frangit*] Jam dixerat 'adjacet undis:' optime igitur præstantissimus Thuaneæ bibliothecæ liber, quart. Medic. pr. Bonon. pr. Moret. *iras;* ne bis eadem voce utatur. Pari modo Valerius Flaccus VII. 584. 'æquora non sic In scopulos irata ruunt, eademque recedunt Fracta retro:' sic scribe, non *Facta.* Silius lib. III. 'Mox remeat gurges fractoque relabitur æstu:' ubi *tractoque* perperam nunc legitur. 'Ira maris' eidem Valerio lib. I. 'Ira maris, vastique placent discrimina ponti.' Tibullus El. II. 4. 'Stare vel insanis cautes obnoxia ventis, Naufraga quam vasti tunderet ira maris;' sic codex Thuaneus: nihil usitatius Nasoni nostro. Epist. Leandri, 'si cadat ira maris:' ubi male in multis *unda.* Libro XII. initio, 'pariter maris ira recessit.' *Heins.*

730 *Quæ prædelassat*] Lassos ac debiles reddit antequam in portum perveniant.

731 *Insilit huc*] *Huic* nonnulli; duo Leidenses *hunc;* puto *hanc:* vide Notas VIII. 142. *Heins.* *Volabat*] Ceyx nobilitate, opibus, forma, conjugio superbiens, se Jovem, Halcyonem appellavit Junonem. Quam arrogantiam indignatus Jupiter, prodigiis primum, mox naufragio ultus est. Luciferi et Thetidos tandem misericordia ipse cum uxore in aves Halcyones versi sunt. Ant. Liberalis fab. II. narrat Procnen in Halcyonen fuisse mutatam. *Farn.*

734 *Mœsto*] Γοώδη γοῦν ὡς ἀληθῶς τὸν ἦχον ἀφίησι τὸ ζῶον. Lucianus in Halcyone. *Farn.*

736 *Ut vero tetigit*] Hos quoque tres versus non esse Nasonianos censeo: medius certe, *Dilectos artus amplexa recentibus alis,* omnino otiosus est: nam quid opus *recentibus alis,* cum paulo ante 'modo natis pennis' dixerit? Certe in uno Gronoviano hic ipse, ut et tertius, margini erat adscriptus. *Heins.*

742 *Ambo*] Μεγάλην μέντοι διὰ τὴν φιλανδρίαν εἴληφε παρὰ θεῶν τιμήν· ἐπὶ τῇ τούτου νεοττείᾳ, &c. Lucian. in Halcyone. Magnum quidem ob amorem conjugalem acceperunt a Diis honorem: namque in istarum avium nidulatione per mediam hyemem agit mundus tranquillos dies: ἡ δὲ ἀλκυὼν τίκτει περὶ τροπὰς χειμερινὰς, &c. Arist. hist. animalium l. v. Plin. x. 32. Ælian. hist. anim. I. 37. Plutarch. Quæ animalia magis ratione utantur. *Farn.*

743 *Conjugale solutum*] *Conjugiale* ex scriptis: dixi lib. v. initio. *Heins.*

745 *Perque dies placidos*] Halcyones (ut refert Plinius) fœtificant bruma, qui dies 'Halcyonides' vocantur, placido mari per eos et navigabili, Siculo maxime. Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt. Quibus quidem quatuordecim diebus maxime tranquillatur mare, unde et 'Halcedonia' pro tranquillitate a Plauto in Casina accipiuntur. Dictæ sunt Halcyones, ut Ovid. putat, ab Halcyone Ceycis uxore, ut alii, ἀπὸ τοῦ κύειν ἐν ἁλὶ, hoc est, a concipiendo in mari. *Dies septem*] De numero horum dierum variæ sunt antiquorum opiniones. Simonides namque undecim esse ait, Philochorus novem, Demagoras vero septem, cujus opinioni Ovidius adhæret.

746 *Pendentibus nidis*] Halcyonum nidi admirationem habent, ut refert Plinius. Pilæ figura paulum eminentiores, ore perquam angusto, grandium spongiarum similitudine; intercidi non queunt, franguntur ictu valido, ut spuma arida maris: nec

unde confingantur, invenitur: putant ex spinis aculeatis.

746 *Tunc via tuta maris*] *Mari est* malim: at S. Marci, cum duobus aliis, *Tunc jacet unda maris.* Heins.

Fab. xi. Arg. *Hos aliquis senior*] Æsacus, Priami filius ex Alyxothoë nympha, cum, amore Eperies nymphæ captus, eam fugientem persequeretur, in causa fuit, ut illa periret, nam inter fugiendum a serpente icta interiit, tantoque dolore Æsacon affecit, ut moriturus e scopulo se in mare præcipitarit. Quem Tethys miserata in mergum transmutavit. Ille vero indignatus quod mori non potuerit, se mergere nunquam desistit, unde et mergus a sæpius se mergendo a Latinis est dictus. *Raph.*

753 *Spatiosum in guttura mergum*] *In gutture* vel *gurgite* plerique veteres: *spatiosum gutture* pr. Medic. prior Twisd. et unus Moreti. Lege *spatiosum guttura*, ut sit Græcismus. *Heins.*

755 *Sunt hujus*] Ortum hic ducit a Troë, cui filii erant Ilus, Assaracus, et Ganymedes; Ili autem filius Laomedon, Laomedontis Priamus, qui pater hujus Æsaci.

759 *Qui nisi sensisset*] *Cui nisi cessisset* S. Marci. Forte, *Cui nisi cessissent prima nova fata juventa;* hoc est, obtigissent: sic 'male,' 'bene,' 'utiliter cedere.' *Heins.*

761 *Proles*] Hecuba, quam Dymantis filiam facit Homerus, Euripides filiam Cissei regis Thracum, peperit Priamo 17. liberos; reliqui nati erant ex concubinis.

763 *Fertur Alyxothoë gracili conata bicorni*] *Alixiroë*, vetustiores, vel *Alixithoë*. Scribe *Alexirhoë:* cujus nominis Nympha quoque a Baccho amata occurrit apud Plutarchum περὶ ποταμῶν in Pactolo, alia item in Sagari. Posset etiam reponi, *Alirrhotie*, vel *Alexiare.* Pro *gracili conata bicorni*, quod est nihili, tert. Med. *gratali:* unus meus *gratili:* duo alii *graciali.* Scribe, *Granico nata bicorni:* nam in nonnullis codicibus *gracilico nata.* Granicum fluvium esse Phrygiæ quis nescit? quis ignorat fluvios bicornes dici? Apposite Q. Smyrnæus lib. iii. παραλειπομένων de Atymnio, quem ab Ulysse occisum narrat, *ὅν ποτε νύμφη Πηγασὶς ἠΰκομος σθεναρῷ τέκεν Ἠμαλίωνι Γρηνίκου ποταμοῖο παρὰ ῥοόν. Heins. Alyxothoë*] Nympha fuit hæc, ex qua Priamus Æsacon suscepit.

769 *Eperien*] Filiam Cebreni, qui fluvius Troadis.

770 *Aspicit Hesperien*] *Eperien* plurimi veteres: alii, *Epirien, Epireen, Epiren, Epirihen, Hyperien, Heperien, Heperihen. Aspexit Perien*, Florent. S. Marci. *Heins.*

771 *Veluti*] 'Sic agna lupum, sic cerva leonem, Sic aquilam,' &c. lib. i. 505. *Farn.*

776 *Strinxit et liquit*] *Stringit* multi, et *linquit.* Heins.

781 *Ego sum sceleratior illo Qui tibi*] *Ne tibi* prim. Basil. pro diversa lectione. Scribe, *ego sim sceleratior illo, Ni tibi morte mea mortis solatia mittam.* Sic supra, 'crudelior ipso Sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar Longius.' *Idem.*

785 *Decidit in pontum*] *Desilit* prim. Moreti, quart. Medic. et decem alii. *Se dedit* Neap. et Urbin. bene. Lucretius lib. vi. 'In fluvios partim gelidos ardentia morbo Membra dabant.' Virgilius l. xi. 'At Metabus magna propius jam urgente caterva Dat sese fluvio.' Tres alii *Dejicit.* Idem.

786 *Et optatæ*] Scribo, *ut optatæ non est data copia mortis, Indignatur amans. Morti* etiam Florent. S. Marci, et unus Bonon. cum Spirensi. Superiori versu puto scribendum, *invitus vivere cogi.* Lib. xiii. 'quia rettulit Ajax Esse Jovis pronepos;' pro, se esse pronepotem. *Idem.*

788 *Misera*] Corpore, carcere, custodi ergastulo corporis, animæ se-

pulchro : lege quæ Seneca in Consolatione ad Helviam c. 11. et quæ Macrobius lib. in somnium Scipionis c. 11.

791 *Furit Æsacus*] *Æsacon* Neapol. et sex præterea : at pr. Pal. pr. Medic. et duo alii *Æsacos*. Heins.

794 *Caput est a corpore longe*] *A pectore* alter Hamburg. et quatuor alii. *Longo* sec. Palat. *longum* Thysii. Puto, *caput exstat pectore longum*. Idem.

795 *Quia mergitur illo*] Alii *illic : illi* legendum cum pr. Pal. pr. Vatic. pr. tert. quart. Medic. pr. Erfurt. aliisque plurimis : nomen manet illi, quia mergitur. *Idem*.

METAMORPHOSEON LIB. XII.

Fab. i. et ii. 1 *Nescius assumtis alis*] Opinabar aliquando, *at sumtis*. Adi notas nostras libro iv. 562. sed et vulgata scriptura ferri potest. Sic paulo ante, 'utque novas humeris assumpserat alas.' *Heins*. *Nescius assumptis, &c.*] Ignarus Priamus, Æsacum filium suum in avem mergum conversum, et adhuc superesse, pro mortuo lugebat. *Pont*.

2 *Inferias inanes*] *Inani* Florent. S. Marci, et unus Medic. Lego *inane*, scil. nomen. In Amoribus, 'Despice gypsati nomen inane pedis.' Art. Amat. 'Nomen amicitia est, nomen inane fides :' ita passim scriptores Romani. *Heins*.

3 *Inferias*] Χοάς· fundebant enim inferebantque tumulis lac, mel, sanguinem, vinum, oleum, flores, thura, lacrymas. *Inanes*] Vel quod ad cenotaphium ipsum : sic Deiphobo Æneas lib. vi. 'Tunc egomet tumulum Rhæteo in litore inanem Constitui :' vel quod ad ipsos fato functos. Sic Poëta funus Marcelli prosequitur eod. libro : 'His saltem accumulem donis, et fungar inani Munere :' et lib. xi. in exequiis Pallantis, 'Nos juvenem exanimem vano comitamur honore.' *Farn*.

7 *Mille rates*] Numerus rotundus, qui Homero 1186. Dycti 1225. Dareti Phrygio 1140. *Commune*] Τὸ κοινὸν, populus universus, resp. Cic. Verrin. iv. Statuæ a communi Siciliæ datæ. *Farn*.

13 *Serpere*] Nota hæc ex Homeri Iliad. ii. quæ interpretatur Cic. ii. de Divinatione. *Idem*.

16 *Circum sua damna*] Circum sua pignora, quæ cum maximo suo damno devorari a dracone videbat. *R*.

19 *Thestorides*] Calchas, filius Thestoris, cui pater Idmon vates.

21 *Atque*] Passer hieroglyphice denotat annum. Pierius l. xx. Serpens autem denotat tempus edax rerum. Pierius l. xiv. *Farn*. Tota hæc fabula describitur ab Homer. Iliad. ii.

25 *Bellaque non transfert*] Ita libri omnes. Malim nihilominus *Velaque*. Simile mendum insedit Statii codices Theb. v. 'nos Thracia visu Vela ratæ, vario tecta incursare tumultu :' ubi *Bella* nunc legitur. Mox pro *mœnia fecerat urbis*, *urbi* decem ex melioribus : *fecerit* quoque cum uno Medic. et uno Ambros. *Heins*.

26 *Quia mœnia*] Lib. i. 204. *Farn*.

29 *Deæ : postquam*] Dianæ iratæ Agamemnoni propter cervam sibi

peculiarem ab illo cæsam. Cic. Offic. 3. Quid Agamemnon? cum devovisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum esset natum eo anno, immolavit Iphigeniam. Lucret. lib. I. 'Aulide quo pacto Triviai virginis aram,' &c.

30 *Rexque*] Lib. XIII. 187. 'Atque in rege tamen pater est.' *Farn.*

34 *Mycenida*] Iphigeniam Mycenæam. *R. Supposita*] Cervam suppositam, avectamque Iphigeniam in Tauricam scribit etiam Euripides in Iphigenia in Aulide, et noster Trist. IV. 4. quod tamen negant Pindarus, Pausanias, alii, immolatamque asserunt ex more Scythicæ Dianæ, cui litatum victimis humanis. Ex SS. historiis adumbratum volunt alii. Jephthes sc. ex voto temerario immolantis filiam: aut Abrahami, cui, filium immolaturo, pro filio suppositus est hircus. *Farn.*

35 *Ergo ubi qua decuit*] Alii *licuit*. Τὸ *ubi* abest a Zulichemiano. Τὸ *est* a fragmento Boxhornii: unus Leid. *lenitaque*. Existimo scribendum, *Ergo, qua decuit, lenita cæde Diana, Ut pariter Phœbes, pariter maris ira recessit.* Heins.

37 *Accipiunt ventos a tergo*] 'Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.' Virgil. III. *A tergo*] A puppi.

39 *Orbe locus*] Conferatur descriptio Famæ cum illa Virgilii Æneid. IV. 173. et aliorum, quos citat Index noster Poëticus, tit. *Famæ;* et Cl. Fr. Baconi, *Soror Gigantum sive Fama*, lib. de Sapientia veterum. *Farn.*

40 *Triplicis mundi*] In tres partes divisi, in cœlum, mare, et terram.

42 *Penetratque cavas vox omnis ad aures*] *Penetrantque* prim. Medic. Vide notas lib. IX. 426. Pro *domum* mox multi veteres *locum*: ut libro I. 'Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.' *Heins.*

44 *Innumerosque aditus*] 'Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum, Unde ruunt totidem voces.'

46 *Ex ære sonanti*] *Ex ore* duo Palatini. *ex aure* Florent. S. Marci, pr. Medic. Spirensis, Bernegger. pr. Gronov. utrumque recte. Virgilius de Fama, 'Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.' Val. Flaccus lib. II. de eadem, 'jamque advolat ultro, Impatiens, jamque ora parat, jam suscitat aures.' *Patent* etiam, pro *patet*, quart. Medic. et duo alii. *Heins.*

53 *Atria turba tenet*] *Tenent* quinque scripti. *Idem.*

56 *Vacuas aures*] Quidam *auras;* sed nil muto. Consule Notas Amor. II. 1. *Idem.*

61 *Seditioque recens*] *Repens* scribendum vel invitis libris: sic 'repens discordia' Virgilio: 'Quo ruitis? quove ista repens discordia surgit?' Livius libro primo: 'Repens ex agris tumultus in urbem allatus.' Noster superius initio libri quinti, 'Inque repentinos convivia versa tumultus.' Sæpe in hac voce peccatum; ut in illo Petronii, 'Sanguineoque repens descendit Jupiter imbre:' ubi *recens* nunc legitur. Fast. I. 'Bina repens oculis obtulit ora meis:' ubi *repente* frustra in plurimis veterum. Sic 'repens fulminis ictus' Lucretio lib. V. 'vox repens' Val. Flacco, et 'vocis repens singultus' Statio: 'cura repens' Ciceroni in Tusculanis: 'repens castra quatit clamor,' Silio l. III. *Id.*

62 *Ipsa quoque*] Famigerationis filios cœnipetas forenses belle depingit Megaronides in Plauti Trinummo; 'Sciunt id, quod in aurem Rex Reginæ dixerit. Sciunt, quod Juno fabulata est cum Jove. Sciunt quæ neque futura, neque facta sunt: tamen illi sciunt,' &c. Filiam famiger. laudat more suo Juven. Sat. VI. 'Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe; Quid Seres, quid Thraces agant,' &c. *Farn.*

FAB. III. 66 *Prohibentque aditus*] *Prohibent* libri veteres. Præterea *aditu* scribendum, quicquid in contraria eunt antiquæ membranæ. Adi

Notas Artis II. 335. *Heins.*

67 *Hectorea*] Ἀλλ' ὁ μὲν, ἤδη πρόσθεν ὑφ' Ἕκτορι κεῖτο δαϊθεὶς Ἠῢς Προτεσίλαος. Q. Calaber. lib. I. Alii tamen Æneæ, alii Achatæ manu cecidisse eum autumant. *Fataliter*] Oraculi præmonitu, occubiturum illum qui primus de Græcis in littus Trojanum exscenderet, 'Sors quoque nescio quem fato designat,' &c. Epist. Laodamiæ. Ausonius in Epitaphiis Heroum, omen a nomine sumit, 'Fatale adscriptum nomen mihi Protesilao,' &c. Quod tamen illi postea inditum, cum prius Iolaus dictus fuerit. *Farn.*

68 *Protesilaë, cadis*] Protesilaus Laodamiæ Acasti filiæ maritus. Hujus pater Iphiclus cursus velocitate celebris.

69 *Fortesque animæ, neque cognitus Hector*] Ita libri constanter: nec tamen sensus horum Poëtæ menti respondet. Censebam olim refingendum *neque inagnitus Hector: inagnitus* pro incognitus: etsi minus obvia voce. Sequentia id confirmant. Sic paulo ante, 'neque inexpectatus in armis Hostis adest.' Certe in meo chartaceo, qui ad fidem libri vetustioris erat descriptus, *neque incognitus* legebatur. Nunc omnino amplector conjecturam Christiani Hugenii Zulichemii, viri ad summa quævis nati, qui monebat nuper, reponendum sibi videri, *fortisque animæ nece cognitus Hector;* ut Protesilaus subintelligatur, de quo paulo ante egerat. De cujus conjecturæ veritate vix dubito. *Heins.*

70 *Achaica dextera*] *Achaia* ex melioribus. Sic *Troia* passim pro *Troica*, libro X. *Panchaia tellus*, cum *Panchaica* male legeretur. Æneid. II. 'Achaia castra:' et libro V. 'manus Achaia' in multis antiquis exemplaribus. 'Achaicus' tamen 'ignis' apud Horatium. *Idem.*

73 *Curru instabat*] Ab illo Virgiliano Æn. I. 'instaret curru cristatus Achilles.' Insipidum enim est quod vulgo legebatur, *jam curru stabat Achilles*, vel *currus stabat Achillis.*

74 *Totaque Peliacæ sternebat cuspidis ictu Agmina*] Mediceus chartaceus ex veterrimo codice descriptus, *Troaque;* probe: nam Τρὼς et Τρωὸς et Τρωϊὸς et Τρωϊκὸς dicitur. Vide Notas ad Epist. I. 28. 'Troia agmina' dixerat Virgilius, 'cum Troia Achilles Exanimata sequens impingeret agmina muris.' Noster infra hoc ipso libro, 'ostendens sternentem Troia ferro Corpora Peliden.' Catullus de Achille, 'Trojugenum infesto prosternet corpora ferro.' *Heins. Peliacæ*] Confectæ ex arbore in monte Pelio cæsa. Sic et Argo, 'Pelias arbor' dicta. *Farn. Peliacæ cuspidis*] 'Ipse suas quamvis vires inhiberet Achilles, Missa graves ictus Pelias hasta dabat.' De Ponto I. 7. οὐδὲ θανόντος Ἔγχος ἐμὸν φεύξεσθαι ἀμείλιχον. Achilles Dardaniis Q. Calab. lib. III. Quod et deinde evenit. Idem lib. IX. Σὸν δόρυ καὶ τεὸν υἷα μέγ' ἐν δαῒ πεφρίκασι Δυσμενέες.

77 *Colla canentia*] *Candentia* rectius legas ex decem scriptis: candidus enim color, non canus, in equis commendatur. *Heins.*

79 *Vibrantia tela*] Unus Vossianus *Vulcania;* ut ad arma ejus a Vulcano fabricata alludat. *Idem.*

80 *Dixit, solamen habeto Mortis*] *Solatia mortis habeto, Dixit* tres antiqui: aliquanto rotundius. *Idem. Solatia mortis habeto*] Ex Virgil. X. 'Hoc tamen, infelix, miseram solabere mortem, Æneæ magni dextra cadis.'

88 *Equinis*] Galearum cristas insignibant heroës jubis equinis. Hinc Homero Ἱπποδάσεια κόρυς. Λόφος ἱπποχαίτη. Ἱππόκομοι τρυφαλειαί. Ἀνὴρ ἱπποκορυστής. Virg. Æn. X. 'cristaque hirsutus equina.' *Farn.*

93 *Sed qui*] Sed Neptuno, cui famulatur Nereus matris tuæ pater. *Farn. Nereide*] Thetide Nympha, Nerei filia.

94 *Temperat æquor*] *Temperet* rectius Neap. duo Medicei, et unus Strozzæ. *Heins.*

98 *Excipit hoc hæres*] *Excutit* plerique castigatiores. ‘Decutere’ dixit Virgilius in re simili. *Idem.*

100 *Apertum, Et se præbentem*] Sic Virgil. ‘Latus haurit apertum;’ id est, non contectum clypeo.

101 *Distringere Cygnum*] *Destringere* vetustiores. Paulo ante etiam *indestrictus* reponendum. *Heins.*

102 *Circo aperto*] Spatioso. In circo autem venationes exhibebantur. *R.*

104 *Phœniceas vestes*] *Puniceas* nonnulli. Lege tam hic quam aliis locis *Pœniceas;* nam *Pœnicus* pro *Punicus,* et *Pœnicius* pro *Punicius* dicebant: in *Phœniceus* secunda producitur, ut in *Phœnices.* Sic Amor. lib. III. 7. pro *Phœnicea cera,* reponendum est *Pœnicea:* et ‘Pœniceam chlamydem’ Met. XIV. Apud Lucretium II. ‘Purpura Pœniceusque color:’ et lib. V. ‘Arbuta Pœniceo colore.’ Varro de L. L. lib. IV. ‘Purpura a purpuræ maritimæ colore. Pœnicum, quod a Pœnis primo dicitur allatum.’ Sic *Pœnicus ignis* pro *Punicus* apud Silium Italicum I. 590. ex optimo codice. Virgilio semper *Puniceus:* sic ‘Punicei cothurni’ Ecloga VII. Ecloga V. ‘Punicea roseta.’ Georg. III. et Æn. XII. ‘Puniceæ pennæ.’ Æn. V. ‘teniæ puniceæ.’ Lib. XII. ‘Puniceis Aurora rotis.’ Horat. ‘color Puniceæ flore prior rosæ.’ *Heins. Phœniceas*] Effigies hominum, rubris indutas vestibus, quas stramento aut fœno farciebant, tauris in arena objectare soliti sunt, quo eos ad pugnam irritare voluerunt. Senec. de Ira l. III.

108 *Lyrnesia primus Mœnia dejeci*] *Disjeci* libri veteres quinque; ut Epistola prima, ‘nostris disjecta lacertis Ilion.’ Seneca Thebaide, ut legit optimus codex, ‘Disjicite passim mœnia, in planum date.’ Virgilius lib. VIII. ‘Ut bello egregias idem disjecerit urbes, Trojamque Œchaliamque.’ Et mox, ‘Hæc duo præterea disjectis oppida muris.’ Et libro XII. ‘Fulminat Æneas armis, summasque minatur Disjecturum arces:’ ita codex Leidensis bibliothecæ. Apud Statium tamen Theb. VI. ‘qui Tyrias dejectum vaditis arces.’ *Primus* etiam in Florentino S. Marci. *Heins. Lyrnessia*] Lyrnessus erat urbs Troadis, patria Hippodamiæ Briseidos. *Farn.*

109 *Vel cum Tenedonque*] Tenedos insula est, e regione littoris Trojani, ut et Virg. Æn. II. meminit. Hæc a Tenne, Cygni filio, nominata dicitur, cum antea Lycophrys vocaretur. *R.*

110 *Eetioneas*] Thebas in Cilicia, ubi regnavit Eetion Andromaches pater, 'Ωχόμεθ' ἐς Θήβην ἱερὴν πόλιν 'Ηετίωνος, Τὴν δὲ διεπράθομεν. Iliad. I. *Farn.*

111 *Purpureus Caycus*] Fluvius est Mysiæ Caycus, quam regionem Græci devastarunt, ne Trojanis ferre auxilium posset. *Cæde populari*] Occisione populi sui. *R.*

112 *Opusque*] Vulnus et auxilium. Telephus rex Mysiæ transitu prohibiturus Græcos ad Trojam proficiscentes ab Achille vulneratus est. Vulnus ubi putrescebat, oraculo consulto responsum tulit, quærendum esse remedium ab eadem hasta: conciliatus ergo Achilli, ærugine cuspidis sanatus est. Sunt qui ad Achillem usque auctorem, aut etiam Chironem, a quo Medicinam edoctus est, referant unguentum armarium seu magneticum. De ὁπλιατρείᾳ videantur Paracelsus, Bapt. Peras, Crollius, Goclenius, Robertus de Fluctibus, alii. *Farn.*

116 *Lycia de plebe Menœten*] *Menœten* duo Regii; bene: ejus nominis rector navis apud Virgilium occurrit non semel lib. V. et apud Statium alius in Thebaide sæpe. Infra noster, ‘sanguis fuit ille Menœtæ:’ sic iidem Regii et prim. Medic. *Heins.*

121 *Utar in hoc isdem*] *In hunc* non-

nulli ex melioribus; recte. Deinde pro *fatur* Florent. S. Marci, et tres alii, *fatus*. Idem.

132 *Gladioque adversa reducto*] Multi veteres *clypeoque;* quod verum est: de gladio paulo ante habuimus. Innuit os Cygni adversum clypeo impacto identidem ab Achille fuisse pulsatum. Pro *reducto*, quidam ex vetustioribus *retecto, rejecto, relicto, remoto.* Florentinus S. Marci, *recepto;* frustra. Vide Notas libro VI. 107. Sic 'reducta hasta' apud Virgil. Æn. X. *Idem.*

133 *Lædi quoque*] Hinc illa Lycophronis, Στεῤῥῷ τυπέντα κλεῖδας εὐάρχου μύλῳ, videtur jure refellere Is. Tzetzes. Ψεύδηται ὁ Λυκόφρων. Fallitur, inquit, Lycophron; neque enim humeris sed capite, ab Achille, pulsato interiit Cycnus; erat enim toto corpore invulnerabilis, excepto capite. Aliter Hesiodus in Clypeo. Neque desunt interea, qui etiam apud veteres in usu fuisse autument amuleta et carmina, quibus præmuniti, neque cominus, punctim aut cæsim vulnerari possunt. *Farn.*

134 *Cedentemque sequens instat*] *Cedentique* Florentinus S. Marci, Neapol. Spirensis, prim. Moreti, septem alii. *Heins.*

137 *Medio lapis obstitit arvo*] *Armo* Meursius in Criticis. Nolim factum, etsi ab uno meo codice confirmetur conjectura: alius, *alvo.* Idem.

139 *Terræque adfixit*] *Adflixit* Neapol. prim. Medic. prim. Gronov. et decem alii: duo *adfligit:* Florentinus S. Marci, Spirensis, prim. Moreti, et duo alii *affixit.* Sic apud Silium libro VII. sub finem, 'Adfigunt proni squallentia corpora terræ.' Idem libro VII. 610. 'Namque super tepido lapsantem sanguine, et ægra Lubrica nitentem nequicquam evadere planta, Impacto prosternit equo, trepideque levantem Membra afflicta solo pressa violentius hasta Implicuit terræ.' Libro IX. 'Et superas alte miserum jaculata per auras Telluri elisis afflixit (flebile) membris;' ita enim in veterrimo codice Coloniensi legitur. Quidam *infixit Achilles;* quo alludunt pri. Vatic. frag. Theat. et duo alii, in quibus *infinxit.* Virgil. 'Illum exspirantem transfixo pectore flammas Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto:' ubi Servius notat, Cornutum *inflixit* maluisse. Pro *vertit* duo *invertit;* unus Leid. *avertit.* Puto *advertit, terræque inflixit Achilles;* ut lib. IX. 54. quæ videantur. 'Infligere humo' etiam Val. Maximus dixit lib. IX. 11. n. 4. Vide Nonium in *Infligere.* Idem.

142 *Elidunt fauces*] Scribe *elidant,* et mox *eripiant;* etsi libris antiquis nihil annuentibus. *Idem.*

144 *Arma relicta videt*] *Relicta loco* Langermannus. *Idem.*

145 *Contulit in volucrem*] Convertit in volucrem. *R.* Tres autem Cygni memorantur apud Poëtas, primus Neptuni filius, quem occidit hic Achilles: alter Stheneli filius, Ligurum rex: tertius autem Cygnus Martis filius fuit, quem Hercules singulari certamine apud Peneum amnem superavit et occidit. *Micyl.*

FAB. IV. 151 *Pallada mactatæ placabat sanguine vaccæ*] *Vittatæ vaccæ* fragmentum Theatin. et Barberinianus; optime: victimæ passim vittatæ; nihil notius. Statius Achilleide, 'Vittata genitrix placata juvenca est:' et apud Avienum Fabula ultima: ubi Lupus ad hœdum, 'Hei mihi! vittata tu quoque fronte cades.' *Heins. Pallada*] 'Mactatur vacca Minervæ; Alipedi vitulus; taurus tibi, summe Deorum,' l. IV. 755. Idem Ausonius Epigr. 64.

152 *Prosecta*] Carnes hostiarum quas prosecabant, id est, primum secabant, Diisque adolebant. Partem, inquit Turneb. XV. 7. Diis adolebant; partem sacerdotibus dabant; partem sibi apponebant. Cujus commenti

rationem ex hoc Ovidii loco videtur sumpsisse. *Farn.*

153 *Nidor*] Κνίσσα. Homer.

155 *Tosta*] Heroicis temporibus elixa carne vesci non solere Servius adnotat ad Æn. I. Vid. et Athenæum lib. I. 8.

157 *Non illos*] Lepidissimum, inquit Plutarchus, est illud convivium, in quod non intrat tibicen. Quibus de rebus in convivio disserendum sit, docet A. Gellius l. XIII. 11. et Macrob. Saturn. VII. 1. hic duces de virtute bellica et pugnis. *Farn.*

158 *Multifori delectat tibia buxi*] Prim. Vatic. fragment. Theat. Oxon. sex alii, *delectant. Multifidi* Neapol. Urbin. prim. Gronov. male: 'multifora tibia buxo,' Senecæ in Agamemnone. Mox, *pugnam referunt hostisque suamque*, S. Marci, pr. Vatican. sec. Palat. pr. tert. quart. Medic. aliique multi, non *pugnas* et *suasque.* Heins.

161 *Exhausta pericula*] *Exacta pericula* prim. Gronov. et duo alii: nil muto. *Idem.*

166 *Quod juvenis corpus*] *Juveni* Florent. S. Marci, pr. Vatic. sec. Palat. tert. Bonon. et Spirensis. *Idem.*

167 *Invictumque a vulnere*] *Ad vulnera* Urbin. Thuan. prim. et tert. Medic. prim. Hamburg. tresque alii: tres itidem *ad vulnus.* Sed 'invictus a labore' dixit Cicero lib. I. Officiorum. *Idem.*

168 *Hoc ipse Æacides*] *Hoc ipsum* tert. Medic. et quinque alii. *Idem.*

170 *Forabilis*] Ἄτρητος, ἄτρατος, impenetrabilis, invulnerabilis, Palæphato lib. I. Apollonio Argonaut. I. 63. ἄῤῥηκτος, ἄκαμπτος.

172 *Perrhæbum*] Perrhæbi, pop. Thessaliæ, qui a Lapithis devicti in montana confugerunt ad Olympum et Tempe sita. Homer. Il. II. μενεπτόλεμοί τε Περαιβοί. versus scil. gratia, cum Straboni l. IX. passim sint Περῤῥαιβοί. Propertio Eleg. III. 5. 'Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi.' *Farn.* *Perrhæbum Cænea vide*] Cænis Elati Lapithæ filia fuit: cui Neptunus cum vim intulisset, copiam fecit ut quicquid vellet, peteret, se enim omnino concessurum. Puella ut vir invulnerabilis efficeretur petiit. Id illi benigne præstitit Neptunus. Cyneusque vocatus, nulli Deorum neque sacrificabat neque supplicabat, sed suæ duntaxat hastæ, cui etiam peregrinos ad se venientes sacrificare cogebat. Qua impietate iram Jovis in se concitavit. Nam in pugna a Centauris in nuptiis Pirithoi excitata, multos hostium cum interfecisset, neque ipse cujusquam ferro vulnerari posset, a Centauris tandem conjectis arboribus fuit oppressus, in avemque a Neptuno transmutatus.

173 *Othryn*] Mons est Thessaliæ Othrys.

177 *Audire voluntas*] *Voluptas* pri. Vatican. aliique septem cum Arondeliano. *Heins.*

179 *Cur in contraria versus*] Ex fœmina in marem.

182 *Quamvis obstet mihi*] Quamvis (inquit Nestor) memoriam meam senectus impediat, multorumque sim oblitus, plura tamen recordor. *Tarda vetustas*] *Longa* meliores. *Heins.*

185 *Inter bellique domusque Acta tot*] *Bellique domique* Calandr. Langerman. et quatuor alii; quod et Constantius Fanensis in suis invenerat; vere: sic loquebantur veteres. Horatius Sat. II. 1. 'Æditunos habeat belli spectata domique Virtus.' Silius lib. IV. 'multusque in imagine claris Præfulgebat avus titulis bellique domique.' Modus exemplorum non esset, ex Plauto, Terentio, Cicerone, Livio, Sallustio, aliis promendorum. Pro *primis sub annis* paulo ante Oxoniens. et duo alii *sub armis;* de quo dictum l. VIII. Deinde pro *hæreat ulla*, meus chartaceus *illa*, ut et alter Hamburgensis. *Idem.*

188 *Nunc tertia vivitur ætas*] Ætatem pro seculo posuit. Nam seculum

centum annorum spatium comprehendit. *Annos*] Hinc Eustathium, Servium, alios falli liquet, qui nonagenarium tantum faciunt Nestora; seculum 33. annis terminantes: neque in tantum mira foret illa vitæ longinquitas, si conferatur (ut primæ ætatis mortales taceam quorum meminit Sacra pagina) cum ea quæ a Plinio recensetur l. VII. 48. Quin et hodie Ann. Dom. 1635. Londini visitur in ædibus Arondelianis ex agro Salopiensi accitus quidam Thomas Par, annum ætatis agens centesimum quinquagesimum secundum. Nævius porro apud A. Gellium l. IX. 7. vocat eum *Trisecli senem*. Seculum autem Scalig. lib. II. emendatione temporum definit annis 110. lustris nempe 22. quos tamen numero rotundato recenseri, centeno, ait. Seculum tamen a nonnullis pro tempore vitæ hominis, quæ plerumque est 70. annorum, usurpari ait. Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων Ἐφθίαθ', οἵ, &c. Pylo ab Hercule expugnata et Neleo cum filiis undecim interfectis, Nestori, qui apud Gerenios alebatur, superstiti fingunt Poëtæ adjectos annos fratribus ademptos. Vide et Phleg. Trallianum περὶ μακροβίων, et Eusebium de præp. Evangel. IX. 13.

189 *Elateia*] Elati Lapitharum regis filia. *Farn.*

191 *Tibi enim popularis, Achille*] Ex eodem, quo tu, o Achille, populo fuit.

192 *Multorum frustra votis optata procorum*] Codex S. Marci, Neapol. Thuan. prim. Moret. et unus Vossianus cum altero Hamburg. et Jureti, *Multorumque fuit spes invidiosa procorum;* qui versus initio libri noni occurrit. Sic Propertius, ' Mæcenas nostræ spes invidiosa juventæ.' *Heins.*

200 *Eadem quoque fama ferebat*] *Eadem hoc quoque* meliores. *Idem.*

201 *Magnum facit hæc injuria votum*] Hæc injuria, inquit, qua mihi virginitatem eripuisti, effecit, ut magna petere audeam. *R.*

202 *Tale pati jam posse nihil*] *Da posse* Urbin. et unus Reg. at Florent. S. Marci, *nil posse*. Scribe *nil posse mihi* cum sec. Palat. prim. Gronov. quart. Medic. et aliis duodecim. *Heins.*

203 *Omnia præstiteris*] De fœminis conversis in mares, Plin. VII. 4. Gell. IX. 4.

209 *Peneia arva*] Per quæ Peneus labitur. *R. Atracides*] Cœneus Thessalus, est enim Atrax urbs Thessaliæ apud Peneum fl.

210 *Hippodamen*] Ischomachen nominat Propertius Eleg. II. 2. Deidamiam, Theseus in Plutarcho.

211 *Nubigenasque*] Nube pro Junone a Jove supposita genitos: fabulam exponit Palæphatus lib. I. de incolis montani pagi, cui nomen Nephele, qui equos primi domuerunt; iidem equis vecti tauros œstro in furorem exagitatos, et Thessaliæ culta, sata, et pecora infestantes, ab Ixione præmio interemerunt: unde et nomen ἀπὸ τοῦ κεντᾷν τοὺς ταύρους. ' Sed neque Centauri fuerunt, neque,' &c. Lucretius lib. V. *Farn.*

213 *Æmonii proceres*] Thessali principes.

215 *Hymenæon*] Nuptiale carmen. De Hymenæo vide quæ nos ad Senecam, Theb. vs. 262. et Medeæ vs. 67. *Ignibus*] Nuptiis non faces modo, sed et aræ, et sacra adhibita, Diique advocati. *Farn.*

216 *Matrumque nurumque caterva*] *Matrum nuruumque* rectius sec. Pal. et decem alii. *Heins.*

217 *Præsignis facie*] *Faciem* eleganter unus Mediceus: sic Fast. VI. ex optimo codice vs. 628. ' Præsignis faciem Corniculana fuit.' *Idem.* *Felicem*] Ex formula sponsos salutantium.

218 *Quod pene fefellimus omen*] Pene falsum effecimus propter eam quæ secuta est rixam.

219 *Nam tibi, sævorum*] *Semivirum* Mediceus chartaceus. Putabam ali-

quando *semihominum:* ut infra, 'Hæc inter Lapithas et semihomines Centauros Prælia.' *Heins.*

223 *Per vim*] *Per humum* unus meus. *Idem.*

224 *Probabat Aut poterat*] *Probabant Aut poterant* multi veteres. Arondel. *probarat*, ut et unus Patav. Lege *probarant*. Idem.

227 *Vecordia*] Salust. de Catilina: 'Vecordia in vultu.'

228 *Me vivente*] Ἐμοῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο. Verum hic emphatice *me*, quia amicus. *Farn.*

229 *Violasque*] *Violesque* ex scriptis præcedentia requirunt. *Heins.*

233 *Sed vindicis*] Thesei, qui novam nuptam a Centaurorum injuria liberat: pugnos in faciem et pectus Thesei ingerit.

236 *Crater*] Craterem hunc Hylæo dat Virgilius Georg. II. 'Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.' Martialis Rhæto: 'Hoc cratere ferox commisit prælia Rhætus Cum Lapithis.' Epigr. VIII. 6. Hoc telo Perseus Erithum sternit lib. v. 81. *Farn.* *Vastior ipso*] *Ipse* meliores; et recte. *Heins.*

237 *Ægides*] Theseus, Ægei filius.

239 *Madida arena Calcitrat*] *Madidam arenam* Neapol. Arond. pr. Gronov. et decem alii. Mox pro *germani cæde*, unus meus *germana*; bene: alter Thuan. *germania*. Sic 'cædes merita' Epist. Hypermnestræ ex antiquis libris. *Heins.*

240 *Calcitrat*] Vide quæ ad vs. 40. l. v. *Bimembres*] Centauri biformes. modo ad vs. 211. *Farn.*

241 *Certatimque omnes simul uno ore Arma loquuntur*] Scribendum ex fide castigatiorum, *Certatimque omnes uno ore Arma, arma loquuntur*. Dictum superiori libro vs. 378. *Heins.*

242 *Et prima*] Malim *en prima*. Mox pro *fragilesque cadi* prim. Vatic. *scyphi*. Et postea *nunc bello aptæ*, pro *tum*, meliores. *Idem.*

243 *Fragiles cadi*] Ex creta confecti. *R.*

244 *Res epulis*] 'Natis in usum lætitiæ scyphis Pugnare,' &c. Hor. Od. I. 27. 'Crateres mensaque volant.' Flaccus lib. I. Vide quæ ad 82. vs. lib. v. 'Furor arma ministrat.' Æn. I. *Farn.*

245 *Ophionides Amycus*] Ophionis filius.

247 *Lampadibus*] Funalia (describente Isidoro xx. 10.) erant candelabra, extantes stimulos habentia, quibus funiculi cera vel hujusmodi alimento luminis obliti figebantur. Unde conjicio fuisse hoc funale lychnuchum trabalem, de fornicato laqueari et camera cæli cavum referente pendentem, lampadibus aut lucernis stellatum. Virgil. Æneid. I. 730. 'dependent lychni laquearibus aureis Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.' Petron. 'lucerna bilychnis De camera pendebat.' *Farn.*

250 *Ossa confusa*] Puto *contusa:* sic lib. v. 'Perculit, et fractis contundit in ossibus ora:' ita ex scriptis quidam, non *confudit*. Lib. XIV. 'naresque a fronte resimas Contudit:' certe in duobus scriptis *concussa;* alter Erfurtanus *confracta*. 'Dispergere' dixit Virgil. 'Ossaque dispergit cerebro permista cruento.' *Heins.*

252 *Exsiliere*] Meliores *Exsiluere*. Idem.

253 *Medioque est fixa palato*] *Infixa palato est* septem veteres: prim. Gronov. *affixa*. Idem.

254 *Pellæus Belates*] Pella nomen est multarum urbium: nam et in Macedonia, et in Thessalia, et in Achaia, et in Syria est Pella; unde Pellæus derivatur.

256 *Cumque atro mistos spumantem sanguine dentes*] Ita et scripti. Mihi tamen dubium non est *sputantem* debere reponi; quo verbo Plautus etiam non semel utitur: apud Martialem 'expuere dentes:' 'Si memini, fue-

rant tibi quatuor, Ælia, dentes: Expuit una duos tussis, et una duos.' Virgilium imitatus est, qui Daretem describit Æn. v. ' crassumque cruorem Ore rejectantem, mistosque in sanguine dentes.' Apud Val. Flaccum lib. III. ' purpuream singultibus expuit auram:' quomodo illic Aldinus codex; vulgati *expulit hastam.* Seneca Thyeste, ' Ferro peremptus spiritum inimicum expuat.' Pro *misit* postea meliores *mittit.* Heins. *Mistos*] Virgilius dixerat, ' crassumque cruorem Ore rejectantem, mistosque in sanguine dentes.' Æneid. v.

262 *Oppressitque duos*] *Depressitque* S. Marci, Neapol. Urbin. tres Moreti, Arondel. et quinque alii. ' Oppressit ' mox sequitur vs. 284. Pro *Orion* malim *Oreon* cum meo chartaceo. Ὀρεῖος, ab ὄρος. Sic infra *Orneus* et *Areus:* ὀρνεῖος καὶ ἀρεῖος, ab ὀρνὸς et ἄρης. Vide Notas lib. I. 572. *Heinsius.*

263 *Quam*] Lunam deficientem credebat olim vulgus e cœlo devocari carminibus magicis: vide quæ ad vs. 333. lib. IV. et Virg. Eclog. VIII. ' Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.' Thessalia autem veneficiis infamis erat. *Farn.*

264 *Reluctantis Lunæ*] *Reluctata* plurimi veteres; quatuor *reluctante.* Scribe *reluctanti* cum optimo S. Marci libro et utroque Caroli Strozzæ. *Heins.*

267 *Quæ fuerant*] Ecloga VII. Virg. Dianæ vovet ' ramosa Mycon vivacis cornua cervi.' Cornibus itaque pinu, in qua figebantur votiva Dianæ, direptis subitorum vice armorum utitur Exadius. *Farn.*

268 *Figitur hinc duplici Grynæus in lumina ramo*] *Grynæus lumina* plurimi veteres; sed supra etiam id nomen fuerat dissyllabum: *per lumina* septem codices; totidem *sua lumina:* nil muta. Statius Theb. IX. ' Figitur et validos sonipes Ætolus in armos.' Pro *hinc* tamen octo *huic*, probe. *Heins.*

272 *Primitium torrem*] *Pruniceum* Mediceus chartaceus: *Prunicium* frag. Boxhorn. alter Hamburg. *Prunitium,* a pruno; quod in suis etiam Constantius Fanensis invenerat. *Idem. Primitium*] Ita Æn. XII. ' ambustum torrem Chorinæus ab ara Corripit, et venienti Ebuso plagamque ferenti Occupat os flammis: illi ingens barba reluxit.' *Farn.*

279 *In tepida submersum sibilat unda*] *Trepida unda* Urbin. prim. sec. Palat. Cantabr. Oxon. uterque Hamburgensis, prim. Moret. Thuan. et multi alii; vere. Apud Virgilium Georg. I. similiter refinge, ' Aut foliis undam trepidi despumat aheni;' nam ita vetustissimi codices: neque aliter agnoscebat Servius, qui *trepidi* interpretatur ' bullientis, quia quod bullit, tremere videtur;' recte: quamquam in vulgatis Servii exemplaribus *tepidi* perperam circumfertur: atque ita capienda illa Valerii Flacci lib. V. 430. ' Ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem:' nec audiendi, qui *tepidum* reponunt. Similis aquæ trementis descriptio apud eundem Virgilium l. VII. ' undantis aheni Exsultant æstu latices, furit intus aquai Fumidus, atque alte spumis exuberat amnis:' ita scribendum ex Mediceo libro; nam Pierius Valerianus in suis omnibus *furit intus aquæ vis* exstare asseverat. Cæterum Lucretii illa noster ex lib. VI. manifeste imitatus est, ' Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem.' *Heins.* *Ferrum rubens stridet lacubus*] Ex Virgil. Æneid. VIII. ' alii stridentia tingunt Æra lacu.'

285 *Gaudia nec retinet*] Aut *retinens* legendum; aut pro *sic comprecor, sicque o precor.* Thuan. tamen, pr. Bonon. pr. Basil. et duo alii *sic sic pre-*

cor: et pro *fortis* pr. Ambros. et duo alii *sospes:* ut Pont. I. 8. 'Cætera sit sospes cultorum turba tuorum.' *Heins.*

290 *Corytum*] *Corythum.* Κορυθὸς Græcis. *Idem.* *Dryantaque*] Dryantis hujus, ut et Exadii, de quo modo vs. 266. Cænei, et aliorum meminit ipse Nestor Hom. Il. A. 262. *Οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας, οὐδὲ ἴδωμαι, Οἷον Πειρίθοόν τε, Δρυάντά τε, ποιμένα λαῶν, Καινέα τ', Ἐξάδιόν τε,* &c. *Farn.*

293 *Evagrus*] Unus meus *Evagros:* alius *Evandros.* Heins.

299 *Sude figis*] 'Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis,' Æn. VII. et Æn. XI. 'Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis.' *Farn.*

307 *Quique suis*] Centauris. *R.*

309 *Ad Herculeos arcus*] *Ictus* in multis veterum. *Heins.* *Servaberis*] Periturus Herculis sagitta, ubi Deianiram aliquando trajiciens, depositum fallere paraveris: lib. VIII. 127. *Farn.*

313 *Cænee*] *Cornee* S. Marci, et Urbin. unus meus *Gornee.* Scribe *Crenæe* cum Thuaneo optimæ notæ, pr. Moreti, Oxon. et tribus aliis: a *κρήνη, κρηναῖος.* *Heins.*

316 *Cunctis sine fine jacebat Sopitus venis*] Quid sibi vult *sopitus cunctis venis?* Non intelligo. *Cunctis curis* primus Basileensis; sed nec id verum. Reliqui codices scripti cum vulgatis faciunt. Scribe, *ductis sine fine jacebat Sopitus vinis:* hoc est, sine fine haustis. Non aliter optimi scriptores loquuntur. Seneca Thyeste, 'Satur est: capaci ducit argento merum.' 'Ducere pocula' apud Horatium Od. I. 17. et Propert. Eleg. II. 9. 'Ducere Liberum' eidem Horatio Od. IV. 12. et 'Ducere nectaris succos,' Od. III. 3. Sic et 'educere vini hirneam' Plauto Amphitr. et Apuleio Metam. X. 'Vini poculum perducere.' Hinc apud Plautum Curculione 'immergere in se liquores ductim.' 'Ducere ubera' Fast. II. ubi perperam *sugere* multi veteres. Met. IX. 'nec sequitur ducentem lacteus humor.' Pro *vinis* etiam *venis* plerique codices antiqui agnoscunt illo versu Artis Amatoriæ, 'Et Venus in vinis ignis in igne fuit.' 'Vino sepulti,' et 'soluti,' passim occurrunt apud Poëtas. Gronovio nostro *junctis vinis* scribendum videbatur; ut 'jungi vina' dicantur, quæ hauriuntur sine intermissione. *Idem.*

319 *Ossææ*] In Ossa monte nutritæ, aut etiam captæ. *Farn.*

322 *Cum Styge vina bibes*] Lege *bibas;* est enim imprecantis. Confirmat secundus Moreti et Mediceus chartaceus: sic lib. V. 'Stygiis cane cætera, dixit, Manibus.' Pro *plura locutus* S. Marci codex, pr. Moret. sec. Palat. et novem alii, *moratus:* sex cum Arondel. et pr. Basil. *minatus;* utrumque præstat vulgatæ lectioni. *Heins.* *Cum Styge*] 'Hinc Stygias ebrius hausit aquas.' *Farn.*

325 *Mors caruit sensu*] Propter altum soporem. *Ἀσθμαίνων δεδμημένος ὕπνῳ καὶ οἴνῳ.* 'Vino domiti, somnoque sepulti.' Enn. Ann. VIII. Quod et Rheso obvenit. Quo alludit Noster Amor. I. 9. 'Sæpe soporatos invadere profuit hostes, Cædere et armata vulgus inerme manu. Sic fera Threicei ceciderunt agmina Rhesi, Et dominum capti deseruistis equi.' Liv. Decad. V. lib. 1. 'Histrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerunt fugæ; aliis somno mors continuata est.' Petron. Halosi Neron. 'hic graves alios mero Obtruncat, et continuat in mortem ultimam Somnos.' *Ὁ ἀδελφὸς τὸν ἀδελφὸν προσλαμβάνει, ὁ ὕπνος τὸν θάνατον.*

326 *Carchesia*] Is. Casaubonus Carchesium ab Athenæo ex Callixeno descriptum, et a Macrobio versum, nec intellectum probe, ex verbis Græcis sanitati restituit. Carchesium, inquit, est poculum procerum et circa mediam partem compressum mediocriter ansatum, ansis a summo ad in-

fimum pertingentibus. Macrobius hoc poculi genus ut et cymbium aliaque a re navali ducta autumat. Saturnaliorum v. 21. *Casaub.* a κέρχνος Ionice pro κέγχρος, milium, cujus formam habuisse carchesia dicit ad Athenæi l. II. 7. *Farn.*

329 *Robora jactat*] *Pulsat* plurimi veterum. *Heins.*

330 *Costis immissa Petræi*] Puto *costis Petræis;* ut apud Virgilium, 'cineri Sichæo,' et 'Lenæus honor:' nam ingratus et Nasoni insolens concursus ille *Pirithoi*, *Petræi: Pheræi* S. Marci codex et unus Regius. *Idem.*

333 *Pirithoi virtute Chromin*] *Cecidisse* pr. Gronov. et pr. Moreti cum aliis quatuor: meliores etiam superiori versu vocibus inversis, *Pirithoi virtute Lycum cecidisse ferebant.* Idem.

335 *Fixus Helops jaculo est*] Meliores tollunt τὸ *est.* Pro *ad aurem* Cantabr. Oxon. multique alii *in aurem.* Idem.

337 *Ancipiti acumine*] *Ancipitis acumine montis* Thuan. Neap. Bernegger. pr. Gronov. tert. Medic. Oxon. et octo alii. *Idem.*

342 *Mittentem stipite querno*] *Conantem* unus Voss. unus Basil. et Genev. recte. Silius lib. II. 'Illa volans humerum rapido transverberat ictu Conantis Dorylæ.' Libro v. 'Conantisque ilia nisu In medio suspensa fodit.' Plenus est harum repetitionum noster, si attendas. Cantabr. et tres alii *nitentem* etiam non male: *minantem* unus Basil. Leidensis unus *mutantem.* Pro *Phareus,* S. Marci, Neapol. Urbin. probe, *Aphereus;* quo alludunt nonnulli alii, in quibus *Iphareus:* prim. Erfurt. *Aphereus,* alter *Ampharcus:* sic lib. VIII. 'prolesque Aphareia Lynceus.' *Idem.*

343 *Cubitique ingentia fregit*] *Frangit* multi; rectius. *Cubitoque* etiam Florent. S. Marci, et unus Mediceus ex melioribus. *Idem.*

350 *Jaculatoremque Lycetum*] *Lichepen* vel *Licepen* vetustiores plerique: *Lycotan* Calandræ codex, quod arridet. *Idem.* *Nedymnum*] Tumultuarias hujusmodi pugnas et cædes promiscuas habes apud Virg. Æn. IX. X. XI. et XII. Vide nostrum lib. v. sub initio in nuptiis Persei et Andromedæ: adi etiam Indicem nostrum Poëticum tit. *Pugna tumultuosa.* Hujus meminit Homer. Iliad. I. et II. Hesiodus in clypeo. Horat. Od. II. 1. *Farn.*

362 *Pectus humerumque sinistrum*] *Pectusque* scripti meliores. Pro *Crantoris* omnes nostri *Grantoris.* Heins.

364 *Amyntor*] Rex hic Dolopum fuit, ac Phœnicis pater.

365 *Pacis pignusque fidemque*] Significat Crantora Peleo obsidem ab Amyntore fuisse datum.

367 *Viderat, Inferias*] *Vidit, At inferias* recte potior scriptorum pars. Jam monui ad Epistolam Medeæ, nisi fallor, ipso statim initio. *Heins.*

369 *Mentis quoque viribus*] *Mentis cum* unus meus et Neapolitanus; sed ita ut *magnis* a manu prima videretur fuisse: nonnulli *magnis quoque:* sex *junctis quoque:* totidem, *totis:* pr. Hamburg. pr. Gronov. et unus Medic. *meritis:* alii *tantis, cunctis.* Puto scriptum fuisse, *cum mentis,* pro *contentis viribus.* Sic contendere nervos, vires, curas, pro omnes simul intendere: certe unus Basil. *intensis viribus:* quomodo apud Val. Flaccum lib. III. 'At Tydeus, En intentis quem viribus, inquit, Experiar.' Apud Virgilium lib. IX. 'Intorquet summis adnixus viribus hastam.' Lib. X. 'At Pallas magnis emittit viribus hastam.' Val. Flaccus lib. III. 'Torserat hic totis connixus viribus hastam.' Silius lib. II. 'totisque adnixa doloris Viribus intorquet lethalem in mœnia cornum.' Et, 'Ille jacit totis connixus viribus ægrum In flammas corpus.' Quare et hoc loco admitto *magnis cum viribus,* dum meliora suggerant membranæ. *Idem.*

370 *Perrupit*] *Perrumpit* cum melioribus. *Idem.*

375 *Clypeoque sonanti*] *Sonantes* iidem. *Idem.*

377 *Duo pectora*] Equi et hominis: Centauri scil. Infra vs. 478. 'Qua vir equo commissus erat.' *Farn.*

379 *Glanimque*] *Claninque* cum Florentino S. Marci. *Heins.*

381 *Pelle lupi*] Περίκρανια θήρεια. Strabo II. 'Cudones ferinos' Silius vocat galeas hasce pellibus tectas. Virg. Æneid. VII. 688. 'fulvosque lupi de pelle galeros Tegmen habens capiti.' Vide quæ nos ad Senecæ Hippolytum vs. 541.

382 *Cornua dura boum*] Inepta lectio: *curva* prim. Moret. Thuan. quart. Medic. aliique multi; rectius omnino. At Florentinus S. Marci, et unus Argent. *rara:* Genev. *cava.* Scribe *Cornua vara*, et vide Notas Amor. II. 2.24. *Heins. Cornua*] Pyrrhum Epirotarum regem cornua hircina in galea gestasse scribit Plutarchus. Non subscribo interpretibus, qui Dorylam putant itidem cornua bubula in galero gestasse: quin manu gerebat potius, ut cervi cornua Exadius: vs. 167. supra. *Farn.*

387 *Affixa est cum fronte manus*] Rectius, ni fallor, *Affixa cum fronte manu fit clamor.* Heins.

390 *Prosiliit*] *Prosiluit* meliores, et probe. *Idem.*

393 *Tua, Cyllare, forma*] Tua pulchritudo. Cyllarus autem et Centauri et equi a Castore domiti nomen est.

395 *Aurea*] *Aureaque* prim. Palat. prim. Vatican. prim. Basil. tert. Medic. Thuan. prior. Erfurt. uterque Hamburg. et alii plurimi; idque recte, cum vocalis proxime sequatur: sic lib. VI. 'natamque nepotemque Absente pro se memori rogat ore salutent.' Lib. IV. 'hominum simulacra ferarumque In silicem ex ipsis visa conversa Medusa.' Lib. XV. ex vestigiis optimi codicis, 'Quæque diu latuere canam. Juvat ire per ardua Astra.' *Heins.*

399 *Et quacunque vir est*] Multi *Ex qua parte;* nec pauciores, *Et qua parte:* sed vera scriptura, *Et qua parte viri est*, cum priore Strozzæ et fragmento Boxhornii: *viri est*, nempe facies. Deinde, pro *sub illo*, scribe *illa*, parte videlicet; atque ita unus Mediceus ex melioribus et alter Regius. *Idem.*

401 *Castore dignus erit*] *Erat* Neapol. Urbin. pr. Reg. Arond. tert. Medic. pr. Basil. et multi alii. Scribe *eat.* Pro *sunt* etiam recte pr. Vatic. *stant.* Idem. *Castore*] Allusum ad Castoris equum cognominem; qui tamen alternis inserviebat fratribus Dioscuris, uti dictum ad Virg. Georg. III. 'Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.' *Farn. Sic tergum sessile*] Latum, aptumque ad sedendum.

407 *Hic et blanditiis et amando*] Multi *et amans.* Puto, *Hæc et blanditias adhibendo.* Lib. X. 'Et modo blanditias adhibet, modo grata puellis Munera fert illi.' Lib. IV. 'O quoties voluit blandis accedere dictis, Et molles adhibere preces!' Paulo ante *inter Semiferos* libri meliores, non *Semiferas.* Heins.

410 *Rore maris*] Rore marino; herba suavis odoris.

411 *Canentia lilia*] *Candentia* cum melioribus; et mox *Pagasææ* pro *Pegasææ.* Heins.

417 *Lapitheia*] Antrum arboribus tectum quo Pirithoi Lapitharum regis celebratæ sunt nuptiæ: supra vs. 212.

419 *Auctor*] 'Ecce viro stridens alis dilapsa sagitta est; Incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta,' &c. Virgil. Æn. XII. *Farn.*

420 *Qua collo pectora subsunt*] *Quam* repone cum Arondel. Zulich. Junian. et altero Thuan. *Heins.*

421 *Telo incubuit*] Incumbens telo se tranfixit. *Quod inhæserat illi*] Quod illi Cyllaro fuerat infixum. *R.*

429 *Qui sæva leonum*] *Sena* meliores magno numero, quod admittendum. *Heins.*

430 *Connexis vellera nodis*] *Collectis* S. Marci, prim. Gronov. et quatuor alii: *conjectis* prim. Erfurt. et alii nonnulli. *Loris* etiam multi veteres: unus Basil. *contusis loris; an consutis?* Pro *nodis* forte *codis*, hoc est, *caudis*, reponendum. Apud Servium ad vs. 295. lib. VI. in versibus Virgilio adscriptis, 'Serpentum extremis nodantur vincula caudis.' Sic pro *codice* paulo post Florent. S. Marci, Urbin. uterque Erfurt. aliique multi, *Caudice*. A lauro, *Loretum*, locus Romæ in Aventino: ab aure, *oricella: Claudius, Clodius: cotes* et *cautes: plostrum* pro *plaustro* et *plostellum* Horatio; et similia. Hic scribendi usus occasionem dedit loco apud Phædrum corrumpendo ipso operis initio, 'Duplex libelli dos est, quod risum movet, Et quod prudenti vitam consilio monet:' ita enim Rhemensis liber; ac Pithœi codex, *libellis os*; alii, *mos*: puto *libello los*, pro *laus*, exaratum fuisse. Huc refer illud Horatianum, 'Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.' Apud Horatium Sat. II. 4. veterrimus codex bibliothecæ Leidensis, *Cole suburbano;* ubi Scholiastes, '*cole* pro caule; sic coda pro cauda.' Ita *aure* et *ore* frequenter confunduntur in scriptis exemplaribus, ut jam vidimus hoc ipso libro vs. 46. Propertius Eleg. I. 1. 'Vos remanete, quibus facili Deus annuit ore;' ubi perperam *aure* legitur. Martialis Epigr. l. II. 24. 'quod si Deus ore sereno Annuerit? felix, Candide, solus eris.' Sic apud eundem Propertium El. 3. libri primi *cotibus* pro *cautibus*. Idem denuo El. 12. l. I. 'Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores Cynthia, nec nostro dulcis in ore sonat;' non *nostra aure*, quod nunc legitur. Idem Eleg. III. 9. 'Dulciaque ingratos adimant convivia somnos: Publica vicinæ perstrepat ora viæ:' ubi circumfertur nunc *aura* perperam. *Idem.*

432 *Codice*] Arboris stipite. *Farn.*

433 *Juncta Phonoleniden*] Metuo ne hæc mendosa sint: nam in membranis vetustioribus mera lectionum monstra apparent. S. Marci, *Tecta phonolen idemque. Pholoteniden* Neapol. at Bernegger. et Thuan. *Te Phonolenides. Tectum Pholoniden.* pr. Erfurt. *Thephonoleniden:* alii aliter. Viderint acutiores. Proximi quinque versus a multis vetustiorum absunt. *Heins.* *Phonoleniden*] Phonoleni filium.

434 *Fracta volubilitas capitis, &c.*] Latissimum seu maximum et volubile seu rotundum caput fractum est ea plaga. *Pont.*

436 *Vimine querno*] Urbin. *testo*, pro *texto*. Vide Notas Fast. IV. 435. *Heins.*

438 *Exprimitur per densa foramina succus*] *Spissus* prim. Vatic. Bernegger. Arond. prim. Hamburg. aliique plurimi; recte. Severus Ætna, 'Nunc spissus crebro præbetur vimine succus.' Pro *Manat* unus Basil. *Stillat*. Sed Lucretius in re simili 'permanare' dixit lib. II. Pro *rari cribri* paulo ante, Urbin. prim. Basil. et alter Thuan. *vini præli:* tres alii *coli;* cujus alterum illud *vini præli* est glossema et interpretatio; ut apud Virg. Georg. 'Colaque prælorum fumosis deripe tectis;' ubi Scholiastes Ms. 'Cola, instrumentum quo vinum promitur.' Lucretius lib. II. 'Et quamvis subito per colum vina videmus Perfluere, at contra tardum cunctatur olivum.' Ergo et cola olivarum ut et piscatorium vas. Ausonio Epist. ad Theonem, 'Nodosas vestes animantum Nerinorum, Et jacula, et fondas et nomina villica lini, Colaque, et insutos terrenis vermibus hamos.' Per 'Nodosas vestes' retia intelligit, quæ noster 'nodosas plagas' alibi vocat. Apud Plinium lib. XIV. 1. male legitur, 'Uva non alibi gratior collo, ut inde possit invenisse nomen duracina;' cum scribendum sit *crassior colo;* Turnebus *crassiore callo*. Idem.

439 *Armis nudare*] *Spoliare* sec. Pa-

lat. Juret. alter Hamburg. et alii quatuor; placet: quia 'spoliantis' mox sequitur. 'Arma etiam spoliare cupit,' Statio Theb. XI. Noster supra de Achille, 'victum spoliare parabat.' *Parat hunc* etiam tres scripti. *Idem.*

440 *Scit tuus hoc genitor*] Peleus, nam Achillem alloquitur Nestor.

441 *Ilia demisi*] *Dimisi* meliores. Pro *Theloboasque* repone ex scriptis *Teleboas*: τηλεβοάς. Pro *ramum bifurcum* in Boxhornii fragmento *cornum.* Heins.

444 *Apparet adhuc vetus inde cicatrix*] *Vetus ecce* prim. Gronov. et quatuor alii. *Idem.*

446 *Tunc*] Περιαυτολογία hæc senile quiddam est, et ætati nostræ (inquit Cato Ciceronianus) conceditur. Videtisne, ait, ut apud Homerum sæpissime Nestor de virtutibus suis prædicet? tertiam enim jam ætatem hominum vixerat, nec erat ei verendum, ne, vera de se prædicans, nimis videretur aut insolens aut loquax, &c.

450 *Oëcli*] S. Marci, *Echecli:* Neapol. *Echeli:* Urbin. *Oëli:* Thuan. *Ethedi:* prim. Erfurt. *Ahecli:* alter *Eocli;* alii aliter. *Heins.*

452 *Pelethronius*] Malo *Pelethronium* cum Boxhornii fragmento. *Idem.* *Pelethronius*] Lapitha Pelethronium Thessaliæ montem incolens. 'Fræna Pelethronii Lapithæ; gyrosque dedere Impositi dorso.' Georg. III. *Farn.*

453 *Erigdupum*] Graviter strepens *Erigdupus* interpretatur. Epitheton Homero frequens.

454 *Inguine Nessei manibus conjecta Cymeli*] Lege *Nesseis manibus.* Zulichemianus *Inguine Nesseo.* Junianus *Inguine, Nesse, tuo.* Cymelum in inguine vulnerabat Nessus, non Nessum Cymelus. *Heins.*

456 *Ampyciden Mopsum*] Mopsus, Ampyci Titaronis filii fuit filius: unde etiam *Ampycides* vocatur.

460 *Helinumque*] *Helimumque* ex scriptis. *Heins.*

462 *Alæsi*] *Halesi* ex iisdem; cujus nominis etiam Faliscorum conditor Argivus. *Idem.*

466 *Macedoniaque sarissa*] Nota secundam in *Macedonia* longam positam a Poëta per ἔκτασιν. Nam in primitivo alias corripitur, ut apud Claudianum de bell. Getico, 'Nubibus intactum Macedo miratur Olympum.' *M.* *Macedoniaque*] Hasta Macedonia. Q. Curtius lib. IX. Macedo justa arma sumpserat, æreum clypeum, hastam, quam sarissam vocant, læva tenens, dextera lanceam, &c.

469 *Vacuas in auras*] *In aures* puto scribendum, etsi codices nil juvant. Dixi Amor. II. 1. 62. *Heins.*

470 *Cæni*] Per contemptum et cum indignatione exprobrat Cæneo sexum et concubium Neptuni, de quo supra vs. 195. Vid. et Ant. Liberalem fab. 17. et Phlegonta Trallianum de monstris sexuum. Remulus Æn. IX. 'O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.' Hom. Il. VII. Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. *Farn.*

472 *Commonuit*] *Commovit* multi veteres: *Comminuit* pr. Palat. Cantabrig. Bernegger. et decem alii. Ep. III. 134. 'Ut taceam, lacrymis comminuere meis.' Pont. III. 3. 'ignis et arcus Ingenii vires comminuere mei.' 'Animum alicujus comminuere' Val. Maximus lib. II. cap. 10. Nonnulli codices *Continuit:* tres *Admonuit;* ut Epist. Sapphus 'nec te Admonuit, quod tu pignus amantis habes.' *Heins.*

474 *Quid sis nata vide*] *Vel quid nata vide* ex melioribus. *Idem.* *Quid vel nata vide*] Nam fœmina. *Vel quid sis passa*] Neptuni namque vim passa es. *R.* *Columque*] Ἱστὸν ἐπεντύνεσθε ἑῶν ἔντοσθε μελάθρων· Ἀνδράσι δ' ἡμετέροισι περὶ πολέμοιο μελήσει. Q. Calaber. I. lib. 'Cura tibi Divum effigies et templa tueri; Bella viri pacemque gerent, queis bella gerenda.' Turnus Æn. VII. et Claudianus in Eutropium eunuchum. 'Quid te, turpissime, bellis Inseris? aut sævis pertentas Pallada campis? Tu potes alterius studiis

hærere Minervæ; Tu telas, non tela pati; tu stamina nosse,' &c. *Farn.*

477 *Latus eruit hasta*] *Haurit* S. Marci: *hauserat* pro diversa lectione pr. Vatic. *Heins.*

479 *Phylei*] *Pillei* Florent. S. Marci. Scribe *Phyllei.* Φυλλοῦς πόλις ἐν Θετταλίᾳ. Quanquam Hyginus Fab. XIV. montem in Thessalia contendit esse. Dixi ad Epist. XIII. 35. *Idem. Phyllei*] Cænei, Thessali: est enim Phyllos opp. Thessaliæ, Straboni lib. IX. *Farn. Nuda ferit ora, &c.*] Caput galea non munitum. *Pont.*

487 *In corpore marmoris icti*] *Ut corpore* plurimi veteres; et recte: nisi quod malo cum Arondeliano et septem aliis *ceu corpore.* Versu proximo *dissiluit* pro *dissiliit* cum melioribus. *Heins.*

492 *In viscera movit*] Malim *in viscere;* quanquam aliter scripti: unus tamen Vatic. et unus Basil. *condit;* ut lib. XV. 'Heu quantum scelus est in viscera viscera condi.' Paulo ante *dimisit*, non *demisit*, præstantiores. *Idem.*

494 *Rapidi clamore bimembres*] In multis *trepidi:* pr. Vatic. *rapidi de more:* pr. Hamburg. *rabidi de more;* quod placet. *Idem.*

499 *Monychus*] De quo Juven. 'Quantas jaculetur Monychus ornos.' *R. Monychus*] Centaurus: μονώνυχος, solidungulus. *Superamur*] *Superemur* Langermann. et tres alii, per interrogationem. *Heins.*

501 *Quod fuit ille sumus*] Fœminæ. Nam Cæneus antea fœmina fuerat.

502 *Et quod fortissima rerum*] *Quid quod* Calandræ codex et quatuor ex nostris. Mox *natura duplex* cum pr. Reg. et aliis tribus. *Heins.*

506 *Semimari*] Semiviro. *R.*

507 *Saxa*] Cæneus, inquit Palæphatus, erat vir bello strenuus et pugnæ sciens. Is cum in multis variisque bellis versatus fuisset, neque vulneratus unquam, cum Lapithis aliquando pugnans, a Centauris interceptus, illorum multitudine obrutus est: cujus corpus ubi nullo vulnere confossum advertissent Centauri, ab iis invulnerabilis existimatus est. *Farn.*

510 *Insanis dejectam viribus Austri*] *Insani* Neap. Arondel. pr. Bas. sec. Pal. et multi alii. *Disjectam* pr. Pal. et Medic. chartaceus cum aliis duobus: *defectam* quinque ex vetustioribus: *direptam* pr. Basil. Arondel. tres alii. *Heins. Insani austri*] 'Nephretici Septentrionis filii.' Et 'insanæ aquæ,' pro procellosis.

513 *Nec habet Pelion umbras*] Per μετάληψιν intelligimus Pelion montem arboribus spoliatum fuisse. Othrys autem et Pelion montes sunt Thessaliæ notissimi. *Pelion umbras*] *Pelios* S. Marci, Thuan. prim. Gronov. prim. Moret. Juret. et septem alii: sed Pelion tam apud Græcos quam Latinos est in usu. *Heins.*

514 *Immani cumulo*] *Tumulo* plurimi veterum: *cumuli arborei pondere* unus Medic. *Idem.*

517 *Quas ducat spiritus auras*] Malim *qua ducat*, vel *quo ducat;* ut lib. V. 'nec quo loqueretur habebat.' *Idem.*

520 *Veluti*] De terræ motu, vide quæ ad lib. XV. 299. *Farn.*

523 *Tartara detrusum*] *Retrusum* Florent. S. Marci. *Heins.*

524 *Fulvis pennis*] In aquilam Cæneum fuisse conversum innuit poëta. *R. Ampycides*] Mopsus vates, Ampyci filius, ὃν περὶ πάντων Λητοΐδης ἐδίδαξε θεοπροπίας οἰωνῶν. Apollon. Argon. lib. I. 65.

526 *Tunc est conspecta supremum*] *Tunc est mihi visa* unus Ambros. non male. *Heins.*

527 *Lustrantem*] Circundantem. *R. Sua castra*] Tentoria, quæ fixerant Lapithæ ad nuptias Pirithoi venientes. *Pont.*

528 *Clamore sonantem*] *Clangore* meliores magno numero, et recte; nam clangor sonus est avium. *Heins.*

529 *Animo est oculisque*] *Oculis animoque* multi veteres; tres *animis oculisque* cum Florentino S. Marci. *Idem.*

531 *Maxime vir quondam*] Malim

gloria gentis Maxima, vir quondam: pr. Vatic. pr. Gronov. et tres alii, *sed nunc avis unica.* Idem. *Sed avis*] In pristinum rediisse sexum autumat Virg. Æneid. VI. 448. ' et juvenis quondam, nunc fœmina, Cæneus, Rursus et in veterem fato revoluta figuram.'

532 *Auctore*] Mopso ita vaticinante. *Farn.* *Credita res est*] Hoc est, Mopsi vatis auctoritate creditum Cæneum in aquilam fuisse commutatum.

534 *Ferro exercere dolorem*] *Ferrum exercere cruore,* unus Mediceus: *ferro cruorem* Rottendorp. sed alterum verius; ' dolorem ' paulo post sequitur: *Ferrum exercere dolore* Noricus. *Heins.* *Ferro exercere dolorem*] Similiter Virg. X. ' in terris ut possint, sole reducto, Exercere diem.' Et Æn. IV. ' Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum Exercete odiis.'

535 *Noxque removit*] *Redemit* sex scripti: prim. Gron. *diremit:* quomodo passim historici, ' nox pugnam diremit,' aut ' prælium ' aut ' certamen :' apud Virgilium ' prælia voce diremit :' et Nostro ' dirimatur sanguine bellum.' *Heins.*

FAB. V. 537 *Tlepolemus*] Filius Herculis ex Astioche, inique ferens silentio præteriri patris sui laudatam operam in Centaurorum devictorum gloria. *Farn.*

540 *Acta tibi, senior*] Melius Palatini: *Atque ait, Herculeæ mirum est oblivia laudis, Acta tibi, senior: certe mihi sæpe referre Nubigenas domitos a se, pater ipse solebat.*

541 *A se pater esse solebat*] *Ipse solebat* meliores. *Heins.*

542 *Quid*] ' Quid me alta silentia cogis Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?' Juno Virgiliana Æneid. X. 63.

543 *Obductos annis rescindere luctus*] Locus pessime habitus. Cave accedas plerisque veterum, qui τὸ *rescindere* mutant in *resciscere, restringere, retexere:* male etiam S. Marci, et Neap. *restringuere:* Cantabr. *rescinguere.* Pro *annis* Thuan. pr. Moret. quart. Medic. Juret. et duo alii *leviter;* quod locum mihi dedit conjecturæ, ut puto, indubitatæ: nam S. Marci, *oculis,* ut et tertius Bonon. *armis* Genev. manifeste mendosa sunt. Scribe *obductum leviter rescindere vulnus;* et vide quæ notavimus Trist. lib. III. 11. 63. ' Rescindere jussa ' Met. II. ' rescindere acta ' l. XIV. Decepit hic locus Giphanium Indice Lucretiano, qui videndus voce *Rescindere.* ' Rescindere vias nostris sensibus,' Lucretius lib. II. hoc est perfringere; ubi nihil est mutandum: ' ævi leges rescindere ' eidem lib. IV. *Heins.* *Obductos*] Temporis diuturnitate quasi callo obductos et sopitos. *Restringere*] Rursus et de novo tangere et exerere. ' Renovare dolorem,' Æn. II. ' restringere viam ' pro aperire usurpavit Lucretius, inquit Gifanius in Collectaneis, quia *restringere* valet, ' id, quod antea constringebatur, solvere.' Apuleius Metamorph. jumentum restrinxit, abireque liberum stabulo sivit. Editio Aldina aliæque nonnullæ, Mss. insuper nostri habent *rescindere.* Farn.

545 *Ille quidem majora fide quoque gessit*] *Majora fide degessit* Juret. et unus meus: in Neap. et Urbin. erasa vetus lectio: in altero *quæ gessit* videbatur fuisse: in altero sepositum *bona gessit: cum gessit* sec. Palat. at optimus S. Marci Florent. quart. Medic. tertius Bonon. et Barberin. *digessit.* Lege, *Ille quidem majora fide (Di!) gessit;* quod est cum admiratione laudantis. Pari modo ' Di magni,' ' Di boni,' admirantium sunt. Adeantur quæ notamus ad Epist. XVIII. 102. *Heins.*

546 *Posse negare*] *Negari* pr. Bas. pr. Reg. pr. Hamburg. et unus Voss. recte. *Idem.*

547 *Sed neque Deiphobum*] Hostes non esse laudandos colligit Nestor. Deiphobus autem Priami fuit filius: Polydamas vero unus e principibus

Trojanis fuit fortissimus, sic vocatus, quod [illegible] *it*. Producta [illegible] *[illegible]damas*, eadem [illegible] apud Horatium in Polypus, Sat. I. 3. 40. et in Epodis. Apud [illegible] tamen Πουλυδάμας [illegible] diphthongum. *Micyl.* [illegible] *[illegible]damanta.* Πουλυδάμας [illegible] poëtice: sic Homerus et alii. [illegible] lib. XII. 'Pulydamanteis juvenis Pedianus in armis Bella agitabat atrox:' sic et illic scribendum. Et Epistola quoque Œnones Nasonianæ reponendum. Sic *curallum* in [illegible] codicibus lib. IV. vs. 748. *κουράλλον* pro *κοράλλον* vel *κοράλιον*. *Οὔλυμπον* pro *Ὄλυμπον* et similia Homerus dixit, quæ Græcorum licentia Latinos non raro imitatores habuit: certe in Propertii codicibus nonnullis scriptis libro III. El. 1. 'Pulydamantas in armis' legitur; atque ita quoque in Persio scribendum. *Heins.*

549 *Messenia mœnia*] Messene et urbs est et regio adjacens Arcadiæ. Est etiam Siciliæ urbs, unde Messenius derivatur.

550 *Elinque Polynque*] Nugæ. *Pylumque* veteres plerique. *Pylonque* unus Moreti et Mediceus chartaceus; probe. 'Pylon antiqui Neleia Nestoris arva,' habuimus epistola Penelopes. Pro *flammasque* ex melioribus nonnulli *flammamque*. Heins. *Elinque Pylumque*] Elis urbs est Arcadiæ juxta Olympiam, ab Elio Tantali filio cognominata: Pylus vero Messeniæ.

553 *Bis sex Neleidæ fuimus*] Duodecim Nelei filii. Neleus autem Neptuni fuit filius et Tyrus Nymphæ: qui a fratre Pelia domo pulsus, Pylon urbem in Messenia condidit. Uxorem habuit Chlorim, ex qua tres filios suscepit, Nestorem, Periclymenum, Chromium. Ex variis autem mulieribus alios novem, Taurum, Asterium, Lycaonem, Deimachum, Euribium, Epileontem, Phthasin, Antimenem, et Alastorem. *Neleidæ*] S. Marci *Pelidæ*. Lege *Nelidæ:* sic et Pelides, non Peleides. *Heins.*

554 *Bis*] Vide quæ ad vs. 188. supra.

555 *Ferendum est*] Tolle *τὸ est* vel invitis libris; quod odiose mox repetitur. *Heins.*

556 *Periclymeni*] Unius e fratribus meis. Omnes nominat interpres Apollonii ad lib. I. vs. 156.

558 *Nelei*] Familiæ nostræ auctor, pater scil. Nelei.

560 *Volucris*] Aquilæ, qui Jovis ales armiger. Negant, inquit Plin. x. 3. hanc alitem solam fulmine exanimatam. Apollonii vero interpres ad vs. 159. lib. I. in muscam versum ab Hercule cæsum refert, ubi et multa alia de Periclymeno. *Farn.*

564 *Tendit in hanc*] *In hunc* malo cum multis veterum. *Heins.*

566 *Pendentemque ferit*] *Rapit* scripti quatuor cum Græviano. Sic 'deripere volucrem cœlo volantem' videor legisse apud nescio quem ex Poëtis. *Idem.*

570 *Quæ levis hæserat alæ*] *Qua* ex scriptis plerisque. *Idem.*

574 *O Rhodiæ ductor, &c.*] Hinc enim aperte colligitur Tlepolemum Rhodiorum ductorem fuisse, et pulchrum et magnum. *Rhodiæ*] Τληπόλεμος δ' Ἡρακλείδης, ἠΰς τε μέγας τε, Ἐκ Ῥόδου ἐννέα νῆας ἄγεν Ῥοδίων ἀγερώχων. Iliad. B. 653. *Farn.*

577 *Dulci Neleius*] Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Iliad. A.

578 *Repetito*] Vs. 155. supra. *Farn.*

FAB. VI. 580 *At Deus æquoreas*] Neptunus ægre ferens Cygnum filium ab Achille interemptum, Apollinem hortatur, ne ulterius ipsum vivere patiatur. Cui Apollo obsequens, in aciem Trojanorum descendit, Parisque sagittam in Achillem ita direxit, ut illius vulnere interierit. Hæc autem idcirco a Poëta narrantur, ut commodius et libri sequentis initium cum hujus fine con-

nectat, et Ajacis in florem Metamorphosin huic loco subjungat. *R.*

581 *In volucrem Phaëthontida*] Ita veteres plerique: quidam *Cygneida:* in nonnullis erasa vetus lectio: *Stheneleida* editiones nonnullæ vetustæ cum Gryphiana, ut a cognato Phaëthontis Cycno Sthenelei filio deducatur: is nimirum jam ante in hanc volucrem mutatus; de quo Noster, 'Adfuit huic monstro proles Stheneleia Cygnus:' sed nihil horum satis ad rem facit. Scribendum enim opinor, *volucrem Ledeida.* Martial. Epigr. I. 54. 'Inter Ledæos ridetur corvus olores.' *Heins.*

583 *Memores iras*] Quas in memoria habebat. Inveterata enim ira non facile deponitur. *Plusquam civiliter*] Hostiliter. *Memores iras*] Virg. Æn. I. 'memorem Junonis ob iram.' Qualem Didym. Iliad. A. appellat, ὀργὴν, χόλον ἐπίμονον. Ter. Hec. 'Unde exorta est hæc ira, quæ permansit tam diu?'

585 *Sminthea*] Apollinem, cui mures, qui lingua Cretensium σμίνθιοι appellantur, sacri sunt. Τὰ οὖν περὶ τοὺς Τεύκρους καὶ τοὺς μύας, ἀφ' ὧν ὁ Σμινθεὺς, ἐπειδὴ σμίνθιοι οἱ μύες. Strabo l. XIII. Sed rationes nominis varias seu fabulas lege apud Lil. Gyraldum Syntagm. VII. *Farn.*

588 *Ecquid ubi has*] *Ut has* Juret. et tres alii. *Heins.*

593 *Operis*] Qui Hectore adempto, 'Tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis;' ut canit Horat. Od. II. 4.

594 *Det mihi*] Naviget modo, seque mihi credat, sentiat faxo vindicem. *Farn.*

596 *Necopinum perde sagitta*] *Prode* Cantabrig. eleganter. *Heins.*

597 *Animo pariter patruique suoque*] *Patruoque* opt. Thuan. et quatuor alii; recte: videantur notata nostra Amor. III. 6. 49. *Heins.* *Animo pariter patruique, &c.*] Frena laxans iræ in Achillem utriusque nomine: suo, quia Hectorem Trojanum occiderat, et Trojanis clientibus suis vehementer nocuerat: Neptuni, quia patruus, et fratrem suum patruelem Cycnum peremerat. *Pont.*

599 *Mediaque*] In templo Apollinis Thymbræi, quo invitatus fuerat Achilles ab Hecuba ad nuptias Polyxenæ, interfectus est a Paride post simulachrum latente. Dictys Cretensis l. IV. irretitum amplexibus Deiphobi, nuptias sororis illi gratulanti, a Paride confossum scribit. Q. Calaber l. III. ab ipso Apolline cæsum indignatur. *Farn.*

600 *Rara per ignotos*] Præstantissimus Florentinus *gnara;* quod non est de nihilo, ut idem sit quod scita, docta, bene ac perite torta. Putabam aliquando *gnava:* ut apud Val. Flaccum 'mihi dextera ferro Gnavet opus.' *Heins.*

604 *Troica ferro*] *Troia* Calandr. alter Hamburg. bene: dictum ad Epist. primam. *Idem.*

606 *Certaque*] 'Qui Paridis direxti tela manusque Corpus in Æacidæ,' Æneas Phœbum precatus Æneid. VI. In eam corporis partem quæ erat vulnerabilis; calcaneum nempe, quem prehendens mater eum in Stygia tinxit palude.

609 *Victus es*] *Vinceris* Bernegger. pr. Erfurt. et sex alii: in nonnullis *Vincitur.* Heins.

611 *Thermoodontiaca*] *Thermodontiaca;* dictum alibi. *Idem.* *Thermodontiaca*] Penthesileæ, reginæ Amazonum Thermodoontis fl. accolarum, securibusque armatarum, manu.

614 *Deus idem*] Vulcanus, qui Thetidos rogatu arma Achilli fabricaverat. *Farn.*

615 *Achille*] Vel *Achilli* Neapolit. *Heins.*

616 *Parvam quod non bene compleat urnam*] Senec. de Herc. in Œta: vs. 1758. 'tam parvus cinis Herculeus est: O quanta, Titan, in nihil moles abit:' et deinde vs. 1763. 'ecce,

vix totam Hercules Complevit urnam.' Est nimirum, 'quod digitis quinque levatur onus.' Lucanus de Pompeio: 'lentum Magnus distillat in ignem.'

618 *Hæc illi mensura viro*] *Mansura* in nonnullis. Pro *hæc est Par tibi Pelide*, *Pelides* multi ex vetustioribus: alter Erfurt. et quart. Medic. *Pars tibi Pelides:* Florent. S. Marci, *Par sibi Pelides.* Scribe, *et hac est Par sibi Pelides.* Vide Notas ad Epist. XX. *Heins.* *Hæc mensura*] Totus terrarum orbis mensura esse videtur gloriæ Achillis. A præstantissimis enim quibusque Poëtis tam Græcis quam Latinis Achillis gesta fuere celebrata, sicque per totum terrarum orbem vulgata. *R.* *Hæc illi mensura viro respondet*] Ὄλβιε Πηλέος υἱὲ, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ, Ὃς θάνες ἐν Τροίῃ ἑκὰς Ἄργεος, &c. Et deinde, Καίεο δ' ἔν τ' ἐσθῆτι θεῶν. Homer. Odyss. Ω. Ubi et Musæ ipsum concelebrant. Nos ad illud allusimus his versiculis: 'Dardanidum terror situs hic in veste Deorum est, Æternumque locus nomen Achillis habet. Ingens fluctifragum propter jacet Hellespontum, Mater eum fremitu concelebratque suo.'

619 *Nec*] 'Nunquam Stygias fertur ad umbras Inclyta virtus.' Senec. Herc. Œt. vs. 1982.

620 *Ipse etiam*] Achillis arma, clypeum, galeam, thoracem, ocreas, gladium, hastam, Thetis in medium proposuit, illi ex ducibus auferenda, qui rebus gestis optime de filio et re Græcorum meruisset. Qu. Smyrnæus Paralip. l. v. *Farn.* *Cognoscere posses*] *Possis* meliores. Mox *proque armis*, non *deque*, pr. Reg. pr. Vatican. pr. Medic. pr. Basil. et tres alii. *Heins.*

621 *Deque armis arma feruntur*] Propter arma Achillis bella excitantur. Nam post mortem Achillis inter Ajacem et Ulyssem de armis ipsius Achillis gravissimæ sunt ortæ contentiones. *R.*

622 *Non ea*] 'Neque enim loricam poscit Achillis Thersites, in qua se traducebat Ulysses Ancipitem.' Juvenal. Satyr. XI. *Farn.*

624 *Soli Telamone creato Laërtæque*] *Laërteque* nonnulli; rectius: plurimi veteres *Laërtiadæque, Lertiadæque, Lartiadæque*, ut apud Ausonium in Epitaphiis Heroum: 'Captus pellacis Lartiadæ insidiis.' Sed dubito an noster id putarit sibi licuisse. Florent. S. Marci, *Leraoque.* Neap. pro diversa lectione *Et Laërta.* Scribe *solis Telamone creatis Laërtaque fuit:* et adi Notas ad Epist. III. 29. *Heins.* *Soli Telamone creato*] Ajaci, Telamonis filio.

625 *Laërtæque*] Laërteque creato, id est, Ulyssi. Alii *Lartiadæque:* ut ὦ παῖ Λαρτίου, in Sophoclis Ajace, vs. 1.

627 *Argolicosque*] Menelaum, Diomedem, Idomeneum, se, &c. *Farn.*

628 *Trajecit*] Transmisit, transtulit. Hic quoque variant auctores. Sunt enim inter Græcos, qui judicium armorum captivis Trojanis delegatum ab Agamemnone tradant, quo ille invidiam a se derivaret, idque Nestoris consilio. Vide Calabrum lib. V. et Odyss. XI. *Micyl.*

METAMORPHOSEON LIB. XIII.

FAB. I. Arg. *Consedere duces*] Achille sagitta Paridis interempto, magna inter Ajacem et Ulyssem contentio orta est, uter ipsorum illius armis dignior esset. Agamemnon autem, ne in alterius odium incideret, illius contentionis judicium ad principes Græcorum rejecit, ut pro virtute ac meritis utriusque arma alteri adjudicarent. Jusso igitur utroque in consessu principum causam agere, non virtute aut meritis, sed eloquentia, qua plurimum valebat, Ulysses effecit, ut sibi arma adjudicarentur. Illam autem repulsam Ajax adeo ægre tulit, ut primum furiosus sit effectus, deinde cum resipuisset, gladio incumbens se ipsum interfecerit: sed tandem miseratione Deorum in hyacinthum florem fuit commutatus.

1 *Duces*] Vide quæ ad vs. 620. lib. præced. et Qu. Smyrnæum l. v. ubi habetur ista *τῶν ὅπλων κρίσις*, et orationes utriusque.

2 *Septemplicis*] 'Taurorum tergora septem' vocat Ulysses infra vs. 347: ex Homero, cui Il. VII. est *σάκος αἰόλον ἑπταβόειον Ταύρων ζατρεφέων.* Sophocl. *ἑπτάβοιον ἄῤῥηκτον σάκος.* *Farn.*

3 *Sigeia Littora*] Sigeum et urbs et promontorium est Troadis, juxta quod Græcorum classis subducta erat. *R.*

4 *Littora respexit*] Pr. Basil. pr. Moret. fragm. Boxhorn. Noricus, et sex alii, *prospexit.* Paulo ante, pro *Surgit ad hos*, forte *ab his* scribendum. *Heins.*

5 *Agimus*] 'Ad qualitatem,' inquit Fabius, 'pertinet locus, ad commendationem et invidiam valet: nam et Ajax apud Ovidium, 'Ante rates agimus causam,'' &c. l. v. c. 10. Ex decoro etiam personæ militaris, et affectuum, iræ atque indignationis adhibetur exordium abruptum. *Farn.*

6 *Ante rates*] A quibus ego solus Hectoris faces repuli, cum alii Græci, inprimisque Ulysses, illius viri impetum non sustinentes, eas deseruerint.

7 *Hectoreis*] Iliad. XV. et infra vs. 91. *Farn.*

10 *Quam pugnare*] *Bellare* unus Leidensis. *Heins.*

12 *Inque acie valeo*] *Quamque* quinque veteres. *Quantum* Neapol. quod placet. *Idem.*

19 *Ipse tulit pretium*] *Iste* ex melioribus scriptis, ut supra et infra passim: utebantur ea voce, quoties cum contemtu de aliquo loquerentur. *Idem.*

20 *Quod cum*] *Qui* in multis. *Quo* Florent. S. Marci, Bernegger. et fragm. Boxhorn. nimirum certamine. *Idem.*

21 *Atque ego*] *Ast* quatuor: *Atqui* fragm. Boxhorn. infra, 'Atque ego contemtus essem patientior hujus:' nisi et illic *Atqui* reponendum, quod non puto. *Idem.* *Atque*] Rationem sui in judicio hoc habendam postulat Ajax, tanquam 1. virtute rebusque gestis clarioris; 2. genere nobilioris; 3. sanguine Achilli conjuncti: premit autem rejicitque adversarium, ut 1. ignavum, 2. ignobilem, 3. alienum.

24 *Pegasæa*] Lib. VII. vs. 1. *Farn.* *Littora Colcha*] Colchica. Nam Telamon cum Jasone in Colchos navigavit, ut plenius superius diximus. *R.*

27 *Æacon agnovit*] *Agnoscit* cum plerisque. Paulo ante pro *silentibus illic*, Juret. prim. Moret. prim. Basil.

Oxon. aliique multi, *silentibus umbris.* Heins.

28 *Sic ab Jove tertius*] Jove excluso tertius. Primus igitur ab Jove Æacus, secundus Telamon, tertius Ajax. Ita Jovis pronepos Ajax, Telamon nepos. *Pont.* *A Jove*] *Ab Jove* cum pr. Vatic. pr. Basil. et sec. Pal. *Heins.*

29 *In causam prosit*] *In causa* vetustiores plerique: et deinde, *non est communis*, pro *sit*. Idem.

31 *Frater erat*] Patruelis frater Achilles fuit Ajacis. Nam Peleus et Telamon fratres fuerunt. Patrueles autem fratres dicuntur, qui e fratribus nascuntur.

33 *Inseris*] *Inserit* uterque Erfurt. excerpta Langermanni, unus Voss. et unus meus; quod sequentia confirmant. *Heins.*

35 *Potiorque videbitur illis*] *Ille* Oxon. tert. Medic. et viginti alii; rectius: duo *iste*, quod sequitur postea. *Idem.*

36 *Detrectavitque*] Ulysses uxoris amore detentus insaniæ simulatione militiam subterfugere voluit; bove et asino junctis terram proscidit, salem sevit. Palamedes vero Nauplii f. Telemachum aranti objecit, adeoque patrem aratrum usque suspendentem, simulatæ insaniæ deprehensum, ad Trojam ire una cogebat. Vide Lucian. de Domo. *Farn.*

38 *Et sibi inutilior*] *Sed* cum uno Leidensi; nisi mavis *At.* Mox *in arma*, non *ad*, Juret. et sex alii. Monui ad Ep. III. 136. *Heins.* *Et sibi inutilior*] Irritavit enim in se Ulyssem ea solertia sua; et ejus dolo etiam interiit. Nam Ulysses literas finxit a Priamo ad Palamedem datas: quibus significare videbatur Priamus se magnum auri pondus misisse, aliudque missurum. Cum vero literæ ad Agamemnonem fuissent perlatæ, Ulysses nihil temere de tanto viro credendum dixit, nisi aurum, quod ille jam per servos corruptos in illius tentorio defodiendum curaverat, deprehenderetur. Qui igitur missi ad hoc inquirendum fuerant, cum renunciassent inventum, lapidibus Palamedes a toto exercitu, de quo optime meritus erat, obrutus est. *R.*

39 *Naupliades*] Palamedes Nauplii filius. Nauplius autem, Neptuni et Amymones Nymphæ filius, in Eubœa regnavit.

40 *Nunc sumat*] *Num* Florent. S. Marci, per interrogationem. Pro *quia*, tres *qui*; bene. *Heins.*

45 *Pœantia*] Philoctetes Pœantis fil. cui Hercules in Œta arsurus arcum et sagittas dederat, sine quibus Trojam capi non posse responderat oraculum. Qui tamen a venenatarum sagittarum una, quæ in pedem deciderat, saucius, cum navigare per dolorem vulneris non posset, in Lemno ins. relictus est. Vide Sophoclis Philoctetem. Cic. II. de Finibus. Qu. Smyrn. l. v. et l. IX. Pindari Pythia Od. I. κεγχρίνῃ βεβρωμένον refert Lycophron. Vide Scholiasten. *Farn.*

46 *Lemnos*] Lemnos insula est una ex Cycladibus, seu potius e regione Thraciæ, Vulcano dicata.

49 *Quæ (si Di sunt) non vana precaris*] *Di sint* nonnulli. *Di dent* pr. Palat. Bernegg. quart. Medic. pr. Gronov. pr. Hamburg. et octo aut novem alii. Præterea *preceris* pr. Pal. pr. Moret. pr. Bon. et pr. Patav. et Juret. Scribe *Quæ meruit; quæ Di dent o non vana preceris:* nihil de meo addidi præter unam literam, τὸ *o.* Vide Notas ad Epist. VI. 156. Nisi τὸ *Di* geminandum censemus hoc modo, *quæ Di, Di dent non vana preceris:* quæ indignantis animi adfectum eleganter exprimunt. *Heins.*

53 *Velaturque aliturque avibus*] *Venaturque* S. Marci liber, Thuan. Urbin. pr. Vatic. tert. Medic. aliique nonnulli. Sed Cicero l. v. de Finibus docet ex Attio, 'Philoctetam pennarum contextu corpori tegumentum

fecisse.' Ipse Philocteta apud Attium, 'Configo tardus celeres, stans volatiles; Pro veste pennis membra textis contegens.' *Idem.* *Velaturque*] Huic lectioni favet quod ex Attio citatur a Cicerone I. de Finibus, Philoctetem pennarum contextu corpori tegumenta fecisse. Vulg. leg. *Venatur;* et v. de Finib. propagabat vitam aucupio sagittarum; nec non Sophocles in Philoctete, et Smyrnæus l. IX. *Farn.*

55 *Comitatur Ulyssem*] *Comitavit Ulyssem* Florent. S. Marci, et unus Gronovii: bene. Adi Notas Trist. I. 8. vs. 31. multi *comitatus.* Mox pro *vellet*, idem Florentinus *mallet.* Idem.

60 *Præfoderat*] In tentorio Palamedis, per servos illius corruptos. *Farn.*

64 *Desertum*] Nestor Græcis fulmine territis, et jugali altero ab Alexandro vulnerato, pene interiisset ab Hectore interceptus, nisi auxilio occurrisset Diomedes, frustra invocato Ulysse, et ipso jam fuga sibi consulente. Il. VIII. *Farn.*

69 *Trepido*] Timido. Alludit autem ad verba quæ Diomedi attribuit Homerus: Διογενὲς Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ, Πῆ φεύγεις, &c.

72 *Legem sibi dixerat ipse*] *Istam* Bernegg. pr. Erfurt. et decem alii; *ipsam* duo: forte *sibi ipsi.* Heins.

75 *Molem*] Φέρων σάκος ἠΰτε πύργον.

76 *Minimum est hoc laudis*] *Hic* plerique veteres. Legebam olim, *minimæ est hoc laudis.* Heins.

77 *Redeamus ad illum*] *In illum* plerique meliores; et pro *hostes* mox *hostem.* Idem.

86 *Eminus fudi*] *Cominus* Oxon. et recte. Plus enim laudis Ajaci, quod cominus cum Hectore erat congressus, quam si eminus congressus fuisset. *Idem.* *Ingenti pondere*] Maximo saxo. *R.* *Ingenti*] Χερμαδίῳ στῆθος βεβλήκει, lib. XIV. Ὣς ἔπεσ' Ἕκτορος ὦκα χαμαὶ μένος ἐν κονίῃσι· aut etiam VII. Iliad. ubi Ajax μυλοειδέϊ πέτρῳ Βλάψε δὲ οἱ φίλα γούναθ'· ὁ δ' ὕπτιος ἐξετανύσθη.

87 *Poscentem*] Il. VII. Hector e Græcis ducibus aliquem ad singulare certamen provocat. Novem fortissimi, ex consilio Nestoris, sorti rem commiserunt; exiit sors Ajacis Telamonii. *Farn.*

88 *Sortemque meam vovistis, Achivi*] Hoc quoque ab Homero sumptum esse videtur, qui scribit Achivos sublatis in altum oculis manibusque, his precibus ad Jovem usos fuisse: Juppiter pater, da ut Ajacis Telamonii sorti sit locus, atque ita evenit. *Sortemque*] Ζεῦ πάτερ, ἢ Αἴαντα λαχεῖν, &c.

89 *Et vestræ*] Ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος κυνέης, ὃν ἄρ' ἤθελον αὐτοὶ, Αἴαντος, Iliad. VII. *Farn.*

91 *Ecce*] Ἕκτορι γὰρ οἱ θυμὸς ἐβούλετο κῦδος ὀρέξαι Πριαμίδῃ, ἵνα νηυσὶ κορωνίσι θεσπιδαὲς πῦρ Ἐμβάλῃ, &c. Il. XV. *Farn.* *Ecce ferunt Troës ferrumque ignesque Jovemque*] Idem de Ponto IV. 7. 'Talis et ad Trojam Danais pro navibus Ajax Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.' Sed veteres Tragici hanc virtutem insanienti adscribunt: 'Nam facinus fecit maximum, cum, Danais inclinantibus, summam rem perfecit manus: prælium restituit insaniens.' Imo et Cic. 4. Tuscul. Quæst. 'Semper Ajax fortis, fortissimus tamen in furore.' *Ignesque Jovemque*] *Ignemque* multi veteres. Deinde *ubi nunc*, pro *tunc*, castigatiores. *Heins.*

98 *Rhesum*] Regem Thraciæ, qui auxilio Trojanis venit, verum a Diomede et Ulysse interceptus cum suis cæsus est. Hom. Iliad. X. et Virgil. Æn. I. inf. vs. 249. *Dolona*] Qui ab Hectore speculatum missus, a Diomede et Ulysse interceptus atque interfectus est. Hom. Il. X. et infra vs. 244. et Virgil. Æneid. XII.

99 *Helenum*] Fata Trojanorum arcana Græcis revelavit. Tryphiodorus v. 44. et Q. Smyrnæus lib. X. *Pal-*

lade] Palladio, Trojanis fatali: 'Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium,' &c. Æneid. II. et infra vs. 337. *Farn.* *Rapta cum Pallade*] *Capta* vel *casta* multi veteres. *Heins.*

107 *Dulichius*] Dulichium ins. est maris Ionii Ithacæ vicina, Ulyssi regnata.

109 *Pelias*] Achillis hasta, quam patri dedit Chiron ex Pelio recisam monte. Il. XVI. Qu. Smyrn. lib. V.

110 *Clypeus*] Hujus fabricam et cælaturam vide apud Hom. Iliad. XVIII. Qu. Smyrn. lib. VI. Silium VII. *Farn.* *Cælatus imagine*] *Concretus* in Florentino S. Marci, cum glossa, 'id est, pictus;' atque ita unus quoque Mediceus. *Heins.*

117 *Prœlia passus*] *Vulnera* Bernegg. prim. Gron. et alter Hamburg. cum tribus aliis. *Idem.*

121 *Arma*] Hanc controversiam, inquit Seneca, memini me videre Nasonem declamare apud rhetorem Arellium Fuscum, cujus auditor fuit. Nam Latronis admirator erat, &c. Oratio ejus jam tum nihil aliud poterat videri, quam solutum carmen. Adeo autem studiose Latronem audivit, ut multas ejus sententias in versus suos transtulerit. In armorum judicio dixerat Latro, 'Mittamus arma in hostes, et petamus.' Naso dixit, 'Arma viri fortis medios mittantur in hostes; Inde jubete peti.' Senec. lib. I. controvers. 10. *Farn.*

123 *Vulgique secutum Ultima murmur erat*] Nam populus murmure suo Ajacis dicta approbare est visus.

125 *Astitit*] Surrexit. *Oculos*] Ex arte et Rhetorum præcepto. 'Etiam cum ad judicem nos converterimus, et consultus Prætor permiserit dicere, non protinus est erumpendum, sed danda brevis cogitationi mora. Mire enim auditurum dicturi cura delectat, et judex se ipse componit. Hoc præcipit Homerus Ulyssis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, immotoque sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellam effunderet, dicit.' Quint. lib. XI. cap. 3. Locus autem Homeri est Il. III. Στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας. *Farn.*

130 *Nos te potiremur, Achille*] *Poteremur* ex multis veterum, ἀρχαϊκῶς. Sic et lib. XIV. *ut poterentur ea* reponendum. Propert. El. II. 9. 'Cum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ:' ita vetustus codex Neapolitanus. Auson. Epitaph. Heroum. 'Fortis prægressis ut potereris equis.' Val. Flaccus lib. VII. 'Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro:' sic et ibi scribendum. *Heins.*

132 *Lacrymantia tersit*] *Tergit* tres antiqui. Mox *succedat*, pro *succedet*, prim. Reg. Oxon. alter Hamburg. et alii quatuor: vetustiores magna ex parte *succedit*. Idem.

134 *Quam per quem magnus Danais*] Hoc est, quam is cujus opera Achilles ad bellum Trojanum deductus est; is autem Ulysses fuit. Nam, ut ipse paulo post narrat, cum Thetis mater Achillis cognosceret filium in bello Trojano periturum, illum virginis habitu ornatum Lycomedi Scyri insulæ regi una cum filiabus ipsius educandum commendavit, ut tantisper apud eum in virgineo habitu lateret, dum Troja foret deleta. Cum vero sine Achille Troja capi non posset, nec usquam inveniretur, Ulysses, id quod erat suspicatus, mercibus, quibus fœminæ capiuntur, gladium scutumque ac galeam immiscens, ad Lycomedem se contulit, ubi mercibus illis expositis Achilles gladium ac scutum, alia negligens, tractare cœpit: ex quo cognitus ad bellum Trojanum fuit deductus.

135 *Hebes esse videtur*] *Fatetur* unus Bas. Pro *facundia* prim. Gronov. *sollertia.* Heins.

145 *Damnatus*] Tacite familiam Ajacis fratricidii notat. Peleus enim Phocum fratrem disco interemit, uti dictum ad lib. XI. vs. 267. Quin et

Telamonem, ferro in cervicem Phoci adacto, fraternæ cædis non insontem fuisse arguit Ulysses mox vs. 149. ut et commentator in v. Oden Nemeorum Pindari.

146 *Cyllenius*] Mercurius, a Cyllene monte Arcadiæ ubi natus est. Anticlea autem Ulyssis mater Autolyci filia fuit; Autolycus Mercurii ex Chione Dædalionis filia. *Farn.*

147 *Deus est in utroque parente*] In patre Jupiter, in matre Mercurius.

153 *Virtutis honor*] *Honos* cum melioribus. *Heins.*

156 *Phthiam hæc Scyronque*] *Phthiam Scyronve* plerique vetustiores. *Phthiam* sec. Moret. Paulo ante pro *Est genitor* Oxon. non male *En genitor:* et tum etiam foret scribendum *en Pyrrhus.* Idem. *Phthiam hæc*] Ubi habitabat Peleus: eo portanda erunt hæc arma. *Scyronve*] Ubi tum Pyrrhus. *Pont.*

157 *Est isto*] *Est isti* pr. Erfurt. et quinque alii. Puto *est ipsi.* Bernegg. pr. Moreti, et plurimi alii *est illi: est illic* Florent. S. Marci. *istic est* pr. Reg. pr. Cantabr. pr. Vatic. et alter Hamburg. *isti est* Noricus: *est istic* Neap. Thuan. in uno Mediceo *in isto est.* Forte *en ipsi;* vel, *extincto Achilli.* Heins. *Patruelis*] Frater, filius Telamonis ex Hesione, uti Ajax ex Eubœa. Versu 31. supra *frater* ponitur pro patruele. *Farn.*

158 *Non petit ille tamen, num si petat, auferat illa*] *Auferat arma* plurimi veteres: et *Num petit* Florent. S. Marci. *Num petit ille tamen, num sperat ut auferat illa?* Excerpta Calandræ, quart. Medic. et Junian. *num sperat ut auferat arma?* quod sequor: alii aliter. *Heins.*

162 *Præscia*] Thetis Nerei filia, cum ex Proteo didicisset filium in Trojana expeditione interiturum, cultu illum muliebri dissimulatum Lycomedi regi Scyri ins. educandum tradidit. Quem tamen exploravit Ulysses; et quia in fatis erat, Trojam sine illo capi non posse, deprehensum ad Trojanum bellum protraxit. Hygin. fab. 96. Statius in Achilleide, alii. *Farn.*

163 *Et deceperat omnes*] Non agnoscunt *τὸ et* septem veteres. *Heins.*

169 *Evertere Trojam*] *Vertere* prim. Strozzæ et alii quinque aut sex. *Idem.*

171 *Ego Telephon*] Telephus, Herculis filius ex Auge Nympha, rex fuit Lyciæ; qui cum resisteret Græcis, ab Achille in femore fuit percussus, ac deinde iterato vulnere, ut in superioribus diximus, sanatus est. *R. Ego*] Libro XII. 112.

173 *Thebæ*] Thebæ in Cilicia, XII. 110. *Farn.* *Lesbon*] Lesbos insula est clara Alcæi carminibus et Sapphus. *R.* Hæc autem Achilli prodita fertur a puella quadam, Pisidice nomine, quæ illius amore flagrabat: auctor Parthenius in Eroticis. *Micyl.* *Chrysenque et Cyllan*] Chryse urbs est Troadis prope Lemnum, Apollini sacrata: *Cylla* quoque urbs est Troadis, Apollini sacra, a Græcis direpta. *R.*

176 *Lyrnesia mœnia*] Lyrnesus urbs fuit Troadis, unde Briseida rapuit Achilles, occiso ejus marito Minete.

177 *Utque alios*] *Alias* Florent. S. Marci et unus Mediceus, ut ad civitates expugnatas referatur. Paulo ante, pro *qui vincere posset,* Thuan. opt. *posses;* quod placet. *Heins.* *Sævum Hectora*] Magnum, fortem. Virgil. de Ænea: ‘Maternis sævus in armis.’

182 *Aulidaque Euboicam*] Aulis Bœotiæ urbs est juxta Chalcidem, portum habens amplissimum, conventu mille navium Græcarum nobilissima. *R.* *Mille*] Vide lib. XII. 16.

183 *Expectata diu*] *Expectanda* pr. Basil. Pro *Flamina erant* veteres plerique *sunt;* recte. *Heins.*

184 *Duræque*] Vide quæ ad vs. 30. lib. XII.

188 *Ad publica commoda*] ‘Pietatem publica causa, Rexque patrem vicit,’ lib. XII. 30.

189 *Nunc equidem fateor*] *Hanc* pr. Pal. Cantabr. pr. Vatic. pr. Basil. et multi alii; tres *Hoc.* Puto, *Tunc (equidem fateor) difficilem tenui causam.* Heins.

193 *Mittor et ad matrem*] Arcessita adducitur Iphigenia, quasi nuptura Achilli. Id quod et Lucret. attingit, lib. I. 97. 'non ut solenni more sacrorum Perfecto posset claro comitari Hymenæo: Sed casta inceste, nubendi tempore in ipso, Hostia concideret mactatu mœsta parentis.' Ideoque Achilles a Lycophrone vocatur Iphigeniæ ξύνευνος.

195 *Etiamnunc*] *Etiamnum* S. Marci, Thuan. Oxon. Pro *lintea* fragm. Cæsen. *carbasa.* Heins.

200 *Prædamque*] Prædam appellat, quæ una cum Helena asportaverat Paris. *Micyl.*

201 *Antenora*] 'Antenor censet belli præcidere causam. Quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus, Cogi posse negat.' Horat. Epist. I. 2. uterque ex Homeri Il. VII. ubi Antenor. Δεῦτ' ἄγετ', Ἀργείην Ἑλένην καὶ κτήμαθ' ἅμ' αὐτῇ Δώομεν Ἀτρείδῃσιν ἄγειν, &c. *Farn.*

203 *Scis hæc, Menelaë*] *Hoc* plerique. *Scis o* Cantabr. tert. Medic. et duo alii; probe. *Heins.*

209 *Demum*] Solum.

216 *Ecce Jovis monitu deceptus imagine somni*] Tot voces substantivæ sine ulla adjectiva aut epitheto vix alibi in uno versu apud nostrum occurrant. Censeo scribendum, *Ecce Jovis monitos deceptus imagine somnos:* nihil familiarius Nasoni his Græcismis. *Moniti somni* dicebantur, in quibus Di apparebant: nota hæc veterum superstitio. Claudianus de Diis, 'aut alite monstrant, Aut monitos certa dignantur imagine somnos.' Ausonius Periocha Odyss. XV. 'Telemachus a Minerva per somnium commonetur.' Petronius de Diis, 'Et quid fecissent admonuerunt pari somniorum consensu.' Noster ipse de Iside quæ Telethusæ in somnis apparebat, 'Monuit thalamoque recessit.' Val. Maximus lib. I. cap. 7. 'Propioribus tamen (ut ita dicam) lineis Aterii Rufi Equitis Romani somnium certo eventu admonitum est:' ubi perperam Lips. *admotum est.* Vetus inscriptio Romæ NEMESI. SANCTÆ. CAMPESTRI PRO. SALUTE. DOMINORUM. N. N. AUGG. P. ÆLIUS. P. F. ÆLIA. PACCATUS. SCUPIS QUOD. COH. DOCTOR. VOVERAT. NUNC CAMPI. DOCTOR. COH. J. PR. P. V. SOMNIO ADMONITUS. POSUIT. L. L. Epistola Deianiræ; 'Me pecudum fibræ, simulacraque inania somni, Ominaque arcana nocte petita monent;' ubi perperam *movent* nunc legitur. Claudianus libro III. de Raptu Proserpinæ, 'Somnia quin etiam variis infausta figuris Sæpe monent:' uti et illic castigavimus. Certe in hoc Nasonis loco pro *monitu* sec. Medic. et unus meus *monitus: monito* Arond. *monitor* unus Medic. *monitis* unus Gronovii: *monitu* fragmentum Boxhornii. *Heins.* *Deceptus imagine somni*] Homer. Iliad. B. vs. 6. Οὖλος ὄνειρος. Et Odyss. T. vs. 560. ὄνειροι ἀμήχανοι, ἀκριτόμυθοι.

218 *Auctore*] Jove. *Farn.* *Suam defendere vocem*] *Suam causam* rectius Bernegger. pr. Moreti, aliique complures. Nonnulli *culpam*, minus bene. *Heins.*

221 *Det quod vaga turba sequatur*] *Dat* cum tribus scriptis, quod præcedentia requirunt. *Idem.*

223 *Quid quod et ipse fugit*] *Fugis* malo cum uno Palatino, Zulich. et tribus aliis. *Idem.*

224 *Inhonesta vela*] Inhoneste ac turpiter. *R.*

229 *Adversos profuga de classe reduxi*] *Aversos* cum melioribus scriptis reponendum. *Heins.* *Profuga*] Ad fugiendum parata.

230 *Convocat Atrides*] Agamemnon.

231 *Telamoniades*] Ajax, Telamonis filius.

232 *Audet et ausus erat*] *Audeat* pr. Palat. pr. Vatic. Cantabr. Flor. S. Marci, Urbin. pr. Erfurt. et sex alii: *Audet ut* Bernegger. Thuan. sec. Palat. Juret. et quindecim alii: *Audet, at ausus* Arondel. alter Hamburg. et alii decem: *Ausus at ausus* unus Ambros. *Audit et ausus* unus meus: alius *Ausus et ausus:* Oxon. *Ausit et ausus.* Lege *Ausit: at ausus erat.* Pro *protervus* repone mox *protervis;* dictis, videlicet; ita prior Erfurt. tertius Mediceus, et alii circiter viginti. Pro *Telamoniades* fragmentum Cæsen. *Telamonides.* Heins.

235 *Virtutem voce reposco*] *Refundo* Juret. pr. Moret. Boxhorn. Bernegger. multique alii. Idem Bernegger. ut et Arondel. pro diversa lectione *repono,* quomodo et pr. Basil. et ad Horatium Theodorus Marcilius: unus Mediol. *refirmo:* unus Voss. *reformo:* unus meus *rependo.* Putem *reprendo* eleganter, ut ad fugientes socios respiciat, quomodo apud Livium: 'Adeo turbati erant dextræ alæ equites peditesque, ut quosdam Consul Cato manu ipse reprenderit verteritque in hostem.' Lucretius lib. VI. 'nulla refrenet Res, neque ab exitio possit reprendere.' Apud Propertium, 'Quam possit quisquam nostros reprendere cursus:' pro, ex fuga retrahere. Epist. Canaces, 'Continuo gemitus elapsaque verba reprendo:' ubi multi codices etiam *rependo.* Metam. XV. de Hippolyto direpto, 'Membra rapi partim, partim reprensa relinqui:' hoc est, tanquam ex fuga retracta vepribus adhærere. *Idem.*

237 *Qui dantem terga retraxi*] *Quem dantem* meliores. *Idem.*

240 *Confidit Ulysse*] *Ulixi* Florentinus S. Marci. *Idem.* *Diomedes et Ulysses*] 'Non dubitat socium summis adjungere rebus Tydides Ithacum; namque opus artis erat.' Quod ex Homer. Iliad. K. sic reddimus. Iidem et una fuerunt Palladio surripiendo. Quod Silius lib. XIII. 'Tum meus adjuncto monstratam evasit in arcem Tydides Ithaco, et dextra molitus in ipso Custodes aditu templi, cœleste reportat Palladium, ac nostris aperit mala Pergama fatis.'

243 *Sed tamen et*] *Sic tamen* S. Marci, pr. Reg. alter Hamburg. Urbin. Cantabr. sec. Palat. et alii quinque. *Heins.*

244 *Ausum eadem quæ nos*] *Ausum etiam* S. Marci, Urbin. Neapol. prim. Erfurt. et multi alii: unus *qui nos.* Forte *Ausum eadem nobis.* Vide Notas ad Amor. lib. I. 4. Noster supra, 'Et nunc ille eadem nobis juratus in arma.' *Idem.* *Ausum*] Missum ab Hectore exploratum castra Græcorum; sicut et nos speculatum res Trojanas. *Farn.* *Dolon*] 'Hic quondam castra ut Danaum speculator adiret Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus: Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio, nec equis adspirat Achillis.' Prodidit autem, interceptus ab Ulysse, omnia Trojanorum consilia, Rhesique adventum indicat: hinc proverbium, Δόλωνος ἀγενέστερος.

247 *Nec quid specularer*] *Nec quod* cum optimo Florent. pr. Erfurt. pr. Moret. pr. Twisden. et uno meo. *Heins.*

248 *Promissa cum laude*] *Præmissa* pr. Erfurt. pr. Moret. tert. quart. Medic. et multi alii: recte. Mox, *Haud contentus ea* rescribo, laude, nimirum; non *eo,* cum Langerm. et uno Mediceo. *Idem.*

249 *Rhesi*] Thracum regis: vide quæ nos ad Virg. Æn. I. 'Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis,' &c. *Farn.*

252 *Ingredior curru lætos imitante triumphos*] Currum intelligit et equos Rhesi, quos Homerus fingit a Nestore cum summa admiratione exceptos. Ita enim ait: Ἀλλ' οὔπω τοίους ἵππους ἴδον οὐδ' ἐνόησα· Ἀλλά τιν' ὔμμ' ὀΐω δόμεναι θεὸν ἀντιάσαντα, &c. Obiter autem ad triumphales equos et

currum, quibus Romani victores vehi solebant, alludit.

253 *Cujus equos pretium*] Est autem ordo: Arma mihi ejus viri negate, cujus equos hostis Dolon pro nocturna speculatione poposcerat. Illa vero ironia Ulysses arma Achillis et Ajaci neganda, et sibi adjudicanda esse ostendit. *Micyl. Cujus*] Achillis, cujus ἵππους καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ speculationis suæ pretium ab Hectore poposcerat Dolon. Il. x.

254 *Fueritque benignior Ajax*] *Fuerit quod dignior* unus Basil. *fuerit quia dignior* Excerpta Calandræ: *fuerit quoque dignior* sec. Ambros. *fueratque* Arondel. Puto *tuleritque ea dignior Ajax;* vel *fueritque his dignior.* Heins.

255 *Quid Lycii referam Sarpedonis*] Sarpedon filius fuit Jovis ex Europa, ac Minois frater. Hic cum rex esset Lyciæ, Trojanisque faveret, multis ex ejus sociis ab Ulysse cæsis a Patroclo tandem fuit interfectus.

257 *Cœranon Iphitidenque*] *Iphitiden et Alastoraque* veteres plerique. Scribe etiam *Prytaninque,* ex Homero Iliad. I. Ἔνθ' ὅγε Κοιράνον εἷλεν, Ἀλάστορά τε, Χρόμιόν τε Ἀλκανδρόν θ' Ἅλιόν τε, Νοήμονά τε Πρύτανίν τε. Pro *Chersidamante Chresidamante* nonnulli. Bernegger. Thuan. sec. Palat. Oxon. multique alii, *Pheridamante.* Heins.

262 *Sunt et mihi vulnera, cives*] *Vulnera testes* Sixi et unus Medic. Forte *Sunt en mihi vulnera testes.* Vide Notas Fast. IV. 885. *Idem.*

264 *Vestemque manu diduxit*] *Deduxit* cum melioribus scribendum, ut jam alibi monitum est; nisi mavis *deducit* cum prim. Hamburg. et quinque aliis. *Idem.*

267 *Et habet sine vulnere corpus*] Habent fabulæ, Herculem aliquando Salaminem venisse ad Telamonem, ibique cum Ajacem adhuc infantem conspexisset, circumdedisse illi τὴν λεοτὴν suam, precatumque, ut qua puer illa tegeretur, invulnerabilis foret. Quod ita factum, fuisseque Ajacem toto corpore invulnerabilem præterquam latere: id enim contectum non fuerat. Hinc infra quoque sequitur: 'Dixit, et in pectus tum demum vulnera passum, Qua patuit ferro lethalem condidit ensem.' Meminit fabulæ et Pindarus Isthmiorum Ode quinta. *Micyl.*

271 *Modo ne*] *Sed ne* plerique veteres: *sed nec* quinque; quod placet. Mox pro *atque aliquem nobis quoque reddat honorem, vobis* legendum, ut vetustiores exhibent. Conatur enim omni arte odiosum Græcis facere Ajacem. *Aut aliquem* Florent. S. Marci, Neapol. et multi alii. *Cedat honorem* unus meus ex melioribus. *Heins.*

273 *Reppulit*] *Rettulit* S. Marci, et alii duo: forte *Rettudit.* Idem. *Actorides*] Patroclus, Actoris nepos, armis indutus Achillis. Iliad. XVI. *Farn.*

275 *Ausum etiam Hectoreis*] Ajax cum Hectore singulari certamine pugnavit, cum id ei sorte contigisset, qua ex pugna uterque sine vulnere discessit ab altero perniciosis donatus muneribus. Hector quidem baltheo, quo ligatus circum Ilii mœnia fuit tractus: Ajax vero gladio, in quem incumbens seipsum interfecit. *R. Ausum*] Respice ad vs. 87. supra: vide Iliad. VII. *Farn. Hectoreis telis*] *Hectoreo Marti* plurimi veteres; optime. *Heins.*

276 *Regisque, ducisque, meique*] *Meique, ducisque* multi ex vetustioribus. Scribe, *ducumque.* Novem enim sortiti erant, ut ex Homero discimus. *Idem. Regis*] Agamemnonis.

277 *Et prælatus munere sortis*] Colligit Ulysses non virtute, sed sorte Ajacem cum Hectore contendisse. Cum enim novem (ut diximus) se pugnaturos cum Hectore profiterentur, consilio Nestoris factum est, ut sortem quisque suam in galeam dejiceret, ac cujus prima educta foret, is in certamen cum Hectore descende-

ret. *Et prælatus*] Antepositus aliis nulla re alia quam sorte.

288 *Pro nato*] *Gnato* alter Strozzæ. *Heins.*

289 *Cœlestia dona*] *Vulcania dona* Grævianus pro diversa lectione. *Id.*

291 *Cælamina novit*] *Norit* Bernegg. et octo aut decem alii; bene. *Idem.*

293 *Immunemque æquoris*] Arctos minor est ursa, ut quæ currus quoque cognominatur. *R.* Versus Homeri sic habet: Ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι. *Micyl.* Solum autem ex omnibus hoc sidus nunquam occidit, ac idcirco ab Homero quoque æquoris expers dicitur esse. *Pleiadasque*] Ad lib. III. vs. 595. vide et Iliad. XVIII. 486. *Immunemque*] Ad lib. II. vs. 529.

294 *Diversasque urbes*] *Diversosque orbes* pr. Bonon. ut stellas innuat. *Heins.*

295 *Quæ non intelligit*] *Intelligat* quatuor. Pro *munera belli* Bernegg. Juret. et alii quinque *munia:* nil mutem temere. Apud Lucretium 'fera mœnera militiai:' et 'mœnera belli' non uno loco. *Idem.*

297 *Incepto labori*] Bello inchoato.

299 *Vocas crimen*] *Vocat* Cæsen. unus Regius, et unus meus; ut ad duces orationem convertat. *Heins.*

303 *Haud timeam, si jam nequeam*] *Haud timeo* meliores plerique: nonnulli etiam *si jam nequeo.* Forte, *Haud timeo, ne grande queam defendere crimen;* ut εἰρωνικῶς hæc dicantur. *Idem.*

304 *Ulyssis*] *Ulysses* Cæsen. Puto *Ulyssei*, vel *Ulyssi:* sic et infra, 'regnum fallacis Ulyssi:' et lib. XIV. 'comes experientis Ulyssi:' 'et conjux timidis audacis Ulyssi.' Vide Notas ad Artem Amatoriam. *Idem.*

308 *Palamedem*] *Palameden* Bernegger. sec. Pal. et uterque Erfurt. et alii decem. *Idem.*

313 *Vulcania Lemnos*] *Tellus* duo Medicei. Mox, pro *crimen vestrum,* præter tertium Mediceum nostri omnes *factum;* et recte. *Idem.*

317 *Lenire dolores*] *Finire* multi veteres. *Idem.*

319 *Cum sit facit esse fidelem*] *Cum sit satis* omnino rescribendum cum plurimis membranis; nisi malis *cum sit satis esse fideli.* Idem.

322 *Morbisque iraque furentem*] *Morbis* plerique castigatiores. *Frementem* unus meus. *Idem.*

323 *Aut aliqua perducet callidus arte*] *Producet* pr. Moret. pr. Hamburg. pr. Erfurt. Cantabrig. Oxon. tert. Medic. pr. Gronov. et alii duodecim. Producet e latebris suis. Præterea scribendum *alia arte;* nam et eloquium ars est. *Idem.*

326 *Meo pectore*] Mea prudentia.

332 *Utque tui mihi, sic fiat*] *Sit fiat* multi veteres; vel *mihi sit, sic sit:* unus Basil. *mihi sit, fiat.* Aut valde depravatus est hic versus, aut adulterinus. *Heins.*

333 *Te tamen aggrediar, mecumque reducere nitar*] *Nec inultus spero relinquar* multi: nonnulli, *longe formidine pulsa:* sex *sollerti pectore fidus:* alii aliter. At sec. Palat. pr. Vatic. tert. et quart. Medic. pr. Hamburg. pr. Erfurt. et sex alii non agnoscunt hunc versum. In primo Palat. inter lineas erat scriptum *Te tamen aggrediar,* reliquis omissis; optime. Non enim dubito hunc et plures ab Ovidio versus relictos imperfectos, quos scioli postea suppleverint; ut et apud Virgilium frequenter est factum. Quid enim aliud sibi vult immensa lectionum discrepantia in posteriori hemistichio? *Idem.*

334 *Tamque tuis potiar sagittis*] Sic in potestate mea tuas sagittas habebo, ut habui Helenum vatem egregium, et Palladium: quod nisi hostibus abstulissem, Troja nunquam capi potuisset. *Faveat fortuna*] *Dummodo,* subintelligatur. *R. Tamque*] Infra vs. 403.

335 *Dardanio*] Heleno, quem cepit Ulysses, omniaque Trojanorum

fata revelare coëgit. Lege quæ Photius in bibliotheca excerpsit ex Conone et Apollodoro, 34. *Farn.* *Quam sum Dardanio, &c.*] Raptum Palladii et Heleni, unde Trojana fata elicuerunt, quem Ajax crimini dabat, et furtum nominabat, hic pro summa gloria ducit, et accusatori insultat. *Pont.*

337 *Signum*] Palladium, quo Trojanis incolumi, *ἀνάλωτον* fore Trojam in fatis erat. Qu. Smyrn. lib. x. 354. Sil. Ital. I. ‘genitricis pignora Trojæ:’ et lib. XIII. 40. et deinceps. Sapientia sc. ex urbibus sublata, tum demum evertuntur Respublicæ.

338 *Comparat Ajax*] *Comparet* duo; tert. Medic. prim. Hamburg. Cæsen. et quinque alii *Conferat:* ut reponantur hæc iis, ‘et mecum confertur Ulysses?’ *Heins.*

341 *Cur hic metuit*] *Metuis* rectius plurimi veteres: et mox, *mœnia Troum,* non *Trojæ,* iidem; ut infra, ‘casuraque mœnia Troum.’ *Idem.*

345 *Afferre per hostes*] *Efferre* multi: *ecferre* pr. Vatic. sex *auferre.* Idem.

350 *Tydidem meum*] Diomedem mihi amicum. *R.*

351 *In illo*] *In illis* unus Moret. lege, *pars et sua laudis in illis;* vel *pars est sua laudis et illi.* Heins.

355 *Indomitæ dextræ*] Viribus ratione carentibus ac temeritati.

357 *Eurypylusque ferox*] Euæmonis filius ex Ormenio urbe, qui (ut scribit Homerus) cum quadraginta navibus in expeditionem Trojanam Agamemnona est secutus. Is cum viribus plurimum posset, arma tamen Achillis non poposcit. *R.* Fuit et Eurypylus, Telephi filius, qui et ipse quidem ad Trojam profectus fuit cum Mysis, in auxilium Trojanorum. Hunc interfecit Neoptolemus filius Achillis, ut Homerus meminit Odysseæ undecimo. *Micyl.* *Claroque Andremone natus*] Periphrasis Thoantis.

358 *Nec minus Idomeneus*] Nec non, etiam. Idomeneum autem Lyctium fuisse, ac Cretensibus imperasse in expeditioneque Trojana una cum Merione, quo auriga utebatur, fortissime se gessisse, et Homeri et Virgilii carminibus notissimum est. *R.* *Patria eadem*] Ambo namque Lyctii fuerunt. Patria eadem accipio generaliter, pro Creta. *Mycil.* *Patriaque*] Creta: de his videatur Catalogus Homeri Iliad. II.

359 *Peteret*] *Peterent* Florent. S. Marci: et mox, *manus secundæ* idem. Forte, *Quippe animæ fortes, tibi nec Mavorte secundæ.* Heins.

362 *Quod eget moderamine nostro*] *Nostri* prim. Palat. nempe ingenii; quod placet. *Idem.*

368 *Tantum ego te*] *Tanto* multi veteres. Sed apud Maronem lib. XII. ‘O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est Consulere.’ *Idem.*

371 *Proque tot annorum curis quas anxius egi*] Alii *quibus.* Scribe *quos egi,* videlicet tot annos: atque ita tres scripti. Præterea in optimo Florent. *cura.* Idem.

375 *Per spes nunc socias*] *Vos socias* unus Moreti; eleganter. *Idem.*

379 *Si Trojæ fatis*] Agnosco alienam denuo manum in hoc versu. Posset tamen *putatur* legi. Præcedens etiam versus est suspectus. *Idem.*

383 *Tum patuit*] *Re patuit* multi ex melioribus. Libro III. ‘Reque minas firmat.’ Libro IX. ‘ultima dicta Re probat.’ Fast. IV. ‘tu nostræ pignora vitæ Re dabis:’ quod male mutarant. Met. XIV. ‘Læsaque quid faciat, quid amans, quid fœmina, disces Rebus, ait.’ *Idem.*

384 *Qui ferrum, ignesque*] *Ignemque* meliores: et, pro *vicit* mox, *vincit.* Idem.

387 *Poscit Ulysses*] *Poscet* multi veteres: *poscat* Neapolit. et tres alii. *Idem.*

391 *Tum demum*] *Tum denique* pr.

Moret. et alii quatuor; quomodo et alibi noster locutus. *Idem.*

396 *Œbalio*] Hyacinthi: vide quæ ad vs. 196. lib. x.

397 *Litera*] Lege quæ ad vs. 207. et 215. lib. x. et quæ Rigaltius habet ad Tertullianum de Coronis. *Farn.* *Litera communis*] In foliis illius floris (inquit) in quem Ajax fuit conversus, litera communis est et Hyacinthi pueri querelis et nomini Ajacis.

398 *Hæc nominis*] Ajacis. *Illa querelæ*] Hyacinthi, qui gemens, ac clamans *αι αι* extinctus est. *R.*

FAB. II. Arg. *Victor ad Hypsipyles*] Ulysses post adeptam armorum Achillis victoriam, in Lemnum ad Philoctetem cum Herculis sagittis adducendum missus fuit. Quo advecto, ac Troja tandem incensa, cum Græci classem in Thraciam appulissent, Polyxenam Priami atque Hecubæ filiam manibus Achillis exposcentibus immolarunt: cujus corpus lotura cum ad littus Hecuba accessisset, forte Polydori filii a Polymnestore Thraciæ rege interempti cadaver ibi conspicata, ulcisci tantum scelus decrevit. Nam Priamus Polymnestori tanquam amico, belli eventum ignorans, cum multis pecuniis Polydorum natu minimum filiorum commendarat, ut, si quid urbi accideret, suorum aliquis superesset. Hecuba igitur accersitum ad se Polymnestora sub spe thesauri indicandi, una cum aliis mulieribus captivis excæcavit. Quare cum Thraces ipsam lapidibus insectarentur, in illos latrare cœpit, voluntate Deorum in canem conversa.

399 *Hypsipyles*] Lemnum ins. ubi Hypsipyle regnabat, quæ patris vitæ sola pepercit, cum ceteræ omnes Lemniades maritos suos, patres, filiosque interfecissent; sive viris propter fœtorem a Venere irata iis immissum fastiditæ; sive zelotypia actæ in maritos, qui rem habuerant cum captivis ancillis: ut Smyrn. lib. IX. 337. sive pellicatum in Atticis ultæ, ut habet Herod. lib. VI. Atque inde factum, ut cum ob hoc, tum ob illud facinus, *τὰ σχέτλια ἔργα πάντα Λήμνια* vocentur.

401 *Vela dat*] Perperam quidam præmittunt, *Transierat tandem portis votoque potitus.* Heins. *Tirynthia*] Herculis sagittas. Tirynthe opp. Argis vicinum, ubi nutritus est Hercules. *Farn.* *Vela dat*] Navigat. *R.*

403 *Impositaque fero est*] Alii *Imposita estque fero.* *Imposita est fero* scribendum cum Cæsen. prim. Vatic. quart. Medic. et aliis non paucis. *Heins.*

406 *Externasque*] In Thracia sc. procul a patria. *Latratu*] Infra vs. 568. *Farn.* *Terruit auras*] Multi *aures:* nil muto. Sic lib. I. Fastor. 'fragor æthera terruit ipsum.' *Heins.*

407 *Longus Hellespontus*] Mare est Hellespontus angustum et longum, Asiam ab Europa disterminans. Dictus est autem Hellespontus, ab Helle Phryxi sorore, quæ in illo submersa est. *R.* Palatin. leg. *qua pontus clauditur Helles.* Heins. *Qua clauditur in angustum*] Ubi cogitur in angustum et strictum. Angustatur autem maxime Hellespontus illic, ubi olim fuerunt Sestos et Abydos. Ad Troas, ubi fuit Ilium, protenditur.

409 *Exiguumque*] De eodem Priamo, Seneca in Agam. vs. 651. et Juv. Sat. x. senes quippe sanguine cassi. *Jovis*] Hercei intra ædium *ἕρκη*, id est, septa, culti.

410 *Tractisque comis antistita Phœbi*] Alii *tractaque.* Thuan. prim. Moret. Cantabrig. Oxon. et duo alii *tractata;* bene. Pacuvius apud Marium Victorinum, 'Agite, ite, volvite, rapite, coma tractate per Aspera saxa et humum: scindite vestem ocyus.' Id ipsum ex suis codicibus etiam notavit ad Lucretium Giphanius. Ennius Annal. II. 'tractatus per æquora campi.' 'Morsu ferarum tractari' apud Lucretium lib. III. Legebam olim *raptata comis;* ut lib. XII. 'Rap-

taturque comis per vim nova nupta prehensis.' *Heins.* *Comis*] 'Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus, a templo Cassandra adytisque Minervæ,' &c. Virg. Æn. II. *Farn.* *Antistita*] Cassandra, Phœbi sacerdos.

419 *Carbasa mota*] *Tensa* unus meus. Ep. Ariad. 'Vidi præcipiti carbasa tenta Noto.' Val. Flaccus libro IV. 'placidi tendebant carbasa venti.' Virgil. Æn. III. 'tendunt vela Noti:' et libro v. 'vela secundi Intendunt Zephyri.' *Heins.*

420 *Dant oscula*] *Dantque* ex scriptis. *Idem.*

424 *Prensantem tumulos*] *Titulos* pro diversa lectione Neapol. Vide notas lib. XI. 430. *Idem.*

429 *Contraria*] Ex adverso atque e regione posita. *R.*

430 *Bistoniis viris*] Thracibus. Nam Bistonia urbs est Thraciæ a Bistone Martis et Callirrhoës filio cognominata. Thracia autem Hellesponto a Phrygia separatur. *Polymnestoris illic*] Polymnestor rex fuit Thraciæ, avaritia et Polydori cæde famosissimus. *R.* *Polymnestoris*] *Polymestoris* hic et infra vetustiores; recte. Πολυμήστωρ est etiam apud Euripidem initio Hecubæ, secunda syllaba correpta; atque ita scribe apud Propertium libro III. Eleg. 13. 'accepto Thracis Polymestoris auro:' nam libri veteres *Polynestoris;* Tzetzæ quoque in Chiliadibus ter quaterve Πολυμήστωρ, ut et in Excerptis Rhetorum ab Allatio editis, et Servio Æn. I. vs. 666. III. 6. et 49. Sic *Clytemestra* apud Ausonium pro *Clytemnestra*, in Epitaphiis heroum, 'Vindicem adulterii cum Clytemestra necet:' ita enim diserte codex Vossianus veterrimus. Livius Andronicus in Ægistho apud Nonium voce *juxtim:* 'in sedes collocat se regias Clytemestra juxtim: tertias natæ occupant:' nisi Κλυταμνήστρη pro Κλυταιμνήστρη sit dictum. *Heins.*

432 *Clam, Polydore*] 'Hunc Polydorum quondam cum pondere magno Infelix Priamus,' &c. Æneid. III. ὑπεξέπεμψε Τρωικῆς χθονὸς, Πολυμνήστορος πρὸς δῶμα, &c. de Polydori umbra Hecuba Euripidis prolog. vide et Ausonii epitaphium Polydori. *Farn.*

436 *Demisit alumni*] In aliis, *dimisit:* sed malo cum vetustiorum plerisque *defigit.* Heins. *Sui alumni*] Polydori, quem a patre alendum nutriendumque susceperat.

438 *Exanimem scopulo*] *E scopulo* cum melioribus. *Heins.* *E scopulo*] Telis confixum et terra obrutum narrat Virgil. Æneid. III. Sed noster Euripidem sequitur apud quem in Hecuba queritur Polydori umbra, Κτείνει με χρυσοῦ τὸν ταλαίπωρον χάριν Ξένος πατρῷος, καὶ κτανὼν ἐς οἶδμ' ἁλὸς Μεθῆχ', ἵνα, &c. *Farn.*

440 *Dum ventus mitior esset*] Ex melioribus *amicior.* Trist. lib. I. 4. 'Si tamen hæc navis vento ferretur amico.' *Dum ventus mitior*] Non ausim rejicere, quod in Palatino legitur, *dum ventus amicior esset:* secundus magis, aut favens. *Heins.*

442 *Exit*] Vide Euripidis et Senecæ Troadas vs. 359. et 958. vs. et Q. Smyrnæum lib. XIV. vs. 212. *Farn.* *Similisque minanti*] *Minaci* unus Leid. et Zulich. *Heins.*

452 *Ad tumulum*] Ad sepulchrum Achillis, quod in Sigeo promontorio erat.

456 *Utque suo vidit*] Meliores *Inque suo.* Heins.

457 *Utere generoso sanguine*] 'Verum decoris regii virgo memor Gradu virili mortis occurrit minis. Mirantur omnes nobiles patris notas.' Quod sic reddimus ex Eurip. fab. I. Τίς δ' ἔστι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν; Cic. ad Attic. Sed male Smyrn. generosam hanc Virginem cum juvenca mugiente comparat; νόστων lib. XIV.

458 *Aut tu jugulo vel pectore telum*] *At tu jugulo* rectius tres scripti cum uno Moreti. *Heins.*

460 *Scilicet haud ulli servire Polyxena vellem*] *Servire ferrem* pro paterer, Urbin. prim. Reg. uterque Hamburg. Arondel. prim. Palat. prim. Vatican. Cantabrig. tert. Medic. aliique plurimi; bene. Præterea *aut ferrem, aut placabitis* scribendum cum multis, non *haud ferrem servire;* ut Val. Flacco lib. II. 'Scis simile ut flammis simus genus: adde, cruentis Quod patimur servire Dahis:' ita scribe: perperam *patrium sævire* circumfertur, cum *patrium servire* libri scripti agnoscant. Paulo ante apud eundem repone, 'Attamen hos aliis forsan solabere casus Tu thalamis;' cum *hos tales* insulse legatur. Ibidem scribendum, 'Non forma, non arte colus, non laude pudoris Par tibi:' nam *fama* idem est quod *laus pudoris.* Cæterum quod *patrium* pro *patimur* irrepserat literis transpositis, idem error non semel alibi mihi deprehensus apud eundem Valerium; ut libro IV. 'Tenditur ille ingens in humum pavor, arvaque late Occupat.' Frigide hactenus legebatur *hominum pavor. Tenditur* pro extenditur: sic nostro Met. IV. 'serpens in longam tenditur alvum.' Apud eundem Valerium lib. V. 463. locus est insignis, sed pessime habitus vulgo, 'Post alii, quos præcipuo Titanius aulæ Legit honore patres, motique ad prælia reges:' vel *Titanias aula;* nunc *Titania tellus.* Sed finis exemplorum non esset. Hæc interim in transcursu. *Idem.*

463 *Mater obest*] Dolor quo mater afficitur morte mea, animum meum cruciat.

465 *Vos modo*] Ἑκοῦσα θνήσκω, μή τις ἅψηται χροὸς Τοὐμοῦ...'Ελευθέραν δέ μ', ὡς ἐλευθέρα θάνω, Πρὸς θεῶν μεθέντες, κτείνατ'. Talthyb. in Euripidis Hecuba. *Farn.*

466 *Este procul*] *Ite* S. Marci, Neap. Bernegger. et sex alii. *Heins.*

470 *Verba movent*] *Vota* tres nostri: idque in suo codice ex antiquis libris notarat Politianus. *Idem.*

471 *Nunc captiva*] *Non captiva* longe elegantius cum Neapol. Urbin. Cantabrig. prim. Palat. prim. Gronov. Arondel. et sex aliis. *Nec captiva* fragment. Boxhornii. Moveant vos preces meæ, non tanquam a captiva, sed a regis filia, profectæ. *Idem.*

479 *Tunc quoque cura fuit*] Quam curam Julio quoque Cæsari fuisse narrat Tranquillus, ut togam ad pedes demitteret, quo a conjuratoribus vulneratus honestius caderet. *R.* Ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ', ὅμως Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν. Eurip. de eadem. Hanc vero morientium curam, ut honeste caderent, in multis observant historici, poëtæ, alii. *Farn.*

482 *Quid cruoris*] Nam Priamidæ omnes fuerant interfecti.

485 *Mala sors*] Ipsa in Senecæ Troad. 'Mea sors timetur: sola sum Danais metus,' vs. 62. et vs. 977. 'Estne aliquis Hecubam qui suam dici velit?' Helen. 'Ithaco obtigisti præda nolenti brevis.' *Farn.*

487 *Ediderat*] Scribe *Edideras;* aliter libri. *Heins.*

488 *Animæ*] Polyxenæ, εὐκαρδίου, ψυχήν τ' ἀρίστης. Euripid. *Farn.*

491 *Osculaque ore tegit*] *Legit* sec. Palat. Oxon. quart. Medic. et quinque alii, cum Naugerii codicibus; *egit,* duo: an *legere oscula?* ut apud Virgil. 'extremo, si quis super halitus errat Ore legam.' Et 'legere ore spiritum' Senecæ Hercule Œtæo. Posset et *terit* rescribi: sed vulgatum defendi potest, tanquam os opponat animæ fugienti. Sic lib. XII. 'oraque ad ora Admovet; atque animæ fugienti obsistere tentat.' *Ore petit* Thuan. non male: duo alii *dedit:* unus Regius *regit.* Heins.

494 *Ultime matris*] *Matri* Ambros. et unus Patavinus. *Idem.*

495 *Videoque meum tua vulnera pectus*] *Tuum mea vulnera vulnus* Bernegger. Polit. et octo alii; quod placet: quidam *meum tua vulnera vulnus;* alii *tuum mea vulnera pectus,* vel, *meum tua*

pectora vulnus: sed quia mox sequitur, *Tu quoque vulnus habes*, puto scribendum hoc loco, *videoque tuum mea funera funus.* Idem.

496 *Et ne*] *En ne* Bernegg. et placet. *Idem.*

501 *Cecidit*] Hoc moriens Hector male ominatus est Achilli, Iliad. XXII. Ὅτε κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων Ἐσθλὸν ἐόντ' ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν· quæ ad vs. 599. lib. XII.

503 *Cinis*] Habet hoc Montanus vitium, inquit Seneca, controversia 28. sententias suas repetendo corrumpit, &c. solebat itaque Scaurus eum 'inter oratores Ovidium' vocare. Nam et Ovidius nescit, quod bene cessit, relinquere. Cum Polyxena esset abducta, ut ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit; 'cinis ipse sepulchri In genus hoc pugnat.' Poterat hoc contentus esse: adjecit, 'tumulo quoque sensimus hostem.' Nec hoc contentus, adjecit, 'Æacidæ fœcunda fui.' Ovidium asserit H. Stephanus lib. de Criticis, et Jo. Passeratius præfat. In armorum judicium. *Farn.*

504 *Tumulo quoque sensimus hostem*] Urbin. *tumulum:* et multi mox *cinis ipse sepultus,* pro *sepulti.* Sic infra, 'Inferiæque cadunt cineri cognata sepulto Corpora.' Sed aliter Seneca hæc producit. *Heins.*

505 *Æacidæ fœcunda fui*] Ad Achillis voluptatem multos peperi filios.

507 *Sed finita tamen*] *Nec finita* Calandræ excerpta, Constantii Fanensis codices, et ex nostris unus Leidensis. Malo tamen cum pr. Reg. et uno Medic. *Si finita tamen;* ut Met. x. 'Si tamen hoc scelus est.' *Heins.* *Soli mihi*] 'Diruta sunt aliis: uni mihi Pergama restant:' Penelop. ego sc. omnibus omnium miseriis misera superstes vivo. *Farn.*

509 *Tot generis natisque potens*] Hecuba Priamo septem filias et duodecim filios peperisse scribitur. Ex aliis namque mulieribus reliquos ad quinquaginta usque Priamus suscepit. *R.* *Tot generis*] Liberi Priamo quot fuerint et nomina eorum lege apud Hyginum c. 90. et Apollodorum lib. III. Εὔπαις πότ' οὖσα, νῦν δὲ γραῦς, ἄπαίς θ' ἅμα, Ἄπολις, ἔρημος, ἀθλιωτάτη βροτῶν. Hecuba apud Euripid. *Farn.*

516 *Quo ferrea resto*] Ad quem vitæ exitum dura ego ac in meipsam crudelis reservor. *Quo ferrea resto*] Sic Virgilii Evander: 'Felix morte tua, nec in hunc servata dolorem.'

517 *Annosa senectus*] *Damnosa* reponendum ex antiquis editionibus: sic in Trist. 'formæ damnosa senectus.' Pro *quid ferrea resto,* sec. Vatican. *quid ahenea.* Statius Theb. III. 'scopulos et ahena precando Flectere corda paro.' *Heins.*

518 *Quo Di crudeles nisi uti*] *Nisi quo* S. Marci, Neapol. Bernegger. Polit. multique alii. Multi etiam ex melioribus *Quid Di:* scribendum forte cum primo Vatican. priore Twisdenio, et duobus Medic. *Quid Di crudeles, nisi quo nova funera cernam?* Idem. *Quo Dii*] Κἀγὼ γὰρ οὐκ ἔθνησκον, οὐ μ' ἐχρῆν θανεῖν. Οὐδ' ὤλεσέν με Ζεύς, τρέφει δ' ὅπως ὁρῶ Κακῶν κάκ' ἄλλα μείζονα. Hecuba apud Eurip. *Farn.*

520 *Felicem*] 'Non est Priami miseranda mei mors, Iliades, Felix Priamus,' &c. Senec. Troad. 140. *Farn.* *Felicem Priamum post Pergama*] Legatur imprimis Juvenal. Sat. x.

526 *Peregrinæque*] Leveque munus, terræ tibi injectæ, procul a patria, in externa regione. *Farn.* *Haustus arenæ*] Sic de Palinuro Virgil. VI. 'aut tu mihi terram Injice.'

530 *Ismario regi*] Polymnestori Thraciæ regi. Nam Ismarus Thraciæ mons est. De hoc Polydoro Virgilius in tertio Æneidos scribit. *R.*

531 *Crudelia*] Alia est hæc ab Euripidis œconomia: ubi ancilla aquam petitum missa ad abluendum corpus Polyxenæ, corpus Polydori in littore

invenit, et pallio involutum ad dominam portat. *R.*

532 *Sparsos immiti sanguine vultus*] *Insonti sanguine* unus meus; alius *stillanti.* Pro *procedit* mox vetustiores plerique *processit:* et *laniata* pro *lacerata comas* pr. Basil. atque alii quatuor. *Heins.*

541 *Adversa figit terra*] *Adversæ terræ* S. Marci, unus Thuan. et unus meus. Mox pro *sustollit* Oxon. *intendit.* Idem. *Modo*] Interdum. *Adversa terra*] In Troade, ubi fuit Troja e regione Thraciæ sita. *R.* Vel *adversa terra,* quam ex adverso intuemur. Hoc enim et ἀντίθετον postulat quod sequitur, 'Interdum torvos extollit ad æthera vultus.' *Micyl.*

551 *Vadit ad*] Apud Euripidem, arcessitur ab Hecuba Polymnestor, prætexente thesauros esse illic absconditos, quos illi vellet indicare; itaque in tentorium introductus a mulieribus ad hanc rem ab Hecuba in insidiis ibi positis excæcatur, filiique, quos una adduxerat secum, cæsi. *Farn.*

554 *Odrysius*] Polymnestor Thracius: nam Odrysæ sunt populi Thraciæ, et Odrysa urbs eorum. *Prædæque assuetus amore*] *Amori* scribendum; vel, quod nihilo sit deterius, *allectus amore.* Heins.

560 *Atque ita correpto captivarum agmina matrum Invocat*] *Correptum* Bernegger. a manu prima, et pro diversa lectione pr. Gronov. *correpta* Neapol. Arondel. et tert. Medic. Pro *agmina* pr. sec. Vatican. et septem alii *agmine. Involat* pr. Vatican. Calandr. Thuan. et alii sex. Scribe cum primo Moreti, *Atque ita correptum captivarum agmine matrum Involat.* Sic 'irruere' supra lib. XII. cum quarto casu habuimus. Lucanus lib. VI. 'quos Cæsaris involet artus.' *Correptum:* ut in Phædra, 'Atque ita correptum lacerat injusta nece.' *Idem.*

562 *Expellitque genis oculos*] Ita et Florent. S. Marci. *Expilatque* prim. sec. Palat. prim. Vatican. Oxon. Cantabrig. tert. quart. Medic. uterque Erfurt. uterque Hamburg. prim. Moret. aliique plurimi. *Extraxitque* prim. Gronov. prim. Thuan. et decem alii. *Exspoliatque* quatuor cum Bernegger. unus Reg. *Expilatque genas oculis.* Scribe, *Exspoliatque genas oculis:* quomodo Excerpta Jureti, et pro diversa lectione Arondelianus. Supra lib. XII. 'armis spoliare jacentem.' 'Exspoliare' veteres dixisse liquet ex Quadrigario, qui 'agrum Campanum exspoliabatur' dixit. Vide Nonium in *Spolio.* Idem. *Facit ira valentem*] *Nocentem* plurimi veteres; at tert. Medic. et multi alii *potentem;* recte. Adeantur Notæ Amor. II. 2. *Idem.*

564 *Loca luminis*] Œdipus apud Sophoclem, ut et apud Senecam, vs. 965. 'suos Radice ab ima funditus vulsos simul Evolvit orbes: hæret in vacuo manus, Et fixa penitus unguibus lacerat cavos Alte recessus luminum et inanes sinus.'

568 *Morsibus*] 'Hecubam autem putant propter animi rabiem et acerbitatem quandam fingi in canem quondam esse conversam.' Cic. Tuscul. quæst. 3. Juvenal. Sat. X. 'torva canino Latravit rictu.' Senec. Agam. vs. 706. D. Cretens. ἐκ βροτοῦ ἀλγενόεσσα κύων γένετο. Smyrn. νόστων.

569 *Et ex re Nomen habet*] Nam κυνὸς σῆμα appellatur, id est, canis sepulchrum. Est autem in Chersoneso Thracia juxta Abydum, ut Strabo refert.

571 *Per Sithonios agros*] Thracios: nam Sithonia pars est Thraciæ.

FAB. III. Arg. *Non vacat Auroræ*] Memnon, Tithoni atque Auroræ filius, cum in bello Trojano ab Achille fuisset interfectus, mater Jovem rogavit, ut aliquo eum afficeret honore. Juppiter autem favillas rogi ipsius congregatas, ejusque socios, in aves commutavit, quæ, *Memnonides* a Memnone vocatæ, singulis quibusque an-

nis ad sepulchrum illius acriter inter se pugnantes duci suo parentare videntur.

576 *Quanquam iisdem faverat armis*] Propter Tithonum maritum, qui Laomedontis fuerat filius, ac Priami frater. *R.*

579 *Memnonis*] Quem suum ex Tithono filium, Æthiopum regem, vel etiam domitorem, (namque e Susis Persarum advenisse eum scribit Pausanias in Phocicis,) ad bellum Trojanum misit Aurora. Multa de illo Qu. Smyrnæus l. II. Lege Cl. Baconi *Memnona* sive *Præmaturum* in Sap. Vet. *Farn.*

589 *Diva tamen veni, non ut delubra diesque*] *Venio* meliores. Pro *diesque* pr. Moret. *decusque:* pr. Erfurt. pr. Gronov. tert. Medic. et quatuor alii *bovesque.* Forte *popasque sacrificos:* quæ vox etiam Avieno Fab. XXXVI. reddatur, ‘ Mox vitulum sacris innexum respicit aris, Admoto et cultro cominus ire popam :’ qui locus vulgo est inquinatissimus etiam in scriptis, quotquot vidi, codicibus. Propertius IV. Eleg. 3. ‘ Succinctique calent ad nova sacra popæ.’ *Deisque sacrificis* Florent. S. Marci. *Heins.*

591 *Aspicias*] Consideres. *Quantum tibi fœmina præstem*] Quantum tibi prosim, quamvis fœmina sim.

592 *Noctis confinia servo*] Hoc est, custodio ne nox suos fines transeat. Nisi enim Aurora vigilans esset, nox semper videretur duratura.

597 *Occidit*] Ἀχιλλεὺς χαμαὶ καββὰς ἀφ᾽ ἁρμάτων Φαεννᾶς υἱὸν ἐνάριξεν Ἀοῦς, &c. Pindarus Od. Nem. VI. *Farn.* *Sic Di voluistis*] *Sic vos* S. Marci, Neap. sec. Palat. Oxon. et decem alii ex melioribus. *Heins.*

605 *Densatur*] *Densetur* S. Marci, Neapol. pr. Palat. et tres alii; bene: de eo verbo ad Claudianum. Mox pro *animum* rectius *animam* multi veteres : et *calorem* pro *colorem* sec. Palat. Oxon. et quinque alii. *Idem.*

606 *Levitas sua præbuit alas*] Id est, propria favillæ levitas alas efficit. *R.* *Animam*] Propter motum celerem quidam philosophi animam igneæ esse naturæ dixerunt. *Farn.*

611 *Ter plangor*] *Clangor* prim. Moret. sec. Palat. quart. Medic. Oxon. et alii quindecim; rectius. Pro *seducunt castra* prim. Palat. prim. Vatican. Cantabrig. prim. Basil. et septem alii, cum Arondel. *succedunt astra ;* etiam bene. Pari modo ‘ subire tectis ’ et ‘ subire tecta ’ dicebant. Sic apud Val. Flaccum lib. II. scribendum, ‘ Non similes jam ferre choros (semel Orgia fallunt) Audet, non patrios furtim succedere saltus :’ perperam *furtis accedere* nunc circumfertur, nec melius Carrionis liber *bustis accendere :* postea dicturus est, ‘ vox accidit aures Flebile succedens.’ Virgilius Æn. III. 541. ‘ Sed tamen idem olim currum succedere sueti Quadrupedes :’ sic vetustus codex Bibliothecæ Leidensis. Apud eundem lib. VII. 161. cum *muroque subibant* nunc legatur, exemplaria non pauca vetusta *muros* agnoscunt. Silius lib. X. ‘ properemus, ut hostis Nequicquam armatos ausit succedere muros.’ Tres cum primo Reg. *secernunt castra.* Heins.

612 *Tunc duo*] Ad sepulchrum Memnonis in Ilio ex Æthiopia quotannis, (ut alii, quinto quoque anno,) advolare aves Memnonidas et parentalia quasi celebrantes depugnare, scribit Plinius lib. X. 26. Pausanias in Phocicis, alii. Sed adi Cœl. Rhodigin. lib. XXII. 2. Qu. Smyrnæus tradit Memnonis socios in aves hasce versos lib. II. *Farn.*

619 *Parentali moriturœ morte rebellant*] *Perituræ* tres scripti. *More* in plurimis. Sed scribe *parentali Marte :* alludit ad gladiatores in funeribus patriciis exhiberi solitos. *Heins.*

620 *Dymantida*] Hecubam, Dymantis filiam Homero, Cissei Regis Thraciæ Euripidi. *Farn.*

622 *Toto rorat in orbe*] Ros matuti-

nus, cujus guttas in herbis et floribus videmus, poëtica phantasia sunt lachrymæ Auroræ. Ideo autem toto orbe sparguntur, quoniam et ipsa Aurora amplitudine sua totum orbem, arcticum puta, complectitur. *Pont.*

FAB. IV. 623 *Non tamen*] *Nec* meliores. *Heins.*

624 *Spem quoque fata sinunt*] Hom. Iliad. Υ. vs. 307. Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει, Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται. *Nati natorum, &c.* Virgil. Homero, Homerum Orpheo, hunc versum abstulisse ait Servius Æn. III. Solebat autem Virgilius dicere, facilius Herculi posse clavam extorqueri, quam Homero versiculum. *Et sacra altera*] Neque enim minus pium est parentibus quam sacris auxilium ferre. *R. Fata*] Vaticinium Neptuni de redivivo Trojanæ stirpis, in Æneæ posteris, imperio, lege apud Hom. Iliad. XX. 306. et apud Qu. Smyrn. XIII. 324. præceptum et vaticinium Calchantis. *Sacra*] Ita et Fast. IV. ‘ Jam pius Æneas sacra, et sacra altera patrem, Adferet.’ Et eodem lib. ‘ pietas spectata per ignes, Sacra, patremque humeris altera sacra tulit.’ *Farn.*

625 *Cythereius heros*] Æneas, Veneris, quæ et Cytherea dicitur, filius.

626 *Prædam illam*] Sacra et patrem. *R. De tantisque*] Capto Ilio, Græci per præconem denunciabant, ut singuli ex civibus quod vellent unum aliquod secum auferrent. Æneas Deos penates sustulit. Græci pietate viri moti permiserunt, ut unum aliquid insuper ex suis tolleret: ille patrem senio confectum humeris sublatum portabat, &c. Ælian. Var. hist. lib. III. 22. *Eligit illam*] *Unam* Thuan. prim. Moret. Neapol. Gronov. prim. Basil. et duo alii. *Heins.*

628 *Antandro*] ‘ Classemque sub ipsa Antandro et Phrygiæ molimur montibus Idæ.’ Æneid. III. *Farn.*

Scelerataque littora] Vetustiores *limina*. Mox *sociis comitatibus* Oxon. et duo alii, non *comitantibus*. Heins.

631 *Apollineam urbem*] Delum Apollinis oraculo insignem. *R. Apollineam*] His lucem pete ex Æneid. III. ibi, ‘ egressi veneramur Apollinis urbem. Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,’ &c. *Farn.*

633 *Rite colebatur*] *Colebantur* cum sec. Vatic. et aliis quatuor. *Heins.*

634 *Delubraque mea*] *Vota* cum pr. Bonon. et quatuor aliis; de quo dictum lib. VII. 152. ‘ Ædem votivam’ dixit Horat. Od. II. 17. *Idem.*

635 *Duas stirpes*] Duas arbores, quas tenens amplectensque Latona Apollinem et Dianam enixa est. *R. Stirpes*] Palmam et olivam: vide quæ ad vs. 334. lib. VI. *Farn.*

637 *Cæsarumque boum*] *Cæsorumque* meliores. *Heins. Cæsarumque*] Non hoc ex ritu: namque in ara Apollinis γενήτορος, quæ Deli est, hostia nulla cæditur. Macrob. Saturnal. III.

638 *Positisque tapetibus altis*] *Positique* cum Barberin. et uno meo: ut Epist. Herus, ‘ Ponuntur medio cur mea membra toro?’ *Heins.*

642 *Bisque duas natas*] Anius quatuor habuit filias, quibus Bacchus concessit, ut quicquid tangerent, in frumentum, vel vinum, vel oleum, commutaretur. Eas cum Agamemnon vi ducere vellet in expeditionem Trojanam, ut exercitum alerent, Bacchi auxilio in columbas fuisse conversas fabulantur. *R.*

647 *Quod enim est mihi filius absens Auxilium*] *Quid enim* nonnulli. Lege cum Oxoniens. *quid enim Auxilii.* Heins.

648 *Dicta suo*] Quam tamen alii ab Eurimacho ita nominatam volunt. *Farn.*

649 *Pro patre locumque et regna tenentem*] Numeri satis evincunt nihil hic Nasonianum esse. Scribe, *locos et regna tenentem:* ut apud Val. Flac-

cum libro v. 'Victorque domos et regna tenebit.' Exaratum erat *loquos;* hinc natus est error: ejus scripturæ vestigia in membranis nonnullis etiamnum exstant. Posset et legi, *loci jam regna tenentem,* vel *sceptra:* ut libro VII. supra, 'Sceptra loci rerumque capit moderamen Erechtheus:' nam *locum quo regna* prim. Gronov. *locumque in regna* alius: *locum et regna* duo frag. Boxhornii, *qui parte locum qui regna tenetque;* vel, *pro parte locus me regna tenente:* multi *pro patre.* Florent. S. Marci, *quod patre locum quod regna teneret:* Bernegger. *locus quo regna tenente;* quomodo et Arondel. pro diversa lectione: tres *tenenti.* Heins.

651 *Fœmineæ stirpi*] *Sorti* prim. Basil. Arondel. et duo alii pro diversa lectione; bene. Libro VI. 'Quattuor ille quidem juvenes, totidemque crearat Fœmineæ sortis.' Libro IX. de fœminis, 'onerosior altera sors est, Et vires Natura negat.' *Idem.*

659 *Argolicam gentem*] *Classem* meliores. *Idem.*

660 *Eubœa duabus*] Eubœa insula est Bœotiæ adjacens, admodum longa. *R.*

661 *Et totidem natis*] Ita et scripti. Puto, *Natabusque Andros totidem fraterna petita est;* etsi aliter Priscianus; sed et ille *deabus* et *potita* mendose citat. *Heins.*

663 *Pietas*] Andri fratris in sorores. *Consortia corpora*] Sorores. *Consortia corpora pœnæ Dedidit, et timido posses*] *Pectora* ex melioribus. *Dedit et timido* Neapol. et duo alii. Scribe, *Dedit, et ut timido possis,* cum altero Erfurt. uno meo, et Græviano: *possis* etiam multi veteres. *Dedit,* a Dedo. *Heins.*

666 *Per quos*] 'Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ, Hectoris Æneæque manu victoria Graium Hæsit, et in decimum vestigia rettulit annum' Diomedes, Æneid. XI. *Farn.*

672 *Dicere possum*] *Possim* unus Vossii et Sixii. *Heins.*

674 *In volucres*] *Volucrem* cum sec. Pal. Oxon. quart. Medic. et tribus aliis. *Idem.*

FAB. V. 681 *Craterem Æneæ*] *Crateram* multi; quod arripere Gifanius in Indice Lucretiano non debuit. *Cratera* probe Neap. Urbin. et quinque alii. Ex Virgilii v. hæc et sequentia est mutuatus, 'Ipsius Anchisæ longævi hoc munus habeto, Cratera impressum signis: quem Thracius olim Anchisæ genitori in magno munere Cisseus Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.' Ut in Fast. v. 'Cratera Iliacis thuraque pone focis.' Idem Virgilius lib. IX. 'Cratera antiquum' dixit. *Heins.*

682 *Ab Aoniis oris*] *Hæmoniis* nonnulli: *Oniis* fragmen. Boxhorn. *Ooniis* tert. Medic. *Adoniis* quartus; *Ioniis* S. Marci, Neapol. Urbin. Bernegger. pr. Vatican. et tres alii: alii aliter. Pro *Ismenius* unus meus *Ymeneius: Imeneius* in Græviano: forte *Minyeius.* Mox pro *Myleus* scripti propemodum omnes *Nileus.* Puto *Nileos;* nempe filius. *Idem.* *Ismenius*] Thebanus, ab Ismeno Bœotiæ fluvio. *R.*

683 *Acon Myleus*] Non Mylei filius; sed a patria sic cognominatus: hic enim fuit argentarius faber. *R.*

684 *Myleus*] Siculus. Mylæ enim oppidum est Siciliæ: ad distinctionem ab illo Cretensi, cujus meminit Virgil. Ecl. v.

685 *Urbs*] Thebæ, urbs ἑπτάπυλος, *Farn.*

690 *Arbor*] *Arbos* Thuan. et multi alii. Mox, pro *lambunt saxa,* S. Marci, Neapol. Thuan. Bernegger. Oxon. prim. Gronov. sec. Palat. tert. Medic. aliique complures, *rodunt.* Sic in Fastis, 'Rode caper vitem.' *Heins.*

692 *Natas ab Orione*] Tolle τὸ *ab* cum uno Gronovii: multi *ab origine.* Postea *dimisso telo,* non *demisso,* nonnulli. *Idem.* *Natas*] Ὀρίωνος τοῦ Ὑριέως ἐν Βοιωτίᾳ θυγατέρες, &c. Orioni

Hyriei f. in Bœotia duæ erant filiæ, Metiocha et Menippa. Cum grassaretur per Aoniam pestis, responsumque esset ex oraculo, placatum iri Deorum iram si duæ virgines immolarentur, cæteris recusantibus, hæ pro salute patriæ se devoverunt, &c. Ant. Liberalis 25. fab. ex Nicandro et Corinna. *Farn.*

693 *Non fœmineum*] Timidum, sed virile et audax. *R.*

699 *Nominat*] Malim *Nominet.* Heins.

Fab. vi. vii. 700 *Signis fulgentibus ære*] *Exstantibus* duo Basil. et unus Moreti: ut l. xi. ‘ Forte fuit juxta signis exstantibus asper Antiquus crater.’ *Heins.* *Acantho*] Acanthus frutex est spinosus semper florens. Virg. ‘ Et baccas semper florentis acanthi.’

701 *Summus*] In summitate. *R.* *Acantho*] De Acantho multa hic Herc. Ciofanus, quam Smilacem asperam esse probat.

703 *Sacerdoti*] Anio, qua sacerdoti, acerram; qua regi, pateram, et ‘ duplicem gemmis auroque coronam.’ Æneid. i. vs. 659. *Farn.*

705 *Inde recordati Teucros*] Apollinis oraculum non percipientes Trojani, in Cretam navigarunt. Primam enim originem se putabant ducere a Teucro Scamandri Cretensis filio, qui in Phrygiam profectus, arcem Trojanam ædificavit. Sed ante eum Dardanus ea loca jam cœperat habitare. *R.*

706 *Cretam tenuere*] *Creten* unus Bonon. unus Voss. *Cretem.* Heins.

707 *Ferre diu nequiere luem*] Ita Florent. S. Marci. In reliquis omnibus *Jovem.* Jovem pro aëre passim a poëtis dici quis nescit? hic autem argute Noster, cum Creta sit natale solum Jovis. Apud Virgil. lib. iii. Æneas de adventu suo in Cretam, [non in Cretam, sed in Strophadas: Æn. iii. 222.] ‘ Irruimus ferro, et divos ipsumque vocamus In prædam partemque Jovem.’ Silius l. ii. de Mopso Cretensi, qui procul a patria occidebatur, ‘ Desertum per vota Jovem non grata vocabat.’ Nihil illic Dausqueius vidit. *Idem.*

708 *Optant contingere portus*] Sex *aptant: properant* puto. *Idem.*

709 *Strophadumque receptos*] Strophades insulæ sunt in mari Ionio duæ juxta Zacynthum, ἀπὸ τῆς στροφῆς, hoc est, a conversione, Zetæ et Calais dictæ: nam illuc usque Harpyias persecuti retro rediere. *R.*

710 *Aëllo*] Harpyiarum una, quæ Virgilio Celæno. Æneid. iii.

711 *Et jam*] ‘ Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis,’ &c. ibid. *Farn.* *Et jam Dulichios portus*] Dulichium, et Ithaca, Samus insulæ sunt in Ionio mari, quibus imperavit Ulysses. Sciendum autem Samos, a priscis Græcis, editiora et altiora loca arcibus struendis apta consuesse vocari, ut Strabo inquit. *Ithacamque Samumque*] *Samonque* veteres plerique; sed *Samenque* verius est: dixi Remed. Amor. vs. 268. *Ithacanque* unus Medic.

712 *Neritiasque domos*] Neritus et mons est in Ithaca insula, et urbs, unde *Neritius* possessivum.

713 *Prætereunt vecti*] *Præter erant vecti* meliores magna ex parte: at Mediceus chartaceus, *Propter erant vecti.* Heins. *Certatam lite Deorum Ambraciam*] Ambracia urbs est Epiri ab Ambracia Thesproti filio dicta; vel ab Ambracia Ægei filia. Ab *Ambracia* vero sinus dicitur *Ambracius*, angustis admodum faucibus spatiosum æquor accipiens. *Certatam*] De qua Dii certarunt. *R.*

714 *Ambraciam*] *Ambracian* pr. Vatic. *Heins.*

715 *Actiaco*] Actium promontorium Epiri est, ubi cultus Apollo, qui in navali prælio, quo devicit Augustus Antonium et Cleopatram, auxilium Augusto tulisse credebatur. *Farn.* *Ab Apolline*] Ob Apollinis Actiaci templum. Illuc enim ad quinquennales ludos multi populi confluebant.

716 *Terram Dodonida*] Dodone urbs est Epiri, unde *Juppiter Dodonæus*. R. *Vocalemque*] Reddentesque responsa e quercu columbas duas in sylva prope Dodona urbem Epiri. Hom. Odyss. XIV. et XIX. Herodot. in Euterpe. Æschylus in Prometheo vincto. Pausan. in Phocicis. Strabo lib. VII. Natal. Comes lib. VI. 12. Jacob. Boissardus de Divinatione, in Jove Dodonæo.

717 *Ubi nati*] Fab. obscurior. *Farn. Chaoniosque sinus*] Chaones populi sunt Epiri. *Ubi nati rege Molosso*] Significat Poëta Molossi filios in aves fuisse conversos. *R.*

718 *Impia subjectis fugere incendia pennis*] *Inita* S. Marci et tert. Bonon. Lege *Irrita:* ut lib. XIV. ' Irrita sacrilega jactas incendia dextra.' Malo etiam *subvectis pennis;* quanquam aliter libri. *Heins.*

FAB. VIII. 719 *Phæacum*] Populi insulæ Corcyræ, hoc est, *Corfu;* biferis Alcinoi pomariis nobilitatæ. Od. H.

720 *Vati*] Heleno, Priami fil. cui, post Pyrrhum ab Oreste cæsum, cesserat uxor ejus Andromache cum regno Epiri. *Farn. Epiros ab his*] Post hæc: nam in Italiam navigantibus a Corcyra occurrit. *Epirus*] Regio in qua est Buthrotus, olim Romanorum colonia. *Tenetur*] *Tenentur* unus Medic. *Heins.*

721 *Buthrotos*] Buthrotos autem est urbs haud longe a Corcyra distans, a primo habitatore sic dicta. *R. Simulataqúe*] ' Parvam Trojam, simulataque magnis Pergama,' &c. Æneid. III. *Farn.*

724 *Tribus hæc excurrit in æquora linguis*] *Pennis* S. Marci, Neapol. et tert. Bonon. prim. Bonon. *pinnis*, male. Lucan. de Brundusio libro II. ' Hic latus angustum jam se cogentis in arctum Hesperiæ tenuem producit in æquora linguam.' Lege *trinis excurrit in æquora linguis: τὸ hæc* inepti glossatoris est figmentum. Fast. IV. de Sicilia, ' Lustrarat terræ cornua trina suæ:' ita et ibi scribendum, ut suo loco monebitur. Festus Avienus Orbis descriptione de Sicilia, ' Hæc autem trinis laterum procursibus adstat, Ternaque cæruleis longe juga porrigit undis.' *Heins. Tribus*] Promontoriis tribus: unde insulæ nomen Trinacria. *Linguis*] Messana urbe in ora Peloritana, prius Zancle dicta ab incurvo sinu. Ζάγκλιον γὰρ τὸ σκολιόν· ὅθεν καὶ Ζάγκλον τὸ δρέπανον. Eustat. ad Odyss. XII. ' Quique locus curvæ nomina falcis habet.' Ovid. Fast. IV. *Farn. Tribus linguis*] Tribus promontoriis, quorum Pachynus Græciam. Lilybæum Africam, Pelorus Italiam spectat.

725 *Est versa Pachynos ad Austros*] *Obversa* repone ex duobus Thuan. et aliis quinque. Quod verbum Nasoni familiare: ut Fast. V. ' Pelion Hæmoniæ mons est obversus in Austros:' *est versa* in nonnullis; Florent. S. Marci aliique septem *eversa*. Heinsius.

726 *Lilybæon*] Lilybæum autem et urbs est Siciliæ et promontorium, occidentem versus, unde flat Zephyrus, spectans. *Ad Arctos*] Ad septentrionem. *Ad Arctos spectat*] *Et Arctos* fragmen. Moreti. Puto *at Arctos;* atque ita prim. Erfurt. Pro *Boreamque* meliores *Boreanque. Arcton expertem* Oxon. et quinque alii; etiam bene. *Heins.*

727 *Pelorus*] Pelorus autem dictus est a *Peloro* classis Hannibalis gubernatore, ibi sepulto.

728 *Hanc subeunt Teucri*] *Hac* S. Marci, Neapol. prim. Erfurt. et quidam alii. *Huc* Benegger. Thuan. sec. Palat. Oxon. prim. Basil. aliique decem. *Hunc* septem: quatuor *Hic:* tres *Hæc*. Pro *et remis, remis* plerique: duo Mureti *remisque*. Paulo post pro *Zanclæa potitur arena*, liber S. Marci, *Zanclæam patitur arenam:* an *potitur arenam?* ut Fast. II. ' potiturque cupitam:' ita enim Nasonem

scripsisse contendit Priscianus. Met. XI. ut Spirensis codex, ‘ Et Methymnææ potiuntur littora Lesbi.’ *Heins.*

729 *Zanclæa arena*] Zancle urbs est Siciliæ. Strabo scribit eandem esse cum Messena, Zanclen vero antea vocatam, quod in curvo littore sita foret. Zanclia namque vocantur curva.

730 *Scylla latus*] Duæ fuerunt Scyllæ a Poëtis decantatæ: quarum altera Nisi filia in avem fuit commutata: altera Phorci filia in monstrum, quod in freto Siculo navigantibus insidiatur. *Charybdis*] Hæc vetula fuit furacissima, quæ cum Herculi boves furata esset, ab illo in fretum projecta in monstrum marinum fuit conversa, quod adhuc pristinam retinet rapiendi naturam: nam illac transeuntes naves ad se rapit, devoratque ac revomit. *R.* *Scylla*] ‘ Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis,’ &c. Æneid. III.

731 *Infestant*] *Infestat* ex castigatioribus multi. Pro *raptas carinas* unus Basil. *sorptas.* Heins.

732 *Illa feris*] Vide Met. XV. vs. 60. *Farn.*

738 *Cui dum*] Plerique vetustiores, excepto Florentino S. Marci, *Quam dum:* et mox *repetens suspiria*, non *referens.* Heins. *Quam dum pectendos*] Galatea Nerei et Doridis fuit filia, quæ amore Acidis capta Polyphemum Cyclopem se amantem fugiebat. Sed cum Cyclops eam in gremio Acidis residentem deprehendisset, ira correptus ingens saxum in illos conjecit, quo Acis obtritus, (nam Galatea aufugerat,) in fluvium sui nominis fuit conversus. *R.*

741 *Potes his impune negare*] *Negari* in nonnullis. *Heins.*

743 *Turba*] Quinquaginta Nereidas numerat Hesiodus in Theogonia. *Farn.*

744 *Non nisi per luctus*] Scribe *fluctus:* atque ita pro diversa lectione pr. Basil. *Heins.*

747 *Deam*] Galateam.

748 *Neve tui causam*] Florent. S. Marci, et tert. Bononiensis, *Neve tuæ causam tege, si sum fida, sorori.* Heins.

749 *Nereis*] Galatea Nerei filia. *R.* *Crateide natam*] Homerus simpliciter *Cratæin* vocat Odyss. M. Stesichorus autem *Lamiam* vocat. *Micyl.* *Cratæide*] Scyllam, Phorci et Cratæidis, quæ et Hecate dicta, filiam: ἣν τέκε Φόρκυς, Νυκτιπολός θ' Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κράταιϊν. Apollon. lib. IV. Cratæis autem fl. est Calabriæ. *Crateide natam est*] *Gratheide* vetustiores. Lege *Cratæide.* Virgilius in Ciri de Scylla, ‘ sive Cratæis, Sive illam monstro genuit Persæa biformi.’ Homerus quoque Odyss. M. Κράταιϊν Μητέρα τῆς Σκύλλης dixit. Alii Hecaten ejus matrem volunt; quam cum Cratæide confundit Apollonius lib. IV. Argon. de Scylla, ἣν τέκε Φόρκυς, Νυκτίπολος θ' Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κράταιϊν. Hesychio, Κράταιϊς· κύριον ὄνομα τῆς μητρὸς τῆς Σκύλλης. Plinio lib. III. 5. ‘ Cratæis fluvius, mater (ut dixere) Scyllæ:’ quæ pene totidem verbis apud Solinum et Martianum Capellam habes; nisi quod apud hunc *pater Scyllæ* mendose legitur; apud illum male *Crateis.* Apud Hyginum Fab. 199. mendose etiam *Scylla Cratetis filia* dicitur, pro *Cratæidis.* Male etiam apud Servium ad Eclog. VI. ‘ Cretheidos filia;’ et Æn. III. 420. ‘ Creticis filia:’ alii alia de matre Scyllæ prodiderunt. *Heins.*

750 *Nymphaque Simethide*] Scribe *Symæthide:* ita apud Virgilium in longe vetustissimo codice lib. IX. *Symæthia circum Flumina* scribebatur: neque aliter legendum Fast. IV. ‘ Quaque Symætheas accipit æquor aquas:’ et hoc libro infra, ‘ Symæthius heros.’ Σύμαιθος Græcis est. Ita Thucydides, Scalax, Strabo, Athenæus, alii: apud quosdam tamen Σύμηθος. Mox *nulla cum fine* S. Marci, pro *nullo.* Heins. *Symæthide*] Filia Symæthi fl. Siciliæ, prope Catanam. Cluverii Sicilia l. I. 10. *Farn.*

753 *Et octonis*] Sedecim annos natum Acim fuisse significat.

757 *Fuerit præstantior*] *Præsentior* Neapol. bene. Florent. S. Marci, *præsentius;* proxime verum. Libro v. 'tanta est præsentia veri.' Epist. Paridis, 'O Deus, o præsens geminorum gloria fratrum.' *Heins.*

758 *Par utrumque*] *Utrimque* prim. Bonon. et unus meus. *Idem. Par sed utrumque fuit*] Æquale utrumque fuit, et odium quo Cyclopem, et amor quo Acidem prosequebatur Scylla. *Micyl.*

759 *Ille immitis*] Ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος, Κύπριος ἐκ μεγάλας. Theocr. Cyclops, vs. 15.

760 *Visus*] 'Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.' Æneid. III. Ἀνθρωποφάγος, Odyss. IX. *Farn.*

767 *In aqua*] *In aquam* vetustiores plerique. *Heins.*

770 *Telemus*] Ἔσκε τις ἐνθάδε μάντις ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε, Τήλεμος Εὐρυμίδης, ὃς μαντοσύνῃ ἐκέκαστο, Καὶ μαντευόμενος κατεγήρα Κυκλώπεσσιν. Hom. Od. IX. 508. *Farn. Telemus*] Eurymi filius inter Cyclopas vates fuit egregius, qui Polyphemo prædixit omnia quæcunque ab Ulysse passus est. *Telemus*] Quod sic reddimus ex Odyss. IX. 'Luminis effossi tenebras prædixerat illi Telemus, a Graio damna futura viro.' *Siculum in æquor*] *Siculam ad Ætnam* decem: *Siculam ad Ætnen* S. Marci. *Heins.*

771 *Telemus Eurymedes*] *Eurymides.* Homero, Τήλεμος Εὐρυμίδης, atque ita in Ibide Noster; ubi pari modo peccabatur. Hygino Fab. 125. et 128. 'Telemus Eurymi filius.' *Idem.*

772 *Lumenque*] Αἶ, αἶ· παλαιὸς χρησμὸς ἐκπεραίνεται. Τυφλὴν γὰρ ὄψιν ἐκ σέθεν σχήσειν μ' ἔφη, Τροίας ἀφορμηθέντος. Cyclops Euripidis. *Farn.*

780 *Mediusque resedit*] *Mediosque per æstus* Florent. S. Marci, non male: *medioque resedit* Bernegger. quart. Medic. Arondel. et multi alii. At Virgil. Georg. IV. 'Consedit scopulo medius.' *Hunc ascendit* pro *Huc* Neapol. Urbin. et alii decem. *Mediusque resedit*] In medio. Quod enim loci est, ad hominem est relatum. *R. Resedit*] Καθεζόμενος δ' ἐπὶ πέτρας Ὑψηλᾶς, ἐς πόντον ὁρῶν, ἄειδε τοσαῦτα. Theocr. Cycl. vs. 17. *Farn.*

783 *Antennis*] 'Trunca manum pinus regit, et vestigia firmat.' Æn. III. 'Polyphemus ducentos Cyclops longus pedes, et porro huic manu bacillum, quam malus navis in corbita maximus ulla.' Lucilius. et Io. Boccacius l. IV. Geneal. refert inventum in Siculo antro cadaver, Polyphemi ut credebatur, cujus læva contum tenebat cujusvis navis malo majorem, &c. *Farn.*

787 *Auribus hausi*] Auribus inditum nomen a vocibus hauriendis. Unde Virgil. 'vocemque his auribus hausi.' Videatur Lactant. de opific. Dei. c. 8.

788 *Auditaque verba notavi*] *Mente notavi* Thuan. sec. Palat. quart. Medic. Oxon. pri. Gronov. et complures alii. Fastor. v. 'silent aliæ, dictaque mente notant.' *Heins.*

789 *Nivei ligustri*] Candidi floris. Est autem ligustrum violæ genus candidissimæ. Videtur autem ad Galateæ nomen alludere, quod a candore lactis illi inditum fuisse innuit Hesiodus, qui ait Galateam candidas comas et faciem lacti similem habuisse. *R. Candidior*] Amatoria hæc cantilena est, et illæ Virgilii ecl. II. et VII. adumbratæ sunt ex Theocriti Cyclope: Ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ; Λευκοτέρα πακτᾶς. *Folio*] Flore ipso ligustri, cujus candor passim celebratur. vide I. Passeratium in Claudian. l. II. et Brodæi Advers. IV. 18. &c. *Farn.*

791 *Tenero*] Ἁπαλωτέρα δ' ἀρνὸς, Μόσχω γαυροτέρα. Theocr. II. Idyll. *Farn.*

793 *Æstiva gratior umbra*] *Aura* Arondel. et quinque alii: sed sequitur, 'volucrique fugacior aurâ.' *Heins.*

802 *Laudato*] 'Laudatas ostentat avis

Junonia pennas,' et spectata superbit. *Farn.*

804 *Surdior*] Quorum rauci fluctus ad litora aut scopulos allisi vocem audiri negant. Si Nili Catadupæ ab auribus incolarum amplitudinem fragoris excludunt, quid mirum? &c. Macrobius in somnium Scipionis II. 4. *Farn.*

805 *Si possem demere vellem*] *Vellem tibi demere possem* S. Marci, prim. Gronov. aliique deni; recte: quo alludunt non pauciores, in quibus *posse:* nonnulli, *vellem si demere possem.* Heins.

813 *Sunt auro*] Ἔντ' ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος. Theocr. Cyclops, vs. 46. *Farn.*

816 *Leges*] Colliges. *Autumnalia corna*] Autumni tempore maturescentia. Corna autem sunt baccæ rubicundæ, in medio nucleum durissimum habentes: unde Virgilius, 'Lapidosaque corna.'

820 *Arbutei fœtus*] Est arbutus humilis arbor poma ferens rubicunda.

821 *Hoc pecus*] Βοτὰ χίλια βόσκω. Cyclops Theocriti, vs. 34.

823 *Possem tibi dicere*] *Possim* ex melioribus. *Heins.*

826 *Ut vix circueant*] *Sustineant* quinque scripti, et nonnullæ editiones; quod placet: duo *contineant.* Posset tamen et *circuagant* legi, quo verbo Horatius est usus. *Idem.*

829 *Lac mihi*] 'Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.' Virg. Eclog. II. *Farn.*

830 *Durant*] Condensant in caseum.

831 *Deliciæ faciles*] Quæ facile haberi possunt.

832 *Capræque*] *Caperque* veteres plerique. *Heins.*

835 *Vix ut dignoscere possis*] *Possint* præcesserat: *ut vix* quinque. Forte *et vix dignoscere quos sit:* de quo Græcismo in scriptis Nasonianis pluribus alibi actum. *Idem.*

836 *Villosæ*] Καὶ σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων. Cyclops Theocr. vs. 41. *Farn.*

838 *Exere ponto*] *Exime* S. Marci. *Heins.*

840 *Certe ego me novi*] Se quoque formosum esse colligit Polyphemus. *R.* *Certe*] Καὶ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν, ὥς με λέγοντι. Ἦ γὰρ πρὰν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα. Theocr. Idyll. VI. vs. 34. *Farn.* *Liquidaque in imagine vidi*] *In margine* Neapol. Arondel. pri. Hamburg. et alii complures: unus Voss. *e margine.* Heins.

844 *Nescio quem regnare Jovem*] Impia et Cyclope digna vox. Hom. Odyss. IX. vs. 275. Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς Αἰγιόχου ἀλέγουσιν, Οὐδὲ θεῶν μακάρων.

847 *Turpis sine frondibus arbor*] *Arbos* meliores: *turpe sine* Genev. Puto, *turpe est sine frondibus arbos, Turpe et equus.* Notum illud ex Amoribus, 'Turpe senex miles, turpe senilis amor:' ita passim tersissimi scriptores. *Heins.*

850 *Hirtæ setæ*] Erectæ. *R.* *Barba*] Καὶ καλὰ μὲν τὰ γένεια, καλὰ δ' ἐμὶν ἁ μία κώρα. Theocr. Idyll. VI. 36.

851 *Unum*] Εἷς δ' ὀφθαλμὸς ἔπεστι. Idyll. XI. *Sed instar*] 'Ingens, quod torva solum sub fronte latebat, Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.' Æneid. III. *Farn.*

853 *Solis tamen unicus orbis*] *Soli* Neapol. Thuan. et multi alii: rectius. *Heins.*

854 *In vestro æquore*] Ubi vos vivitis, o Nereides. *R.* *Genitor*] Neptunus. Viros virtute præstantes Jovis filios poëtæ appellaverunt, ut Æacum, Minoa, Sarpedona: feroces vero et immanes, Neptuni filios dixerunt, ut Cyclopa, Cercyona, Scyrona, et Læstrigonas: hos mari genitos, illos cœlo. Agell. XV. 21. *Farn.*

857 *Quique*] Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε· Οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεὺς ἔστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός. Eurip. Cyclops, vs. 319.

858 *Nerei, te veneror*] Malim *Vereor* cum prim. et sec. Palat. Oxon. quart. Medic. utroque Erfurt. Arondel. et

multis aliis: hoc est, metuo. Sic Noster sæpe. Paulo ante *cœlos sperno*, pro *cœlum*, Cantabrigiensis. *Heins.*

863 *Quod nollem*] Unus meus *nolem*. Lege *nolim*. Idem.

866 *Si se tibi misceat*] Imo *sic se tibi misceat*, per parenthesin: quod cum Florentino S. Marci, pri. Vatican. Cantabrig. alii multi agnoscunt. *Idem.*

868 *Cum suis viribus*] Cum suis ignibus. Vires enim Ætnæ incendia sunt assidua. *Viribus Ætnam*] Ita et veteres: nisi quod unus Barberin. *ignibus*. Scribe *rupibus*. Lib. XIV. 'Desertum quondam mediis qui rupibus Ætnæ Nescit Achæmeniden.' *Heins.*

875 *Ultima sit faciam*] *Fatiam* prim. Palat. Bernegger. et prim. Strozzæ: at Florent. S. Marci *facta*. Scribe *faxo:* quod minantis est passim apud optimos quosque scriptores. Noster ipse lib. III. Met. 'Fallat eam faxo.' Lib. XII. 'Det mihi se faxo.' In Ibide, ut quidem ex vestigiis scriptorum codicum censeo esse reponendum, 'Hæc tibi natali faxo Janique Kalendis Non mentituro quilibet ore legat.' Plurima ex aliis auctoribus exempla sunt in promtu. Mox *Veneri concordia*, pro *Veneris*, sec. Palat. paulo ante: ut et infra, *Acin* pro *Acim* vetustiores; et paulo post *Ætne* pro *Ætna*. Idem.

879 *Symæthius*] Acis Symæthidis Nymphæ filius, vs. 751. supra. Est autem Symæthus, vel, ut aliis, Simethus, fluvius Siciliæ maximus, inter Pelorum et Pachynum se in mare exonerans, a Catana distans octo millia passuum, hodie accolis *La Iarreta* dictus. Cluverii Sicilia lib. I. *Farn.*

880 *Et fer opem, Galatea, precor*] *Galatea mihi* venuste Rottendorph. Mox *advertite regnis* pri. Ambros. pro *admittite:* dictum lib. IX. vs. 54. *Heins.*

886 *Vires avitas*] Vires Simæthi fluvii, ut in fluvium converteretur. *R.* *Avitas*] Rapidissimo agmine fertur Symæthus. Silius l. XIV. 'rapidique colunt vada flava Symæthi.' Avum imitatus nepos non leniore fluit agmine Acis, a sagitta nomen sortitus. Καὶ δ' Ἀκὶς ὀξυῤῥόος, καὶ ἐκεῖνος ποταμὸς τὴν ἐκ τῆς ὀϊστευτικῆς ἀκίδος κλῆσιν ἔχων. Eustathius in Iliad. XVI.

890 *Tum moles tacta dehiscit*] *Fracta* Thuan. prim. Vatican. prim. Moret. et quindecim alii: in Arondel. et tribus præterea *jacta:* utrumque bene. Sic 'jactis in altum molibus,' quod sæpe apud scriptores Romanos occurrit. 'Jactas silvas' lib. XII. dixit. In nonnullis *tracta, facta, tanta, tecta, cuncta, certa, acta.* Heins.

894 *Flexis nova cornua cannis*] *Flexa canna* Arondel. *nexis* unus Medic. alius *fexis: fletis* Cantabrig. Lege *plexis cannis:* sic 'plectere coronam.' *Idem.* *Cæruleus*] Niger. *R.* *Cornua*] Ripas. Vide quæ ad lib. IX. vs. 80. cur fluvii cornua habere dicantur. *Cannis*] Vide quæ ad lib. III. vs. 9.

896 *Acis erat, et sic quoque erat tamen Acis*] *Acis erat, quod sic quoque erat* S. Marci, et Thuan. *sic quicquid erat* Cantabrig. Oxon. prim. Moret. aliique multi: *sed quicquid erat* nonnulli: *sic et quoque erat* quart. Medic. et sex alii: *sed sic quoque erat* septem; quod sequor. Locus tamen de mendo suspectus. *Heins.*

897 *Antiquum*] Qui et hodie accolis vocatur *Aci* vel *Iaci*. Farn.

FAB. IX. Arg. *Desierat Galatea loqui*] Glaucus Polybi filius, piscator cum esset, forte pisces captos in prato exposuit, qui cum in mare resilivissent, ut causam hujus rei cognosceret, dentibus cœpit illas herbas mandere, in quibus jacuerant pisces. Sed statim mutata natura se in mare præcipitavit, quem Dii miserati in Deum marinum, sive, ut Strabo refert, in balænam transmutarunt, Glaucum autem piscem inde fuisse denominatum aiunt. Quod quidem idcirco

fictum fuisse Palæphatus ait, quia Glaucus optimus fuit urinator: qui cum sub aqua nataret ad insulam quandam cultoribus vacuam, indeque post tres ampliusque dies rediens, se apud marinos Deos fuisse profitebatur. Sicque rudibus tunc hominibus facile persuasit se marinum Deum fuisse affectum.

904 *Fretum scindens*] Malo *findens* ex duobus. In Florent. S. Marci et tert. Bonon. *freto stridens:* unus Medic. et unus Reg. *fretum stridens.* An *fretum stringens?* ut lib. XI. 'Stringebat summas ales miserabilis undas.' Lib. IV. 'Æquora destringunt sumtis Ismenides alis.' *Heins. Novus incola*] Glaucus qui paulo ante in Deum marinum fuerat commutatus. *R. Novus*] Glaucus Anthedone, quæ Bœotiæ, Eubœam contra, urbs, natus, nuper Deus maris factus. *Farn.*

905 *In Euboica Anthedone*] Anthedon urbs est Bœotiæ maritima, est et alia eodem nomine juxta Gazam itidem maritima: unde Anthedonius. Est etiam portus Anthedonius. *Euboica*] Quia Eubœa Bœotiæ adjacet.

906 *Visæque cupidine virginis ardet*] *Hæret*, S. Marci, Neapol. Urbin. sec. Palat. Oxon. et sex alii ex melioribus: prim. Vatican. prim. Palat. Cantabrig. prim. Erfurt. et alii decem, *ardens;* et versu proximo *Hæc quæcumque:* sed tum, *Ut quæcunque videt*, sit scribendum. Urbin. *Hic* cum decem aliis: pri. Reg. *His.* Heins.

908 *Veloxque*] Τοῖς τοῦ φόβου πτεροῖς ὀξέως φερομένη· 'pedibus timor addidit alas.' Hen. Steph. Schediasm. l. VI. c. 3. *Farn.*

910 *Collectus in unum*] S. Marci aliique ex melioribus complures *conjectus: conjunctus* Thuan. unus meus, *collatus.* An *cuneatus?* 'Prominet in pontum cuneatus acumine longo Collis,' supra dixerat. *Heins.*

911 *Longa sub arboribus*] *Sine arboribus* Oxon. tres alii: ut lib. VIII. 'sterilis sine fruge sine arbore tellus.' *Idem. Convexus*] Inclinatus, vergens. Locum autem describit præcipitio accommodatum.

914 *Cæsariemque*] Vide Iconem Glauci marini lib. II. Philostrati Iconum.

915 *Ultimaque*] Vel propter formam Sireniam; vel quod a nonnullis in balænam versus dicatur. Ἰχθῦν δὲ εἶναι τῷ λοιπῷ τὸν Γλαῦκον δηλοῖ τὰ οὐραῖα ἐξηρμένα καὶ πρὸς τὴν ἰξὺν ἐπιστρέφοντα. Philostr. ibid. *Farn. Tortilis piscis*] Qui se facile torquet. *Ultima inguina*] Ultimam inguinum partem. Ad id autem alludit poëta quod Strabo ait, Glaucum in balænam fuisse transfiguratum.

916 *Sensit*] *Sentit* nonnulli: pro *nec sum* meliores *non sum*, et deinde *Sum Deus*, non *Sed.* Heins.

918 *In æquore Triton*] *Æquora* cum tertio Mediceo et Rottendorph. dictum Amor. I. 1. *aut Triton* quatuor libri cum editionibus nonnullis; bene: vulgo *et Triton:* et tum lege *Athamantiadesve.* Idem.

919 *Athamantiadesque*] Libro IV. vs. 540.

920 *Sed scilicet*] Erat, inquit Palæphatus, Glaucus natator atque urinator peritissimus. Ita ut portu Anthedonio in conspectu civium enatans, et in littore insulæ deserto per dies aliquot latitans, postmodo rediret, seque sub undis per id tempus degisse affirmaret, &c. Quin et hyberno tempore pisces, quoscunque cives sui poposcerant, adducebat, &c. *Farn. Sed scilicet altis Deditus æquoribus*] Sed piscandi in mari studiosus. Significat enim Glaucus se fuisse piscatorem.

921 *Tantum exercebar*] *Jam tum* ex castigatioribus magno numero. *Heins.*

922 *Ducebam ducentia retia pisces*] *Capientia retia* prim. Vatican. a manu secunda, et duo Moreti: dubito: utroque loco pro trahere sumitur. Mar-

tial. 'Nunc piscem tremula salientem ducere seta.' *Idem.*

928 *Non apis inde tulit collectos sedula flores*] Multi ex præstantioribus *collectos semine flores;* sed perperam. Vulgatam scripturam agnoscit Priscianus lib. VI. Tibullus lib. II. Eleg. 1. 'Rure levis verno flores apis ingerit alveo, Compleat ut dulci sedula melle favos.' *Idem.*

930 *Ego primus in illo Cespite consedi*] Puto *ego pronus:* aliter tamen libri. *Idem.*

936 *Mea præda*] Pisces capti, jamque exanimes. *Farn.*

937 *Et motare latus*] Τὸ *motare* non placet, est enim quod *moveri;* idque præcesserat. Certe Florent. S. Marci, Neap. tert. et quart. Medic. Oxon. prim. Moret. Arond. et duodecim alii, *mutare:* nihil verius. Virgil. Æneid. III. de Encelado, 'Et quoties fessum mutet latus, intremere omnem Murmure Trinacriam:' nimirum fama est. Ita longe optimus et vetustissimus Mediceus; quomodo etiam Donatus videtur legisse, etsi Servius pro vulgata scriptura pugnet: neque aliter agnovit Statius, apud quem *tentat Enceladus mutare latus.* Pari modo etiam locutus Seneca libro de Tranquillitate animi cap. 2. Sic 'mutare brachia' Propertio libro II. Eleg. 15. 'Quam multo amplexu mutamus brachia!' cæterum a mutando latere illud quoque Maronis tractum videtur Æneid. V. 'Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas, Mutabat versans, Siculisne resideret arvis, Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.' *Heins.*

940 *Dubiusque diu quæ causa*] Τὸ *diu* non placet: *dubitoque* et *causamque* plurimi ex vetustioribus: *dubiusque fui* Neapol. et decem alii: duo *dubitoque prius:* unus Moreti *simul.* Forte, *Obstupui, subitæque rei quæ causa requiro:* vel, *dubiusque, fugæ quæ causa requiro.* Idem.

941 *Hæc aliquis*] Castigatiores *hoc.* Idem. *Herbæ*] Τῆς ἀειζώου βοτάνης, ἧς ὁ Ἀνθηδόνιος ἐκεῖνος δαίμων ἐμφορηθεὶς ἀθάνατος ἁλινηχὴς γέγονε. Athen. XV. 7. vid. eund. VII. 12. Τὴν δὲ βοτάνην ἧς ἐγεύσατο, φασὶ τινὲς ἀείζωον εἶναι. Is. Tzetz. ad illa Lycophronis Πρὸς κῦμα δύπτην ἐμπεπλεγμένον, &c. *Farn.*

942 *Quæ tamen has, inquam*] Primus Strozzæ et quinque alii, *Quas tamen hæc, inquam.* Heins. *Has vires*] Tantam vim ut mortuos pisces vivos efficere possit. *R.*

947 *Nec potui restare diu*] *Restare loco,* tert. Medic. quod placet. Mox *sub æquora,* non *æquore,* castigatiores. *Heins. Restare*] Resistere amori et cupiditati alterius naturæ.

949 *Socio honore*] Nam me quoque in suum numerum admiserunt.

954 *Lapsi de partibus amnes*] *De fontibus* tres scripti; probe: duo *montibus.* Pro *vertuntur* unus Leidensis *verguntur.* Puto, *Motaque verguntur;* vel *Potaque.* De vergendi verbo dixi Pont. I. 9. 54. *Heins.*

956 *Hactenus acta tibi*] Tollendum esse opinor hunc et proxime sequentem versum, et pro *Quæ postquam rediit,* reponendum, *Utque animus rediit.* Vide Notas ad Epist. VI. 31. nisi fortasse mavis, *Mox, ubi mens rediit;* ut lib. VI. 'Mox ubi mens rediit, passos laniata capillos.' Supra τὸ *Utque* vel *Ubi* scriptum erat *postquam* pro interpretatione: hinc postea factum, *Quæ postquam,* insertis duobus versibus valde frigidis ac jejunis, qui in plerisque vetustiorum non hoc loco, sed paulo post, ante versum *Hanc ego tum primum* leguntur. Iidem codices, pro *Quæ postquam rediit,* agnoscunt *Quæ postquam redeunt,* vel *reddunt:* mendose, ad æquora referentes. Scribe igitur *Totaque vertuntur supra caput æquora nostrum. Utque animus rediit, alium me corpore toto, Ac fueram nuper, nec eundem mente recepi:* omissis duobus versibus. *Idem.*

959 *Recepi*] Percepi. *Nec eundem*]

Nam mentem quoque mutaveram.

960 *Hanc ego tum primum viridi ferrugine*] *Viridem* plerique veteres. Lego, *Hanc viridem ferrugine barbam.* Heins. *Viridi ferrugine barbam*] Cæruleam et subnigram.

963 *Cruraque*] Vide supra ad vs. 916. *Farn.*

968 *Prodigiosa atria*] Ædes monstrorum plenas. *Titanidos Circes*] Titani, hoc est, Solis, filiæ. *R.* *Prodigiosa*] In quibus homines in bestiarum formas mutati carminibus et præstigiis Circes: lib. sequente et Æn. VII. sub initio: ex Odyss. v. express. *Titanidos*] Solis, qui e Titanum familia et numero, filiæ. *Farn.* *Circe*] Veteres magicæ artis peritas omnes solis filias dicebant: hinc et Circe talis fingitur, Medea, et aliæ: Argon. III. Πασιφάη κούρη ἠελίοιο.

METAMORPHOSEON LIB. XIV.

FAB. I. Arg. *Jamque Giganteis*] Glaucus cum a Scylla fuisset spretus, se ad Circem Solis filiam, herbis carminibusque potentissimam, contulit, eamque rogavit ut sibi opem ferret, efficeretque carminibus ut a Scylla redamaretur. Sed Circe, illius statim amore capta, ipsum in suos amplexus pellicere tentavit: a quo spreta cum fuisset, omnem indignationem in Scyllam convertit, ac sinum quendam, in quem descendere Scylla ipsa consueverat, venenis infecit, quibus pube tenus in varia monstra conversa, cum sibimetipsi displiceret, in fretum Siculum desiluit, ubi cum alios tum, in Circes odium, Ulyssis socios submersit; ac forsitan etiam Æneæ struxisset insidias, nisi jam in saxum fuisset conversa, quod etiamnum a nautis vitatur.

1 *Giganteis*] Ætnæ incendia, cujus crateres evomunt lapides ignitos, flammarum globos, et cineres, Poëtæ imputant Encelado, Typhœo, et gigantibus a Jove debellatis, atque ex Ætnæ superinjectæ caminis quasi faucibus ignem eructantibus: lib. v. 353. *Ætnam*] Hic denuo *Ætnen* S. Marci ut et Thuaneus optimi. *Injectam*, pro *ingestam*, quoque veteres plerique. Val. Flaccus l. II. de Typhœo, 'omnis anhelat Trinacria, injectam fesso dum pectore molem Commovet experiens.' Et mox *bubus* pro *bobus* meliores: et *Navifragum fretum.* Heins.

2 *Arvaque*] Arva tribus Cyclopum scopulis, hodie *Li Fariglioni*, subjecta, fertilia, sed inarata. *Farn.* *Arva Cyclopum*] 'Insula Cyclopum fortunatissima fertur. Non illic curvus glebas effringit arator.' Hinc illud a Strabone lib. XIII. dictum, Κυκλώπειος βίος· pro beata et ignava. Ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν οὔτ' ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα. Homer. Odyss. IX. Quod Virgil. arripuit: 'hominumque boumque labores.'

4 *Euboicus*] Glaucus Anthedonius. lib. præced. vs. 906.

5 *Zanclen*] Messanam urbem Siciliæ, cui e regione respondet Rhegium in Italia, injecto freto Siculo, infami naufragiis, scopulis, Scylla et Charybdi. *Farn.* *Adversaque mœnia Rhe-*

gi] Rhegium est urbs in finibus Calabriæ, ubi Sicilia ab Italia distracta fuisse memoratur. Unde et *Rhegium* ἀπὸ τοῦ ῥήγνυσθαι dictum est; hoc est, ab abrumpendo, quod eo in loco Sicilia ab Italia fuerit abrupta, ut Plinius tradit.

7 *Ausoniæ Siculæque tenet confinia*] Freto namque Sicilia ab Italia disterminatur. *Tenet confinia terræ*] Ita libri omnes. Scribe nihilominus *terit confinia.* Noster ipse lib. xv. de Italia et Sicilia, 'confinia pontus Abstulit, et media tellurem reppulit unda.' Sic 'radere confinia' Festus Avienus de freto Gaditano, 'Vel celso dimissa jugo confinia radit.' *Heins.*

8 *Inde*] A freto. Nam mare inferum, quod et Tyrrhenum vocatur, usque ad fretum protenditur. *R. Manu*] Στιβαρῇ ἐπορέξατο χειρί. Apoll. Argon. lib. I. de Glauco. *Farnab. Tyrrhena per æquora vectus*] *Lapsus* prim. Palat. prim. Vatican. prim. Basil. prim. Reg. prim. Erfurt. Arondel. Cantabrig. et multi alii; quod rectius. *Heins.*

9 *Herbiferos colles*] Circæum significat, in quo monte Circe dicitur habitasse, quæ homines carminibus succisque herbarum in feras convertebat. *R.*

11 *Simul*] Postquam.

15 *Qui sum mutatus*] *Qui sim* scribendum; ita Noster amat loqui: aliter vetusti libri. *Heins.*

20 *At tu, sive aliquod regnum est in carmine*] *Aliquid* Cantabrig. sec. Palat. et quinque alii: *aliquod regni* Florent. S. Marci: Zulich. pro diversa lectione *aliquid regni.* Scribe, *At tibi sive aliquid regni est in carmine:* ut, 'Forsitan in teneris tantum mea regna coronis Esse putes.' *Idem.*

21 *Sive expugnantior herba est*] *Expugnatior* S. Marci, prim. Palat. Bernegger. aliique ex melioribus non pauci. Scribe *expugnacior:* dictum Amor. l. II. 6. 23. *Idem.*

24 *Fineque nil opus est*] *Fine opus est nullo* multi: S. Marci, et unus Bonon. *Et neque nil opus est:* multi etiam *Hoc mihi nil opus est:* duo *sic mihi:* alii *Fine nihil opus est; Fineque opus nullo:* Thuan. *Sive opus est nullo.* Forte, *Hac ope nil opus est.* Idem.

27 *Seu Venus*] Seu Venus ulta indicium Solis, qui Martis adulterium ad Vulcanum detulit, turpissimis amoribus omnem Solis progeniem traducit: 'Stirpem perosa Solis invisi Venus, Per nos catenas vindicat Martis sui.' Senec. Hippolyt. vs. 123. *Farn.*

30 *Dignus eras: ultro poteras certeque rogari*] *Certoque* pr. Palat. Cantabrig. Urbin. et sex alii: *certeque* fragmen. Boxhornii: *certoque rigori* pr. Palat. a manu prima: *poteras ultro* pr. Moret. *certe poterasque* pr. Erfurt. et tres alii: *certeque potes* alter Moreti: *Dignus eras certe poteras ultroque* unus Basil. Scripserat Naso, ni fallor, *Dignus eras, poterasque ultro (mihi crede) rogari: Et si spem dederis (mihi crede) rogaberis ultro.* Heins.

32 *Ne dubites adsitque tuæ fiducia formæ*] *Neu dubites* meliores recte. *Absitque* etiam Thuan. pr. Erfurt. pr. Moret. et septem alii; nonnulli *assitque.* Lege *Neu dubites, absitve.* Idem. *Adsitque tuæ fiducia*] Hoc est, tuæ pulchritudini confide. *R.*

34 *Tantum quoque gramine possim*] Scribe *tantum cum gramine possim:* nam Sprotianus, *quantum cum.* Heins.

36 *Unoque duas ulciscere facto*] Putem *pacto:* pactum nuptiale intelligit. Vide Notas l. VII. 701. *Idem.*

37 *Prius in æquore*] Ante rerum natura commutabitur, quam ego ab amanda Scylla desistam. *Frondes*] Arbores.

43 *Pabula succis*] *Gramina* plerique; nonnulli tamen *pabula:* quod non ausim mutare, etsi minime ignoro, 'gramina' et 'carmina' passim apud Poëtas conjungi, quoties de rebus magicis agitur. Noster tamen Rem. Am. 'Viderit, Hæmoniæ si

quis mala pabula terræ Et magicas artes posse juvare putat.' 'Pabula campi' in Ibide quoque dixit. Pro *gramina* Berneggerianus hoc loco *pocula* vel *pabula*. Tò *quoque* omittitur in tertio Medic. et aliis quinque. *Heins.*

44 *Hecateia*] Incantationes a matre Hecate edoctas. Vide l. VII. 74.

47 *Oppositumque petens*] *Oppositamque* duo Bonon. sic *Ilion* in fœminino genere passim. *Heins.* *Oppositumque*] Supra vs. 5.

48 *Ferventesque æstibus undas*] *Ferventes* recte plerique vetustiores; cujusmodi appositiones passim apud nostrum occurrunt. Lucan. v. 'Nymphæumque tenent nudas Aquilonibus undas.' *Heins.* *Ferventes*] Fretum pedes transgreditur. Fretum autem a similitudine ferventis aquæ dictum vult Varro lib. VI. de L. L. et alii. *Farn.*

53 *Medio cum plurimus orbe Sol erat*] Periphrasis est meridiei. *Medio cum plurimus orbe*] Sic Virgil. 'Plurimus Eridanus.' 'Plurima nux.' 'Plurima cervix.'

55 *Portentificisque venenis*] *Portentiferisque* malo cum sec. Palat. Oxon. et sex aliis: sic 'monstriferum,' 'horriferum,' et similia apud nostrum. *Heins.*

56 *Hic pressos latices radice nocenti*] *Fusis latices* S. Marci; *fusos* tert. Bonon. et alter Hamburg. et editiones nonnullæ: *sparsos* pr. Hamburg. et pr. Gronov. *latices pressa* unus Basil. Pro *hic*, unus Gronov. et tres *hinc*: *huc* pr. Moret. et pr. Bonon. *hæc* Thys. Puto *huic*. Idem. *Pressos*] Succos ex herbis noxiis expressos. *Farn.*

57 *Et obscurum*] *Obscura* Urbin. et duo alii. *Heins.*

63 *Quos fugit*] *Quas* duo veteres: dictum l. III. Mox *Et partes quærens*, non *corpus*, tres scripti. *Idem.*

65 *Cerbereos*] Terribiles, instar faucis canis Cerberi.

66 *Statque canum rabies*] *Stantque* pr. Gronov. Latet mendum. Forte, *Statque canum rabie*: hoc est, inferiores partes, femora nempe, crura, et pedes in canum rabiem mutantur. Postea pro *coërcet*, Cantabrig. et unus Voss. *coërcent*: *cohæret* unus Patav. et Juret. Scribe *cohærent*; atque ita alter Hamburg. Noster ipse Amor. l. I. 4. 'Nec mihi silva domus: nec equo mea membra cohærent.' *Heins.* *Canum*] Virg. Ecl. VI. et Æn. III. et Scholiastes Apollonii ad l. III. 127. Lycophr. Ἐριννὺς μιξοπάρθενος κύων. *Farn.*

FAB. II. 71 *In Circes odium*] Sciebat enim Ulyssem a Circe amari. Multos autem e sociis in freto Siculo amisit Ulysses, ut in Odyssea narrat Homerus. *R.* *Sociis*] Sex. Ἐκ νηὸς ἑταίρους Ἓξ ἕλεθ', οἳ χερσίν τε βίηφί τε φέρτατοι ἦσαν. Homer. Odyss. M. vs. 245. *Farn.* *Spoliavit Ulyssem*] *Ulyssen* meliores. *Heins.*

73 *Ni prius in scopulum*] Et alii geographi, et Plinius in primis, scribunt, Scyllam saxum esse ingens, freto imminens, quod in parte superiore humanam habet effigiem: in inferiore vero plures habet cavernas, quibus undæ refractæ latratus canum et luporum ululatus referre videntur. *R.*

FAB. III. 75 *Hunc ubi*] *Hanc* ex melioribus. *Heins.* *Hunc ubi Trojanæ*] Errores Æneæ describit Poëta, ut, cum ad Pithecusam eum deduxerit insulam, commodius Cercopum in simias Metamorphosin describere possit.

78 *Excipit*] Vixit Æneas 286. annos ante Didonem: historiæ tamen fidem prægravat Virgilii figmentum, uti dictum a nobis ad Æn. I. et IV. *Farn.*

82 *Arenosæ terræ*] Carthaginis: unde Hiarbas apud Virgilium, 'Cui littus arandum Dedimus.' *R.*

83 *Ad sedes Erycis*] *Sedemque* S.

Marci, quatuor alii: unus *sedesque*. Heins. *Sedes*] Siciliam, in qua mons Eryx, ab Eryce Veneris filio ibi condito. *Farn.*

85 *Iris Junonia*] A Junone missa.

86 *Hippotadæ*] Æolias insulas. Æolus cur dictus Hippotades, habes l. IV. 663. *Terrasque*] Vulcani insulas, Liparam, Hieram, Strongylen.

87 *Acheloidumque*] Scribe *Acheloiadumque;* ne peccetur in leges metricas. *Heins.* *Acheloiadumque*] Sirenum: de quibus dictum ad lib. v. 552. *Farn.*

88 *Orbataque*] Navis destituta gubernatore Palinuro. Æneid. lib. v. sub finem.

89 *Inarimen*] *Inque arimen* tert. Mediceus. *Heins.* *Inarimen*] Ænariam ins. Pithecusas, Ischiam: sed de nomine Inarimes, ab Homeri εἰν Ἀρίμοις, lege quæ disserit Erythræus in indice Virgilii. *Farn.* *Inarimem, Prochytenque legit*] Transit. Inarime autem insula est in sinu Campano, in qua est mons flammas eructans. Prochyte vero insula est sic dicta, quod terræ motu ab Ænaria sit profusa; nam προχέω significat *profundo.*

90 *Pithecusas habitantum nomine dictas*] Pithecusa insula est in sinu Campano, urbem in monte habens Pithecusas, a multitudine simiarum dicta. Nam πίθηκος simia dicitur. Juppiter enim Cercopum perfidiam odio habens eos in simias convertit, hancque insulam illis assignavit habitandam. Plin. scribit a figulinis doliariorum denominatam esse: *Pithos* namque dolium a Græcis appellatur. *R.*

91 *Quippe*] Insulæ Inarimes incolæ, ut habet Suidas, impii atque improbi erant impostores: in his fratres duo Candulus et Atlas, quorum alter Paxillus, alter Incus dictus: fidem Jovi datam cum violassent, omnes in simias mutati sunt: 'Accepit fabula prisca fidem.'

95 *Naresque a fronte remissas*] *Resimas* Salmasius ad Solinum; recte: nam pr. Basil. et sex alii *revulsas:* alii quatuor *retusas.* Resimus, ut 'repandus' et 'reduncus' alibi apud nostrum: resimus, ἀνάσιμος· qua voce Varro l. II. 9. R. R. Columella l. VI. 1. Plinius, Palladius l. IV. 11. Solinus sunt usi: etiam Arnobius l. III. In altero Twisdenio interlinearis glossa exstabat *remissas,* id est, recurvas. Unde apparet *resimas* olim fuisse lectum. *Heins.*

100 *Reliquit*] Prim. Palat. et tres alii *relinquit.* Idem.

FAB. IV. Arg. *Has ubi præteriit*] Sibylla dum esset virgo ab Apolline amata, cum ab eo ut quicquid vellet peteret hortante impetrasset, ut tot annos viveret, quot in manu arenas tenebat, oblita est adjicere voto, ne unquam senesceret. Quare cum Phœbo morem gerere noluerit, ad tantum decrepitatis pervenit, ut a corpore derelicta tota in vocem fuerit commutata. *Lact.*

101 *Parthenopeia*] Neapol. prius Parthenopen dictam a Sirene cognomine ibi sepulta.

103 *Et loca fœta palustribus undis*] *Ulvis* prim. Gronov. Noricus, et tres alii; quomodo et Bernegger. pro diversa lectione, et Bersmanni codex. In Ibide, 'Protinus Eumenides lavere palustribus ulvis:' ubi simili modo in vulgatis peccatur. Met. VI. 'gratamque paludibus ulvam' dixit. Lib. VIII. 'juncique leves, ulvæque palustres:' sic et ibi scribendum videtur, non *ulvæque leves juncique.* Virgil. quoque Georg. III. 'ulvam palustrem' dixit. Cæterum τὸ *et* tollunt primus Palat. Grævianus, aliique quatuor: probe; ut littora Cumæa per appositionem sibi familiarem vocet loca ulvis palustribus fœta. *Heins.*

104 *Vivacisque*] Infra, vs. 144. redditur ratio. *Sibyllæ*] Vatis Cumanæ. Fœminæ vero vates, ut habet Lactan-

tius l. I. Sibyllæ erant a veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis Deorum denunciandis: σιοὺς enim Deos, et consilium βουλὴν appellabant Æoles. Aliis quasi σιοῦ βυλλὴ, quasi Deo plena. De numero earum varie varii. Lactantius libro dicto de falsa Religione numerat nominatque decem: vide Suidam, Pausaniam in Phocicis, Diodorum Sic. l. v. Lil. Giraldi Syntagm. Poët. hist. II. Augustin. de civitate Dei, l. XVIII. 23. atque ad eum L. Vivem. Bulinger. de Divination. l. IV. Cluverium in Italia antiqua l. IV. 2. I. Boissardum de Divinatione c. 2. Sed videatur Is. Casaubonus ad Ann. Baron. num. 18. necnon R. Montacutii Apparatus, 3. *Farn.* *Littora Cumarum*] Cumæ urbs Campaniæ antiquissima Italicarum urbium, atque Sicularum, a Chalcidensibus quidem condita (ut Strabo inquit) sed a Cumæis denominata. *Vivacis Sibyllæ*] Quæ septingentos jam annos vixisset, ut ipsa paulo post narrat. *R.* Vide Gellium l. I. 19. De Sibyllis autem earumque numero et nominibus, Lactantius I. 7. *Micyl.*

105 *Et ut manes adeat*] *Veniat* pr. Hamburg. et sex alii. Virgiliana locutio. *Ad manes veniat* Florent. S. Marci. Mox *vultus moratos* non *vultum moratum* Thuan. Oxon. sec. Palat. Medic. quart. et octo alii. *Heins.*

107 *Deo furibunda recepto*] Plane hic imitatur Virgil. Æn. VI. ‘ afflata est numine quando Jam propiore Dei,’ &c.

111 *Novissima*] Ima, id est, inferos. Namque supremum mundi regnum est cœlum; medium, terra cum aquis; ultimum, inferi. *Farn.*

112 *Simulachraque chara parentis*] Hoc ex eorum opinione dictum est, qui aiunt hominem ex tribus constare, anima, corpore, et simulachro: Animamque cælum petere, corpus reddi terræ, simulachrum ad inferos descendere.

114 *Junonis Avernæ*] Proserpinæ. Nemus enim juxta Avernum et Plutoni et Proserpinæ fuit dicatum. *R.* *Fulgentem*] Aureum Prudentiæ ramum, Proserpinæ deferendum munus. Homer. Odyss. XI. Virgil. Æn. VI. Igitur ille (de Ulysse loquitur Apuleius) hac (Prudentia seu Minerva) duce, omnia horrenda subiit, omnia adversa superavit. Quippe ea adjutrice Cyclopis specus introivit, sed egressus est; Solis boves vidit, sed abstinuit; ad Inferos demeavit, sed ascendit, &c. lib. de Deo Socratis, sub exitu. *Farn.*

115 *Divellere trunco*] *Devellere* meliores. *Heins.*

118 *Didicit quoque jura locorum*] *Didicit quæ jura* Cantabrig. sec. Palat. pr. Moreti, septem alii. Forte, *didicitque et jura locorum.* Idem.

121 *Fallit laborem*] In multis veterum *mollit.* Idem.

124 *Meque fatebor Muneris esse tui*] Plurimi ex scriptis, etiam vetustioribus, *Munus habere tuum;* sed nil muto. *Idem.*

128 *Templa*] ‘ Te quoque magna manent regnis penetralia nostris,’ &c. Æneas Sibyll. Æneid. VI. *Farn.* *Thuris honores*] *Honorem* Bernegger. sec. Palat. prim. Gronov. tert. quart. Medic. recte: nam sequitur, ‘ thuris honore.’ Mox pro *Respicit* Bernegger. et prim. Gronov. *Increpat.* Heins.

129 *Et suspiratibus haustis*] Suspiriis tractis.

131 *Ne nescius erres*] *Neu* ex scriptis. *Heins.*

132 *Lux æterna*] Immortalitas. *Farn.*

137 *Quot haberet corpora pulvis*] *Haberent* unus Mediceus ex melioribus. *Heins.*

138 *Natales*] Annos. Natalis enim quotannis recurrit.

139 *Excidit ut peterem*] *Excidit, optarem* alter Hamburg. unus meus, et unus Leidensis: placet. *Heins.*

142 *Felicior ætas*] Juvenilis ætas. *Raph.*

146 *Tercentum*] De Nestore, 'Qui dextra computat annos, Quique novum toties mustum bibit.' Juvenal. Satyr. x. *Videre*] *Videri* unus Basil. *Heins.*

148 *Faciet*] *Faciat;* et mox *redigantur* pro *redigentur* Neap. Urbin. pr. Palat. pr. Vatican. Cantabrig. pr. Erfurt. tert. Medic. Arond. et multi alii; bene. *Heins.*

152 *Usque*] Varro lib. I. 1. Neque patiar Sibyllam non solum cecinisse, quæ, dum viveret, prodesset hominibus; sed etiam quæ cum perisset ipsa, &c. *Farn.*

153 *Voce tamen noscar*] Vocis nomine accipio non sonum tantummodo vocis, seu inanem vocem: sed fatidicam vocem, ut indicet, se facultatem vaticinandi cum corporea mole non amissuram. *Pont.*

FAB. V. VI. 154 *Convexum*] Ascensu arduum.

155 *Euboica*] Cumas, Chalcidensium coloniam. Chalcis autem oppidum est Bœotiæ. *Emersit in urbem*] *Emergit* meliores. Mox *e more*, pro *ex*, prim. Reg. et tres alii. *Heins.*

157 *Nutricis*] Postea ab Æneæ nutrice Caietam dictam. Sed vide quæ nos ad Æn. VII. 1. et infra vs. 443. *Farn.*

159 *Neritius Macareus*] Hic forte ad Circes potentiam explorandam ab Ulysse missus, cum potionem ab ipsa Circe acceptam gustasset, una cum omnibus sociis, præter unum Eurylochum, qui nihil bibere voluit, in porcum fuit conversus: sed precibus Ulyssis Circe eos tandem pristinæ restituit figuræ, ut Homerus in decimo Odyss. libro narrat. *Experientis Ulyssei*] Experti multa et passi Ulyssis. *R.* *Neritus*] Ithacensis. Neritos mons est Ithacæ.

160 *Mediis in rupibus Ætnæ*] *Mediis qui* prim. Erfurt. et alii duodecim. *E rupibus* S. Marci, Bernegg. prim. Hamburg. tres alii. *Heins.*

161 *Noscit Achemeniden*] Achemenides timore Polyphemi Cyclopis in Sicilia ab Ulysse relictus, ab Ænea illac navigante fuit exceptus. *R.*

162 *Quis te*] *Qui te* S. Marci, Neapol. pr. Hamburg. tert. Medic. et Sixii. Mox *vestræ carinæ*, non *vestra carina*, Oxon. sec. Palat. et alii quatuor. *Heins.*

163 *Barbara*] Trojana navis. *Farn.* *Servat*] Servavit. Putabat enim Macareus illum periisse. *Cur barbara Graium*] Miratur Macareus Achæmenidem Græcum, Ulyssisque comitem cum Trojanis Græcorum hostibus navigare.

165 *Hirsutus amictu*] *Amictus* tert. Medic. Puto *amictum.* Heins.

166 *Jam suis*] Jam sui juris et liber. *Raph.* *Concreto*] 'Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu.' 'Dira illuvies, immissaque barba, Consertum tegmen spinis,' ut Æneid. III. sed cultus et liber, et sibi redditus. *Farn.* *Conserto tegmine*] *Consuto* Thuan. et unus Moreti: *contexto* unus meus: *conjecto* alter Erfurt. *concreto* unus Moreti: *consperto* tert. Bonon. et emend. *consepto;* quomodo et unus Argent. *consertus* Urbin. et prim. Bonon. nil mutandum. Virgil. de eodem Achæmenide, 'Consertum tegumen spinis: at cætera Graius:' ita veterrimus Florent. vulgati *tegmen.* Idem.

167 *Iterum Polyphemum*] Illi interrogationi respondet: 'Cur barbara Graium Prora vehit?' Se autem gratum erga Æneam ostendit Achæmenides.

168 *Illos fluidos rictus*] Illa fluentia ora. *Aspiciam*] Misere peream Polyphemi redditus antro, nisi mihi hæc sub Ænea conditio potior sit, quam illa sub Ulysse, &c. *Farn.*

169 *Hæc mihi si potior domus est Ithacique carina*] *Hæc mihi ni* plurimi veteres: nonnulli etiam *Ithaci atque:* prior Twisdenius *Ithaca atque:* unus Moreti *Ithacaque.* Scribe cum Naugerio et Gronovio, *Hac mihi si potior domus est Ithaceque carina:* si vel

Ithace potior mihi domus est hac carina. *Heins.*

170 *Æneam*] *Ænean* vetustiores. *Idem.*

172 *Et lumina solis Aspicio*] *Et sidera solis Respicio* S. Marci, Neapol. Bernegg. cum aliis nonnullis. Sic et lib. IX. 'sidus' pro Sole, 'cum partus adesset Herculis, et decimum premeretur sidere signum.' 'Lumen' paulo post denuo sequitur. Iidem *possimne* pro *possumne.* Propertius Eleg. II. 20. 'Cum te tam multi peterent, tu me una petisti. Possim ego naturæ non meminisse tuæ?' *Solemque et sidera cœli* prim. Bononiens. *Idem.*

176 *Ut tumulo*] *Aut tumulo* ex melioribus scribendum: nam *ut* alia significatione præcesserat. Poterat et reponi *Quod tumulo.* Idem.

179 *Conspexi*] Ἧκε δ' ἀποῤῥήξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο, &c. Homer. Odyss. I. 481.

180 *Vestræ quoque clamor Ulyssis, Pene rati nocuit*] Alludit ad id, quod apud Homerum fingitur, Odyss. nono, ubi Ulysses navi aufugiens, Polyphemum clamando, et indicando quinam ipse esset (nam se 'neminem' antea dixerat) in se irritat: quare jactu ingentis saxi, pene et ipse et tota navis ab eodem Polyphemo obtrita. *Micyl.*

181 *Monte revulsum*] *Revulso* S. Marci, Neapol. et sec. Strozzæ. Pro *conspexi* paulo ante *prospexi* prim. Hamburgensis, sec. Palat. et quinque alii. *Heins.*

182 *Permisit*] Conjecit.

185 *Et ne deprimeret*] *Deprimerent* unus Medic. *Heins.*

187 *Ab acerba morte reduxit*] *Removit* pr. Pal. pr. Vatic. Cantabr. pr. Gronov. Urbin. Arond. pr. Moret. aliique multi; *redemit* sec. Vatic. et duo alii: an *diremit? revellit* tert. Medic. *revulsit* unus Bonon. Puto, *fuga vos ab certa morte removit*, vel *redemit:* in priore quidem Hamb. *a certa morte.* Libro v. 'eumque Non tibi, sed certa prælatum intellige morti.' *Idem.*

188 *Gemebundus obambulat*] Rectius in Sprotiano *fremebundus:* alter Hamburg. *tremebundus;* verum proxime. Vide lib. IX. 208. Lib. XII. 'Achilles curru fremebundus ab alto Desilit.' *Idem.*

189 *Pertentatque manu silvas*] *Prætentatque* ex melioribus. Mox etiam *prætendens* nonnulli cum S. Marci codice. Sed posterius illud non admitto. *Idem.*

190 *Incursat rupibus*] Incidit in saxa, sic ut pedes lædat. *Incursat rupibus*] Tentavimus hoc ex Eurip. sic reddere: 'Tum vero Ulysses advocat vires suas: Quercu præusta luminis magni sinum Scrutatur. Ictu stridet informis locus, Lucisque inanis; turba Vesparum ut strepit Concussa nido. Clamat horrendum Cyclops, Haud excitatus molliter. Quærit diem. Lapsantis Ithacus ridet incertum pedem: Factoque gaudens littus infandum fugit.'

192 *Ulyssem*] *Ulyssen;* et *e sociis*, non *ex*, meliores. *Heins.*

194 *Viventia dextra*] *Vivacia* prim. Gronov. et sec. Pal. hoc est, lente morientia: ut lib. XII. 'Vivacemque animam missis elidite silvis.' Lib. XIII. 'vivacem anum' dixit: 'vivacem Sibyllam' hoc ipso libro: 'vivax solum' lib. I. 'vivax gramen' lib. VII. 'vivacia sulphura' et 'vivacem cervum' lib. II. III. et VII. et 'vivacia aconita' ibid. *Idem.*

195 *Cujus mihi sanguis inundet Guttur*] *Sanguine* pr. Ambros. ut apud Virgilium, 'et inundant sanguine fossæ.' *Idem.*

202 *Minimum tamen ipsa doloris*] *Illa malorum* multi ex antiquis; quod magis arridet. *Idem. Minimum tamen ipsa doloris*] Quia timore sensus atque animus illius ita impediti erant, ut morte minimum moveretur, dum cætera quæ viderat, quanquam metuebat, sibi ipse ob oculos ponebat, quia

et mortem optaret potius, quam cætera illa sustineret. *Micyl.*

203 *Jam nunc mea viscera rebar*] *Jam jam* castigatiores. Mox pro *mersurum* Grævianus *versurum*. Heins.

205 *Bina meorum*] 'Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro,' &c. Hom. Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥστε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ Κόπτ', &c. Odyss. IX. 289. *Farn.*

207 *Cum super ipse jacens*] *Quæ super* castigatiores. *Heins.* *Cum super*] Ἤσθιε δ', ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν Ἔγκατά τε σάρκας τε, καὶ ὀστέα μυελόεντα. Odyss. IX. 292. *Farn.*

208 *Cumque albis ossa medullis*] *Cumque esis* sec. Palat. et meus chartaceus: *cumque ipsis* Cantabr. pr. Moret. et sex alii: placet τὸ *esis*; ut in illo, 'est mollis flamma medullas.' Horat. Epod. v. 'Exesa uti medulla et aridum jecur Amoris esset poculum:' ita scribo; nam vulgati *exerta:* Lambinus, Faërnus, Cruquius, Torrentius, *Exsucta;* ut in illo Juvenalis Sat. VIII. 'Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis.' Sed ibi allegorice locutus est. Scripti fere omnes *exsecta* vel *execta.* Nisi *exesta*, dixerit Horatius, ut 'comesto patrimonio' Sallustius, quod ex illo a Grammaticis citatur: et sane archaismos hujusmodi multos in Epodis Horatius adhibuit. 'Estrices' etiam dixit in Casina Plautus: et 'ursas hominum ambestrices' Ammianus Marcellinus libro XIX. 'Siccam' dixit 'medullam' Propertius Eleg. II. 12. quæ *exesta* est Horatio. 'Exedit labor, et miseris festina senectus,' Valerio Flacco lib. IV. Castigandus ejusdem locus libro v. 'Sic ait: at Juno pulchrum longissima quando Robur cura ducis, magnique edere labores Mole nova, et roseæ perfudit luce juventæ.' Ineptissime et contra auctoris mentem *dedere* nunc legitur. Sed hoc doctissimo Gronovio jam monitum in Observationibus serus deprehendo. Apud eundem Valerium libro III. 693. 'multusque viri cunctantia corda Est dolor:' ubi *Fert dolor* nunc legitur; minus bene: quomodo et apud Nostrum Pont. I. 1. illo versu, 'Estur ut occulta vitiata teredine navis:' multi codices *Fertur* agnoscunt. 'Odiis urbem exedere' apud Maronem Æneid. v. 'Exedi cura,' 'mœrore,' 'inedia,' 'ira,' 'dolore,' familiare est optimis auctoribus. 'Exest angor' apud Lucretium. Non possum tamen dissimulare in Neapolitano veterrimo legi, *oblisisque ossa medullis;* quod verum opinor: sic 'oblisæ fauces' apud Tacitum. Prudentius Psychomach. 'Ferratosque toros obliso robore mulcet:' et mox, 'Infamem mercatus agrum de sanguine amici Numinis obliso luiturus jugera collo:' et, 'obliso gutture frangit Exsanguem siccamque gulam.' In nonnullis haud dubie *collisisque* scriptum fuerat: hinc *cumque ipsis* et *cumque esis* promanavit. *Heins.*

211 *Ejectantemque cruentas Ore dapes*] Ita scripti: malim nihilominus *eructantemque.* Virgilius in hac ipsa narratione: 'saniem eructans ac frusta cruento Per somnum commista mero.' Silius quoque libro XV. ubi hoc Polyphemi convivium describit, 'Ipse manu extenta Laërtia pocula poscit, Permiscetque mero ructatos ore cruores.' Seneca Thyeste, 'Vino gravatum fulciens læva caput Eructat.' 'Ructari sublimes versus' Horatio Arte Poëtica. Juvenalis Sat. VI. 'Et sæpe horridior glandem ructante marito.' Prudentius quoque Hamartig. 'Immodicæ carnis spurco ructamine crudos' dixit: et Psychomach. 'pervigilem ructabat marcida cœnam.' Transtulit ad mare Val. Flaccus lib. v. 'Qua rigidos eructat Bosphoros amnes:' ut 'Cocytus eructat arenam' Maroni Æn. VI. *Heins.* *Ejectantemque*] Φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος Ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι. Odyss. IX. 373.

215 *Mortemque timens*] *Mortisque* unus Basil. Sic Lucretio lib. VI. 'Vitai nimium cupidi mortisque timen-

tes.' Apud Lucanum lib. II. 'metuens pelagi pirata.' Statius Theb. X. 'metuensque mariti Flet Venus.' Idem lib. XI. 'trepidumque tubarum Prospiciebat equum.' Plura Met. I. 322. *Heins.*

217 *Exspes*] Extra omnem spem constitutus.

218 *Hanc procul aspexi longo post tempore navem*] *Navim* duodecim. *Hanc tamen* prim. Vatic. et unus Medic. *Haut procul* alii nonnulli. *Heins.*

221 *Tu quoque*] O Macareu. *Farn.* *Comitum gratissime*] *Fidissime* pr. Basil. Mox pro *turbæ* unus Mediceus ex optimo descriptus *turmæ.* Heins.

224 *Hippotaden*] Jovis ex Acesta, Hippotæ Trojani filia, filium. lib. IV. 663.

226 *Dulichium ducem*] Ulyssem. *R.*

227 *Terram aspexisse petitam*] *Paternam* pr. Basil. et duo Gronoviani. *Heins.*

228 *Proxima post*] Decem dies.

229 *Prædæque cupidine victos*] *Captos* multi veteres: *ductos* sec. Medic. et unus Vossianus; bene. Adeantur notæ lib. VIII. 123. *Heins.*

230 *Dempsisse*] Ἀσκὸν μὲν λῦσαν, ἄνεμοι δ' ἐκ πάντες ὄρουσαν. Odyss. X. 47.

231 *Venerat undus*] Malim *venerit.* Heins.

233 *Inde Lami veterem*] Lamus antiquissimus Læstrygonum rex fuit: qui populi fuerunt feritate famosi in ultimo Italiæ angulo habitantes. Ad eos cum venisset Ulysses, Antiphates regnabat, a quo nonnullis et navibus et sociis fuit spoliatus. *R.* *In urbem*] Quæ postea Formiæ dicta est, Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον. Homer.

234 *Terra regnabat in illa*] *Turba* duo Gronov. *Heins.*

235 *Missus*] Ἄνδρε δύω κρίνας, τρίτατον κήρυχ' ἅμ' ὀπάσσας. Odyss. X. 102.

237 *Tertius*] Αὐτίχ' ἕνα μάρψας ἑτάρων, ὡπλίσσατο δόρπον. Odyss. X. 116. *F.* *Læstrygonis*] Antiphatæ.

238 *Agmen*] Læstrygonum multitudinem.

239 *Coëunt*] Conveniunt, concurrunt. *R.* *Saxa trabesque Conjiciunt*] *Continuant* alter Hamburg. et pro diversa lectione prim. Erfurt. quod impense placet; hoc est, sine intermissione jactant. Sic 'continuare dapes' apud Horatium Sat. II. 6. 'Succinctus cursitat hospes, Continuatque dapes.' Apud Lucanum lib. IV. 'tellus hinc ardua celsos Continuat colles.' *Concutiunt* Thuan. Deinde *coëunt in saxa* S. Marci, prim. Moret. et unus Medic. *Heins.*

241 *Ipsumque vehebat Ulyssem*] *Fidumque* prim. Moret. et prim. Bonon. *Ulyssen* etiam meliores. *Idem.*

242 *Amissa*] Ἐς πόντον ἐπηρεφέας φύγε πέτρας Νηῦς ἐμή· αὐτὰρ αἱ ἄλλαι ἀολλέες αὐτόθ' ὄλοντο. Odyss. X. vs. 131.

243 *Terris*] Circæum indigitat promontorium, olim insulam, nunc continenti junctum. Æneid. VII. statim ab initio. *Farn.* Circæum autem manu ostendit: quod quidem promontorium est Latii, a Circe dictum, in quo urbs erat nomine Circæi.

244 *Procul hinc mihi crede videnda*] *Tibi cede* quart. Medic. tertius: *tibi credo* prim. Gronov. et tres alii: *tibi certe* Junian. Lege *Procul hinc tibi (cerne) videnda est Insula, visa mihi.* *Tibi crede videndam* Neapol. *videnda est* prim. Vatic. sec. Palat. Cantabr. quart. Medic. et multi alii. *Heins.* *Procul videnda*] Neque enim tutum est accedere propius.

249 *Immansuetique*] Epitheton hoc pro abjecto et nimis leni vellicant nonnulli: defendit Mariang. Accursius, et Herc. Ciofanus; non segnius quam 'Illaudati Busiridis aras' apud Virgilium, Agellius lib. II. 6. *Farn.*

250 *Ire negabamus, vel tecta ignota subire*] Sic S. Marci codex: *sed tecta* Thuan. Bernegger. tert. Medic. et alii septem: *nec tecta* Oxon. sec. Palat. et alii quatuor: tres *aut tecta:* *ignotaque tecta* unus: alius *et tecta*

inimica: reliqui *et tecta ignota;* quod mutatum nolim. Vide notas lib. IX. 405. *Heins.*

251 *Sorte sumus*] Κλήρους δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλομεν ὦκα· Ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος μεγαλήτορος Εὐρυλόχοιο, &c. Odyss. x. 206.

252 *Nimiique Elpenora vini*] *Nimiumque* Thysii; nil muta: sic 'multi Damalis meri' apud Horatium Od. I. 36. Tamen idem Od. II. 12. 'Nimium mero Hylæum' dixit. *Heins. Nimiique*] Ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος. Elpenoris umbra, Odyss. XI. 61. *Nimiumque Elpenora vini*] Homer. Odyss. XI. 'Hic nimius quondam vini jam pocula damnat: Quique sit ostendit sobrietatis honos.' Sed sero apud inferos.

253 *Bisque novem*] Viginti duos præter Eurylochum, Homero. ἅμα τῷ γε δύω καὶ εἴκοσ' ἑταῖροι. Odyss. K. 208. *F.*

254 *Stetimusque in limine tecti*] *Primoque in limine* sec. Palat. Oxon. prim. Moret. alii quatuor. *Heins.*

255 *Mille lupi*] Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι, ἠδὲ λέοντες. Odyss. x. 212. Quid aliud, inquit Erasmus, innuit Circes fabula, veneficiis homines vertentis in feras, nisi quod homines rationis clavo destituti in pecudum degenerant naturam, libidine scil. in ursos, rapacitate in lupos, ebrietate in sues, ferocia in leones, &c.? Quid Ulysses, non mutatus, nisi constantem sapientis habitum, qui nec affectuum illiciis, nec discriminum terroribus ab honesto abduci potest? Lege et Palladæ Epigr. lib. I. Anthol. 72. *Farn. Mistique lupis ursique*] *Mistæque lupis ursæque* duodecim veteres. *Heins.*

258 *Blandas*] Οὐρῇσιν μακρῇσι περισσαίνοντες ἀνέσταν. Odys. x. 215. *Farn. Movere per atria caudas*] *Per aëra* scripti nostri omnes; et recte: nam 'atria' mox sequitur. *Heins.*

262 *Sublimi solio*] *Solenni* Neapol. Thuan. pr. Vatic. sec. Pal. tert. et quart. Medic. Juret. pr. Hamburg. Oxon. et viginti circiter alii. Scribe *Solenni in solio:* sic 'solennes ludos Circi' Noster in Fastis dixit: 'solennes aras' et 'pompas' Virg. 'diem solennem et sanctum' Horatius: 'sacra solennia' et 'solennes cæremonias' Historici. *Idem.*

265 *Nulla trahunt digitis*] Malim *trahant* et *ducant.* Idem.

267 *Variisque coloribus herbas*] *Variasque* veteres plerique: jam monui lib. IX. 691. *Idem.*

268 *Quod hæ faciunt*] *Faciant* Thuan. et alter Twisdenius. Deinde pro *quis usus,* fragm. Boxhorn. alter Hamburg. et tres alii *quid usus.* Idem.

270 *Pensas*] Ponderatas. Neque enim pharmaca, nisi ponderentur, recte componi possunt.

272 *Diffudit vultus*] Exhilaravit. *Et reddidit omnia votis*] *Omnia vocis,* vel *omnia votis,* plurimi veteres; duo ex melioribus *omnia voce:* ego nil mutandum censeo. *Heins. Reddidit*] Exporrecta fronte, vultuque læto, nobis omnia pro voto nostro benigne respondit.

273 *Misceri*] Τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν Οἴνῳ Πραμνείῳ ἐκύκα· ἀνέμισγε δὲ σίτῳ Φάρμακα λύγρ', &c. Odyss. x. 234. *Farn.*

276 *Accipimus pocula*] Malim *arripimus;* quod aviditatem sitientium magis exprimit. *Heins. Sacra dextra*] Execrabili.

280 *Nec jam posse queri*] *Loqui* cum melioribus. *Heins.*

282 *Pando occallescere rostro*] *Callescere* nonnulli; vel *coalescere:* 'calliscere' Nonius ex Catone notavit: 'callere' Sulpicius Ciceroni Epist. Fam. IV. 5. Severus in Ætna: 'Callent rure manus.' *Idem.*

284 *Illa vestigia feci*] Malim *figi* vel *ferri;* ut a superioribus hæc dependeant. *Idem.*

286 *Claudor in antra suis: solum caruisse figura*] Repone cum Bernegger. Thuan. prim. Hamburg. Arond. Oxon.

prim. Gronov. Græviano, et decem aliis, *Claudor hara, solumque suis caruisse figura Vidimus Eurylochum. Antra suis* ex glossa hic irrepserant: *haræ* voce etiam alibi non semel usus est. *Idem.*

287 *Eurylochum*] Qui solus ex 23. sociis Ulyssis non intrabat, *οἰσσάμενος δόλον εἶναι*, quique superesset nunciaturus hæc Ulyssi. *Farn. Pocula fugit*] Puto relictum a Nasone *pocula vitat*, quia 'vitasset' sequitur: plenus est talium repetitionum Noster: aliter tamen codices antiqui. *Heins.*

291 *Pacifer*] Pacis internuncius et conciliator. 'Caducifer' dictus l. II. 71. ad quem vide quæ nos. *Florem*] Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος· Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί· χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν Ἀνδράσι, &c. Odyss. x. 304. Plin. l. xxv. 3. Photius ex Ptolem. Hephæstione, Lycophron. Lil. Girald. 14. dialogism. herbam hanc a Mercurio Ulyssi datam tanquam amuletum adversus veneficia præsentissimum, *φρόνησιν* alii, *σωφροσύνην* interpretantur alii, cujus aditum arduum, exitum felicissimum esse volunt: vide quæ ad vs. 114. Supra, Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι, &c. Hesiod. Ἐργ. *Farn. Florem album*] Μῶλυ οἱ παλαιοί φασι παρὰ τὸ μωλύειν λέγεσθαι, ὅ ἐστι, ἀφανίζειν τὰ φάρμακα τῆς Κίρκης. Eustath. ad Odyss. K. Alii, malacam crapulariam putant fuisse. Alii, inter quos Meurs. rutam agrestem. Petronius, 'Hinc legitur radix, de qua flos aureus exit, Qualem Moly vocant.'

295 *Conantem*] Ὁππότε κεν Κίρκη σ' ἐλάσῃ περιμήκεϊ ῥάβδῳ, Δὴ τότε σὺ ξίφος, &c. Odyss. x. 293.

297 *Thalamoque*] Odyss. x. 295. *Farn.*

299 *Spargimur ignotæ*] *Innocuæ* sec. Palat. quart. Medic. Oxon. prim. Moret. Juret. et alii decem; rectius. *Heins. Spargimur*] Odyss. x. 393. *Farn.*

305 *Brachia sunt: flentem flentes complectimur illum*] *Amplectimur* meliores. Videtur scribendum, *et subjecta lacertis Brachia: tum flentem flentes amplectimur illum.* Heins.

308 *Annua*] Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην, &c. Odyss. x. 469. Ancillas vero quatuor anni tempestates exponunt quidam; alii elementa quatuor: ipsam Circen interpretantur mistionem et alterationem diversarum rerum, unde generentur omnia, beneficio Solis, cujus filia Circe. *Farn.*

314 *Ostendit juvenile*] Puto huic versui præponendum esse illum qui sequitur, 'Æde sacra positum.' *Heins.*

FAB. VII. Arg. *Picus in Ausoniis*] Picus Saturni filius rex fuit Latii, qui cum jam Canentem ex Venilia Jani filiam duxisset uxorem, a Circe forte in venatione visus, statimque amatus, cum ei morem gerere nollet, in avem sui nominis fuit mutatus.

320 *Picus*] Picus patri Saturno successit in regno Latii; quo, a Jove pulsus, confugerat Saturnus.

321 *Utilium*] 'Picus equum domitor.' Æneid. VII. ἱππόδαμος. *Farn.*

323 *Ab imagine*] *Sub imagine* veteres quinque. *Heins.*

324 *Nec adhuc spectasse tot annos Quinquennem poterat Graiam quater edere pugnam*] Hæc mendosissima sunt: plurimi veteres *Graia pugna;* nonnulli *poteras, poteram, poterant.* Pro *tot annos*, editiones nonnullæ *per annos;* quomodo Basileensis primus pro diversa lectione: unus Medic. *red annos.* Quid moror? Repone, meo periculo, *nec adhuc spectasse per annos Quinquennem poterat Graia quater Elide pugnam. Edele* vel *edile* exaratum erat perperam literis transpositis, unde *edere* factum postea. De ludis Olympicis agi quis non videt? itaque pluribus conjecturam hanc ut adstruam non est opus. *Idem.*

327 *Suos Verterat in vultus*] Omnium Nympharum oculos in se converterat. *Pont. Fontana petebant Numina Nai-*

ades] *Furtiva numina* Florentinus S. Marci; non male. *Heins.*

328 *Quas Albula*] Tybris, qui a colore aquæ prius Albula dicebatur. *Quasque Numici*] Numicus fluvius est Laurentis agri, in quem Æneam cecidisse ferunt.

329 *Quas Anienis aquæ*] *Quasque* bene unus Bonon. Pro *cursuque brevissimus* Flor. S. Marci, et alii quatuor cum Naugerio, *cursusque*. Puto *cursumque brevissimus.* Heins. *Quas Anienis aquæ*] Anio fluvius est Latii, haud longe ab urbe in Tyberim defluens. *Almo*] Fluvius haud longe ab urbe Roma distans, qui in Tyberim non longe a fonte ingreditur. Unde etiam a Poëta 'brevissimo cursu' esse dicitur. *R.*

330 *Narve tulit præceps*] Nar fluvius est Umbriæ in Tyberim labens. *Et opacæ Farfarus undæ*] Farfarus fluvius est Sabinorum. *R. Et opacæ Farfarus undæ*] *Umbræ* Florent. S. Marci, Bernegg. pr. Hamburg. et octo alii. Servius ad Æn. VII. 715. citat 'et amœnæ Farfarus umbræ;' quod verum puto. Sic et Horatius in Odis 'amœnum Lucretilem' dixit Sabinorum montem, cujus per valles stagnat Farfarus: ubi villam ipse possidebat. Libro etiam primo Epist. XVI. 'opacam vallem' et 'amœnas latebras' vocavit, ubi plura ad rem, ex quibus liqueat umbrosum hunc tractum fuisse. *Heins.*

331 *Scythicæ stagnum nemorale Dianæ*] *Regnum nemorale* Berneggerianus; eleganter mehercules: nam et regnum vocabatur sacerdotium Dianæ Aricinæ et Rex Sacerdos ipse. Unde apud Val. Flaccum, 'soli non mitis Aricia Regi.' Statius in Silvis, 'profugis cum Regibus altum Fumat Aricinæ Triviæ nemus.' 'Nemorensem Regem' vocat Suetonius in Caligula. De Regno Noster Artis Amat. lib. I. 'Ecce suburbanæ templum nemorale Dianæ, Portaque per gladios regna nocente manu.' Et Fast. III. de hac ipsa re, 'Regna tenent fortesque manu pedibusque fugaces.' 'Triviæ nemorosa regna' Martialis; Lucanus 'Scythicæ regna Dianæ' appellant. *Idem. Scythicæ Dianæ*] Cui Scythico seu Taurico ritu, hoc est, humano sanguine aliquando sacrificatum fuit, donec Romani crudelitatem istam aversati, sacrificandi morem hunc aboleverunt, ut et Servius annotat in secundum Æn. Ad quod alludens Virgil. in septimo dixit: 'Pinguis ubi et placabilis ara Dianæ.' Quasi jam mitioris, et sanguine humano non amplius gaudentis. *Micyl. Stagnum nemorale*] Inter nemora positum. *R. Quæque*] Nymphæque colentes stagnum in nemore Aricino, quo Dianam ex tauris Scythicis, ubi immolabantur illi victimæ humanæ, tulit Orestes, Fast. III. De Ponto, I. 3.

333 *Ille colit Nympham*] *Ille fovet* pr. Gronov. et duo alii; recte: ut apud Virgil. 'Ipse Neæram Dum fovet.' 'Colunt' paulo ante præcesserat; quare conjiciebam olim, *una ille calet Nympha. Nymphen* etiam meliores. *Heins.*

334 *Ancipiti Jano*] *Ionio Jano* S. Marci, Neapol. Bernegg. Thuan. pr. Hamburg. pr. Vatic. tert. Medic. quatuor alii; probe omnino, nec tamen a librariis id intellectum. Nam Perrhœbum Janum faciunt Plutarchus in Quæstionibus Romanis, et Athenæus libro XV. qui tractus mari Ionio vicinus, ut Ionium Jano in Italiam contendenti superandum fuerit. *Aonio* pr. Gronov. et Junianus. *Idem. Venilia*] Uxor fuit Jani, antiquissimi Italiæ regis.

337 *Rara quidem facie*] *Faciem* unus Argent. *Heins.*

338 *Unde Canens dicta est*] Nam Canens nomine proprio vocabatur, propter excellentem canendi peritiam. *R. Unde*] 'Ipsa mone quæ nomen habes a carmine dictum.' Ovid. Fast. I. *Farn.*

341 *Fœminea modulatur carmina voce*] *Molitur* Cantabrig. quod placet: sic 'nervos citharæ moliri' Apuleius in Floridis. Forte etiam *flexanima voce*. Heins.

345 *Phœniceam fulvo chlamydem comprensus ab auro*] *Pœniceam* dixi lib. XII. 104. *Contractus* S. Marci, Bernegger. Thuan. et multi alii: nec pauciores *compressus;* alii aliter: *contractus* placet, ut ad fibulam referatur; eamque lectionem arrisisse etiam Gronovio nostro in Observationibus lubens agnosco; nisi *contextus* mavis: nam *contectus* codices nonnulli; duo *complexus*. Giphanius Indice Lucretiano *contactus* ex scriptis; quod nostri codices non agnoscunt. *Idem. Ab auro*] Ab aureo cingulo comprehensam et cinctam chlamydem habens. *R. Phœniceam*] Purpuream indutus chlamydem, quam aureus obibat limbus: vel potius, 'Lato quam circumplectitur auro Baltheus, et tereti subnectit fibula gemma.' Æneid. v. Vide et vs. 394. infra.

346 *Filia*] Circe: vs. ult. lib. XIII. *Farn.*

350 *Cecidere manu quas legerat herbæ*] *Cecidere sinu* pr. Gronov. Thuan. Junian. et pro diversa lectione Bernegger. bene: ut in Fastis, 'Collecti flores tunicis cecidere remissis.' Sed Medea sic inducitur apud Valerium Flaccum libro VII. 'Cingitur inde sinus, et qua sibi fida magis vis Nulla, Prometheæ florem de sanguine fibræ Promit.' Et mox, 'Titania jamque Gramina Perseasque sinu depromere vires Cœperat.' 'Onerare sinum suum saxis' apud Petronium. *Heins. Recidere*] Sic Cadmi comitibus lib. III. 'Effluxere undæ manibus, sanguisque reliquit Corpus, et attonitos subitus tremor occupat artus.' *Farn.*

357 *Et me mea carmina*] *Nec me* meliores. *Heins.*

358 *Effigiem*] Effigiem hanc umbratilem adumbrasse Noster videtur ad illam quam Juno 'nube cava tenuem sine viribus umbram, In faciem Æneæ' finxit, Æneid. x. 636. vel uterque ex Homeri Iliade v. ubi Apollo idolon fecit Æneæ simile; aut Iliade XXI. ubi idem Apollo se Agenori assimilat, quem persequitur Achilles. An vero ejusmodi effigies compingi possint, vide Delrii Disquisit. Magicas, lib. III. q. 27. sect. 2.

360 *Jussit*] *Esset* Florent. S. Marci, et Neap. Forte *Fecit*, ut sex scripti. *Heins. Trabibus*] Arborum ramis, arboribus. *Farn.*

362 *Prædæ petit inscius umbram*] *Gratam petit* Urbin. et unus Medic. *umbras* S. Marci et alii nonnulli. *Heins.*

363 *Spumantia terga reliquit*] *Fumantia* lege ex quatuor scriptis: *relinquit* etiam præstantiores. Sic 'equum fumantia colla' Virgilio. *Idem.*

365 *Concipit illa preces*] Vota quibus a Diis id quod cupiebat impetraret. *R. Et verba*] Bulengerus lib. II. adversus Magos, cap. 1. *Farn. Verba precantia dicit*] *Verba venefica* meliores magno numero. *Heins.*

366 *Ignoto*] Obscuris et non intellectis verbis.

367 *Vultum*] Vide quæ ad vs. 333. lib. IV. et vs. 263. lib. XII.

368 *Patrio*] Soli: lib. præced. vs. ult. *Farn.*

369 *Densatur*] *Densetur* Neap. Thuan. Bernegger. pr. Hamburg. Arondel. Cantabr. pr. Palat. pr. Vatic. tert. Medic. et alii quinque cum Norico. Adi Notas Fast. III. 820. *Heins. Densatur cœlum*] 'In nubem cogitur aër,' ut inquit Virgilius.

371 *Et abest custodia regis*] *Regi* Nauger. pr. Hamburg. et quatuor alii ex nostris; quod et in suis Vivianus invenerat. *Heins.*

373 *Quæ mea*] Oculi quippe sunt in amore duces: ἔρωτος δᾳδοῦχοι, animi sui indices, alieni exploratores et prædatores. 'Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Fœmina.' Georg. III. 215. ἀρχὴ τοῦ ἐρᾷν ἡ διὰ τῆς ὄψεως

ἡδονῇ. Arist. Eth. Ni. lib. IX. 5. Ipsi tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, meis medullis acerrimum commovent incendium, inquit Apuleius Metam. X. 'Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,' Propert. I. Eleg. 1. reflexu scil. radiorum lippiunt amatores oculi, et 'dum spectant læsos, læduntur et ipsi.' Vide lib. III. 440. *Farn.*

375 *Qui prævidet omnia, Solem*] *Pervidet* prim. Palat. S. Marci, Neapol. Urbin. prim. Hamburg. et multi alii; bene. Vide Pont. I. 7. 43. quæ noto. Sol de se lib. IV. 'Omnia qui video, per quem videt omnia tellus.' Lib. XIII. 'quid non hæc omnia magno Sol videt e cœlo?' *Heins.*

380 *Fœdera lædam*] *Rumpam* quinque veteres: ut Epist. Phædræ, 'Non ego nequitia socialia fœdera rumpam.' *Idem.*

382 *Retentatis*] Iteratis.

383 *Neque ait reddere Canenti*] *Neque enim* pr. Gronov. et sec. Moret. bene; nam 'dixit' sequitur. Post τὸ *Circe* paulo post tollendum verbum substantivum ex fide codicum. *Idem.*

384 *Disces rebus ait*] Re ipsa, inquit, cognosces. *Læsaque*] 'Duri magno sed amore dolores Polluto, notumque furens quid fœmina possit.' Æn. V. 5. *Farn.*

387 *Ter juvenem*] Religionis summæ Pythagoricus hic numerus, et masculæ virtutis, et Deorum superum propter trinam regulam divinæ rationis. Vide quæ nos ad Virgilii Eclog. VIII. 'numero Deus impare gaudet.'

388 *Ille fugit, sed se*] *Ille fugit, sese currere miratus* unus Vossianus. *Heins. Sed se*] 'Picus equum domitor: quem capta cupidine conjux,' (lege quæ nos ad locum illum,) 'Aurea percussum virga, versumque venenis Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.' Æneid. VII. *Farn.*

396 *Nec quicquam antiquum Pico nisi nomina restant*] *Antiquo* Neap. Arond. et decem alii; *antiqui* recte optimus Florentinus: et *restat* castigatiores plerique. *Heins.*

FAB. VIII. Arg. *Interea comites*] Pici comites cum vim Circe afferre pararent, in varias feras conversi fuere.

400 *Nebulas ventis ac sole resolvi*] In nonnullis erasa vetus lectio: *recludi* Florent. S. Marci, Bernegg. Thuan. prim. Hamburg. prim. Moret. et quatuor alii: unus *rescindi;* alius *remitti.* Heins.

404 *Erebonque Chaonque*] *Ereboque Chaoque* plerique veteres; et recte. *Idem.*

405 *Longis Hecaten ululatibus orat*] Pr. Palat. pr. Vatic. Thuan. Urbin. pr. Erfurt. aliique plurimi *magnis:* lege *magicis ululatibus.* Idem.

406 *Exsiliere*] *Exsiluere* vetustiores. Mox *arbos,* pro *arbor,* quatuor libri, ut sæpe alias. *Idem.*

411 *Tenues animæ*] Sine corpore. *Animæ volitare videntur*] *Silentum* Neap. Urbin. pr. Pal. pr. Vat. pr. Erfurt. Arondel. et viginti circiter alii; optime. 'Silentes' pro umbris sic passim Poëtæ; sic Æacus 'jura silentibus reddere' dicitur Met. XIII. *Heins.*

412 *Illa paventum*] *Paventis* Florent. S. Marci et Bonon. *Idem.*

FAB. IX. Arg. *Presserat occiduus*] Canens uxor Pici cum virum nusquam inveniret, ita se lacrymis tradidit, ut paulatim juxta Tybrim in auras fuerit resoluta. Locus autem ille Canens a Canentis Nymphæ nomine fuit appellatus.

416 *Presserat occiduus Tarthesia littora Phœbus*] *Tartessia.* Græcis est Ταρτησσός· sed *Traphesia* S. Marci, Neap. Thuan. sec. Pal. pr. Moret. pr. Hamburg. et decem alii: *Thephesia* pr. Vatic. Oxon. et alii septem: *Testesia* pr. Reg. Arondel. et pr. Palat. et Urbin. *Cephesia* pr. Gronov. et octo alii. Forte *Cepheia* cum uno Mediceo: *Carthesia,* vel *Carchesia,* pr. Basil. et decem alii. Scribe *Carteia*

littora. Carteia eadem cum Tartesso, ut credebant veteres. Plinius libro III. 1. Mela lib. II. Strabo apud Silium, 'Arganthoniacos armat Cartheia nepotes.' Atqui Tartessi rex Arganthonius ille longævus fuerat, ut ex historiis notum. Posset et *Carpesia littora* legi; nam in quatuor scriptis *Carphesia.* Καρπησίους Polybius Carpetanas vocat. Carpesii etiam Hispaniæ populi apud Livium. Seneca Hercule Furente, 'Pastor triformis littoris Tartessii;' ubi optimus Mediceus liber *Cartesii:* an *Carpesii?* Pro *Presserat* pr. Gronov. pr. Moret. pr. Hamburg. S. Marci, Neapol. Urbin. Thuan. et viginti alii, *Sparserat.* Corrigo, *Raserat.* Adi Notas Amor. lib. III. Eleg. ult. Pro vulgata tamen lectione facit Statius Theb. VII. 'Jam pronis Gradivus equis Ephyræa premebat Littora.' Seneca Troad. 'summa jam Titan juga Stringit:' quo τὸ *raserat* confirmatur; utrumque verbum a circensibus tractum. Noster Amor. lib. III. 1. 'Nunc stringam metas interiore rota.' Val. Flaccus 'urgere' dixit libro II. 'Jamque Hyperionius metas maris urget Iberi Currus.' *Idem. Tarthesia littora*] Occidentalia; nam Tarthesus urbs est ulterioris Hispaniæ. *R. Tartesia*] Al. *Carthesia litora.* Cartheia enim Melæ, Ptolemæo, et Plinio eadem cum Tartesso: quæ aliis Tarissa est, opp. Hispaniæ Bæticæ inter Calpen et Belonem: aliis *Algezira:* aliis Gadium insula. Strabo lib. III. refert veteres Bætin appellasse Tartessum. Secundum vero opinionem vulgarem, e litore Hesperio prospicientibus Sol in Oceano tanquam in plano occidere videtur.

419 *Lumina portant*] Funalia, faces. *Farn.*

421 *Seque Proripit*] *Sese* legendum; quomodo a manu prima in quarto Mediceo legebatur. *Heins.*

422 *Latos per agros*] *Latios* quatuor scripti: sic supra, 'Latiis accedere silvis.' Dixi Fast. II. 555. *Idem.*

430 *Carmina*] Cycnum, tanquam Apollinis avem, fati sui approximantis præscium suavissime canere scribunt Plato in Phædone. Cic. Tusc. quæst. I. Callimachus, Philostratus, Oppianus, Lucretius, alii innumeri. Negat Athenæus lib. IX. 11. Ὁ δὲ Μύνδιός φησι Ἀλέξανδρος, πολλοῖς τελευτῶσι παρακολουθήσας, οὐκ ἀκοῦσαι ᾀδόντων. Et Ælianus lib. I. 9. Ἐγὼ δὲ ᾄδοντος κύκνου οὐκ ἤκουσα, ἴσως δὲ οὐδὲ ἄλλος. Nec non Pierius lib. XXIII. Hieroglyph. c. 1. et Scaliger 232. Exercitat. *Farn.*

431 *Luctibus extremum*] Malim *Fletibus. Extremis* Florent. S. Marci. *Teneras medullas*, pro *tenues*, plurimi veteres. Et paulo ante, *ipso modulata dolore*, non *ipsos dolores.* Latet mendum: an *spissos dolores?* Heins.

434 *Veteres dixere coloni*] *Camœnæ* Florentinus S. Marci, tert. Bonon. pr. Moret. pr. Hamburg. et unus Basil. quod verum puto: nam a Camœnis hæc loca antiquitus habitata. *Idem.*

435 *Longum narrata per annum Visaque sunt*] In Neapol. erasa vetus lectio, nisi quod *Multaque sunt* restabat; quomodo et codex S. Marci. Bernegg. *Miraque sunt. Mutata per ævum*, idem S. Marci, et prim. Hamburg. Metuo ne hæc interpolata sint. *Idem.*

FAB. X. 441 *Æneia*] Vide 167. supra, et quæ nos ad Æneid. VII. 1. *R. Æneia nutrix*] Cajeta Æneæ nutrix, quæ mortua ac sepulta et portui et urbi nomen dedit. *R.*

442 *Condita marmoreo*] *Marmorea* duo veteres, concinnius, ad urnam referentes. Pro *Caietam* prim. Basil. et tres alii *Caietem;* hoc est *Caieten: Taygetin* unus Palat. *Heins.*

443 *Pietatis*] Redi ad vs. 627. hujus lib. et quæ nos ad eum. *Farn.*

444 *Argolico igne*] Quo a Græcis Ilium fuit incensum. *R. Quo debuit*] Funebri. *Farn.*

447 *Nubilus umbra*] *Umbra* unus

Basil. Mox *cum flava arena,* non *fulva,* S. Marci Florent. tert. Bonon. prim. Hamburg. et unus Voss. bene: imitatio est istorum Virgilianorum ex libro VII. 'fluvio Tyberinus amœno Vorticibus rapidis et multa flavus arena In mare prorumpit.' Silius lib. I. 'In pontum flavo descendit gurgite Tybris.' Noster in Ibide, 'Dum Tyberis flavas Thuscus habebit aquas:' ita enim scripta exemplaria, non *liquidas aquas.* 'Flavus Tyberis' perpetuum epitheton ejus fluvii: ita passim Noster aliique. Reddidimus Nasoni eam vocem in Ibide vs. 138. Trist. v. 1. 'Quot frutices sylvæ, quot flavas Tybris arenas.' *Heins.*

448 *In mare*] 'Vorticibus rapidis et multa flavus arena In mare prorumpit.' *Farn.*

449 *Faunigenæque domo*] Latini Fauni filii. *Faunigenæque*] Fauno et Marica geniti.

450 *Gente*] Rutulis, quorum rex Turnus. Verum hæc omnia liquent ex Æneid. VII.

456 *Evandri ad mœnia frustra*] *Evandri mœnia* unus Basil. et unus Voss. *ad Evandri* duo; nam 'mœnia' mox sequitur. Scribe, *neque Æneas Evandria limina frustra Venerat:* nam τὸ *ad* mox sequens subintelligitur. Sic 'Evandrius ensis' apud Virgilium. De Carmente Silius, 'Evandria mater Hæc fuit.' *Heins.*

457 *At Venulus frustra*] *At Venulus magnam* Florent. S. Marci, et tres alii; recte, nisi quod malim, *Ut Venulus:* nam S. Marci, Urbin. Neap. aliique nonnulli *Et:* plures cum Oxon. *Sed.* Virg. Æn. XII. 'Ecce super mœsti magna Diomedis ab urbe Legati responsa ferunt.' 'Maxima mœnia' Noster ipse paulo post appellat: quare non admitto lectionem plurimorum veterum *ad arces* pro *ad urbem:* sed et vulgatum *magni Diomedis* bene se habet. Virgil. Æneid. VIII. 'Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem.' Sed et codices nonnulli vetusti in loco paulo ante ex libro Æneidos XI. adducto, 'magni Diomedis ab urbe' agnoscunt. *Idem. Profugi*] Diomedes a bello Trojano reversus, ubi comperisset uxorem Ægialen a Comata filio Stheneli corruptam, vitæque suæ insidiantem, in Apuliam profugit: ubi regni parte et filia in uxorem a Dauno donatus, Argyripam condidit.

458 *Iapyge*] Apulo. ut Fast. VI. 'Et generum Œniden, Apule Daune, tuum.' Confunduntur hæc nomina, Apulia, Calabria, Iapygia: quæ proprie continet Messapios, Peucetios, Daunios. Cluver. Italia, lib. IV. 10. *Farn.*

461 *Auxilium petiit*] *Auxiliumque petit* rectius e vetustioribus multi. *Heins. Ætolius*] Diomedes Tydei Ætoliæ regis filius. Sed lege orationem ipsam Venuli Æneid. XI. *Farn.*

462 *Nec se aut soceri*] Multi veteres omittunt τὸ *aut:* et pro *aut* versu proximo *nec* agnoscunt. *Heins.*

464 *Armet habere ullos*] *Viros* Florent. S. Marci, sec Palat. prim. Basil. Arondel. et viginti præterea alii; bene. *Idem.*

465 *Luctus renoventur amari*] *Renovantur amaro,* bene, prim. Gronov. quod ipsum et alii nonnulli agnoscunt. *Idem.*

466 *Perpetiar memorare tamen*] Ex Æneid. II. 'Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit, Incipiam.'

468 *Naritiusque heros*] *Naryciusque,* hoc est, Locrensis. Ajacem enim Oilei innuit. *Heins. Nariciusque*] Ajax Oilei filius Naritia, quæ Locridis urbs est, oriundus: Cassandram regiam virginem e templo Palladis raptam stupravit. Sacrilegium ultura Dea iram in universam Græcorum classem diffudit tempestate deprehensam in reditu. Æneid. I. 'Unius ob noxam,' &c. Qu. Smyrnæus l. XIV. *Farn.*

571 *Fulmina*] *Fulgura* pr. Erfurt. alter Regius, et unus Leid. Pro *imbres* prior Twisdenius *hyemes*, id est, tempestates. *Heins.*

472 *Capharea cladis*] Capharaus promontorium est Eubœæ in Hellespontum spectans, ad cujus radices ira Minervæ ac fraude Nauplii, Palamedis patris, Græcorum classis maximum fecit naufragium. *R.* *Capharea*] Nauplius Palamedis filii mortem ulturus, Minervæ suasu, faces extulit noctu Græcis tempestate laborantibus quasi portus signa: unde plerique ad Capharea et cautes Euboicas naufragi interierunt, 'Ultorque Caphareus,' Æneid. II. *Farn.*

476 *Patriis sed rursus ab agris*] *Ab Argis* multi veteres; et recte: nam Diomedes Argis imperarat. Simile mendum sustulimus Fast. v. 651. Sinon apud Virgilium, 'Si patrios unquam remeassem victor ad Argos.' Et libro XI. in oratione Diomedis, ut quidem in nonnullis membranis exaratum est, 'patriis ut redditus Argis Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem.' Statius Hercule Surrentino. 'Ergo age si patrios jam liber legibus Argos Incolis:' nam vulgati *patriis oris*. Sed placet Florentini omnium optimi codicis et aliorum quorundam scriptura, *patriis aris* exhibentium. *Heins.*

477 *Antiquo de vulnere*] Nam in bello Trojano Diomedes cum Ænea congressus, cum sibi eum auxilio Veneris eripi videret, in ipsam Deam sagittas conjecit: quare Dea irata a Diomede uxoris animum sic abalienavit, ut illum ab excidio Trojano reversum accipere noluerit.

481 *Importunusque Caphareus*] *Importunisque* cum Barberiniano et Langermanniano. *Heins.*

482 *Vellemque horum pars una fuisse*] *Fuissem* cum S. Marci, Bernegger. prim. Hamb. aliisque multis. *Vellemque chori* unus meus ex veterrimo descriptus. *Idem.*

484 *Deficiunt*] Me derelinquere volunt. *At Agmon Fervidus*] Agmon cum Venerem contemneret, in avem cygno similem una cum quibusdam e sociis fuit commutatus. *Agmon*] Nonnulli *Acmon;* quod nomen Græcum est. Sic *Pyracmon* in veterrimis codicibus apud Virgilium: et *Acmonides* apud Nostrum Fast. IV. *Progne, Procne; Cygnus, Cycnus;* et similia. *Heins.*

486 *Patientia nostra*] *Vestra* plerique castigatiores; bene. *Idem.*

488 *Nam dum*] Magnitudo cladis etiam vota damnat, spei nervum incidit, et desperare jubet: 'fortuna miserrima tuta est,' &c. De Ponto II. 2. *Farn.*

489 *Est locus in voto*] *Est in vota locus*, Thuan. et duodecim alii; rectius. *Fors* pro *sors* tres scripti. *Heins.*

490 *Sub pedibus timor est*] Nihil timetur.

491 *Et quod facit, oderit omnes*] *Licet, ut facit, oderit omnes*, nervosius alter Thuan. unus meus, et unus Mediceus; etiam Arondelianus, nisi quod in illo *ut facit* erat omissum: *quin quod facit*, vel, *qua quod facit* Bernegg. *quam quod* prior Hamburg. *vel quod* pr. Moret. et pr. Bonon. Τὸ *licet* geminare neglexerat librarius; hinc natæ tot lectiones. *Heins.*

492 *Et magno stat magna potentia nobis*] *Tanta potentia nobis* unus Moreti, et alter Thuan. *parvo stat* ex veteri libro notarat Politianus et Vivianus; quomodo pr. Moret. et decem alii ex nostris; lege, *et parvo stat tanta potentia nobis:* potest et *magna potentia* ferri. Vide quæ de hoc loco a nobis dicta sunt lib. v. 373. et de Veneris intellige potentia. Malim etiam *odium tamen illius omne Spernimus.* Hoc vult, socios suos superiores esse omni Veneris insultu. *Idem.*

494 *Iratam Venerem*] *Invitam* meus chartaceus ex vetusto descriptus, et pro diversa lectione Zulichemianus: placet; quia *iram* sequitur. *Idem.*

Pleuronius] Ex Pleurone, opp. Ætoliæ. *Farn.*

497 *Respondere volenti*] *Paranti* Urbin. Neapol. et unus Medic. *Heins.*

499 *Plumis quoque colla teguntur*] *Nova colla* S. Marci, uterque Thuan. pr. Gronov. pr. Moreti, pr. Hamburg. et decem alii; quod amplector. *Idem.*

505 *Hunc miratur Abas*] *Mirantur* sec. Vatic. quod sequentia confirmant. *Idem.*

507 *Subvolat, et remos plausis circumvolat alis*] *Circumsonat* diu est quod legendum vidi, ne bis eodem verbo uteretur; quomodo postea in sec. Pal. scriptum offendi: alibi 'stridentes alas' dixit: 'latum Nereus circumsonat orbem,' libro I. Pro *subvolat* multi ex vetustioribus *sevolat;* sed frustra. Infra, 'Subvolat, et cineres plausis everberat alis.' *Idem.*

508 *Si volucrum*] Ἐρωδιοὺς vocat Aristot. lib. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Gaza *ardeas* vertit. Cataructas a Juba vocari scribit Plin. lib. x. 45. De his lege quæ habet Augustin. 18. de civit. Dei; et quæ ad eum L. Vives: et Virg. Æneid. II. *Farn.* *Volucrum dubiarum*] *Subitarum* Thuan. Arondel. prim. Gronov. prim. Basil. sec. Pal. et sedecim alii; probe: de dubiis avibus sunt nugæ, cum in erodios sint mutati; ut pluribus in commentario nostro adstruemus. Epicedio Drusi, 'Œniden subitæ concinuistis aves.' In Ibide, 'Quam cui sunt subitæ frater et uxor aves.' *Heins.*

509 *Proxima*] Simillima: nam Diomedeæ aves oloribus sunt similes. *R.*

510 *Iapygis*] Ad vs. 458. supra. *Farn.*

Fab. xi. Arg. *Hactenus Œnides*] Laviniæ regionis locum arboribus obumbratum Pan Mercurii filius tenuit, quem postea nymphæ occuluerunt. Has pastor Apulus cum procacibus maledictis terruisset, ne amplius linguam in propatulo haberet, numine earum in arborem oleastrum extabuit, et ita factus est. *Lact.*

512 *Hactenus Œnides*] Diomedes Œnei nepos. *R.* *Calidonia*] Apuliam, in cujus parte dotali regnabat Diomedes ex Ætolia, in qua Calydon, advena; ad vs. 457. supra.

513 *Messapiaque*] Messapiam peninsulam, in qua Calabri et Salentini. *Farn.* *Puteolosque sinus*] Puteoli urbs est Apuliæ a multitudine puteorum dicta: legitur etiam *Messapia arva.* Apulia a Messapo duce cognominata.

515 *Et levibus guttis manantia*] *Levibus cannis* S. Marci, Neapol. pri. Vatican. tert. Medic. alii tredecim, et pro diversa lectione Bernegger. et Arondel. lege, *levibus stagnis manantia:* nam in exaratis libris *stannum* pro *stagnum* frequenter scribitur: ita Noster fere semper dat rivos antris. Supra lib. xi. in descriptione Somni, atque ita alibi passim, si attendas: Virgil. 'manantia fontibus antra' in Culice; et in Æn. 'roscida rivis Hernica saxa.' Paulo ante *relinquit* pro *reliquit* cum plerisque melioribus. *Heins.* *Semicaper*] De Pane adi Servium in II. Ecloga Virgil. Nat. Comitem, lib. v. 6. Lil. Gyrald. hist. Deorum. Syntagm. 15. Clariss. Baconum de Sapientia veterum, 'Pan sive Natura.' Alciati emblema 97. atque ad illud Claud. Minoëm. *Farn.*

520 *Ad numerum motis pedibus*] Ita scripti: metuo tamen ne *motis manibus* a Nasone fuerit exaratum. Vide Notas Rem. Am. vs. 334. *Idem.*

521 *Improbat has pastor*] *Appulus has culpat* tres scripti: *Increpat* unus Basil. Mox pro *Addidit*, Thuan. *Addit et:* et pro *imitatus* idem cum duobus Moreti et sex aliis *imitatur.* Scribendum fortasse, *Improbus has pastor saltuque imitatur agresti, Addit et obscœnis convitia rustica dictis:* nam illud *Improbat* hic prorsus frigidum est. *Idem.*

524 *Arbor enim est*] Hæc nihili sunt.

Scribe, *Arbore enim succoque licet* cum Florentino S. Marci. Τὸ *est* etiam quatuor alii omittunt cum Neap. et pri. Reg. Vel repone, quod malo, *Arbore jam succoque licet cognoscere mores*: vel, quod longius abit, *Arbore adhuc*. Metuo tamen ne quid altioris mendi subsit. *Idem.*

525 *Notam*] Amarulentiam, qua lingua notabatur. *Farn.*

FAB. XII. 527 *Hinc ubi*] 'Ecce super mœsti magni Diomedis ab urbe Legati responsa ferunt,' &c. Æneid. XI. *Farn.*

528 *Rutuli*] Populi fuerunt quibus imperavit Turnus. Hæc autem narrantur, ut commodius navium Æneæ transmutationem in Nymphas inserere possit Poëta. *R.*

529 *Bella infausta gerunt*] *Instructa gerunt* S. Marci, Urbin. pr. Hamb. et quatuor alii; quod vehementer arridet: sex alii *infesta*; unus, *exhausta*; alius, *exusta*; alius item *ingesta*. Heins.

530 *Fert*] 'Classem, quæ lateri castrorum adjuncta jacebat,' &c. Æneid. IX. *Farn.* *In pinea tecta*] Periphrasis est navium, quæ ex pineis tabulis conficiuntur. *R.* *Pinea*] Ita Epist. XXI. 'Pictæ meæ tetigi quo pede texta ratis!' magistro usus Catullo in Nuptiis Pelei et Thetidos: 'Pinea conjungens inflexa texta carina.' *In pinea Turnus Tecta faces*] *Testa* S. Marci. Lege, *Texta* cum Cantabr. Juret. pr. Erfurt. pr. Basil. pr. Gronov. et multis aliis. Trist. lib. I. 3. 'Pinea texta sonant: pulsi stridore rudentes.' Fast. I. 'Pinea non sano ter pede texta ferit.' Catullus pari modo initio Epithalamii Thetidis. In altero Thuani, *stupea tecta*. Heins.

532 *Jamque*] 'Piceum fert fumida lumen Teda, et commistam Vulcanus ad astra favillam.' Æneid. IX. *Farn.*

534 *Fumabant transtra*] *Flammabant* optimus Thuan. an *flammabat*? Val. Flaccus lib. V. 'Sol propius flammabat aquas:' aut, quia hoc insolentius, *lambebat*, ut apud Valer. Flaccum lib. V. 'Sola virum flammis vidit lambentibus ossa.' Horat. Sat. I. 5. 'Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam Vulcano summum properabat lambere tectum.' Pro *transtra* multi veteres, atque inter hosce S. Marci, Neapol. Thuan. quart. Medic. Oxon. pr. Hamburg. et sex aut septem alii, *igne*. Scribe, *fumabant tigna carinæ*; vel *lambebat*: quam vocem etiam restituimus Fast. IV. 233. Lucretius, 'Nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum Et celeri flamma degustant tigna trabesque.' Sed et tigna in navibus. Propert. lib. IV. 6. 'Quodque vehunt proræ Centaurica saxa minantes, Tigna cava et pictos experiere metus.' Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'Illum piscosi viderunt saxa Pelori Ignibus hostilis tradere tigna ratis:' sic scribo; vulgati *reddere ligna*: sic et *tigna* in vineis. Adi Festum. Vetus Glossarium Ms. 'Tignum dicitur omne genus ligneæ materiæ:' hinc *tigillum*; qua voce usi sunt Catullus et Tibullus lib. II. 1. tum et Catalectis Pentadius carmine de Vere, 'Nota tigilla linit jam garrula luce chelidon: Dum recolit nidos, nota tigilla linit.' Ita scribendi illi versus ex fide duum vetustissimorum codicum. *Jam motacilla canit* in vulgatis legitur. Virgilii nempe illa respexit, 'Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.' *Linit*, luto conspergit. 'Parvum tigillum' Phædro lib. I. Fab. 2. Usus et ea voce præter Tibullum Juvenalis. *Heins.*

535 *Cum memor*] Adi Æneid. II. 'Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida Æneas classem,' &c. *Farn.*

538 *Leonibus*] Lib. X. 704. *Farn.*

545 *Astræi*] Venti, Astræi gigantis et Auroræ filii. Ἀστραίῳ δ' ἠὼς ἀνέμους τέκε καρτεροθύμους, Hesiodus in Theogonia.

546 *Stuppea*] Funis quo navis littori alligatur, Græcis dicitur ἐπίγειον et πεῖσμα, Latinis *ora*, ut Quintilianus : Sublatæ sunt anchoræ, solvimus oram. Gyrald. lib. de Navigiis. *Farn.*

547 *Prærupit Phrygiæ retinacula classis*] Malim *classi*. *Prorupit* multi vetustiorum, vel *prorumpit*. Heins.

548 *Medioque sub æquore mergit*] *Imoque sub æquore* unus ex meis. Virgilius in hac narratione ; ' Delphinumque modo submersis æquora rostris Ima petunt.' Noster Trist. II. ' imoque sub æquore mergit Incolumem toties una procella ratem.' Tamen apud Maronem Æn. VI. ' quis te, Palinure, Deorum Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit ?' *Idem.*

550 *In capitum facies*] *Faciem* prim. et tert. Moreti, Juret. et alter Thuan. *Idem.*

552 *Quodque sinus fuerat, latus est*] *Quodque latus fuerat, latus est* Thuan. prim. Moret. Arondel. sec. Palat. quart. Medic. Oxon. alii quatuordecim ; recte : nam et latera navium dicuntur : nisi quod malo cum Neapol. *Quodque prius fuerat, latus est ;* quo alludunt et alii : nam quatuor *Quodque ratis :* alius *Quodque latus fuerat, ratis est.* *Quodque simul* prim. Gronov. *Idem.*

555 *Ante timebant*] *Tenebant* Urbin. Bernegg. *Idem.*

557 *Durisque in montibus ortæ Molle fretum celebrant*] *Summisque in montibus* multi veteres ; quibus cave accedas. ' Duri montes' et ' molle fretum' opponuntur. Sic infra, ' Posuitque in limine duro molle latus.' *Idem.* *Summis*] ' Pinea sylva mihi multos dilecta per annos, Lucus in arce fuit summa,' &c. Cybele apud Virgil. Æneid. IX. 85. Lege et epigrammata in Naves I. lib. Anthologiæ cap. 57. *Farn.*

558 *Nec eas sua tangit origo*] Nihil curant redire in montes, ubi sunt ortæ. *R.*

559 *Non tamen*] Non ignaræ mali miseris navigantibus succurrere didicerunt : exceptis tantum Græcis, qui Trojæ hostes ; estque transitio ad seq. Fabulam. *Farn.*

FAB. XIII. 563 *Neritiæque*] Qua vectus est Ulysses, Ithacæ, in qua mons Neritos, dux.

564 *Ratis videre rigescere puppem Vultibus*] Non placet ista repetitio. Bernegger. prim. Gronov. et unus Basil. *lætis videre rigescere puppem Cautibus ;* rectius. *Cautibus* etiam pro diversa lectione Arondel. et duo alii : prim. Basil. et tert. Reg. *Cantibus.* *Puppim* etiam multi : *pinum* sec. Vatic. sed *lætæ videre* probe Noricus. *Heins.* *Puppim*] Ulyssem e naufragio enatantem hospitio excepit Alcinous Phæacum rex : navique et comitatu instruxit, qua in Ithacam veheretur : hanc navem Neptunus Polyphemi vindex in scopulum mutavit. Homer. Odyss. XIII. *Farn.*

565 *Alcinous*] Naufragum Ulyssem comiter excepit, omnibusque rebus necessariis juvit. Hom. Odyss. H. et seqq. aliquot. *Saxumque increscere ligno*] Ὦ πόποι, ἦ μάλα δή με παλαίφατα θέσφαθ' ἱκάνει Πάτρος ἐμοῦ, ὃς ἔφασκε Ποσειδάων' ἀγάσασθαι Ἡμῖν, &c. Et paulo post, μέγα δ' ἧμιν ὄρος πόλει ἀμφικαλύψαι. Oratio Alcinoi. Odyss. N. a vs. 172. Illa autem prædictio habetur Odyss. Θ. a vs. 567. Φῆ ποτε Φαιήκων ἀνδρῶν εὐεργέα νῆα Ἐκ πομπῆς ἀνιοῦσαν ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ Ῥαισέμεναι, &c. ' Phæacum ad navem convertit tela doloris : Horribilis saxo versa carina sedet.'

FAB. XIV. 566 *Animata*] Mutata in Nymphas.

568 *Perstat*] ' At non audaci cessit fiducia Turno : ultro animos dictis tollit, atque increpat ultro ; Trojanos hæc monstra petunt,' &c. Æneid. IX. *Deos pars*] Hæc Venerem, illa Junonem. ' Sat fatis Venerique datum,' &c. ' Sunt et mea contra Fata mihi,' &c. Turnus Æneid. IX. 137. *Farn.* *Quodque Deorum est Instar, habent ani-*

mos] Τὸ *est* plurimi non agnoscunt. Pro *quodque* sec. Palat. et meus chartaceus *quisque*. Puto, *quique Deorum Instar, habent animos:* et sic pr. Strozzæ pro diversa lectione. Notum illud Mezentii, 'Dextra mihi Deus.' Similia Capaneus apud Statium. *Heins.*

569 *Nec jam dotalia regna*] *Nec tam* sec. Palat. Et mox *Se vicisse.* Forte, *Quam vicisse petunt.* Idem.

570 *Soceri*] Latini regis.

571 *Deponendique pudore Bella gerunt*] *Deponendoque dolorem Bella petunt* S. Marci, et tert. Bonon. *petunt* etiam duo alii: *deponendique timore bella petunt* pr. Gronov. *deponendoque pudorem* alter Erfurt. at Arondelianus *Bella volunt* pro diversa lectione; quod arridet. *Heins.*

574 *Quam postquam barbarus ensis Abstulit*] *Barbarus ignis* in potiore scriptorum parte: novi 'Barbaros' dici Phrygas, et 'opem Barbaricam,' similiaque, de quibus Giphanius inter cæteros Indice Lucretiano in ea voce. Hic tamen scribendum censeo *Dardanus ignis;* sic supra, 'Danaas paverunt Pergama flammas:' et alibi, 'Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes.' Æneid. II. 'Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes.' Horatius, 'Uret Achaicus ignis Iliacas domos.' Et 'Nescios fari pueros Achivis Ureret flammis.' Seneca Agamemnone: 'Cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes:' atque ita passim optimi Scriptores. *Pestifer ignis* unus Moreti; ut lib. VIII. 477. *Idem.* *Barbarus*] Trojanus. Namque Ardeam Rutulorum regni caput, interfecto Turno, Æneas incendit. Frustra sunt Servius et alii, qui hoc ad Annibalem referunt. Trojani enim, aliique omnes Græcis Barbari habiti, mox etiam Latinis. *Farn.*

575 *Tepida patuerunt tecta favilla*] *Latuerunt* cum Thuan. Cantabr. pr. Erfurt. pr. Basil. pr. Gronov. pr. Moret. aliisque plurimis. *Heins.*

576 *Congerie e media*] E medio rogo. *R.* *Præpes*] Avis: utut in auguriis præpetes dicantur felices aves, et quæ altius subvolant. Agell. lib. VI. 6. *Farn.*

FAB. XV. 581 *Jamque Deos omnes*] Æneas cum ad ultimum ætatis suæ tempus venisset, precibus Veneris omnium Deorum consensu in Deum, quem Latini Indigetem appellarunt, fuit transmutatus. *Ipsamque Junonem*] Quæ semper ei fuerat adversata.

582 *Finire coërcuit iras*] *Coëgerat* castigatiores magno numero; quod verum est. *Heins.*

584 *Tempestivus*] Ut qui gloriæ suæ satis vixisset, cœlo maturus, Divis adscribendus esset. *Farn.*

587 *Mitissimus opto*] *Oro* Thuan. pr. Reg. pr. Gronov. cod. Polit. et multi alii. *Heins.*

590 *Inamabile regnum*] Inferorum regnum. *R.* *Satis est*] Satis sit Heroi semel vidisse Inferorum regna, semel Styga transisse. Supr. vs. 116. et Virg. Æn. VI. Vide quæ nos ad illa, Æneid. VI. 'Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre Tartara.' *Inamabile*] Lege quæ Agellius lib. II. 6. atque Macrobius lib. VI. 7.

594 *Tum pater, est is, ait, cœlesti numine dignus*] Repone ex castigatioribus magno numero, *Tum pater, Estis, ait, cœlesti munere digni, Quæque petis, pro quoque petis.* *Gnata* etiam Boxh. *Heins.*

599 *Numicius*] Latii fluv. Æneæ terminus vitæ. Secundum inde prælium Latinis, Æneæ etiam ultimum operum mortalium fuit, inquit Livius lib. I. Namque ibi pugnans cum in flumine interiisset, nec corpus ejus inveniretur, ad Deos migrasse credebatur. Dionysius lib. I. Juvenalis Satyr. II. Hercules et Æneas: 'Alter aquis, alter flammis, ad sidera missus:' et Tibul. Eleg. II. 3. *Farn.*

602 *Corniger*] Fluvii cur cornuti et tauriformes, vide lib. IX. 80. et lib. XIII. 895.

604 *Et respersit aquis*] *Respergit* rectius multi. Censeo tamen scribendum *detergit* ἀρχαϊκῶς, pro *deterget;* quomodo Poëtæ passim. *Heins. Pars optima*] Pars melior, anima. *R. Restitit illi*] Remansit Æneæ.

608 *Indigetem*] Situs est, inquit Livius lib. I. quemcunque eum dici fas jusque est, super Numicium fluv. Jovem Indigetem appellant. Indigetes autem sunt qui ex mortalibus indigenis in Deorum numerum relati sunt, quasi in Diis agentes. Vide quæ nos ad Æneid. XII. 794. 'Indigetem Æneam scis ipse,' &c. et quæ Lil. Gyrald. primo Syntagmate de Diis. *Temploque*] Latini sacellum tanquam Heroi dicaverunt, cum inscriptione hujusmodi: Πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὃς ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα διέπει, Dionysius lib. I. *Farn. Temploque arisque recepit*] *Reponit.* Heins.

FAB. XVI. 609 *Ascanii binominis*] Duo nomina habentis. Nam et Ascanius et Iulus a prima lanugine, quæ ἴουλος Græce dicitur, fuit cognominatus. *Inde*] Cessit novercæ Lavinium Ascanius sive Iulus, Albamque condidit. In hac Albanorum regum genealogia dissentit a se Noster, in quarto Fastorum; a Nostro Livius I. lib. et Dionysius. Successionem vero breviter sic cape. 1. Ascanius. 2. Sylvius Posthumus Æneæ filius. 3. Æneas Sylvius: mansit enim Sylvius postea omnibus cognomen. 4. Latinus. 5. Alba. 6 Atis, seu Epitus. 7. Capys. 8. Capetus, seu Calpetus. 9. Tiberinus. 10. Remulus. 11. Agrippa, qui Nostro Acrota. 12. Aventinus. 13. Procas. 14. Amulius Numitor. *Farn.*

610 *Successit Sylvius illi*] *Succedit* S. Marci, Bernegger. prim. Vatican. tert. Medic. et alii viginti. *Heins.*

611 *Latinus*] Sylvii Æneæ filius, Posthumi nepos. Post Latinum autem alii recensent Albam, post Albam Ovidius hic Epitum vocat. *Micyl.*

612 *Clarus subit Alba Latino*] *Subit ecce* veteres plerique; nisi quod pr. Gronov. et unus Leid. *inde.* Pro *Clarus* multi veteres *Clarius: natus* sec. Palat. et unus Leid. et unus Vossii: at pr. Erfurt. *Narus:* alter Erfurt. *Daunus:* sec. Moret. *claro subit ecce Latino. Alba* est in uno meo, Calandræ, et Politiani Excerptis. *Ecce Latinum* Langerm. et Urbin. *Latinus* pr. Hamburg. et S. Marci. At primus Moreti, *clarum subit Alba Latinum;* optime: Fast. IV. initio, 'Isque, Latine, tibi pater est, subit Alba Latinum.' *Heins.*

613 *Epirus ex illo*] *Ex illo est* vetustiores. *Epiros* etiam Bernegg. alter Erfurt. pr. Twisd. et pr. Gronov. dixi Fast. IV. 43. Pr. Moreti, *Egrotos:* apud Virgilium Æn. II. pro eo quod in vulgatis legitur codicibus, 'Addunt se comites Ripheus et maxumus annis Iphitus,' codex veterrimus Mediceus agnoscit *maxumus armis Æpitus;* in aliis *Ephytus:* et lib. V. *Epytides* Iuli custos in veterrimis membranis; qui *Epitides* in vulgatis est libris. Homero Iliad. P. Κῆρυξ Ἠπυτίδης. *Idem.*

615 *Thusci fluminis*] Periphrasis est Albulæ, qui postea Tyberis a Tyberino rege in illo submerso fuit appellatus. *R. Demersus*] Vetustiores *dimersus.* Heins.

616 *De quo Remulusque feroxque Acrota*] Post Tyberinum, Agrippam Sylvium numerant, Tyberini filium, qui annis regnavit tres et triginta. Post Agrippam autem Remulum hujus filium, quem tamen Dionysius Alladium vocat. *Micyl.*

617 *Maturior annis*] *Armis* pr. Bas. *ævis* unus Voss. puto *ævi.* Adi Notas lib. VIII. 617. *Heins.*

618 *Imitator fulminis*] Cum enim vellet videri fulmina jaculari, a Jove fulmine vero percussus est. *R. Fulmineo*] Alter Salmoneus, 'Qui flammas Jovis et sonitus imitatus Olympi:' ἀντιβροντῶν vero interiit fulmine. *Farn.*

621 *Positus*] Sepultus. *Tribuitque*

vocabula monti] Aventinus enim unus ex collibus Romæ urbis ab Aventino rege, illic sepulto, fuit cognominatus.

622 *Palatinæ summam Proca gentis habebat*] *Palatinus summæ loca gentis* scripti omnes nostri cum vetustis editionibus; nisi quod *Palatinæ loca gentis* Florentinus S. Marci et Neap. omisso τῷ *summam:* sec. Pal. *Palatinæ summæ loca gentis.* Scribe, *Palatini summam Proca collis habebat:* in τῷ *loca* vides vestigia *collis: gens Palatina* ineptum est. *Heins. Palatinæ summam gentis*] Ita ut 'summa gentis' accipiatur, pro imperio et summa parte gentis Palatinæ, hoc est, quæ circa palatium et ea loca, ubi postea Roma condita fuit, tum habitabat. Et Dionysius post Aventinum, Procam numerat, patrem Amulii et Numitoris. *Micyl.*

623 *Latinas*] *Latinos* multi veteres; utrumque bene. *Heins.*

624 *Hamadryadas*] Nymphas: quæ vero sint Hamadryades dictum ad lib. VIII. 777. *Farn.*

628 *Nec jaculo gravis est*] Nec dextra Pomonæ, inquit, jaculum gestat, sed falcem, qua luxuriantes ramos recidat. *R. Sed adunca*] 'Inutiles falce ramos amputat, Feliciores inserit.' Horat. Epod. II. Insitionum genera docent Columella de re rustica lib. V. 2. idem lib. de arboribus, Palladius in Februario, tit. 17. Plin. lib. XVII. cap. 14. Virg. Georgic. II. 69. *Farn.*

630 *Fisso modo cortice lignum*] *Fissa* Bernegger. pr. Palat. pr. Gronov. et decem alii ex vetustioribus. Dixi lib. IV. 375. Pro *lignum* pr. Gronov. et quatuor alii *virgam;* bene. *Heins.*

631 *Succos præstat*] *Præbet* ex vetustioribus plurimi. *Idem. Alieno alumno*] Surculo ex alia arbore in aliam translato. *R. Alieno*] 'Miraturque novas frondes et non sua poma.' *Farn.*

633 *Fibras*] Tenuiores subtilioresque radices. *R. Labentibus irrigat undis*] *Latentibus* Bernegg. prim. Moret. fragm. Boxhornii, aliique nonnulli. Quid si *lactantibus undis* scripserit Ovidius? lac certe succus in plantis herbisque dicitur. Hinc 'herba lactaria' et 'lactuca,' et 'lac Cyrenaicum,' lazerpitii succus: 'lactantem annum' Noster dixit lib. XV. hinc etiam 'Lactans Deus' et 'Lactucia Dea' apud Augustinum de Civitate Dei. Propert. IV. 2. 'Et coma lactenti spicea fruge tumet.' 'Lactens ficus' apud Nostrum in Fastis; et 'lactentia frumenta' apud Virgilium. Potest et *lambentibus undis* legi. Vomanus de laudibus Hortuli in Catalectis, 'Aquæ strepentis vitreus lambit liquor, Sulcoque ductus irrigat rivus sata.' Prudentius Cathemerin. Hymno V. 'Illic et gracili balsama surculo Desudata fluunt, raraque cinnama Spirant, et folium, fonte quod abdito Prælambens fluvius portat in exitum:' sic vetustiores membranæ. *Heins.*

635 *Vim tamen agrestum*] *Agrestem* tert. Medic. et unus Vossianus. *Idem. Agrestum*] Vide quæ ad vs. 150. lib. I. et 500. vs. lib. VIII. *Farn. Vim agrestum*] Violentiam rusticorum.

639 *Silenusque*] *Silvanusque* plerique vetustiores; recte: qui numen est Latinum, ut et Vertumnus. Sileno nullus hic locus, non magis quam Baccho, cui is comes adhæret semper indivulsus. Silvanus Deus agrestis. Virgilius initio Georg. postquam Cererem, Faunos, Dryadas, Pana, Minervam, alios Deos agrestes invocavit, addit, 'Et teneram ab radice ferens Silvane cupressum:' cujus ad exemplum quoque Gratius initio Cynegetici, post alios Deos agrestes invocatos, 'Naides, et Latii cultor qui Faunus amœni, Semper et inculto Silvanus termite gaudens.' Sed et idem Maro Georg. II. 'Fortunatus et ille, Deos qui novit agrestes, Panaque Silvanumque senem:' unde ap-

paret cur Nostro 'suis juvenilior annis' dicatur. *Heins.*

641 *Ut potirentur ea*] *Poterentur* meliores: dictum lib. XIII. 130. *Idem.*

642 *Vertumnus*] Qualis Deus fuerit Vertumnus, quæ nominis ratio, et in varias formas mutabilitas, docet Propertius Eleg. IV. 2. et ad eum Beroaldus et Jo. Annius. Vide et Lil. Gyrald. Syntagm. 4. nec non Baptistæ Pii Annot. Poster. cap. 33. Ad anni vertentis varias vices refertur Vertumnus: 'Seu quia vertentis fructus percepimus anni,' &c. Propertius ibid. *Farn.* *Hos quoque Vertumnus*] Vertumnus Deus est bene vertendarum rerum, hoc est, vendendarum atque emendarum, a vertendo dictus; quod se in varias verteret formas. Inde Vertumnalia dicta sunt, quæ mense Octobri in honorem Vertumni celebrabantur, ut auctor est Varro. Vide Baptist. Pium Annotat. poster. cap. 33.

646 *Versare videri*] *Versasse* rectius sec. Pal. prim. Bas. uterque Erfurt. Juret. et decem alii: et mox *Jurares* pro *Jurasses* Arond. Boxhorn. Oxon. et alii undecim. *Heins.*

647 *Sæpe manu stimulos*] Sæpenumero, inquit, in bubulcum Vertumnus commutabatur, ut Pomona potiri posset.

649 *Vitisque putator*] Malim *vitisve.* Heins.

650 *Induerat scalas*] *Induitur scalas* Thysii codex; eleganti Græcismo. Vide Notas Trist. IV. 1. 76. sed tum pro *putares* sit legendum *putaris.* Idem.

653 *Spectatæ gaudia formæ*] *Speratæ* prim. Basil. sec. Pal. alter Hamburg et quinque alii; etiam pro diversa lectione Neap. ut lib. III. 'Ibat ut injiceret sperato brachia collo.' Apud Terentium tamen 'formarum spectator.' *Idem.*

656 *Assimilavit anum*] *Assimulavit* multi veteres. *Idem.*

657 *Tantoque potentior, inquit*] *Peritior* multi; frustra. Quidam addunt duos versus, 'Omnibus es Nymphis, quas continet Albula ripis. Salve, virginei flos intemerate pudoris:' sed nugæ sunt. Vide omnino de eleganti hoc loquendi modo Observationum Gronovianarum lib. II. 21. et Tanaquillum Fabrum ad Phædrum. Sic Fast. V. ex antiquis libris, 'At mihi pande precor tanto meliora petenti.' *Idem.*

660 *Autumni pondere*] *Autumnum in pondere* unus Bononiensis. Forte, *autumno pondere,* ut lib. III. sub finem. Pro *pandos ramos* multi *patulos, gravidos, curvos:* nil muto. *Idem.*

661 *Speciosa nitentibus uvis*] *Spatiosa tumentibus uvis* repone ex plurimis veterum. Trist. IV. 6. 'Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis.' Infra lib. XV. 'tumidæque in vitibus uvæ.' Virgil. 'tumidis Bumaste racemis.' Cato in Diris, 'Dulci namque tumet nondum viticula Baccho.' *Idem.*

663 *Cælebs*] Sine conjuge. Vites enim sic ulmos amplectuntur, ut uxores viros. *Sine palmite*] Sine vite. *R.* *At si staret*] At nisi maritatas haberent vites ulmi aut populi, nil præter frondes suas haberent. Cælebs unde dicatur, vide quæ ad Senecæ Hippolytum, vs. 230. *Farn.*

666 *Si non juncta foret*] *Nuda* S. Marci, pr. Hamburg. et tert. Bonon. *nupta* Thuan. et prim. Bonon. certe aut *nupta* legendum, aut *vincta* cum Neap. nam *juncta* proximo versu præcesserat; nisi illic *vincta* legis cum pr. Gronov. quomodo Noster Epist. V. 'Non sic appositis vincitur vitibus ulmus.' Pentadii de adventu veris, ut scribendum est: 'Vitea musta tument vicinas vincta per ulmos:' ubi *tumere* denuo habes. 'Nupta vitis,' quomodo 'ulmus marita,' non Poëtis tantum, sed et Columellæ ac aliis rei rusticæ scriptoribus passim dicta. Apposite Plinius lib. XIV. 1. 'Jam in Campano agro populis nu-

bunt vites, maritasque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachiis, geniculato cursu scandentes, cacumina æquant.' Gualterus in Alexandreide libro primo, 'tot nuptas vitibus ulmos;' quæ sine dubio ad imitationem alicujus Poëtæ ex vetustioribus, ut alia multa, ille dixit. Vomanus de laudibus Horti, in Catalectis, 'Fœcunda vitis conjuges ulmos ama.' Horatio Od. IV. 5. 'Et vitem viduas ducit ad arbores.' Et Juvenali Sat. VIII. 'Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.' Catullo quoque 'vidua vitis' et 'marita ulmus' dicuntur in Epithalamio. 'Vitis maritat populos' Horatio Epod. II. Columella lib. V. 6. 'At si teneram ulmum maritaveris, onus nupta non sufferet. Si vetustæ vitem applicueris, conjugem necabit. Ita suppares esse ætate et viribus arbores vitesque convenit. Sed arboris maritandæ causa scrobis viviradici fieri debet.' Sic ista ex vestigiis vetustissimi codicis S. Germani constituenda sunt; in quo 'At si teneram ulmum maritaveris, onus non nam sufferet, si vetustate vitem applicueris.' Idem quoque recte *suppares* pro *sibi pares.* Paulo post, 'Viti novellæ pampinarium dimitti (vet. cod. immitti) non oportet, nisi necessario loco natus est, ut viduum ramum maritet.' *Heins.*

670 *Lapitheia movit prælia*] *Semeleia* S. Marci, quod non intelligo. *Idem.*

671 *Conjux timidi atque audacis Ulyssei*] *Aut audacis* plerique veteres; sed nihili hæc sunt: nam si timidus, cur audax? Vere Barberin. *timidis audacis Ulyssi.* Hoc est, audacis in timidos. Noster lib. X. 'fortisque fugacibus esto, Inquit: in audaces non est audacia tuta.' De Crocodilo Ammianus Marcellinus lib. XXII. 'Audax tamen monstrum fugacibus, ubi audaces senserit timidissimum.' Et lib. XXVII. de Probo, 'Erat tamen interdum timidus ad audaces, contra timidos celsior.' *Idem.*

675 *Sed tu, si sapies*] *Sapias,* et mox *velis,* multi veteres. Sed nihil puto mutandum, quia tum *rejicias* et *seligas* etiam esset dicendum. Epist. V. 99. scribendum etiam opinor, 'Nec tibi, si sapies, fidam promitte Lacænam,' non *sapias.* Idem.

678 *Tibi delige*] *Selige* codex S. Marci, et prim. Hamburg. alii multi *dilige;* unde 'dilectum habere.' *Idem.*

681 *Hæc loca magna colit*] *Nec loca* Bernegger. sec. Pal. Cantabr. uterque Erfurt. Arond. et alii viginti; ex præscripto Poëtæ, 'Laudato ingentia rura, Exiguum colito.' Sed quia mox sequitur, 'nec uti pars magna procorum,' vix videtur id ferri posse. In uno meo, quem ab Ægidio Menagio viro cultissimi ingenii munus accepi, pro diversa lectione *loca sola;* quod ex suis etiam Vivianus notat. Puto, *sed loca sola colit.* Sic Lucretio lib. VI. de fulminibus, 'Cur etiam loca sola petunt?' Cephalus apud nostrum lib. VII. 'Tu facis ut silvas, ut amem loca sola.' *Idem.*

682 *Quam modo vidit*] *Quas* S. Marci, Neapol. Urbin. et unus meus. Mox *devovet ignes* unus Basil. pro *annos.* Idem.

684 *Quod*] 'Opportuna mea est cunctis natura figuris: In quamcumque voles, verte; decorus ero.' Propertius Eleg. IV. 2. et mox; 'At mihi, quod formas unus vertebar in omnes, Nomen ab eventu patria lingua dedit.' *Farn.*

688 *Prima*] Vertumno dicabantur fructuum primitiæ: ipse dicto Propert. loco; 'Prima mihi variat liventibus uva racemis, Et coma lactenti spicea fruge tumet,' &c. *Farn.*

689 *Jam fœtus*] Nil libri juvant. Puto nihilominus, *Sed neque tam fœtus desiderat arbore demtos, Nec quas hortus alit cum succis mitibus herbas, Nec quicquam, quam te:* vel, *Nilve aliud, quam te.* Heins.

692 *Quod petit*] *Qui petit* duo veteres; rectius. *Idem.*

694 *Idaliam*] *Idalian* pr. Palat. et duo alii: *Idalien* Oxon. pr. Moret. pr. Hamburg. et sex alii. *Idem.* *Rhamnusidis*] Nemesis Deæ superborum insolentiam et fastum ulciscentis: de qua vide quæ adnotavimus ad 406. vs. lib. III. et vid. Plin. lib. II. 45. *Farn.*

695 *Quoque magis caveas*] *Timeas* S. Marci, Neap. Urbin. Thuan. Juret. aliique plurimi, venusta repetitione. *Heins.*

697 *Facta*] Malo *Fata* cum Sixiano et uno meo. *Idem.*

FAB. XVII. 698 *Teucri*] Quem Telamon pater, quia Ajacis fratris necem non fuerat ultus, Salamine arcebat: is itaque in Cypro insula novam condidit Salamina. *Teucri*] Dict. Cretens. l. VI. in principio: 'Telamone cretus, Teucer, a Troja venit, Troja cremata: et patrio pulsus solo, A cæde fratris, Pharia visit littora:' quod ita ex Eurip. Helen. reddimus.

700 *Perceperat ossibus ignes*] *Æstum* vetustiores plerique cum S. Marci codice. *Heins.*

701 *Luctatusque*] Hunc versum habes ante l. VII. 10.

703 *Et modo*] Hæc ex penitissimis artis et experientiæ suæ mysteriis Poëta. Solebant enim amatores per nutrices, ancillas, famulos sollicitare amicas suas; tabellis, prece supplici et obsequio ambire; postes noctu corollis et sertis ornare; cantu delinire; querelis implorare; in limine pernoctare, lacrymas, vinum, aquam ad januæ cardines effundere, &c. Plautus in Curculione act. I. scen. 1. Hor. Od. I. 25. et III. 10. Persius Sat. V. 'dum Chrysidis udas Ebrius ante fores extincta cum face canto.' Noster in lib. de Arte passim. In II. 'Sæpe feres imbrem cœlesti nube solutum, Frigidus et nuda sæpe jacebis humo,' &c. *Farn.* *Miserum amorem*] Eam enim a qua non amabatur amabat. *Farn.* Addit hos 2. vs. 'Ne sibi dura foret, per spes oravit alumnæ: Et modo, de multis alicui blanditus amicis.'

704 *Per spes oravit alumnæ*] Puto *spes alumnas*. Adi notas nostras Met. IV. 421. Sic 'Per spes socias,' lib. XIII. *Heins.*

705 *Et modo de multis alicui blanditus amicis*] *Blanditus cuique ministris* Thuan. pr. Reg. pr. Moret. et alii decem; probe: *cuiquam blanditus* pr. Basil. *alicui blandita ministris* pr. Palat. pr. Vatican. tert. Medic. Urbin. uterque Hamburg. et septem alii. Calandr. et præterea quinque, *suadendo cuique ministris:* Neapol. *alicui suadendo ministris;* in quibus omnibus veræ lectionis apparent vestigia. *Idem.*

710 *Tristisque seræ convitia fecit*] Scribe *tristique seræ* cum uno Basil. hoc est, difficili, immitti. Vide Nonium in *Triste.* Idem.

711 *Sævior illa freto*] *Surdior* prim. Gronov. alter Erfurt. et quatuor alii; optime. Epist. Hermiones, 'Surdior ille freto clamantem nomen Orestæ Traxit inornatis in sua tecta comis.' Epistola Leandri, 'Nec faciam surdis convitia fluctibus ulla.' Artis lib. I. 'Thesea crudelem surdas clamabat ad undas.' Horat. Od. III. 7. 'scopulis surdior Icarii.' Idem Epod. XVII. 'Quid obseratis auribus fundis preces? Non saxa nudis surdiora navitis Neptunus alto tundit hybernus salo.' Sic 'surdæ fores' de quibus Amor. l. I. 6. 'o foribus surdior ipse tuis.' *Idem.* *Hædis*] Stellis duabus infra capram sub humero Erichthonii, quæ ortu et occasu suo tempestatem cient.

712 *Noricus*] Apud Noricos Austriæ, vel, ut alii, Bavariæ pop. optima ferri et vena et temperatura. Plin. XXXIV. 14. *Farn.*

713 *Quod adhuc vivum radice tenetur*] Hoc est, quod nondum e terra est effossum. Saxa enim nondum a sua radice avulsa, et viva dicuntur, et

duriora sunt. *Vivum radice*] *Viva radice* prim. Basil. Oxon. Hamburg. et complures alii: unus Bonon. *viva quod adhuc radice.* Hinc viviradix planta sæpius apud Rei rusticæ scriptores occurrit, Columella imprimis: 'saxi radices' quoque Lucretius dixit: 'viva saxa' Noster Metam. VII. *Heins.*

718 *Neque erunt tibi tædia tandem Ulla ferenda mei*] *Mihi tædia* nonnulli cum prim. Hamburg. nil muto: sic Arte Amatoria, 'Dedecet ingenuos tædia ferre sui.' *Idem.*

720 *Et Pæana voca*] Hoc est, vocibus lætitiæ utere, qualibus voti compotes gaudia sua exprimere solent, ut alibi Ovidius: 'Dicite io Pæan, io Pæan dicite Pæan.' *Incingere*] Coronare, inquit, viridi lauro; id quod triumphantes solent. *Raph.*

721 *Vincis, ait*] *Vincis enim* prim. sec. Palat. prim. Vatican. tert. et quart. Medic. prim. Basil. Oxon. S. Marci, Neapol. Urbin. plurimi denique ex vetustioribus. Putabam aliquando, *Vincis io.* Heins.

722 *Mei cogeris, eritque*] *Mei cogeris amoris* Florent. S. Marci. *Idem.*

724 *Non tamen ante mihi curam excessisse memento*] *Tui curam excessisse* Thuan. prim. Gronov. prim. Basil. Calandr. prim. Erfurt. Arondel. et complures alii: *tibi* S. Marci, prim. Hamburg. prim. Moret. Pro *excessisse*, S. Marci, *curamque egisse: curam exisse* tert. Medic. *finisse* unus Argent. sec. Palat. et prim. Hamburg. *fuisse* Bernegger. Scribe, *Non tamen ante tui curam fugisse memento*, vel *cessisse.* Idem. *Curam tui*] Amorem, quo te prosequor.

725 *Carendum est*] Non habent τὸ *est* S. Marci, Neap. Bernegg. Arond. prim. Hamburg. et octo alii; bene. *Heins.*

729 *Mortalia facta*] *Fata* Arondel. Bernegger. et præterea duodecim. *Idem.* *Si tamen*] 'Si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,' Æneid. II. εἴπου πτωχῶν γε θεοὶ καὶ ἐριννύες εἰσίν. Odyss. Homer. XVII.

731 *Facite ut narremur*] Τὸ *ut* abest a S. Marci, Neap. Bernegger. prim. Gronov. et quatuor aliis: *Facite narremur ut ævo* prim. Hamburg. *facite ut memoremur* prim. sec. Palat. prim. Moret. et tres alii: Thysii *facite memoremur.* Lege *facite o memoremur*, vel *narremur.* Heins.

733 *Ornatos*] Lege quæ modo ad vs. 703.

735 *Vincula summis*] *Summi* Florent. S. Marci, et Neap. bene; summi vincula laquei. Sequentem versum cum interrogationis nota lege. Et deinde *versus ad illam*, sine τῷ *est*, ex fide vetustiorum. *Heins.*

739 *Trepidantem et multa gementem*] *Timentem* veteres plerique: decem, *trepidantum et multa timentum: trepidantum et morte paventum* pr. Moret. et pr. Bonon. *trepidantum et morte timentum* alter Erfurt. et alii quatuor: *trepidantem et morte timentem* Langerman. *trepidantem et multa moventem* Medic. chart. *paventem* unus Basil. *trementem* unus Leid. *tenentem* unus meus: *cuncta timentem* Thys. alius *trepidantis et multa gementis:* alius, *trepidi moreque timentis.* Hæreo in tanta discrepantia lectionum. Scribo nihilominus, *Icta pedum motu trepidantum ut multa gementem Visa dedisse sonum est;* sequentia confirmant: *gementem* certe ex suo codice notarat Politianus: 'multa gemens' pro multum apud Maronem, 'ignotis exulat oris Multa gemens:' 'multa putans,' apud eundem. Noster l. VIII. 'desertæ et multa querenti.' Lib. IV. 'Quo simul intravit, sacroque a corpore pressum Ingemuit limen.' Pont. III. 3. 'Et gemuit parvo mota fenestra sono.' Virgil. 'Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.' Et in Georgicis, 'tractuque gementem Ferre rotam.' *Idem.*

742 *Pater*] Iphidis scil. *Farn.*

746 *Funera ducebat*] *Ducuntur;* et mox *portantur* pro *portabat* Bernegg. Thuan. Barberin. pr. Gronov. et alii nonnulli; sed frustra. Mater ducit funera, quia prima est in pompa funeris. Eadem et funus portare dicitur, Epist. Sapph. ' Non aliter, quam si nati pia mater ademti Portet ad exstructos corpus inane rogos.' *Heins.* *Funera ducebat*] Ducenda ad celebrandas exequias curabat.

748 *Qua flebilis ibat Pompa*] Prima editio Aldina et unus Mediceus, *quam ibat.* Sic ' ire exequias.' Vide Notas Amor. II. 6. Propertius Eleg. III. 16. ' Nec tamen est quisquam, qui sacros lædat amantes: Scironis medias his licet ire vias:' ita opinor legendum; vulgati, *media sic licet ire via.* Heins.

750 *Deus ultor*] Ποίνιμος θεὸς 'Ερινὺς, vel Nemesis potius, de qua modo ad vs. 694. et plura ad vs. 406. l. III.

752 *Tectum*] Cubiculum.

753 *Vixque bene impositum*] *Vix bene jam positum,* putabam aliquando. At Cantabrig. *Vix bene compositum* bene: *Vix bene impositum* fragment. Boxhornii. *Iphin* pro *Iphim* meliores. Mox *e pectore* pro *e corpore* Thuan. et Juret. Pro *Diriguere* codex Langerman. *Corriguere;* insolenti verbo: vetustiores *Deriguere.* Heins.

758 *In corpore saxum*] *In pectore* Cantabrig. Oxoniens. Arondel. prim. Moret. plurimique alii; bene. *Idem.*

760 *Salamis*] Quæ et Salamin dicitur, insula est cum urbe ejusdem nominis; et urbs in Cypro, a Teucro Telamonis filio ædificata. *R.*

761 *Prospicientis*] Zulich. et alter Thuan. *Ulciscentis.* Pro *o mea Nymphe,* multi veteres *optima;* S. Marci, et alii sex *omnia.* Heins.

762 *Lentos fastus*] Diuturnam superbiam. *Lentos fastus*] ' Eja, ut elegans est,' Terent. ' Ut fastidit Simia,' Plaut. Mostell. IV. 2. 4. ' Facito fastidii plenum, quasi non luberet,' in Milite, IV. 2. 45. ' Ejus elegantia meam extemplo speciem spernat,' ibid. IV. 6. 20. ' Fastidiosus ædilis es,' Rud. II. 3. 42. ' Ut contemtim,' Pers. IV. 3. 73.

763 *Sic tibi nec*] *Tibi nil* S. Marci. *Heins.*

765 *Deus*] Vertumnus; ut supra vs. 640. et 687.

766 *Anilia Instrumenta*] Mitram, baculum, canos, habitum una et formam anilem quam assumpserat: vs. 655. supra. *Farn.*

771 *Et mutua vulnera*] Nam et ipsa Vertumni amore cœpit ardere. *R.*

Fab. XVIII. 772 *Injusti*] Amulius armis potentior, et ipse injustus, ut qui pulso fratre natu majore Numitore regnum occupavit, filio Lauso interempto, filia Rhea Vestæ sacerdotio consecrata, cujus tamen ex Marte filii, interfecto Amulio, regnum avo Numitori restituerunt.

774 *Palilibus*] Plerique veteres *Parilibus.* Vide Fast. IV. 721. Mox *Tatiusque* non *Tatius* iidem. *Heins.* *Parilibus*] Festum hoc, sive Palilia, a Dea pastorum Pale, sive a partu pecorum Parilia nuncupatum, agebatur XII. Calendas Maias, quo die urbis fundamenta jacta sunt.

776 *Bella*] Propter raptum Sabinarum. Videantur historici, Livius, Florus, Plutarchus, Dionysius, Victor; ut et Noster de Arte I. Fast. I. et Propert. IV. 4. ubi et agitur de Tarpeia. *Tarpeia*] Quæ Sp. Tarpeii arcis Rom. præfecti filia, arcem hosti prodidit, sed et ipsa clypeis eorum obruta, pacta armillas quas in sinistris habuerunt. *Farn.*

777 *Dignam animam pœna congestis exuit armis*] *Digna* multi veteres; et recte. *Dignam animam pœnæ* Medic. tert. et octo alii. Multi etiam *eruit,* cum S. Marci, Neapol. Urbin. pr. Palat. Cantabr. pr. Moret. at Thuan. Bernegger. Oxon. Juret. et viginti aut plures alii *edidit.* Epist. Deianiræ: ' Nempe sub his animam pestis Nemeæa lacertis Edidit.' ' Reddere

animam' Fast. VI. 743. Met. VIII. 505. Sed cum in vetustioribus sit *eruit*, suspicor *obruit* esse legendum; nisi verior scriptura, *Digna animam pœna congestis edidit armis:* vel, *Dignæ animam pœnæ congestis dedidit armis.* Heins.

778 *Sati*] Sabini, quorum urbs princeps Cures. *Farn.* *Tacitorum more luporum*] *Rapidorum* Thuan. et unus Moreti, Oxon. tresque alii: *rabidorum* Argent. Vide Notas lib. Artis III. 8. *Corpora victa soporis*, non *sopore*, codex S. Marci, et tert. Bonon. unus Leid. *vincta;* et Rottendorph.: de quo XI. 239. *Heins.*

780 *Objice firmo*] *Firma* Thuan. Arondel. et alii decem; de quo ad Claudianum. *Idem.*

781 *Iliades*] Romulus Iliæ filius. *Unam*] Janualem tamen Tarpeia virgo reclusit. *Reclusit*] *Recludit* prim. Palat. prim. Vatican. Neapol. Urbin. prim. Reg. prim. Erfurt. Boxhornii, et decem alii. *Heins.*

785 *Jano loca juncta tenebant*] Describit Poëta mutationem aquarum frigidarum in calidas. Nam in ipso prælio cum fugerent Romani precibus Romuli aquæ calidæ scaturire cœperunt, quibus Sabini prohibiti sunt ulterius Romanos persequi: Poëta vero precibus Veneris id factum fuisse ait.

788 *Flumina fontis*] *Semina* prim. Moret. *Heins.*

790 *Ora*] 'Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi, Sumque repentinas ejaculatus aquas.' *Farnab.* *Patentis*] Quod signum belli; uti clausum Jani templum signum pacis: 'Ante tamen madidis subjeci sulphura venis, Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.' Fast. I. *Idem.*

791 *Fœcundo sulphura fonti*] *Suffiso* prim. Gronov. quod esset *suffito;* de quo Fast. V. 67. *Heins.*

792 *Fumante bitumine*] Eandem hanc Fabulam describit idem Poëta primo Fastorum. Nisi quod illic non Nymphis, sed Jano, calefactionem aquarum istam tribuit. Vide Plin. XV. 29. *Micyl.*

797 *Rigidis promissa Sabinis*] *Permissa* sec. Moreti et alii tredecim: hoc est, tradita. *Heins.*

799 *Induceret miles*] *Induerat* S. Marci, et pr. Erfurt. aliique nonnulli. Puto *Induitur;* ut Trist. IV. 1. Pro *quem postquam Romulus ultro, quam* codex Politiani et tres ex nostris; duo *quæ:* quomodo vetustæ editiones nonnullæ; et recte; arma subintellige. *Idem.*

801 *Strata estque suis*] *Strataque* plerique vetustiores; nisi quod in nonnullis *strata atque.* Idem.

804 *Tatiumque accedere regno*] Nam inter reliquas pacis conditiones hoc etiam placuit, ut Tatius una cum Romulo æqua potestate paribusque honoribus regnaret. *R.*

805 *Occiderat*] Lavinii, cum ad solenne sacrum eo venisset, concursu facto, interfectus est: postquam annos quatuor pari cum Romulo potestate imperasset. Liv. I. *Duobus*] Romanis et Sabinis.

807 *Divumque hominumque parentem*] *Potentem* secundus Regius; non invenuste. *Heins.*

808 *Quondam fundamine magno*] *Quoniam* ex scriptis. *Idem.*

809 *Et præside pendet ab uno*] *Nec præside* quartus Medic. recte. Fast. II. Mars ad Jovem, 'Jupiter inquit, habet Romana potentia vires: Sanguinis officio non eget illa mei.' *Idem.*

810 *Præmia jam promissa mihi*] *Sunt promissa* S. Marci, et Neap. pr. Palat. pr. Hamburg. Arondel. et tres alii: *sint* Urbin. pr. Erfurt. et unus Medic. *nunc* Bernegger. Thuan. Oxon. pr. Gronov. et XVIII. alii: *quæ* duo Vossiani, unus Moret. et alter Hamburg. recte; nisi mavis, *Præmiaque promissa mihi.* Idem. *Nepoti*] Romulo filio meo, tuo nepoti. Recensetur et hæc ἀποθέωσις Fast. II. *Farn.*

812 *Tu mihi consilio*] *Concilio* plerique veteres. *Heins.*

813 *Nam memoro, memorique animo*] *Memoror* Cantabr. et unus Basil. sed aut versus est Ennianus, qui *memoror* pro reminiscor, et recordor posuerat, quomodo et apud Lucretium in tribus veterrimis codicibus lib. II. inveni, 'Cujus uti memoror rei simulacra et imago Ante oculos semper nobis versatur:' aut scripserat Naso, ni fallor, *Nam refero*, hoc est, memini. Sic Noster passim. Adeantur quæ notamus Epist. v. 113. nam Ennianum illud, 'Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis,' locum hic non habet, cum pro narrare sumtum sit. *Idem.*

814 *Unus*] Versus hic Ennii, sed paulum immutatus: integrum usurpavit, Fast. II. 'Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli Templa.' *Quem tu tolles ad sidera cæli*] *Tollas in cærula cæli* S. Marci, unus Reg. prim. Hamburg. quart. Medic. et alii sex: *tolles in cærula*, Neapol. Urbin. Bernegger. Cantabrig. prim. Vatican. prim. Palat. tert. Medic. et decem alii. Sic et ex scriptis exemplaribus Fast. II. emendandum, 'Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli.' Citat Varro L. L. 'Unus erit, quem tu tolles ad cærula cœli Templa,' ex incerto auctore; sed Enniana sunt. Lucretius lib. I. 'Et solis flammam per cœli cærula pasci:' sic et alibi ille. *Heinsius.*

817 *Rapinæ*] Hoc ex historia; namque Romulo exercitum recensente ad Capræ paludem, oborta est tempestas cum magno fragore et tonitru, ita ut rex nimbo opertus non ultra in terris visus fuerit.

818 *Data signa*] *Rata signa* S. Marci, quart. Medic. et sex alii. Sed jam præcessit. Paulo ante *terruit urbem*, non *orbem* pr. Vatican. Urbin. Neapol. tert. quart. Medic. pr. Moret. pr. Erfurt. et duodecim alii: sic de Jove Horat. Od. I. 11. 'rubente Dextera sacras jaculatus arces Terruit urbem.' *Heins.*

821 *Verberis*] 'Insonuitque flagello,' quo equi verberantur. Æneid. VII. *Farn.*

822 *Nemorosi Palati*] Palatium autem unus est ex collibus Romanis, Imperatorum sede clarissimus. *R.*

823 *Non regia jura Quiriti*] *Jam regia* S. Marci, Juret. prim. Erfurt. prim. Basil. quatuordecim alii: *nunc regia* Urbin. Thuan. Oxon. Arondel. et viginti præterea: *tunc regia* sex: *regalia* sec. Palat. et quinque alii: *jam regia* placet. 'Jus' enim 'regium' dicebatur. *Ne regia* prim. Moret. *Heins.*

825 *Ut lata plumbea funda*] *Sic* S. Marci; *ceu* Neapol. bene. *Idem.*

827 *Pulvinaribus*] Lectis, qui Diis exstrui solebant in templis.

828 *Dignior est qualis*] *Dignior, et qualis* puto cum sec. Vatic. et uno meo. *Heins. Qualis*] Tunica purpura et albo trabeatim distincta induti. *Farn.*

830 *Irin ad Hersiliam*] *Hersiliem* S. Marci, Neapol. Oxon. quart. Medic. et duo alii. *Hersilien* Juret. et prim. Ambros. Infra tamen *Hersiliam* constanter libri; sed vs. 848. *Hersilies* Oxon. Præterea *tramite* pro *limite* sec. Palat. et tres alii. *Heins.*

FAB. XX. 832 *O et de Latio*] *De Latia* Thuan. pr. Basil. pr. Moret. et sedecim alii; bene; Latia de gente. Hactenus veterrimus S. Marci Florentinus, in quo reliqua desiderabantur. *Heins*

834 *Colle Quirino*] *Quirin* in scriptis plerisque: pro vulgata tamen stant prim. Hamburg. et quinque alii. Apud Horatium Epist. II. 2. 'cubat hic in colle Quirini.' Vide Notas Fast. IV. 375. Pro *duce me lucum pete*, Thuan. *lucum pete velox:* prim. Moret. *sanctum lucum pete: lucum magni pete* prim. Ambros. Latet aliquid nævi. *Idem. Quirini*] Romulus cum ad Capræ paludem exercitum lustra-

ret, desæviente tempestate, nusquam comparuit. Creditus tamen a Patribus propter morum asperitatem discerptus: unde orta inter patres et populum seditione, Julius Proculus vir nobilis in concionem processit, et jurejurando firmavit, Romulum a se in colle, qui inde Quirinalis dictus est, visum, augustiore forma, cum ad Deos abiret, &c. Hinc pro Deo cultus, et Quirinus, ut ipse mandarat, appellatus est. Liv. I. Victor. cap. 1. alii. *Farn.*

843 *Quem si modo posse videre*] *Quæ si* prim. Vatican. sec. Palat. tert. Medic. prim. Hamburg. et decem alii: *videri* unus Moret. *Heins.*

844 *Cœlum accepisse videbor*] *Aspexisse fatebor* in multis veterum: *aspectasse* codex Politiani, unus Medic. et unus Ambros. recte: vide Notas lib. IV. 679. *Idem.*

845 *Thaumanthæa*] Iris. Cur vero dicta Thaumantias, vide quæ ad vs. 408. lib. IV. *Farn.* *Romuleos*] Quirinalem collem. *Raph.*

847 *A cujus lumine flagrans, &c.*] Cujus hoc sidus fuit? Certe non solum crinem Hersiliæ incendit, verum etiam secum totam in cœlum rapuit. Non igitur in terris Romulum, sed in cœlo vidit; ubi eam excepit obviis ulnis: ubi et corpus adeptum est immortalitatem, et nomen ejus mutatum. *Pont.*

849 *Romanæ conditor urbis*] 'O Romole, Romole, dico Qualem te Patriæ custodem Di genuerunt. Tu produxisti nos endo luminis oras, O Pater, o genitor, o sanguen Dis oriunde.' Ennius Annal. II.

851 *Oramque*] *Horamque* scripti plerique meliores: est et illud nomen Nymphæ Scythicæ apud Val. Flaccum lib. VI. 57. 'Insuper auratos collegerat ipse dracones Matris Horæ speciem:' ita malo, quam *specimen.* Heins. *Quæ nunc Dea juncta Quirino est*] Nam Ora in templo Romuli colebatur. *R.* *Mutat*] Aliam mortalium linguam a lingua Deorum statuunt Poëtæ, 'Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίων', Iliad. A. Sic Ξάνθον et Σκάμανδρον. Noster lib. II. 'Hunc Icelon Superi, mortale Phobetera vulgus Nominat.' Ennius Annal. I. 'Teque, Quirine pater, venerans, Oramque Quirini.' *Farn.*

METAMORPHOSEON LIB. XV.

FAB. I. 1 *Quæritur interea*] Quo commodius et librum libro, et Metamorphosin Metamorphosi conjungat Poëta, eorum sequitur opinionem, qui sentiunt, Numam Pompilium in magnam Græciam ivisse, ut Pythagoricis dogmatibus instrueretur. *R.* *Quis tantæ*] Malim *qui,* cum Oxon. *Heins.*

3 *Prænuntia*] Magna, inquit Plinius Epist. II. 3. Isæum fama præcesserat, major inventus est.

4 *Non ille*] Neque ingenio tantum ad virtutes dotatus, aut severa et tetrica Sabinorum disciplina institutus videbatur; sed et studiosus naturæ indagator rerum causas speculabatur. Sed lege Livium lib. I. Curibus Sa-

binis habitabat Numa, vir consultissimus, &c. *Farn.*

7 *Curibusque*] Cures opulentissima fuit Sabinorum urbs: ex qua evocati sunt T. Tatius, et Numa Pompilius, reges: unde Romani Quirites fuere cognominati. *R.* *Hujus*] Per Placentiam potius quam Veronam sibi aditum struit Noster ad narrationem Pythagoricæ doctrinæ. Fieri non potest, inquit Dionysius Halicarn. lib. I. Rom. antiqu. ut Numa cum Pythagora, qui quatuor post ætatibus floruerit, Philosophiæ operam dederit, et quidem Crotonæ, quæ nondum erat edita. Audi et Livium lib. I. Autorem doctrinæ ejus falso Samium Pythagoram edunt; quem Servio Tullio regnante Romæ, 100. amplius post annos, circa Metapontum et Crotonem juvenum cœtus habuisse constat, &c.

8 *Herculei hospitis*] Croto Herculem ex Hispania redeuntem cum armentis Geryonis hospitio excepit: ab eo didicit fore ut aliquando eodem in loco urbs conderetur; quam tandem condidit Myscellus, ut habet Strabo lib. VI. et Scholiastes Aristophanis in Nubibus. Suidæ est Myscelos. Luciano in Catapl. Micyllus. Ab Hercule jussam ædificari, in gratiam Crotonis, scribit Jamblichus cap. 9. lib. de vita Pythagoræ. *Farn.*

9 *Gratia quis Italicis*] *Italis* pr. Palat. Urbin. pr. Erfurt. Arondel. et alii quatuor: forte *Italiis;* quomodo unus meus ex vetusto descriptus. Sic superioris libri initio *Littore in Italio* sex codices: prim. Palat. *Iliaco.* Virgil. 'nunc fama minores Italiam dixisse suo de nomine gentem.' Thuan. tamen et pr. Bonon. *Ausoniis in oris.* Heins.

12 *Bobus*] *Bubus* ex melioribus. *Idem.*

13 *Littora Lacinia*] Promontorium Italiæ inter Adriaticum mare et Ionium: in eo templum fuit Junonis Laciniæ: unde Virgilius, 'Attollit se Diva Lacinia contra.' *R.*

18 *Promissaque vera fuerunt*] *Fuere* Arondel. puto *fuisse.* Heins.

20 *Mycilus*] *Missilus* nonnulli: *Mirsilus* Juret. *Micilos* Barberin. et Bernegger. alii aliter. Lege *Myscelos;* nam *Miscilus* unus Basil. Μύσκελος est Dionysio Halicarnass. lib. II. Suidæ, Aristophanis Scholiastæ, ac Chronici Alexandrini auctori. Straboni nunc Μύσκελος, nunc Μύσκελλος. Μούσκελλος Zenobio in Adagio, Δῶρον δ' ὅτι δότης ἐπαινεῖ. Μύσκελλος Marciano Heracleotæ, et Scholiastæ Dionysii Alexandrini. Μισκέλλος Stephano in Συρακοῦσαι. Solino *Myscellus.* Idem.

22 *Claviger*] Hercules.

23 *Æsaris*] Fl. Calabriæ, qui mediam Crotonam interfluit. *I, pete diversi lapidosas Æsaris undas*] Ita hæc transponenda sunt ex castigatioribus libris. Αἴσαρος est Græcis hic fluvius. Male ergo *Æseris* multi ex vetustioribus codices, vel *Hæseris.* Heins. *Diversi*] Longe hinc ab Argis, scil. distantis. *Farn.*

26 *Alemonides*] Myscelus, filius Alemonis. *Recentia visa*] Nova insomnia. *R.* *Recentia mente*] *Recondita* Oxon. pr. Basil. pr. Moret. Juret. et quatuor alii. *Heins.*

27 *Visa refert*] Secundum quietem visa, secum volutat. Verbum 'referre' sic usurpat alibi quoque vates noster, pro recogitare, cogitatione et animo repetere, secum recolere. *Pont.*

34 *Patriumque simul*] *Palam* prim. Moret. *Heins.*

37 *Crimenque patens*] *Patet* meliores. *Idem.* *Sine teste*] Ipse namque confessus est se commigrare decrevisse. Causam autem priorem videtur dixisse respectu τῆς δευτερολογίας quam vocant. Vel causam priorem vocat accusationem, ut defensio fuerit causa posterior, quæ tamen secuta non est. *R.*

38 *Squallidus reus*] Munditiarum negligentes sunt, qui lugent: idcirco

in luctu squaloris et sordium frequens mentio.

39 *O cujus cælum bis sex fecere labores*] *O cujus celebrem* Oxon. et unus Medic. *O tu quem celebrem* Arondel. et decem alii: *O tu quam cælum* unus Basil. Lege cum Mureto et Scaligero, *O cui jus cœli bis sex fecere labores.* Sic 'jus facere sibi numinis videndi' in Fastis; 'Jus tibi fecisti numen cæleste videndi.' Τὸ *cælum* aberat a pr. Reg. *cujus cælum* in Bernegg. a manu erat recentiori, antiqua scriptura abrasa. Christophorus Bulæus, teste Alardo commentariis in Val. Flaccum, pro *fecere* reponebat *vicere*: 'O cujus cœlum bis sex vicere labores.' De duodecim Herculis laboribus omnia nota sunt; unde is Nonno δυωδεκάεθλος dictus. *Heins.* *Fecere cælum*] Aperuere, acquisivere. *R.* *Sex fecere*] Lib. IX. 183. *Farn.*

40 *Nam tu mihi criminis autor*] Nam tu mihi persuasisti ut commigrarem. *R.*

41 *Mos erat*] Notus hic mos ex illo Alcibiadis, qui cuidam quærenti, οὐ πιστεύεις τῇ πατρίδι τὴν περὶ σοῦ κρίσιν; respondit, οὐδὲ τῇ μητρίδι. Δέδοικα γὰρ μὴ ἀγνοήσασα, καὶ σφαλεῖσα τοῦ ἀληθοῦς, εἶτα τὴν μέλαιναν ἐμβαλλῇ ἀντὶ τῆς λευκῆς ψῆφον. Ælian. Var. hist. XIII. 38. *Farn.*

42 *Absolvere culpa*] *Culpæ* Thuan. et quart. Medic. eleganter: sic 'injuriarum aliquem absolvere' auctori Rhetoricæ ad Herennium. *Heins.*

47 *Herculeo numine*] *Munere* rectius prim. Basil. et decem alii. *Idem.*

50 *Lacedæmoniumque*] A Phalanto Lacone conditum.

51 *Sybarim*] *Sybarin* castigatiores: et *Alemoniden* paulo ante. *Amphytrionidæ* prim. Palat. et unus Medic. et Bernegger. *Heins.* *Sybarim*] Urbem magnæ Græciæ, postea Thurium dictam. *Neæthum*] Fluvium in Salentinis.

52 *Iapygis*] Promontorium Iapygium. *Farn.* *Thurinosque sinus*] Thurii urbs est Calabriæ, quæ et Thuria et Thurion dicta est, a *Thuria* fonte. *Temesenque*] Temese urbs est Calabriæ. *R.* Hæc eadem et Tempsa aliquando dicta fuit, ab Ausonibus condita, mox ab Ætolis, qui cum Thoante ad eam Italiæ partem appulsi fuerunt, occupata, atque inde iterum a Brutiis. Hinc et 'Temeseus Genius;' de quo proverbio dicitur. *Micyl.*

53 *Quæ spectant*] *Qua* prim. Hamburg. *Heins.*

54 *Fatalia*] Fato et Herculis indicio sibi debita. *Farn.*

57 *Et nomen tumulati traxit in urbem*] Nam Croto a Crotone heroë fuit dicta, unde Crotoniatæ declinantur.

FAB. II. 60 *Vir fuit hic ortu Samius*] Periphrasis est Pythagoræ: nam Pythagoras Samius fuit, qui odio tyrannorum patriam relinquens, Crotonem venit, ubi philosophiam profiteri cœpit. Pythagoras autem primus omnium μετεμψύχωσιν, hoc est, animarum de corporibus in corpora transitum, invexit, eoque vetuit ne carnibus homines vescerentur. *Hic*] Pro illic: Crotoni; quo se contulit Numa Pompilius, ut Pythagoram audiret. *R.* *Samius*] Ex ins. Samo. Sed Jamblicho cap. 2. ex Samo opp. Cephaleniæ ins. Laërtio lib. VIII. et Eusebio Evangel. præp. lib. X. 4. Thuscus, Mnesarchi filius, Pherecydis auditor, post cujus obitum profectus in Samum Hermodamanti se in disciplinam dedit. Porphyrius ex Cleanthe Syrum fuisse refert; ex Lyco, Philiasium, aliis Metaponticum.

61 *Dominos*] Ex Ægypto reversus, patriam a tyranno Polycrate occupari offendens, Crotonem in Italia petiit. Laërtius lib. VIII. et Porphyrius in vita Pythag. *Farn.* *Et dominos*] Tyrannos.

62 *Cœli regione remotus*] *Remotos Deos* cum pr. Hamburg. pr. Ambros. et uno Basil. atque ita Berneggerianus pro diversa lectione. *Heins.*

66 *Dabat*] Proponebat. *Cœtumque silentum*] Alludit ad morem Pythagoreorum, quibus ad certum usque tempus (ut Gellius scribit cap. 9. lib. primo) silentium injungebatur. *R. Cœtumque*] Ἐχεμυθίαν innuit: silentium, scilicet, ad tempus pro æstimato solertiæ captu injunctum iis, quos exploratos admisit Pythagoras, voluitque prius ἀκουστικοὺς esse quam μαθηματικοὺς aut φυσικούς. Lege cap. 9. lib. I. Agellii, et quæ Apuleius II. Florid. sub calce: 'Prima apud eum meditatio, sapienti futuro, fuit linguam coërcere, verbaque quæ volantia Poëtæ appellant, ea verba, detractis pinnis, intra murum candentium dentium premere,' &c. Jamblich. c. 18. Suidas. Porphyrius. *Cœtumque*] *Cœtusque* plerique vetustiores. *Heins.*

67 *Magni*] De Deo, rerum principiis et causis, cælo, meteoris, &c. quid senserit Pythagoras, vide Porphyrium, Jamblichum, Laërtium in vita Pythag. Photii bibliothecam. Vide et Plutarchum de placitis philosophorum, et in convivialibus quæstionibus, nec non Philosophos, meteorologos, astronomos, &c. *Farn.*

73 *Arguit imponi*] *Arcuit* Berneg-ger. prim. Basil. Juret. Barberin. Arondel. et unus Voss. bene; pro vetuit: sic apud Senecam Troasi, 'affligi Phrygas Vincique volui: ruere et æquari solo Etiam arcuissem.' Pont. lib. III. 3. 'Quam lex furtivos arcet habere viros.'

75 *Parcite, mortales*] Gravissima Pythagoræ oratio, qua hominibus dissuadet, ne carnibus vescantur. Hæc autem de Empedocle, qui Pythagoræ dogmata carminibus complexus est, sumpta esse videntur. *Parcite*] Ad Porphyrium lib. v. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. Jambl. cap. 24. Laërtium in vita Pythagoræ lib. VIII. Luciani Somnium. Photii biblioth. Ælian. lib. IV. 17. Philostrat. de vita Apollonii lib. cap. 6. *Farn.*

80 *Redolentia flore*] *Florem* pr. Reg. Thuan. Bernegger. et decem alii; utrumque dicitur: vetustiores sequor. *Heins.*

83 *Carne feræ sedant jejunia*] *Sedent* prim. Moret. *Idem.*

86 *Armeniæ tigres*] *Armeniæque* quatuor codices cum Norico: ut VIII. 121. 'Armeniæque tigres Austroque agitata Charybdis.' Horat. 'Dictus ob hoc lenire tigres.' Claud. 'Tingunt arva tigres.' *Idem.*

88 *In viscere viscera condi*] *In viscera* vetustiores omnes. Val. Maximus lib. VI. 6. 'Uxores suas natosque ad usum nefariæ dapis verterunt: quoque diutius armata juventus viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadaverum reliquias sallire non dubitavit.' *Idem.*

91 *Tantis*] Lege orationes duas περὶ σαρκοφαγίας, quæ adscribuntur Plutarcho.

92 *Terra creat*] *Parit* plerique vetustiores: sic et Art. Am. lib. I. 'Nec tellus eadem parit omnia.' Et lib. III. 'Quot nova terra parit flores.' Lucret. 'quando omnibus omnia large Tellus ipsa parit.' Prudentius Hamartigenia, 'Hoc pulchrum quod terra parit, quod gloria confert Lubrica.' Cicero lib. II. de Natura Deor. 'Profecto terra ipsa eadem vi continetur et arte naturæ; quippe quæ gravidata seminibus omnia pariat ac fundat ex sese.' *Heins.*

93 *Cyclopum*] Ἀνθρωποφάγων. Vide quæ de Polyphemo supra lib. XIV. 205. et Æneid. III. Odyss. IX. Eurip. in Cyclope. *Farn.*

94 *Placare jejunia*] *Pacare* meus ex veterrimo descriptus; sed nil muta. *Heins.*

95 *Male morati ventris*] Pers. in prol. vocat ventrem, 'artificem mali.' Γαστὴρ κακοεργὸς, Odyss. Σ. 54. Αὐτὰ (scil. πενία) τῶ μόχθοιο διδάσκαλος, Theocr. XXI. 2. Plutarch. Cato Maj. Χαλεπὸν μέν ἐστιν, ὦ πολῖται, πρὸς γαστέρα λεγειν, ὦτα οὐκ ἔχουσαν. Gnom. Monostich. 285. λιμῷ γὰρ οὐδέν ἐστιν

ἀντειπεῖν ἔπος. *Male*] Incontinentis, dissoluti, νηδύος ἀδηφάγου· cui 'carne opus est ut satur esse queat.' Ms. margo habet 'male consueti a moribus.' *Farn.*

98 *Polluit*] Inquinavit.

99 *Movere pennas*] Volaverunt. *Tutæ*] Securæ, sine periculo. Neque enim tunc illis retia tendebantur. *Tunc et aves tutas*] *Tutæ pennas* rectius Thuan. quart. Medic. prim. Moret. Juret. et sex alii. *Heins.*

100 *Et lepus impavidus*] *Intremidus* quart. Medic. Pro *arvis* vetustiores *agris*. Idem.

101 *Piscem*] Quin et piscium esum interdixit suis Pythagoras. An quod ἔλλοπες sint, silentii cultores, quod ipse divinum quid existimabat, ut habet Athenæus l. v. 16. an hoc a Pherecyde Syro habuit? pisces enim inter numina venerantur Syri. Vide quæ ad lib. IV. vs. 45. supra. Capturam piscium redemisse Pythagoram scribunt Jamblichus, Laërt. Apuleius in Apologia. *Farn.*

104 *Victibus*] Facilitati vivendi. *Quisquis fuit ille Deorum*] *Virorum* Cantabrig. alter Hamburg. et duo alii; recte: nisi mavis *priorum*. Pont. III. 2. 'Est locus in Scythia; Tauros dixere priores.' Et postea ex antiquis libris, 'Sacrificî genus est: sic instituere priores.' Et hoc ipso libro mox, 'Est locus Arcadiæ; Pheneon dixere priores.' Trist. lib. I. 4. 'Atque hæc exemplis quondam collecta priorum.' Fast. III. 'Et tamen ante omnes Martem coluere priores.' Lib. IV. 'Tiberina priores Atria dixerunt.' Paulo ante præcesserat, 'Magna nec ingeniis evestigata priorum.' *Heins.*

105 *Corporeasque dapes*] Omnes dapes sunt corporeæ: sed per *corporeas* hic σαρκικὰς intelligit, carneas dapes. *Pont.*

106 *Fecit iter sceleri*] 'Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!' Ter. Heautont. *Primoque e cæde ferarum Incaluisse potest maculatum sanguine ferrum*] *Primaque e cæde* ex uno meo et uno Argent. Deinde pro *potest* prim. Reg. et unus Moreti *patet*. Bernegger. Neapol. Urbin. prim. Hamburg. prim. Basil. et tres alii, *putes: putem* tres; bene: *puto* unus Patav. *Heins.*

108 *Nostrumque petentia letum*] *Potentia* pr. Hamburg. et quatuor alii: *nostroque potentia leto* pr. Moret. Aut scribendum *nostroque nocentia leto;* aut *nostrique potentia lethi*. Lucanus lib. VI. 'Omne potens animal lethi, genitumque nocere, Et pavet Hæmonias, et mortibus instruit artes.' Sic 'potens voti' et 'mentis' pro compos sæpe apud nostrum. Columella I. 1. ubi agit de Agricultura, ejusque scriptores recenset, 'Scrofam Tremellium, qui etiam eloquentem reddidit, et M. Terentium, qui expolivit, mox Virgilium, qui carminum quoque potentem fecit:' ita veterrimus codex S. Germani, non *carmine*. 'Muneris potens' apud Val. Flaccum lib. IV. 'pennipotentes' pro avibus Lucretio. *Idem.*

111 *Et prima*] 'Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ,' &c. Fast. I. Mox, 'Rode caper vitem; tamen hinc cum stabis ad aras,' &c. quanquam aras incruentas voluit, et placentas tantum obtulit, sacrificia inanima, sunt tamen, inquit Laërtius, qui gallos atque hœdos mactasse dicant; imo cuncta illum animata in cibum permisisse, μόνον δὲ αὐτὸν ἀπέχεσθαι ἀροτῆρος βοὸς καὶ κριοῦ. Idem Jamblichus. Lege et 25. cap. VI. lib. Lactantii, et Ælian. var. histor. lib. V. capite decimoquarto. *Farn.*

112 *Hostia sus meruisse mori*] *Necem* Probus ad Virgilium agnoscit: ut Epist. Hypermnestræ, 'Quid meruere necem patruelia regna tenendo?' *Heins.*

114 *Vite caper morsa*] Puto *rosa:* ut in Fastis lib. I. 'Rode caper vitem.' Nemesianus Cynegetico de canibus, 'Obtunduntque novos adroso robore dentes.' Vide Notas lib. XIII.

vs. 690. Pro *mactatus ducitur* plerique vetustiores *mactandus ducitur*; recte. Victimæ enim duci dicebantur; aliter tamen Probus. Amor. III. 'Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ, Quas aluit campis herba Falisca suis.' Juvenalis Satyræ XII. initio, 'niveam Reginæ ducimus agnam:' sic codices vetusti majori ex parte; vulgati *cædimus*. Mox eadem Satyra, 'ducatur ad aras, Et cadat ante Lares Gallitæ victima sola.' *Idem.*

116 *Inque tuendos Natum homines*] *Inque tegendos* Bernegger. prim. Basil. alter Hamburg. unus Moreti, unusque Palat. probe: in Catalectis Judicio coci et pistoris, 'Pythagoras populo nescis quæ suaserit olim? Si jugulatis oves, quid erit quod vestiat? inquit.' Noster, 'Horriferum contra Borean ovis arma ministret.' Scholiastes in codice Norico, 'tuendos a frigore propter lanas.' Cicero lib. I. Tuscul. 'Tum multitudo pecudum partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad vestienda corpora.' Duo veteres, *inque timendos*. Idem.

120 *Sine fraude dolisque*] *Dolique innocuum* unus Leidensis. *Idem.*

122 *Immemor est demum*] Τὸ *demum* minime placet: in uno Basil. pro diversa lectione *divum*. Idem.

126 *Tot dederat messes*] *Tot dederant* cum tribus libris scribendum; ut *quæ* subintelligatur; nisi mavis, *Tot tulerat messes*. Idem.

128 *Inscripsere*] Quin et Diis invidiam fecere; hos in partem prædæ et nidorem victimarum adsciscentes. *Farn.*

131 *Placuisse*] Non enim nisi eximiæ lectæque aris admoventur hostiæ; 'placet in vulnus maxima cervix.' *Auro*] Neque vittis tantum præsignes ducebantur victimæ, sed et auro. Χρυσόκεροι, cornibus auratis et bracteatis. *Vittis insignis*] *Præsignis* castigatiores omnes; recte: vox ea in deliciis nostro. Vide Notas ad Epist. V. Sic et infra hoc libro: 'gemino præsignia tempora cornu.' *Heins.*

134 *Fruges*] Salsas fruges, molam, farinam sale mistam, qua frons victimæ, focus, et cultri aspergebantur.

135 *Prævisos*] Aqua in sacris adhibita, et per pelves disposita: 'An quia prævisos in aqua timet hostia cultros?' I. lib. Fastorum. *Farn.*

136 *Protinus*] De aruspicina, et extispicina, vide quæ nos ad Senecæ Œdip. act. II. sc. 2. et Thyest. vs. 763. *Farn.*

137 *Inspiciunt*] Inde haruspices sunt dicti, ab *harugis*, hoc est, victimis inspiciendis. *Scrutantur in illis*] *Rimantur* unus Voss. *In extis* unus Moreti. *Heins.*

143 *Et quoniam Deus ora movet*] Apollo me hortatur ut loquar. *R.*

146 *Magna*] 'Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo,' &c. Lucret. IV. 1. *Farn.* *Investigata*] *Evestigata* Bernegger. Thuan. prim. Moret. et decem alii: placet, licet minus obvium. *Heins.*

147 *Juvat ire per alta Astra*] *Astra Alta* multi veteres: prim. Hamburg. *sub ardua alta*. Versus sublimis erit et sonorus, si rescribas, *per ardua Astra*; ut ultima litera τοῦ *ardua* elidatur ob sequentem vocalem. Exempla vide lib. XII. 395. in Notis. *Heins.*

148 *Et inerti sede relicta*] *Relictis* cum Juniano. *Idem.* *Inerti*] Terra: 'bruta tellure,' Horat. Od. I. 34.

149 *Atlantis*] Qui cœlum sustinere fingitur, IV. 661. *Farn.*

150 *Palantesque homines passim rationis egentes*] *Passim ac rationis*, ex vetustioribus: alii *et rationis*. *Palantesque animos* vetus codex Politiani, et unus Medic. quod placet. *Heins.*

151 *Trepidosque*] *Strepitumque* Bernegger. pr. Hamburg. et tres alii. *Idem.*

Fab. III. 154 *Styga*] Veterum de

inferis sententiam lege apud Cœl. Rhodig. lib. x. 12. et Tertullian. advers. gentes cap. 11. Macrob. in Somn. Scip. l. I. 10. 11. Tuscul. quæst. Cic. I. *Farn.* *Et nomina vana timetis*] *Quid nomina* multi; rectius. Pro *pericula* Neapol. et unus Voss. *piacula;* eleganter: nam apud manes expiari crimina in superis commissa credebant. Virgil. 'Quæ quis apud superos furto lætatus inani Distulit in seram commissa piacula mortem.' Pro *nomina vana*, uterque Hamburg. Cantabrig. Oxon. prim. Gronov. tert. Medic. et multi alii, *numina.* Heins.

157 *Abstulerit*] *Abstulerint* prim. Ambros. *Idem.*

158 *Morte*] Ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός. Phocyl. De animæ immortalitate quid senserint saniores Philosophi, consulendi Plato in Phædone, Phædro, Timæo, Philæbo, et alii tum Platonici, Pythagorei, Plotinus, Jamblichus, Porphyrius, Proclus, Apuleius, &c. et Aristoteles, Seneca, Epictetus, Philostratus de vita Apollonii l. VIII. 13. Plutarchus de placitis Philosoph. libro quarto. Tum Theologi, Tertullianus lib. de anima, capite 54. Augustinus de civitate Dei, lib. XII. 26. Lactantius lib. III. 8. et lib. VII. 8. et 12. Eusebius præparat. Evangel. lib. I. 4. Clemens Alexand. lib. Stromat. tertio. Qui et lib. VI. Stromatum, quod et Herodotus scribit primo lib. ait Pythagoram, inter alia, et hoc περὶ τὴν μετενσωμάτωσιν τῆς ψυχῆς dogma ab Ægyptiis duxisse. Verum quæ fuerit ipsius μετεμψύχωσις seu παλιγγενεσία, docent ipsi Pythagorici, Porphyrius, Plotinus, Jamblichus, &c. et Laërtius in vita ipsius, quam refellit Lactantius lib. III. 18. et lib. VII. 12. et Augustinus de Civitate Dei X. 30. *Farn.*

159 *Novis domibus*] Novis corporibus: hæc autem est Pythagoræ μετεμψύχωσις.

160 *Ipse ego*] Primum se Æthaliden fuisse memorabat, secundo Euphorbum, quod testatus est, agnito scuto suo suspenso inter alia spolia, in Junonis Argivæ templo: tertio, Hermotimum: quarto, Pyrrhum: quinto, Pythagoram. O miram et singularem Pythagoræ memoriam! inquit Lactant. lib. III. 18. quem locum vide. Hoc nimirum habuit ex munere Mercurii, tum ut vivens, tum vita functus, omnium quæ contingerent memoriam retineret. Laërt. in vita Pythag.

162 *Hæsit in adverso*] *Sedit* vetus liber Politiani; eleganter. Noster Met. III. 'plagamque sedere Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat.' *Heins.* *Minoris*] Menelai, cujus manu cecidit Euphorbus. *Farn.*

164 *Abanteis Argis*] Argos clarissima urbs est Peloponnesi, in quo Abas regnavit, unde Abantei Argi dicuntur; tametsi ab aliis legatur *agris Abanteis*, exponaturque Euboicis. Abantes enim populi Eubœæ fuerunt. *R.* Vide et Laërtium in vita Pythagoræ. *Mic.* *Abanteis*] A rege Abante, sed et Abantes inter Iones et Achivos memorantur ab Herodoto lib. I. et Eubœæ etiam pop. sunt. *Agnovi clypeum Abanteis in Argis*] Pausanias Corinthiacis stadia quindecim abesse Mycenis hoc Junonis fanum affirmat, cujus inter alia donaria etiam clypeum hunc recenset: Ἐν δεξιᾷ δὲ κλίνη τῆς Ἥρας, καὶ ἀνάθημα ἀσπὶς, ἣν Μενέλαός ποτε ἀφείλετο Εὔφορβον ἐν Ἰλίῳ. Sed et Abantis clypeus Argis celebratissimus. Hyginus Fab. 273. de ludis, 'Sexto quos Argis fecit Lynceus Ægypti filius Junoni Argivæ, qui appellantur ἀσπίδος ἐν Ἄργει (sic scribe) quibus ludis qui vicit, accipit pro corona clypeum: ideo quod Abas Lyncei et Hypermnestræ filius nunciavit parentibus Danaum periisse: cui Lynceus de templo Junonis Argivæ detraxit clypeum, quod Danaus in juventa gesserat, et Junoni sacrificaverat, et Abanti filio muneri dedit.' Hinc capiendum adagium Græcum,

Ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελὼν σεμνύεται: et alterum, Ἄξιος εἶ τῆς ἐν Ἄργει ἀσπίδος. Quæ parœmiographi non assequuntur. Aliam horum proverbiorum rationem ab Hyginiana diversam vide apud Servium ad vs. 286. libro III. Æneid. Allusit etiam ad hunc clypeum Maro, dum oculum Polyphemi describit, 'Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.' Erant enim Argolici et rotundi et maximæ molis: sed ille Abantis præ cæteris illustris clypeus. Hinc clarum vocat Valer. Flaccus lib. I. 'Canthus, in Ææo volvet quem barbara cuspis Pulvere: at in terra clari decus adjacet orbis, Quem genitor gestabat Abas.' Ita scribendum: perperam *ut interea* in vulgatis. Virgiliana illa respexit, 'Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis, Postibus adversis figo:' ubi adeundum esse Servium jam monuimus. *Heins.*

165 *Omnia*] Πρῶτον μὲν ἀθάνατον εἶναι φησὶ τὴν ψυχὴν, &c. Primum quidem, animam esse immortalem affirmavit: deinde, eam diversa animantium genera subire: ad hæc, post certos temporum circuitus idem quod olim fuerat rursus fieri; et nihil omnino novum existere; et animata omnia inter se cognata esse, &c. Laërtius in vita Pythag. *Farn.*

169 *Utque novis fragilis*] Hac similitudine colligit Pythagoras substantiam varias quidem suscipere formas, nunquam tamen interire. *Facilis cera*] *Fragilis* prim. Gronov. unus Voss. et unus Mediceus; bene: ut apud Juvenal. Sat. XII. 'Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.' *Heins.*

170 *Formam eandem*] *Formas easdem* vetustiores. *Idem.*

173 *Ergo*] Abstinendum ab animatis suasit, propter transmigrationem animarum: ex Photii excerptis: vide et Crinitum lib. II. 3. et Hierocl. in aurea carmina Pythagoræ. *Farn.*

177 *Quod perstet*] Quod permaneat, a mutationeque sit alienum. *R. Nihil*] 'Constat, æterna positumque lege est, ut constet genitum nihil.' Boëthius lib. II. metr. 3. *Farn.*

178 *Cuncta*] Omnia in fluxu sunt et motu: mutatur rerum omnium facies: ῥεῖ πάντα, καὶ οὐδὲν μένει· et corruptio unius, est generatio alterius. *Idem.* *Omnisque vagans*] *Vaga* vel *vage* Bernegger. *Heins.*

179 *Labuntur tempora*] *Volvuntur* plurimi veteres; nil muto. Noster libro X. 'Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis.' *Idem.*

182 *Urgeturque prior veniente*] Sic Thuan. Juret. pr. Hamburg. pr. Moret. reliqui plerique, *urgeturque eadem veniens;* nisi quod *eadem veniente* unus Bonon. *venienti* unus Medic. quod placet: et pro *urgetque priorem,* Neapol. *urgetque sequentem.* Idem.

186 *Emensas in lucem tendere noctes*] Oxon. Arondel. et viginti circiter alii *emeritas;* quod primo conspectu arridebat: ut paulo post, 'emeritis medii quoque temporis annis.' Fast. III. 'Quominus emeritis exiret cursibus annus.' Seneca Agamemnone, 'Stat ecce Titan dubius emerito die.' Statius, 'emeriti confinia Phœbi.' Epigramma ineditum, quod Nasoni nostro adscribitur in vetustissimo codice, 'Jam nitidum tumidis Phœbus jubar intulit undis, Emeritam renovans Tethyos amne facem.' Nunc tamen amplector *emersas noctes;* quomodo Bernegger. alter Hamburg. Græv. et alii duodecim. Vide quæ Notavi Fast. III. 399. *Idem.*

187 *Jubar*] Solem.

188 *Nec color est idem cœli*] *Cœlo* plerique meliores. *Heins.*

189 *Cuncta jacent*] *Tacent* unus meus; ita passim auctores: hinc et 'noctis silentia:' vulgatum tamen non damno. Pro *exit* idem codex *anteit.* Idem.

190 *Prævia lucis*] *Luci* prim. Moret. Arondel. et duo alii; bene. *Idem.*

191 *Pallantias*] Aurora Pallantis filia.

192 *Ipse dei*] Ipse orbis Solis. An utique e forma clypei, quæ rotunda? an forte concepit hoc Noster, atque expressit ex illo Plautino, ' Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior, Quam Solis radii esse olim, quum sudum est, solent.' Miles gloriosus I. 5. An ex illo Virgiliano Æneid. III. ' Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar,' de Polyphemi oculo. *Farn.*

196 *Nocturnæ Dianæ*] Lunæ, quæ semper aut crescit, aut decrescit, nec unquam in eodem permanet statu. *R.*

198 *Secedere*] Veteres plerique notæ melioris *succedere;* recte. Sic supra ' jubar hoc nitidum nigræ succedere nocti' dixerat. *Heins.*

199 *Quid*] Διαιρεῖται δὲ καὶ τὸν τοῦ ἀνθρώπου βίον οὕτως· παῖς, εἴκοσι ἔτεα, &c. Sunt autem ætates istæ et anni temporibus accommodatæ, veri puer, æstati adolescens, &c. Laërtius in vita Pythagor. Lege et quæ Petr. Crinitus lib. v. de Honesta disciplina, cap. 9. *Farn.*

202 *Herba recens*] Multi *virens.* prim. Vatican. prim. Basil. quart. Medic. prim. Hamburg. et octo alii *nitens:* sic alibi, *Et nitet in summo seminis herba solo,* libro IV. Fastor. ' Vere nitent terræ: vere remissus ager.' Et postea, ' Pictaque dissimili flore nitebat humus.' Plautus Truculento Act. II. Sc. 4. ubi Dinarchus de Phronesio amica, ' ver vide: Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet!' ' Nitidæ fruges' apud Lucretium passim; eidem ' viridis herbarum nitor:' ' nitentia culta' Virgilio Georg. II. *Heins.*

205 *Ludit ager*] *Ridet ager* bene unus Leidensis et unus Vossianus: ut apud Virgilium, ' Albaque de viridi riserunt lilia prato.' Et, ' Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.' In Catalectis Mssis. ' Rident prata rosis: et floribus arva tumescunt.' Claudian. lib. II. Raptus, de Proserpina flores legente, ' Ridentes calathos spoliis agrestibus implet.' In Catalectis, ' vere omnia rident.' Apud Rutilium in Itinerario, ' indigenis ridentia lilia saxis.' Claudian. Cons. Manlii, ' docti riserunt floribus amnes.' Sic γελᾷν Græci de rebus inanimatis; ut illo Homeri Iliad. T. Γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθὼν Χαλκοῦ ὑπὸ στεροπῆς. Et apposite Achilles Tatius ex veteri poëta de rosa, τὸ πέταλον τῷ ζεφύρῳ γελᾷ. ' Ridere argentum in domo' dixit Horatius: ' ridentia littora conchis' Virgil. in Ciri: ' tibi rident æquora' Lucretio. Vide Notas Fast. IV. 429. *Idem.*

208 *Quæ magis ardeat*] *Æstuat* prim. Palat. hoc est, *æstuet.* Idem.

211 *Temperie medius. Sparsus quoque tempora canis*] *Sparsis per tempora canis* Arondel. Zulich. et tres alii; quod magis placet. *Temperiem medius* quoque prim. Vatican. et Neapol. *Id.*

217 *Spesque hominum primæ matrisque habitavimus alvo*] Multi, *matris habitavimus:* sed *materna habitavimus alvo* verum est; quomodo Thuan. quart. Medic. pr. Bonon. pr. Moret. et nonnullæ editiones ex vetustioribus: *matura* prim. Palat. Sic Gratius de cane generoso, ' affectat materna regna sub alvo.' *Spesque hominis* pr. Vatic. *Idem.*

222 *Quadrupes*] Reptans: videturque allusum ad Sphingis ænigma; ' Qui quadrupes foret, et bipes, et tripes unus et idem.' Vide quæ nos ad Thebaida Senec. vs. 119.

224 *Adjutisque*] *Adjutis* plerique præstantiores. *Heins. Conamine*] Adminiculo geniculis adaptato, ne varæ aut compernes fierent. Varro lib. VIII. de L. Lat. serperastrum vocat. *Farn.*

226 *Emeritis medii quoque temporis annis*] *Emensis* Thuan. unus Basil. et unus Medic. placet: *emersis* unus Patav. proxime verum. Mutarunt, qui arbitrati sunt *emensis* passive non posse dici. *Heins.*

227 *Labitur declive*] Imo per iter declive, hoc est, devexum et deorsum vergens, perinde ut sol cum ad occasum tendit: proinde et 'senectam occiduam' dixit, quod ea ultima sit ætatum hominis, perinde ut occidens ultima meta cursus solaris. *Micyl.*

229 *Fletque Milon*] Athleta fuit Crotoniata tantis viribus, ut uno ictu nudæ dextræ taurum interfecisse tradatur, humerisque per stadium sine fatigatione portasse. *R.* *Milo senior*] Qui, cum jam senex esset, inquit Cicero in Catone, videretque athletas se exercentes, aspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse, At hi quidem jam mortui sunt. Hujus miserabilem exitum refert Pausanias in Corinth. Post Agellium lib. xv. 16. alii. *Farn.*

230 *Solidarum morte ferarum Herculeis similes*] De feris a Milone occisis nil legi; præterea *feræ solidæ* minus bene dicuntur: sed *armi ferarum solidi*, aut *terga solida*, et *cervix*, et *pedes* bene: quomodo 'solidos canum calces' dixit Gratius. Auget de loco depravato suspicionem, quod in plerisque antiquis libris pro *morte* legatur *more:* in primo Regio et uno Voss. *mole.* Præterea *solidorum fe-rorum* prim. Palat. prim. Vatican. Bernegger. Thuan. Urbin. et quatuor aut quinque alii. Quid hæremus? Refinge meo periculo, *solidorum mole tororum:* comparat Milonis lacertos cum toris Herculis, quos solidos proprie et eleganter vocat. Epist. Deianiræ ad Herculem, 'Non puduit fortes auro cohibere lacertos, Et solidis gemmas apposuisse toris?' Amphitruo Hercule Furente apud Senecam Act. III. 'Teneone in auras editum? an vana fruor Deceptus umbra? tune es! agnosco toros:' ita optimus Mediceus liber versus istos legit. Ipse Hercules apud Ciceronem Tusc. Quæst. ex Sophoclis Trachiniis, 'o ante victrices manus! O pectora, o terga, o lacertorum tori!' Val. Flacco, 'Conspicuusque toris Tirynthius.' Idem lib. I. Meleagri lacertos Herculeis comparat, 'Ostendisque humeros fortes spatiumque superbi Pectoris Herculeis æquum, Meleagre, lacertis.' Lib. II. ubi Herculem pugnaturum describit, 'Ecce ducem placitæ furiis crudescere pugnæ, Surgentemque toris stupet, immanemque paratu Æacides.' Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'torosum' vocat: 'Lydia te tunica jussit lasciva fluente Inter lanificas ducere pensa suas. Clava, torose, tibi pariter cum pelle jacebant:' ita versus mendosissimi scribendi. *Clava torosa* inepte legebatur. 'Ducere pensa' Claudianus etiam dixit, et Juvenalis, quod 'trahere pensa' aliis: *ducere tunicas* vix Latinum est. *Jacebant* non *jacebat* vetus liber Petri Servii, quod elegans. Sed nimii jam sumus in re manifesta. Pro *Milon* pr. Vatican. Grævianus, et quatuor alii *Milo.* Heins.

232 *In speculo*] *Speculum* Urbin. pr. Palat. Cantabrig. pr. Erfurt. pr. Moret. et multi alii. *Idem.*

233 *Tyndaris*] Helena, Tyndari et Ledæ filia, a Theseo novennis rapta, sed a fratribus Dioscuris recuperata, Menelao in matrimonium data, mox a Paride rapta, &c. *Farn.*

236 *Lenta consumitis morte*] Sic et scripti. Putabam tamen *lento morsu:* ut perstet in metaphora de dentibus et edacitate temporis. 'Consumere morsu,' ut lib. IV. 'Et scelerata fero consumite viscera morsu.' *Heins.*

FAB. IV. 239 *Genitalia corpora*] Quatuor elementa ex quibus omnia generantur. *R.* *Æternus*] Hoc ex Schola Aristotelica, cui mundus fuit ab omni æternitate.

242 *Nulloque*] Pondere subauditur.

245 *Ex ipsis*] Quatuor elementis. *Et in ipsa cadunt*] In ipsa resolvuntur. *Resolutaque tellus*] Elementum alterum in aliud transire probat. Nam et terra in aquam, et aqua in aërem,

et aër in ignem; et contra ignis in aërem, aër in aquam, aqua in terram convertuntur. *Raph.*

246 *In liquidas rarescit aquas*] *Rorescit* Thuan. *marcescit* unus Moreti. ' Rorescentem terram' ' siccescenti' Plinius opponit lib. XVIII. 33. *Rarescere* hoc sensu an Latine dicatur, dubito. *Heins.*

248 *Superos ignes*] Ætherem, qui omnium elementorum supremus est.

249 *Retexitur*] Resolvitur. *R.*

251 *Hinc in aquas*] *Hic* vetustiores: et recte. *Heins.*

252 *Nec species*] Supra ad vs. 178. ' Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.' *Farn.*

257 *Cum sint huc*] Malim *cumque huc sint:* et mox pro *Crediderim*, *Credideris;* etsi aliter libri: lib. XII. ' Nec tu credideris tantum cecinisse futura Ampyciden Mopsum.' *Heins.*

258 *Summa tamen omnia*] *Summæ omnia* Scaliger. *Idem.*

260 *Sic ad ferrum*] Ad ferream ætatem. *Ab auro*] Ab ætate aurea.

261 *Versa est Fortuna*] *Versa es* rectius in codicibus Viviani. *Heins.*

262 *Vidi ego*] De insulis e mari enatis, Plin. lib. II. 86. et 87. et Senec. Nat. Quæst. lib. II. 26. quibus locis maria recesserint, Plin. lib. II. 85. quas terras interruperint maria lib. II. 88. et Seneca Natur. quæst. l. VI. 29. *Farn.*

263 *Vidi factas ex æquore terras*] Nam præterquam quod novæ insulæ in mari nascuntur, tota Ægyptus olim mare fuisse narratur.

267 *Deductus in æquor*] *Devectus* malim cum uno Moreti et uno Bononiensi. *Heins.*

268 *Paludosa*] Terra subaudiatur. Ex paludibus autem etiam nunc fertilissimi agri fiunt.

269 *Quæque sitim tulerant*] Quæ sicca fuerant loca a paludibus sunt occupata. *Stagnata*] Stagna facta.

270 *Hic novos*] Fontes novi sæpenumero oriuntur: maximeque ubi sylvæ succiduntur, ut Plinius scribit; interdum etiam arescunt. *Et illic*] *At illic* meliores. *Heins.*

271 *Et antiquis tam multa tremoribus orbis*] Hæc mendosa sunt. Forte scribendum, *et aut quædam stimulata tremoribus ortis Flumina prosiliunt.* Pro *tam multa* Sixianus *concussa*, non male; posset et *convulsa.* Idem. *Tremoribus*] Terræ motæ causas erudite examinat Seneca lib. VI. 4. 5. 6. et seq. Plin. lib. II. 79. Aristotel. Meteorolog. II. 7. Lucret. lib. VI.

272 *Aut exsiccata residunt*] *Excæcata* Bernegger. Urbin. prim. Reg. Arond. prim. Moret. Polit. prim. Palat. prim. Vatican. prim. Gronov. et alii nonnulli: bene. Pont. lib. IV. 2. ' Scilicet ut limus venas excæcat in undis.' Sic ' excæcare formam.' Petronius dixit ' Nunquid aliquo naturali vitio formam excæco.' Avienus descriptione Orbis, ' denso cæcantur stipite silvæ.' Virgil. in Culice, ' timor obcæcaverat artus.' Auctor Panegyrici ad Pisonem, ' Aurea rorificis obcæcat sidera nimbis.' Ita et ' oblimare' Claudianus lib. III. Raptus, ' Luxus et humanas oblimat copia mentes.'

FAB. V. 273 *Sic ubi*] Lycus Asiæ fl. terræ hiatu absorptus, post 5. stadia rursus emergit. Plin. lib. II. 103. Senec. Nat. quæst. III. 26. *Farn.*

274 *Alioque renascitur orbe*] *Ore* prim. Palat. prim. Vatican. Cantabrig. quart. Medic. Neapol. uterque Erfurt. Juret. et sex aut septem alii cum priscis editionibus; probe: præsertim si *tremoribus orbis* paulo ante retineas. Apud Senecam, qui hos versus in Naturalibus Quæstionibus lib. III. 26. citat, ambigua est lectio; nam codices quidam illic etiam *ore* agnoscunt: potest procul emergere Lycus, nec tamen alio orbe. *Heins.*

FAB. VI. 275 *Sic modo*] Erasinus fl. Arcadiæ. Plin. II. 103. *Tecto modo gurgite*] *Tacito* Seneca: hoc est tecto. Trist. III. 10. ex antiquis codicibus, ' Cæruleos

ventis latices durantibus Ister Congelat, et tacitis in mare serpit aquis:' sic passim scriptores, etiam de aliis rebus. Vide Notas ad Epist. IV. 20. Pro *ingens Erasinus* tres *surgens*. Pro *agris* vetustiores plerique *arvis;* Seneca *undis:* sed et apud illum vetusti codices *agris* et *tecto gurgite*. Heinsius.

FAB. VII. 277 *Et Mysum*] Mysiæ fl. terra haustus, fontem, alveum, et nomen mutavit, nunc Caicus dictus.

278 *Alia nunc ire*] Multi præstantiores *alias* vel *alio;* male: ripa subintellige. *Heins.*

FAB. VIII. 279 *Nec non*] Amasenus fl. Siciliæ. *Amasenus*] Sic et membranæ pleræque; nisi quod Urbin. et Berneg. *Amasenos;* ut et pr. Ambros. et tert. Gronov. atqui nullus in Sicilia *Amasenus*. Scribe *Amenanos:* et, ne dubites, Strabonem audi, lib. v. *Καθάπερ περὶ τοῦ Ἀμενάνου συμβαίνειν φασὶ τοῦ διὰ Κατάνης ῥέοντος. Ἐκλείπει γὰρ ἐπὶ πολλὰ ἔτη καὶ πάλιν ῥεῖ.* Primus locum sic emendandum esse vidit notis ad Cæsaris Commentarios Fulvius Ursinus, qui et veterem numum profert, cujus ab una parte scriptum sit, ΑΜΕΝΑΝΟΣ, ab altera, ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Vide quæ notamus Fast. IV. 467. ubi idem nomen mendosum exstabat. Amasenus Privernatium fluvius Servio et Vibio Sequestro. Certe in Græviano codice *Amesenus;* in uno Moreti, *Erasenus*. Heins.

FAB. IX. 281 *Ante*] Anigrus fl. Peloponnesi, ex dulci amarus potu factus est, postquam in eo lavere se Centauri ab Hercule vulnerati.

282 *Agigros*] *Anigros* ex melioribus. *Heins.*

FAB. X. 285 *Quique*] Insulæ continentes factæ. *Scythicis de montibus*] *Scythiis* Bernegger. et septem alii: *Scythis* pr. Hamburgensis. Pro *salibus amaris* Bernegg. et Arondelianus pro diversa lectione, *sale nunc vitiatur;* neque aliter Barberinianus. *Heins.*

FAB. XI. 287 *Fluctibus*] Antissa Lesbo ins. Pharos Ægypto, Tyros Phœniciæ adjectæ. *Fuerant*] *Fuerunt* tert. Bonon. *Heins.*

FAB. XII. 289 *Leucada*] Leucadem a continenti avulsit accolarum opera: Messanam totamque Siciliam ab Italia pontus. Æn. III.

FAB. XIII. 293 *Si quæras*] Terræ motu urbes istas absorptas scribunt Oros. l. III. 3. Strabo l. I. Diod. l. XXV. *Helicen et Buran*] *Burin* nostri omnes: utrumque probum est, nisi quod scriptos sequor. Senecæ in Naturalibus Quæstionibus etiam ter quaterve *Buris* dicta. Βουρὰ est Græcis. Plinio etiam *Bura:* ut et Ammiano Marcellino l. XVII. *Heins.*

FAB. XIV. 296 *Est prope*] Prope Trœzena urbem Peloponnesi, Pittheo quondam regnatam, area, exhalationum in cavernis subterraneis vi, in collem intumuit, non secus ac vesica aut uter inflatus. *Pittheam*] *Pitthean* Urbin. pr. Vatican. pr. Reg. pr. Basil. tert. Medic. et alii duodecim: sic et infra vs. 506. nonnulli codices. *Heins.*

304 *Direpta bicornis Terga capri*] *Bicorni capro* Bernegger. Arondel. Neapol. et quinque alii; bene: nisi quod *derepta* etiam legendum esse jam monui notis ad lib. III. vs. 52. In uno Moreti, *erepta:* ut apud Virgilium, 'Cui pellis latos humeros crepta juvenco Bellatori operit.' Statius Theb. IV. 'Quattuor indomitis Capaneus erepta juvencis Terga, superque rigens injectum molis ahenæ Versat onus.' *Idem.*

FAB. XV. 307 *Plurima*] De fontis hujus, nec non aliorum, miraculo, vide Plin. II. 103. Curtium l. IV. Arrianum l. II. Lucret. l. VI. De Jove Ammone arietina forma culto, vide quæ nos ad Lucanum lib. IX. 512. *Cognita nobis*] *Vobis* rectius quatuor scripti. *Heins.*

FAB. XVI. 311 *Admotis*] Apud Athamanas Epiri populos fons Dodonæus

faces extinguit, extinctas accendit, &c. Plin. lib. II. 103. Solinus c. 12. Mela lib. II. 3. Lucret. lib. VI.

FAB. XVII. 313 *Flumen*] Plin. c. 103. lib. II. et Seneca lib. III. Natur. quæst. c. 20.

FAB. XVIII. 315 *Crathis, et*] Ὁ δὲ Κράθις τοὺς λουομένους ξανθοτριχεῖν καὶ λευκοτριχεῖν ποιεῖ, Strabo sexto lib. ubi et de Sybari, Eurip. in Troad. *Crathis, et hinc Sybaris*] *Et huic* bene prim. Palat. et unus Leidensis. Neque aliter Vibius Sequester legit: 'Crathis confinis Sybari capillos facit aurei coloris.' *Arvis*, pro *oris*, plurimi ex vetustioribus: et *nostris*, pro *vestris*; quod verum est. *Heins.*

FAB. XIX. 317 *Quodque*] De Salmacide fonte Cariæ dictum lib. v. 285.

319 *Obscœnæ Salmacis unda*] *Salmacidis* debebat dixisse: sed *undæ* reponendum cum Bernegger. Neapol. pr. Reg. utroque Erfurt. pr. Moret. pr. Pal. pr. Vatic. et sex aliis: quomodo et magnus Scaliger in ora codicis sui emendarat. *Heins.*

FAB. XX. 320 *Æthiopesque*] Lacus quidam in Æthiopia epoti furorem inducunt aut veternum. *Farn. Æthiopesque lacus*] Porphyrius, de Styge, memorabile quid memorat de aqua probationis apud Indos: ubi reus, ad examen istius aquæ adductus, ex eo vel absolvitur vel damnatur: Λίμνη λεγομένη δοκιμαστηρίου.

321 *Mirum gravitate soporem*] Periphrasis est lethargi. *R.* Solinus c. 32. etiam lacum in Æthiopia dicit esse, quo perfusa corpora velut oleo nitescant. *Micyl.*

FAB. XXI. 322 *Clitorio*] Vinum tædio venire his qui ex Clitorio lacu biberint, scribit Plin. XXXII. 2. Est autem lacus ille Arcadiæ in Peloponneso. Vitruvius lib. VIII. refert epigramma in eandem sententiam, fontis lapidi inscriptum. Prœti autem filias βουμανίᾳ laborantes Melanthus Amithaonis filius sanæ menti restituit, morbique ἀποκαθάρματα in fontem conjecit; ut Poëtæ placet. *Farn.*

325 *Amythaone natus*] Melampus medicus, qui Prœti Argivorum regis filias quatuor putantes se vaccas esse eo furore liberavit, quem ipsis Juno, ut scribit Pherecydes, ut alii, Venus, immiserat, quod illa se pulchriores esse jactarent.

326 *Prœtidas*] Prœti Argivorum regis filias, quarum nomina sunt hæc, Mera, Euryale, Lysippe, et Iphianassa, quam quidem Melampus, parte regni accepta, posteaquam illas curavit, uxorem accepit. *R.*

FAB. XXII. 329 *Hinc fluit*] *Huic* ex castigatioribus scriptis. *Heins. Hinc fluit*] Lyncestis aqua, in Macedonia, vini modo temulentos facit, inquit Plin. II. 103.

FAB. XXIII. 332 *Est lacus Arcadiæ, Pheneum dixere priores*] *Phœnon* multi veteres, vel *Phenon*: tres *Pheneon*; bene. Præterea *locus Arcadiæ* cum pr. Gronov. tert. Medic. Urbin. et sex aliis legendum: sic Pont. lib. III. 'Est locus in Scythia: Tauros dixere priores.' *Pheneos* quoque Catullo, Virgilio, ac Statio est, ut omittam Græcos. Nullum novi in Arcadia lacum *Pheneon*: oppidum ejus nominis habeo notum (unde 'Phenei mœnia' apud Maronem libro VIII.) cujus in vicinia fons ex prærruptis saxis stillare dicatur. Ejus aquam, στυγὸς ὕδωρ dictam, certis temporibus esse lethiferam. Nocte tamen esse noxiam nemo, quod sciam, præter Nasonem prodidit. Sed hæc fusius in Commentario nostro discutiemus. Emenda interim in transcursu Lucanum libro III. 'Et Phenei qui rura colunt, quorumque labore Thessalus Æsoniam vomer proscindit Iolcon:' ubi *Penei rura* perperam legitur: Arcadiam intelligit: *Æsoniam* quoque *Iolcon* reposuimus pro *Hæmonia*: sic 'Meleagream Calydona' dixit lib. VI. et 'Cinyræam Cypron' l. VIII. 'Hæmoniam' Iolcon supervacuo epitheto et otioso appellat, cum τὸ *vomer Thes-*

salus satis designet de Thessalia agi. *Heins.* *Est lacus*] Lacum hunc Arcades Styga vocant, inquit Pausanias in Arcadicis: vide et Plinium l. IV. 6.

FAB. XXIV. 335 *Sic alias*] De ins. Delo erratica, supra l. VI. 186. et ad Æn. III. De Cyaneis inss. vide quæ ad 63. vs. l. VII. et quæ ad Senecæ Medeam vs. 341. et ad Hercul. Fur. vs. 1212. Hom. Odyss. M. Pindar. Pyth. Od. IV. Apoll. Argonaut. l. II. *Farn.*

336 *Tempusque fuit quo navit in undis*] Ortygia insula, quæ et Delos vocatur, ut superius diximus, fluitare solebat.

337 *Timuit concursibus Argo*] Symplegades insulæ sunt, quæ et Cyaneæ dicuntur, contra Bosphorum Thracium, quæ a poëtis olim concurrisse finguntur, quoniam (ut inquit Plinius) parvo discretæ intervallo ex adverso intrantibus geminæ esse videntur, paululumque deflexa acie coëuntium speciem præbebant.

FAB. XXV. 340 *Nec quæ*] Præter Poëtas a me citatos in Indice Poëtico tit. *Ætna*, Lucretium, Virgilium, Claudianum, &c. vide Arist. lib. de Mundo. Senec. epist. 79. Plin. lib. III. 8. Solin. c. 11. Strab. lib. VI. Adfert Noster tres incendii causas: 1. ab animali spiritu; 2. a ventis inclusis; 3. a bitumine et sulphure. *Farn.* *Ætna*] *Ætne* Bernegger. Thuan. Arondel. et duo alii; ut alibi sæpe. *Heins.*

348 *Materiam*] *Materiem* castigatiores. *Idem.*

351 *Luteave exiguis arescunt sulfura fumis*] Puto *assiduis fumis*, vel *irriguis.* Idem.

FAB. XXVI. 356 *Esse viros*] Herodotus in Melpomene pennas has interpretatur nives, et Plin. II. 12. Mox, inquit, Riphæi montes, assiduo nivis casu, pinnarum similitudine, Pterophoros appellata regio, &c. *Farn.*

FAB. XXVII. 359 *Sparsæ*] Adi auctores a me citatos ad vs. 200. et 223. lib. VII. Quin et Pamphile fit bubo. Met. III. Apuleii.

360 *Scythides*] Scythicæ mulieres, quæ se in aves, ut nostratium quædam in feles mutare dicuntur.

FAB. XXVIII. 361 *Fides rebus tamen est addenda probatis*] *Adhibenda* Neap. unus Reg. et unus Moreti; probe. Auson. Ep. XII. 'Si qua fides falsis unquam est adhibenda poëtis.' Mox pro *fluidove calore* malim *vapore;* atque ita unus Palat. *Heins.* *Si qua fides*] Μέλισσαι βουγενεῖς. Aristæi inventum. Fast. I. Columella IX. 14. Varro R. R. lib. III. 16. citat illud Archelai; βοὸς φθιμένης πεποιημένα τέκνα. Plin. lib. II. 20. apes in totum amissas reparari aiunt ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis: sicut Virgilius Georgic. IV. juvencorum corpore exanimato. *Farn.*

363 *Tabuerint*] Corrupta fuerint.

364 *I quoque delectos mactatos obrue tauros*] Versus mendosissimus. Videamus diversas lectiones. *His quoque delectos* Thuan. *In quoque dilectos* Neapol. *Hos quoque dilectos* Bernegger. *I tam delectos* Urbin. *I quoque dilectos* Cantabr. prior Hamburg. et viginti circiter alii: tres, *Dis quoque delectos:* quatuor, *Hinc quoque:* Arondel. et tres alii, *Hos quoque:* unus Sixii *Huic:* alius *Is*: quart. Medic. *Hic:* unus meus *Inque delectos: Hic quoque dejectos* unus Grenov. *I quoque dilecto* prim. Palat. veterrimus, vel, *Dis: I quoque delecto* unus Medic. *I nunc quoque delectos* unus Vatic. *I quoque delectas* Junian. *In quoque dilecto* fragm. Boxhorn. unus Ciofani *dejectos:* Grævianus *Hinc quoque dilectos.* Puto scribendum esse, *I scrobe delecto mactatos obrue tauros*, vel *delecta*, est enim communis generis scrobs; nam in Thuaneo optimo est *His quoque.* Nihil equidem evestigare possum, quod propius accedat ad scripturam veterem. An *scrobe repleto?* ut apud Virgil. 'scrobibus superatur terra repletis.' *Heins.*

366 *Nascuntur apes*] Decem antiqui *nascentur:* et tum fortassis postea

legendum sit, *quæ Rura colant, operique vacent, in spemque laborent.* Idem.

367 *Rura colunt*] Nam in agris e floribus rorem legentes versantur. *In spem* futuri et mellis et novi examinis. *R.*

Fab. xxix. 368 *Pressus*] Equorum corpore vespas atque crabrones. Ἵππων μὲν σφῆκες γενεὰ, μόσχων δὲ μέλισσαι. Varro R. R. iii. 16.

Fab. xxxi. 372 *Quæque*] Inde vermiculus parvus, et triduo eruca; rupto deinde cortice volat papilio. Plin. lib. ii. 32. *Farn. Canis filis*] *Cæcis* Thuan. prim. Bonon. *albis* prim. Moret. et duo alii; *silvis* unus meus. *Heins.*

Fab. xxxiii. 379 *Nec catulis*] Ursarum fœtus nasci informes, lambendo figurari scribunt auctores non ultimi commatis. Falsum id esse, oculatus contrarii testis, asseverat Dalecampius ad Plin. hist. lib. viii. 36. *Quem reddidit*] Malim *quod reddidit.* Heins.

Fab. xxxiv. 382 *Nonne*] Servio, quod sine pedibus nascantur, nomen habere dicuntur, quasi ἄποδες. Scaligero vero de L. L. lib. iv. 94. ab opere; παρὰ τὸ ἅπτειν. *Farn.*

Fab. xxxv. 385 *Junonis volucrem, &c.*] Pavones qui in tutela Junonis habentur, item aquilæ Jovis, columbæque Veneris, et cæteræ volucres ex media parte ovi, qui vitellus vocatur, videntur nasci. *Lact.*

386 *Cythereidasque*] Ne claudicet versus, lege *Cythereiadasque* cum Cantabrig. et quart. Medic. Paulo ante, pro *Et serosque pedes*, bene unus Moret. *Mox serosque pedes.* Heins.

388 *Quis nasci posse putaret*] *Quis fieri* unus Moreti, concinna repetitione. *Idem.*

Fab. xxxvi. 389 *Sunt qui*] Anguem ex medulla hominis spinæ gigni, accepimus a multis. Plin. lib. x. 66. circa sepulchra itaque visuntur.

Fab. xxxvii. 391 *Hæc*] Præter Claudianum et alios a me citatos in Indice meo Poëtico tit. Phœnix, lege Tac. Annal. l. v. Æl. v. 58. Pier. Hieroglyph. xx. Gesnerum, alios. Phœnicem jactant Indi, avem unicam, nescio an fabulose, inquit Plin. x. 2. Soli sacram, vivere annos 660. casia thurisque surculis nidum construere et superemori: ex ossibus et medullis ejus nasci vermiculum; inde fieri pullum, &c. Justa priori reddere, totum nidum deferre prope Panchaiam, in Solis urbem, et in ara ibi deponere, &c. *Farn. Ex aliis generis primordia ducunt*] *Ex aliis ducunt primordia rebus*, bene, unus Leidensis; neque aliter Oxon. quart. Medic. Thuan. et decem alii: nisi quod in iis, *rebus primordia ducunt.* Heins.

393 *Assyrii Phœnica vocant*] 'Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla lucens, cætera purpureus, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, caputque plumeo apice honestante.' Plin. lib. x. 2. 1. Cæsar etiam mentionem ejus facit; sed nemo unquam vidit vescentem.

394 *Et succo vivit amomi*] Salmasius ad Solinum p. 1070. *sicco amomo;* quomodo et ego in uno Mediceo inveni: sed nihil mutandum; nam ex sicco amomo quid alimenti Phœnix colligeret? amomum intelligit nondum siccatum. Sic Lucanus lib. x. 'Advectumque recens vicinæ messis amomum.' Nec felicius ibidem in carmine Lactantii de Phœnice, pro, *auramque procul spirantis amomi*, reponit idem Salmasius *uvamque;* atqui *aura amomi* pro ipso amomo ponitur; *aura* pro odore quem exhalat amomum. Sic 'Coricii aura croci' apud Martialem. Claudianus de Phœnice, 'et nectare dulcior aura Ostia nigrantis Nili septena vaporat.' Priscianus in Periegesi, 'Cinnama præterea jucundæ naribus auræ.' 'Pingues ab ovilibus auræ' apud Virgil. 'et odori sulphuris aura' apud Statium: et 'halantes sulphuris auræ' Lucretio. Exempla plura sunt in promtu. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. *Heins.*

397 *Duro nidum sibi construit ore*] Τὸ *duro* non arridet: plerique veteres *puro;* pr. Gronov. et unus Basil. et Noricus, *pando;* bene: sic de apro lib. x. 'Protinus excussit pando venabula rostro.' 'Panda cornua' lib. x. 270. ex vetustis codicibus, et 'panda aratra' passim alibi. *Idem.*

398 *Nardi lenis aristas*] *Lævis* pr. Palat. pr. Vatican. pr. Basil. et Oxon. cum aliis viginti. Glossa interlinearis alterius Erfurtani, 'id est, redolentis;' ut *nardi halantis* forte sit scribendum: quomodo apud Lucretium lib. II. 'Et nardi florem, nectar qui naribus halat.' Pro *Quassaque cinnama* duo Medicei *Crassaque;* unus Basil. *Castaque;* alter Hamburg. *Cassaque*: ut ξυλοκιννάμωμον intelligatur, quod maximo in pretio cortex cinnamomo detractus: sic 'cassa canna.' Vide Notas Fast. VI. 406. *Idem.*

404 *Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ*] *Aptus tunc nidum ramis levat* Bernegg. Cantabrig. Arondel. et sex alii: totidem *Est aptus nidum.* Versus hic adulterinus est. Metuo ne et proxime præcedens et tres sequentes huc ab aliena manu sint inculcati, ita duodecim versibus totam de Phœnice historiam Naso absolverit. *Idem.*

406 *Hyperionis urbe*] Templo Solis, quod in urbe Solis est, cujus meminit Plin. lib. v. 9. *R.*

Fab. xxxviii. 408 *Si tamen est aliquid miræ, &c.*] Hyænis utramque esse naturam annis alternis credit vulgus; Aristoteles negat, inquit Plin. VIII. 30. Tales, inquit Sabinus, sunt Theologi ambigue de gravissimis rebus pronunciantes et docentes, &c. *Farn.*

410 *Hyænam*] *Hyænem* pr. Gronov. et Junian. *hyænen* Arondel. Græcis tamen ὕαινα est. *Heins.*

Fab. xxxix. 411 *Id quoque*] Chamæleon omnium quæ tangit refert colorem: rubrum candidumque excipit Plutarchus lib. de Adul. de quo Plin. lib. VIII. 33. Tertul. de Pallio. Pierius lib. XXVII. Alciat. embl. 58.

412 *Protinus assimulat, tetigit quoscunque colores*] *Assimulat tactu* prim. Basil. quart. Medic. prim. Bonon. et alii duodecim, recte: nonnulli et *assimilat.* Heins.

Fab. xl. 413 *Victa*] Ex urina lyncis, lapis lyncurius. *Farn.*

414 *Quicquid vesica remisit*] Omnis urina lyncum. *R.*

Fab. xli. 416 *Coralium*] Prim. Palat. veterrimus et Calandræ codex *curalium;* bene: prim. Vatican. *caralium;* quatuor alii *corallum.* Vide Notas lib. IV. 748. *Heins. Sic et Coralium*] Ut ante lib. IV. 744. *Farn.*

Fab. xlii. 418 *Desinet*] *Desinat* malim et *tingat;* quomodo Voss. unus, et unus Argentinus pro diversa lectione; vetustiores tamen *Deseret.* Virgilius lib. I. magni operis, 'Si vacet annales nostrorum audire laborum, Ante diem clauso componet vesper Olympo:' ubi *componat* nonnulli codices. Pro et *in alto æquore* Cantabrig. *in imo.* Forte, *et Ibero Phœbus anhelos Æquore tinget equos.* Heins.

420 *Sic omnia verti*] Τὸ *omnia* proximo versu præcesserat: *tempora* prim. Vatican. prim. Gronov. quart. Medic. et decem alii, idque in postrema editione expressit Naugerius: sed mutationes temporum jam fuse supra percensuit. Lege, *sic tempore verti;* 'gentes' nimirum. Deinde pro *alias gentes* prim. sec. Palat. prim. Vatican. prim. Gronov. quart. Medic. aliique plurimi *illas;* bene: quod respondet τῷ *has.* Idem.

426 *Clara fuit Sparte*] Hic versus cum sequenti in Vatic. margini erat adscriptus: qui illos sequitur, omnino est expungendus, cum ex hoc versu promanarit. Quid enim opus bis Spartæ meminisse? Certe libri veteres ex his quinque versibus modo hunc modo illum non agnoscunt. Ego omnes tollendos esse censeo. In eo enim artificium Poëtæ imprimis consistit, ut perpetuo orationis filo mutationem

rerum omnium tanquam concatenatam pertexat: nunc in eo occupatur, ut ex ruinis Trojæ Romam prodiisse demonstret. Inopportuna igitur, ut quæ maxime, Spartes, Mycenarum, Athenarumque, ac Thebes hic inculcatur mentio. Adde quod in postremis duobus versibus bis occurrit *nomina* et *nomen*, qualia nusquam committit Noster, nisi librariorum oscitantium culpa. Denique Athenas nil nisi nomen fuisse Pythagoræ ætate falsissimum est, quæ tum florebant unice. Sed de repetitione *τοῦ nomen* culpa amovebitur, si cum Bernegg. et altero Strozzæ repones *quid sunt nisi fabula Thebæ?* ut apud Statium Theb. x. 'Et mentita diu Thebani fabula muri.' Lucanus lib. vii. 'tunc omne Latinum Fabula nomen erit.' Versu denique secundo pro *Nec non et Cecropis*, bene unus Voss. *Nec non Cecropiæ:* nam primam in *Cecropis* nusquam corripuit Naso. *Idem. Clara*] Lacedæmon, Mycenæ, Athenæ, ab Amphione conditæ Thebæ, Œdipodæ regnatæ, urbes quondam florentissimæ, nunc prostratæ et dirutæ, urbium cadavera projecta jacent, ut Sulpitius, Epist. 5. lib. iv. ad Ciceronem. *Farn.*

427 *Amphionis arces*] Thebæ, ab Amphione amplificatæ. *R.*

428 *Altæ cecidere Mycenæ*] *Altæ* propter ædificiorum celsitatem: aut famam et gloriam: sicut 'altæ mœnia Romæ,' Æneid. i. *Pont.*

429 *Œdipodioniæ Thebæ*] Ubi Œdipus regnavit; ut Pandioniæ Athenæ, ubi Pandion. *Nec non et Cecropis*] Athenæ, quarum auctor fuit Cecrops. *R.*

Fab. xliii. 431 *Dardaniam*] A Dardaniis conditam Romam, quam alluit Tybris ex Apennino medio profluens. *Farn.*

436 *Quantumque*] Fictionem prædictionis hujus apposite imputat *ἀναμνήσει* suæ Pythagoras, qui se temporibus Trojanis Euphorbum fuisse deliravit: sed vide quæ Æneæ Helenus, Virg. Æneid. iii. *Farn.*

437 *Priamides Helenus*] Priami filius. Fuit autem vates optimus. *Lact.*

438 *Dixerat Æneas*] Huic versui ille præponendus, 'Priamides Helenus,' ex fide unius mei et unius Medicei. *Heins. Res Trojana*] Sic Enn. 'Res Romana,' Imperium et opes. Virg. Æn. iii. 'Res Asiæ:' sic et 'Res publica,' et 'res familiaris.' 'Imperium, litem, Venerem, cur una notat res?'

444 *Urbem etiam cerno Phrygios debere nepotes*] *Et jam*, ut in Fastis Carmenta vaticinans, 'Et jam Dardaniæ tangent hæc littora puppes.' Nec satis arridet *τὸ debere*. Quid si Noster scripsit? *Urbe et jam cerno Phrygios se efferre nepotes, Quanta nec est, nec erit.* Heins.

446 *Per secula longa*] Per septingentos annos. *Lact. Proceres*] Reges, Consules, alii toga et sago clari.

447 *Iuli*] Octavius Augustus, Julii Cæs. adoptione filius, qui maternum genus ad Ascanium, qui et Iulus, Æneæ filium referebat.

450 *Penatigero*] Repete quæ ex Æliano adnotavimus ad vs. 625. *Farn. Penatigero Æneæ*] Penates gerenti, quos Æneas ex Phrygia in Italiam detulit.

452 *Utiliter*] Jactura utique Phrygibus utili, utpote in bonum cedente; e Trojæ cineribus Roma, urbium principe et orbis capite, renata. *Farn. Utiliter Phrygibus vicisse Pelasgos*] 'Quei nec Dardaniis campis potuere perire: Nec quom capta capei, nec quom combusta cremari.' Ennius Annal. xiv. Quod Virgil. Æn. vii. expolivit: 'Num Sigæis occumbere campis, Num capti potuere capi, num incensa cremavit Troja viros?' Hæc est illa recidiva Troja, quæ post casum restituta. 'Trojæ renascens fortuna.' Horat. Od. iii. 3. Παλιγγενεσία. Sic Gallus, 'Recidiva voluptas,' quæ post intervallum redit. Silius,

lib. IV. 'Gens recidiva Phrygum.' Enn. Ann. I. 'In Roma, Troja, revixti.' Lucan. IX. 'grata vice mœnia reddent Ausonidæ Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.'

459 *Quæ possunt*] *Quæ possint* prim. Reg. et unus meus. *Heins.*

462 *Cumulemus viscera*] *Cumulemur* eleganti Græcismo primus Palatinus inter vetustissimos: unus Leid. et Grævianus *cumulentur*. Idem.

464 *Guttura cultro*] *Ferro* vetustiores. *Idem.*

465 *Immotas aures*] Nulla misericordia motas.

469 *Quam transitus inde paratus*] *Qua paratus* pr. Reg. et Langerm. *quis transitus* pr. Vatic. pr. Gronov. et multi alii: sec. Medic. *quid qui paratur* pr. Hamburg. et duo alii: *quo transitus inde paratur* pr. Erfurt. et pr. Ambros. recte: *paratur* alii etiam plurimi. *Heins.*

474 *Nec volucres*] *Volucrem* ex plerisque scriptis. *Idem.*

475 *Nec formidatis cervos includite pennis*] *Illudite* pr. Palat. Cantabr. tert. Medic. Urbin. Neapol. Thuan. pr. Erfurt. uterque Hamburg. pr. Moret. aliique complures: *eludite* pr. Ambros. sed frustra: sic Noster Fast. V. 'pro Libycis clauduntur rete leænis Imbelles capreæ.' Lucanus similiter lib. VI. 'feras indagine claudere.' Vide plura nostri Vlitii Notis ad Gratii vs. 49. primæ ac secundæ curæ. Apud Senecam tamen Hippolyto scribe, 'Picta rubenti linea pinna Vano ludat terrore feras:' nam veterrimus Mediceus *cludat*; vulgati *claudat*. Cæterum *pinnis* in Nasone reponendum: ita enim Gratius ac Nemesianus passim. Ausonius Ep. V. 'An cum fratre vagos dumeta per avia cervos Circumdas maculis et multa indagine pinnæ?' Inde 'pinnatum instrumentum in fune ad terrendas feras' Servio Æn. XII. et lemma in antiquo codice Gratii 'De pinnatis conficiendis.' Ita et apud Virgilium bis longe veterrimi duo codices, alter Mediceus, Vaticanus alter, literis uncialibus scripti, 'Puniceæ formidine pinnæ' Georg. III. et apud Lucanum scripta exemplaria. Pro *formidatis* plurimi codices *formidantes.* Forte, *formidandis.* Idem. *Nec formidatis pennis*] Ad pennas referatur, non enim sagittas intelligit poëta, sed revera pennas, quibus plerumque puniceis, interdum etiam odoratis, solebant venatores perterrefacere cervos, eaque loca, intra quæ cervi versarentur, circumdare. Hinc Virgilius quoque de cervis loquens tertio Georg. dixit, 'Hos non immissis canibus, non cassibus ullis, Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ.' *Micyl.* *Formidatis*] Formidinibus, id est, lineis quibus plumæ versicolores intertextæ, eædemque ustulatæ suspenduntur, quæ cervos visu et odore territos in veras plagas impellant.

478 *Alimentaque congrua*] *Mitia* omnes præter prim. Vatic. et quinque alios; quomodo Noster sæpe alibi: nil muto tamen. Memini enim 'congruum sermonem' quoque apud Plautum occurrere. *Heins.*

FAB. XLIV. 479 *Instructo*] Vide quæ adnotavi ad vs. 7. hujus lib. Sunt tamen qui alium a Samio Pythagora, Lacedæmonium scil. fuisse, Numæ *σύγχρονον*, autument, quem in Italia exulantem audiverit.

480 *Ultroque*] De imperio Numæ delato, religione et pace ab eo institutis, Ægeria Nympha, &c. consulendi historici, Livius, Dionysius, Plutarchus, alii, Virgil. Æneid. VI. *Farn.* *Remeasse*] Rediisse.

482 *Conjuge qui felix Nympha*] Ægeria Nympha Numæ Pompilii fuit uxor, quæ post viri interitum urbe relicta in sylvas abiit, ac tandem miseratione Deorum in fontem fingitur conversa. *Ducibusque Camœnis*] Auctoribus Musis. Nam omnia quæcunque Numa statuebat, ad Ægerinæ Nymphæ, Ca-

mœnarum autoritatem referebat.

484 *Ad artes*] Ad Deorum religionem, et jura, et leges, et mores colendos.

485 *Qui postquam senior*] *Quem* Cantabrig. sed tum postea pro *Deflevere Numam* refinge *Deflevere virum:* nam τὸ *Numam*, quod paulo ante præcesserat, aut ex glossemate interlineari irrepsit, aut ex geminata perperam sequenti voce *nam* conflatum est. *Heins. Qui postquam senior*] Numa, cum tres et quadraginta regnasset annos, periit.

488 *Vallis Aricinæ*] Aricia urbs est Latii haud longe ab urbe Roma distans. *Raph.*

489 *Oresteæ Dianæ*] Dicit ritum quo ante humano sanguine sacrificabatur Deæ, postea a Lycurgo sublatum, et pro eo institutum, ut adolescentes verberibus in eadem ara cæderentur, unde postea βωμονίκαι appellati, qui sufferendis pluribus verberum ictibus vicissent. De qua re Serv. annotavit in Æneid. VII. Sed hic Dianæ simulachrum principio in Italiam, inde rursum in Laconiam deportatum dicit. Sed de hac re copiose Pausanias in Laconicis. *Micyl. Oresteæ*] Dianæ Scythicæ simulachrum et sacra ex Taurica in Italiam tulisse fertur Orestes cum Iphigenia sorore, et in nemore Aricino statuisse. Vide Lil. Gyrald. Syntag. 12. et Lactant. lib. I. c. 21. *Farn.*

492 *Dixerunt! quoties flenti Theseius heros, Siste modum, dixit*] *Dixerunt! ah quoties* Barberin. Lege *Dixere! ah quoties.* Deinde pro *Siste modum,* quod Latinum vix est, repono *Sit modus o, dixit.* Certe Zulichemianus *Siste modo.* Valerius Flaccus libro IV. 485. 'Teque, ait, injusti quæ nunc premis ira Tonantis, Ante precor, nostræ tandem jam parce senectæ, Sit modus: et fore credo equidem: nam vestra voluntas Quid, juvenes, sine pace Deum?' sic scribendi isti versus. Paulo post apud eundem repone, 'Sic ait, et fatis jam jam cedentibus omnes Impulit, et diræ commovit imagine pœnæ.' Bene etiam unus Vossianus *flendi: ah quoties flendi, Theseius heros, Sit modus, o, dixit!* Art. Am. II. 'Sit modus exilio, dixit, justissime Minos.' *Heins. Theseius*] Hippolytus, Thesei filius, vitæ ab Æsculapio restitutus, et templo Dianæ in Aricina sylva præfectus, ut infra. *Farn.*

494 *Sola tua est*] *Sola tibi est* prim. Moret. et duo alii. *Heins.*

FAB. XLV. 497 *Fando aliquem Hippolytum vestras si contigit aures*] *Vestras quoque* pr. Palat. pr. Vatic. tert. quart. Medic. Calandr. et viginti circiter alii: *vestras puto* Urbin. Bernegg. Oxon. Arondel. pr. Gronov. Noricus, et alii sex; probe. *Fando:* Virgiliana imitatione. 'Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures Belidæ nomen Palamedis:' quomodo ille et cæteri Epici sæpe. Valerius Flaccus lib. V. 474. 'Si fando hic aliquam nostro satus orbe solebat Thessaliam, si quos Phryxus memorare Pelasgos.' *Si quando* perperam nunc ibi exstat: ex quo loco apparet, etiam in Virgilio *aliquod nomen* reponi debere, quomodo in longe vetustissimo Mediceo codice exaratum offendi. Silius libro X. 'si Porsena fando Auditus tibi, si Cocles, si Lydia castra:' hinc 'fatu turpe;' quomodo 'dictu turpe' in Priapeis Epigram. XXXIII. 'Turpe quidem fatu, sed ne tentigine rumpar, Falce manu posita fiet amica manus:' ita enim vetus codex, qui penes me extat: vulgati *Turpe quidem factu.* Sic apud Maronem 'haud mollia fatu' Æn. XI. *Heins.*

498 *Credulitate patris*] Thesei, qui nimium facile credidit Phædræ uxori privignum accusanti. *R. Credulitate*] Fabula notissima: aut notior sit, legendum argumentum Hippolyti apud Euripidem et Senecam, adeoque ipsæ tragœdiæ. *Farn. Sceleratæ et fraude*] Τὸ *et* non agnoscunt plurimi ex vetus-

tioribus; et abest rectius. *Heins.*

500 *Pasiphaëia*] Phædra, Pasiphaës et Minois filia, uxor Thesei, Hippolyti noverca. *Farn.*

502 *Quod voluit finxit voluisse, et crimine verso*] Versus importune huc inculcatus a sciolo: multi veteres, *Quod voluit voluisse infelix crimine verso:* alii aliter. Pro *temerare* pr. Gronov. pr. Basil. et multi alii, *temerasse.* Pro *Tentatum* pr. Vatic. tert. Medic. et tres alii *Tentavit.* Forte, *Tentato;* ut concursum vitet quarti casus. Pro *Pasiphaëia quondam,* Scaliger *me quondam Pasiphaëa;* male: nam *Pasiphaëa* eadem cum *Pasiphaë:* ut Calliope, Calliopus, Hippodame, Hippodomia. Si quid mutandum sit, refingam, *Me Pasiphaëidi quondam;* vel *Pasiphaëius olim.* Mox, *Indiciine metu magis offensane repulsæ* ex melioribus scribe; et *dubium est* subintellige: videantur quæ notavi ad Epist. Medeæ, vs. 149. nisi τὸ *magis* obrepsit in locum τοῦ *dubium;* cujusmodi errores alibi quoque commissos hic illic deprehendi. Potest etiam *Arcuit* pro *Arguit* reponi: ut ad Theseum referatur: *Arcuit, immeritumque pater projecit ab urbe;* vel *Arcuit, emeritumque nihil pater ejicit urbe:* nam pr. Vatic. *immeritumque nihil.* De *emerendi* verbo hac significatione alibi plura notamus. Sic 'emirari' pro mirari apud Horat. Od. I. 5. Reliqui fere codices, *Damnavit meritumque nihil pater ejicit urbe;* quibus cave accedas: τὸ *Arguit* potest etiam ferri, quod in *damnavit* mutarunt, qui parum intelligebant ad Phædram hoc debere referri, non ad Hippolyti parentem. *Heins.* *Et crimine verso*] In me subaudiatur.

503 *Offensave*] 'Erubuit nempe hæc, ceu fastidita repulsa.' Juven. Sat. x. de eadem Phædra. *Farn.*

505 *Hostili prece*] Imprecatione hosti conveniente, non patri. Theseus enim Neptunum patrem precatus est, ut Hippolytus filius discerperetur. *Hostilique*] Ex tribus optatis, inquit Cic. I. Off. hoc erat ultimum, quod de Hippolyti interitu iratus optavit. Ὦ θεοὶ, Πόσειδον, ὡς ἄρ' ἦσθ' ἐμὸς πατὴρ, Ὀρθῶς ἀκούσας τῶν ἐμῶν κατευγμάτων. et Senec. Hippol. vs. 940. *Hostili prece*] 'Preces supremæ Thesei gnatum opprimunt, Quales in hostis potius inciderent caput.' Δῶρα πατρὸς σου Ποσειδῶνος πικρά. Eurip. in Hippol. Adi Horat. Od. IV. 7.

506 *Pittheam*] *Pitthean* pr. Palat. pr. Reg. et octo alii; ut supra vs. 296. *Heins.* *Pittheam*] Trœzena urbem Peloponnesi, ubi educatus fuerat Hippolytus a Pittheo rege. *Farn.*

515 *Tum colla feroces*] *Cum* ex scriptis plerisque. Pro *exiliis contenta suis* Excerpta Calandræ *exilii sui:* usus secundi casus elegans est in similibus: quart. Mediceus et unus Leidensis, *Exiliis intenta;* ut in Tristibus: 'Mens intenta suis ne foret usque malis.' *Heins.*

516 *Erectisque auribus horrent*] *Arrectisque* major scriptorum pars; et recte: nam 'erectus' paulo ante præcesserat. Ita apud Virgil. 'Auribus arrectis nocturna silentia tentat:' et alibi de equo, 'arrectasque impulit aures.' Malo etiam *hærent* quam *horrent,* ne bis idem dicat. Pro *metu turbantur* sec. Vatic. et duo Medicei *terrentur;* ut Fast. VI. in eadem narratione, 'Attoniti terrentur equi.' Epist. prima, 'Hic lacer admissos terruit Hector equos.' *Idem.*

517 *Altis scopulis*] Per alta saxa.

518 *Ego ducere vana*] Ego, inquit, frustra conor retrahere frena spumis infecta. *Vana manu*] Infirma. *R.*

522 *Perpetuum axem*] Continuum. *Quæ circumvertitur axem*] Lege *qua* cum uno meo et Sixiano: alius meus *quo circumvolvitur,* pr. sec. Pal. Cantab. Oxon. Urbin. Berneg. pr. Reg. pr. Erfurt. aliique plurimi. Prudentius contra Symmach. 'Emicat ac volucri fervens rota volvitur axe.' *Circumflectitur* Juret. *Heins.*

525 *Nervos in stirpe teneri*] *In stipe*

sec. Vatic. Boxhorn. et unus meus. Puto *vepre.* Seneca Hippol. 'inde semanimem secant Virgulta, acutis asperi vepres rubis.' *Idem.*

526 *Partim reprensa relinqui*] *Deprensa* legit Delrius ad Hippolytum Senecæ. Sed vulgata, quam et libri veteres agnoscunt, non est sollicitanda: reprendere enim est, proprie ex fuga retrahere. Vide Notas lib. XIII. 235. *Idem.*

528 *Exhalare animam*] *Exhalari,* cum plerisque scriptis. *Idem.*

529 *Unumque*] 'Omnia plenis Membra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus,' Lucan. IX. 814. *Farn.*

532 *Et lacerum fovi*] Et corpus, inquit, laniatum in ardentissima Phlegethontis aqua lavi. *R.*

533 *Apollineæ prolis*] Æsculapii Apollinis filii. Adi Æn. VII. 765. 'Namque ferunt fama Hippolytum,' &c. et Lactantium lib. I. 10. *Farn.*

535 *Pæonia*] Medica. Pæon nomen medici apud Hom. a quo curatus Pluto; quin et Pæan, Apollo medicinæ inventor. *Indignante*] Minui sibi imperium, violari regni fœdera, vitæ restitutis qui interierant. *Farn.*

536 *Ne præsens augerem muneris hujus Invidiam*] Hoc est, ne, si in Græcia viverem, Atheniensium in me invidiam concitarem, a Diana fui occultatus. *R.*

537 *Cynthia*] Diana; ut Apollo Cynthius; a Cyntho monte Deli, ubi nati. *Farn.*

539 *Addidit ætatem*] Me natu majorem effecit, quam essem cum ab equis fui dilaceratus.

541 *Delo Cretaque*] *Creteque* Thuan. et alii octo: quanquam sextum casum, quo Græci carent, in nominibus Graiis Latina enunciatione sæpe Latini efferunt: sic ab Anchisa, ab Laërta, ab Atrida. *Heins.*

542 *Hic posuit*] In Latio juxta Ariciam. *R.*

544 *Nunc idem Virbius esto*] Virbius dictus est Hippolytus, quod bis vir fuisse videtur, et antequam ab equis fuit laceratus, et postquam vitæ fuit restitutus.

546 *Numine sub dominæ*] Dianæ, quæ juxta Ariciam templum habebat. Dianæ autem *Virbius* additur, perinde ut Veneri Adonis, Minervæ Erichthonius, Matri Deum Attys, &c. *R.* *Atque assentior illi*] *Acceptior* Thuan. Arond. Juret. sec. Palat. quart. Medic. et sedecim alii: *accersior* Bernegger. et Junian. et duo alii; vel *accerceor:* duo item *asscentior.* Arondel. pro diversa lectione *accenssior:* Grævianus *assenseor.* Scribe *accenseor;* atque ita pr. Strozzæ, unus Leidens. et unus Ambros. eleganti et proprio verbo, quod etiam Nasoni redonavimus Met. III. 691. Statius Theb. IX. 'Ad cineres saltem supremaque justa tuorum Sæve veni; non his solum accensere nepotem:' ita scribo; vulgati *hic:* ut ab *accendere* derivetur. *Heins.*

FAB. XLVI. 548 *Radicibus imis*] Malim *imi montis.* Heins.

551 *Tenuavit*] In tenues aquas transmutavit. *R.*

FAB. XLVII. 553 *Tyrrhenus*] Thusco cuidam aranti emersit subito e terra sub vomere pressa puer, cui inde nomen inditum Tages: is Etruscos aruspicinam docuit. Cic. de Divinatione l. II. Lucan. l. I. 636. Marcellin. lib. XXI. Arnobius lib. secundo; Crinitus lib. X. 7. et XVI. 1. Gyrald. Syntagm. I. Obscurum hunc aliquem, Terræ filium, et quasi ex gleba Theologum interpretatur Sabinus. *Farn.*

554 *Fatalem glebam*] In qua fata et futurorum præscientia continebantur. *Motis aspexit in arvis*] Plurimi veteres *mediis;* recte: quia 'moveri' sequitur: alioquin 'mota terra' pro arata. Noster lib. III. 'motæque jubet supponere terræ Vipereos dentes.' Pont. lib. I. 9. 'Experiar mota spargere semen humo.' Virgil. 'primusque per artem Movit agros.' Sic et alibi tam ille quam Noster. *Heins.*

557 *Ora recentia*] Ora nuper ex terræ gleba figurata. *Venturis fatis*] Nam Tages primus omnium haruspicinæ disciplinam Tuscis tradidit. *R.*

FAB. XLVIII. 560 *Utque Palatinis*] *Utve* veteres plerique. *Heins.*

561 *Frondescere*] Meminit hujus lanceæ corneæ Plutarchus in vita Romuli; quod prodigium significavit, statum imperii Romani armis fore florentem. *Farn.*

563 *Lenti viminis*] Flexibilis virgæ. Cornus enim arbor ramos admodum flexibiles habet.

564 *Non expectatas*] Puto *Haud expectatas;* nam 'non' bis præcesserat. *Heins.*

FAB. XLIX. Arg. *Cippus in unda*] Genutio Cippo Prætori, paludato portam egresso, in capite subito veluti cornua emerserunt, inquit Valerius Max. lib. v. 6. responsumque est eum regem fore, si in urbem revertisset: quod ne accideret, voluntarium ac perpetuum sibimet indixit exilium. *Farn.*

565 *Cippus*] Vetusti codices magna ex parte *Cypus* vel *Cipus.* 'Genucius Cipus' est Valerio Maximo lib. v. 6. ita enim membranæ nomen illud exhibent: ut et apud Plin. XI. 37. Exstant apud me denarii argentei, cum hac inscriptione, M. CIPI. M. F. unde Cipiam gentem Fulvius Ursinus, vir de literis inter primos optime meritus, conflavit; perperam, ut puto, cum ejus nulla apud antiquos exstet mentio. *Heins.*

569 *Victor domito veniebat ab hoste*] *Remeabat* prim. et tert. Moret. Zulich. et unus Bonon. ut apud Virgilium: 'Si patrios unquam remeassem victor ad Argos.' Et, 'patriam remeabo inglorius urbem.' Val. Flaccus lib. IV. 'Proxima regna Lyci, remeat qui victor ab oris Bebriciis.' Lucanus lib. II. 'Et Scythicis victor remeasset Crassus ab oris.' Lib. III. 'Tecta petit patriæ: proh! si remeasset in urbem Gallorum tantum populis Arctoque subacta.' Silius lib. III. 'laceros Tirynthius artus, Dum remeat victor, lacrymis perfudit:' sic et alii passim. *Idem.*

570 *Et eodem cornua tollens*] *Brachia* Oxon. Polit. et sex aut septem alii; recte, ut puto: *cornua* hic importune ab arguto aliquo nugatore inculcata sunt. Lib. XI. 'Ad cælumque manus et splendida brachia tollens:' ita passim Noster. *Idem.*

572 *Seu lætum est aliquid, patriæ populoque Quirini*] Scripti maxima ex parte, *Seu lætum est, patriæ lætum populoque Quirini;* ne dubita, quin vere: *populo Quiriti* etiam unus ex meis. *Idem.*

576 *Quid sibi*] Vide quæ nos ad I. Lucani 617. *Farn.*

577 *Quæ simul aspexit*] *Inspexit* cum prim. Bonon. Servius Æneid. IV. 'Aruspices proprie exta consulere dicuntur, cum inspiciunt:' hinc 'inspicia extorum.' Apud Nostrum ipsum supra Pythagoras, 'Protinus ereptas viventi pectore fibras Inspiciunt, mentesque Deum rimantur in illis.' Juvenalis Sat. III. 'ranarum viscera nunquam Inspexi.' Exempla plurima sunt in promtu: 'inspicere avem' formula auguralis apud Servium ad vs. 375. lib. III. Æneid. unde et 'auspicia' sint dicta. *Heins.* *Tyrrhenæ gentis haruspex*] Accitos ex Etruria aruspices ad lustrationes et prodigia procuranda, quin ex Romanorum principum filiis tradi sex in disciplinam singulis Etruriæ populis, notum ex Cicer. lib. I. de Divinatione. *Farn.*

583 *Tu modo rumpe moras*] *Moram* Thuan. *Heins.*

587 *Procul o*] *Procul ah* veteres plerique. *Idem.*

591 *Ante tamen capitis nova cornua fronde Velat*] *Ante tamen pacali cornua lauro Velat* pr. sec. Palat. tert. Medic. Cantabr. Urbin. Neap. pr. Reg. pr. Erfurt. uterque Hamburg. aliique plurimi; recte: nisi quod in non-

nullis *placali.* Sic 'oleam pacalem' lib. VI. dixit, et 'pacales flammas' in Fastis lib. I. Plinius XV. 30. de lauru, 'Ipsa pacifera, ut quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium:' et mox, postquam docuit ea fasces Imperatorum decorari, eamque in gremio Jovis Capitolini deponi, 'Non quia perpetuo viret,' inquit, 'nec quia pacifera est, præferenda ei utroque olea, sed quia spectatissima in monte Parnasso.' Ibidem docet 'suffimentum eam esse cædis hostium et purgationem,' ex Massurio. Statius Theb. XII. 'Pacifera lauro crinem vittisque decorus Accubat.' Noster Fast. IV. 'Venit Apollinea longas Concordia lauro Nexa comas.' *Idem.* *Cornua*] Coronam regium gestamen a cornu dictum volunt, ut habet Pierius lib. XLI. Hieroglyph. quem adi. Bacchus cur cornutus fuerit dictus, vide quæ nos ad Senecæ Hippolytum vs. 753. atque ibidem de Mosis facie cornuta seu radiata. Cornua, inquit Plinius, quadrupedum generi tantum data. Actæonem enim, et Cippum, etiam in Latina historia fabulosos reor, lib. II. 73. *Farn.*

593 *Priscosque Deos de more*] *E more* veteres. Scribe cum nonnullis antiquis, *priscoque Deos e more.* Fastis: 'Flamen ad hæc prisco more Dialis erat.' *Heins.*

594 *Est ait hic unus*] *En ait* Thuan. et quinque aut sex alii. *Ni pellitis* idem Thuan. et Cantabr. pro *nisi.* Idem.

604 *Succinctis pinetis*] *Peliacis* unus Leid. eleganter. Sed nec vulgatum damno: lib. X. 'Et succincta comas hirsutaque vertice pinus.' Zulich. non male *substrictis;* quomodo 'substricta ilia' libro III. de cane; et 'substricta crura' lib. XI. de mergo ave. *Idem.*

618 *Bobus*] *Bubus* pr. Palat. pr. Vatican. Urbin. Neapol. Bernegger. Arondel. et sex alii. *Idem.*

620 *Auratis postibus insculpunt*] Urbin. a manu secunda *æratis;* quomodo et margo Gryphianæ editionis. Neque aliter ad Val. Maximum Pighius et Colerus: ab æreis enim postibus 'Rauduscolana' ea porta est dicta. Apud Valerium lib. V. 6. legendum, 'capitis effigies æreæ, qua excesserat, portæ insculpta est,' non *inclusa:* et paulo ante, 'in capite ejus subito veluti cornua erepserunt,' non *emerserunt:* nam vetusti codices plerique *erexerunt.* Idem. *Æratis*] *Auratis* habent scripti et cusi codices. Prætulerim tamen *æratis;* ductus ratione et fide historiæ, quam habes apud Valer. Maxim. lib. V. 6. Cujus testandæ rei gratia, capitis (Cippi) effigies æreæ portæ, qua excesserat, inclusa est, dictaque Rauduscolana; quod olim Rauda æra dicebantur. Idem Festus, et Varro. *Farn.*

FAB. L. 622 *Pandite*] 'Pandite nunc, Helicona Deæ, cantusque movete,' &c. mox, 'Et meministis enim Divæ,' &c. Æneid. VII. uterque ex illo Iliad. B. Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, &c. *Farn.*

624 *Coroniden*] Æsculapium, Coronei nepotem, Apollinis ex Coronide filium. Qui enim prodeunt, secto matris utero, huic, utpote medicinæ Deo, sacri sunt: lib. II. 647. *Circumflua Tibridis alti*] Non est Latinum: nam *circumflua Tibride* erat dicendum; ut apud Valer. Flaccum lib. V. 'Urbs erat hic contra, gemino circumflua ponto.' Silius lib. I. 'Insula quos genuit Graio circumflua ponto.' Scripserat Naso, si genius ejus mihi perspectus est, *Tibridis alveo.* Certe in pr. Vatic. pr. Ambros. Neap. et duobus Mediceis, *undis:* sed *alveo* verius. Noster ipse Fast. V. 'Tibris arundiferum medio caput extulit alveo.' Virgil. lib. VII. 'optato conduntur Tibridis alveo.' Et initio ejusdem libri de eodem Tibri, 'Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo Æthera mulcebant cantu.' Et mox, 'classes infectæ Tibridis alveo:' ita enim

scripti nonnulli; non *undam*. Claudianus Cons. Olybrii. 'Est in Romuleo procumbens insula Tibri, Qua medius geminas interfluit alveus urbes.' *Heins.*

625 *Sacris adjecerit urbis*] Scripti maxima ex parte *accesserit*, vel *arcesserit*, vel *accerserit:* unus *accenserit: acciverit* prim. Bonon. unus meus *asciverit.* Scribe, *adsciverit.* Di indigetes vel indigenæ adscititiis opponebantur: quomodo 'nativus et adscitus lepor' apud auctorem vitæ Pomponii Attici. Apposite Prudentius lib. II. contra Symmachum: 'Cernis ut antiqui semper vestigia moris Gressibus incertis varie titubasse probentur Adsciscendo Deos majoribus incompertos? Seque peregrina sub relligione dicasse? Nec ritus servasse suos? quodcunque sacrorum est, Exulat, externumque inimicam venit in urbem.' Pont. IV. 9. 'Tu certe scis hoc, superis adscite, videsque, Cæsar.' Cicero de Aruspicum Responsis, 'Sacra ista majores nostri ex Phrygia adscita Romæ collocaverunt:' et Verrina VII. 'Quarum sacra Pop. Romanus adscita et accepta tanta religione tuetur.' Gratius initio Cyneget. 'Adscitæque tuo comites sub numine Divæ Centum omnes nemorum:' ita locus mendosissimus scribendus; Vulgati, *Adscivere tuo comites sub nomine divæ;* vetus codex Thuan. *Adscisuere.* 'Sub numine,' ut Hippolytus supra, 'Numine sub dominæ lateo.' *Idem.*

626 *Dira lues*] Æsculapium Epidauro accitum Romam, amoliendæ pestilitatis gratia, refert Liv. X. dec. I. lib. et IX. dec. lib. III. Aur. Victor 22. Val. Max. lib. I. 8. *Farn.*

627 *Squallebant corpora morbo*] *Tabo* Thuan. et decem alii; rectius: ut apud Virgil. de peste, 'Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.' Et, 'In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo.' *Heins.*

630 *Mediamque tenentis*] *Tenentes* pr. Palat. pr. Vatican. tert. et quart. Medic. pr. Basil. Thuan. Urbin. Neapol. et alii plurimi; bene: Noster ipse, libro X. 'et orbe In medio positi caruerunt præside Delphi.' Hinc 'orbis umbilicus' dicti in Priapeis. Nonnus Dionys. libro II. μεσόμφαλον ἄξονα βαίνων Δέλφιος αὐδήεντα μετέρχεο Τέμπεα Πυθοῦς. *Idem.* *Mediamque*] Parnassum montem, sub quo Delphi opp. Apollinis oraculo clari, umbilicum orbis statuunt. Strabo lib. IX. Lucan. V. 71. Claudian. præfat. ad Manlii Theodori consulatum. *Farn.*

634 *Et locus et laurus et quas habet ipse pharetras*] *Pharetræ* Arondel. pr. Reg. Neapol. pr. Basil. pr. Gronov. et alii viginti. Pro *ipse* nonnulli *ille:* pr. Palat. Hamburg. alter, et unus Medic. *ipsa: illa pharetras* Cantabrig. et pr. Basil. *ipsa pharetræ* Urbin. Scribe, *et laurus, et, quas habet illa, pharetræ.* Met. I. ipse Phœbus ad laurum, 'semper habebunt, Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ.' *Heins.*

635 *Cortinaque reddidit imo*] Phœbus in cortina existens. *Raph.* *Cortinam* Poëtæ pro tripode usurpant, unde oracula dabantur, sive ea mensa fuit, ut quibusdam videtur, sive alia quædam machina, tribus pedibus seu fulcris innixa, qua conscensa, et numine afflata Pythias, vaticinari solebat. Proprie tamen cortina vas dicitur tripes, sive lebes, cujusmodi olim in templo Delphici Apollinis dedicari solebant, quibus et Delphicarum nomen inde factum, Plin. lib. XXIV. 3. De usu et varia significatione ejus vocis, ad satietatem usque annotavit Cælius libro octavo, capite decimoquinto. Illud autem hoc loco addendum, ὅλμον vocatum eam partem tripodis, in qua Pythias sive vates sedere solebat, ut est in Commentariis Aristophanis: unde et Apollo ἐνόλμιος a Sophocle alibi dicitur. Quod eo potissimum pertinet, si quis forte propter similitudinem τοῦ ὅλμου

et cortinæ, alterum per alterum Poëtas significare voluisse existimet. *Micyl.* *Cortinaque*] Occiso Pythone tripodis custode, inquit Jul. Scaliger, oraculum suum fecit. Cujus corio obductus tripus, inde etiam cortina fuit appellatus. Vide quæ nos ad Æneid. III. ‘ et mugire adytis cortina reclusis.’ Et ad Senecæ Œdip. vs. 33. et ad Lucan. v. 81. *Farn.*

636 *Corpora movit*] *Pectora* castigatiores magno numero; bene. *Heins.*

637 *Propiore*] A Roma tamen brevior est navigatio per Corinthiacum sinum Delphos, quam ad Epidaurum in Peloponnesos, ut recte H. Glareanus. Sed Λοξίας Apollo, interdum et vates ipsius. *Farn.*

639 *Sed Apolline nato*] Æsculapio Apollinis filio.

642 *Quam colat explorat*] *Explorant* castigatiores. *Heins.*

643 *Epidauria littora*] Epidaurus, quæ et Epitaurus appellatur (ut Strabo ait), urbs est Saronico sinui adjacens, quæ et Milissia et Hæmera olim fuit dicta, templo Æsculapii maxime insignis.

647 *Certas ita dicere sortes*] Multi veteres *certant addicere*, aliaque lectionum diversarum monstra. Sed nihil esse mutandum jam ad Claudianum monui. Hygin. Fab. CIX. ‘ quid ita sortes dixissent.’ *Heins.*

649 *Multi retinere*] *Tenuere* unus Moreti: alius pro diversa lectione *renuere;* quomodo pr. Basil. et unus Voss. bene. Vide Notas lib. IX. 506. *Idem.*

650 *Non emittere*] *Amittere* Oxon. quart. Medic. Arondel. et septem alii: *admittere* pr. Gronov. et duo præterea: totidem *dimittere;* pr. Basil. et duo alii: nil muto. *Idem.*

652 *Umbraque telluris tenebras induxerat orbi*] Hic denuo versus frigiditate sua satis prodit auctorem a Nasonis elegantia longe diversum. *Idem.*

653 *Opifer*] Τέκνον ἀνωδυνίας ῞Αμερον γυιαρκέος Ἀσκλαπιὸν. ῞Αρωα, παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων. Pindar. Pyth. III.

655 *Baculumque*] Æsculapio prout medico cur tribuantur insignia; baculus et draco, lege apud Phornutum de Nat. Deorum. Macrob. Satur. cap. 10. Pier. Hieroglyph. lib. XVI. Natal. Com. lib. IV. 11. *Farn.*

656 *Cæsariem*] Demulcere sibi barbam: quæ cur Æsculapio sit promissa, vide apud Pierium lib. XXXII. Hieroglyph.

658 *Pone metum*] *Metus* plerique castigatiores. *Heins.*

660 *Et usque nota*] Et eo usque animadverte. *Nota, visum ut cognoscere possis*] *Nota visu ut cognoscere possis*, rectius castigatiores. *Heins.*

667 *Ad templa Perveniunt*] *Conveniunt* bene major scriptorum pars. Adi Notas Fastor. II. 669. *Idem.* *Petiti Dei*] Æsculapii a Romanis postulati. *R.* *Operosa*] Magnificis operibus exstructa, instructa; ut mox vs. 672. fastigio aureo, solo marmoreo, &c.

669 *Aureus in serpente Deus*] Æsculapius qui sub aureo simulacro colebatur, in serpentem conversus. Serpentes autem idcirco Æsculapio sunt sacri, quia acutissimi visus a Physicis esse dicuntur. Hac etiam de causa eos incubantes thesauris custodiæ gratia antiqui finxerunt.

670 *Prænuncia sibila movit*] *Misit* plerique veteres; recte. Libro III. ‘ longo caput extulit antro Cæruleus serpens horrendaque sibila misit.’ ‘ Movit’ paulo post sequitur. *Heins.*

675 *Cognovit numina castus*] *Castos crines* rectius pr. Palat. pr. Vatican. Urbin. pr. Reg. tert. Medic. pr. Erfurt. aliique multi: at duo cum Cantabrig. et Norico *custos.* *Numen Acastus* sex pro diversa lectione: in uno Basil. *Acastos*, ut nomen sacerdotis sit: qualis ille, qui Peleum lustravit morte fraterna nocentem: sed *casti crines* bene se habent. Sic Fast.

II. 'Casta sacerdotum tempora' dixit. *Idem.*

677 *En Deus est, Deus est*] Alii *Et Deus est, Deus est:* Neapol. et quinque alii *En Deus, en Deus est:* unus *En Deus et:* multi alii *En Deus est, Deus est.* Scribe *Et, Deus en, Deus en.* Sic Sibylla apud Virgil. 'Deus ecce Deus:' et Amphiaraus apud Stat. Theb. III. 'Deus ecce furentibus obstat, Ecce Deus.' Mox, *linguisque animisque* prim. Basil. et tres alii: multi *linguis animisque:* vulgo *animis linguisque.* Idem. *Animis*] Animo ad sacra attento, præstate sacris silentium, pia vota concipite, bona verba dicite. Mox vs. 682. 'præstant et voce et mente favorem.' *Farn.*

678 *Quisquis adest*] *Ades* multi castigatiores: in Ibide, 'Quisquis ades sacris ore favete meis, Quisquis ades sacris, lugubria dicite verba.' Deinde infra hoc, *Quisquis adest, visum venerantur numen;* non *veneratur*, pr. Palat. tert. Medic. Oxon. et novem alii. *Jussum numen* pr. Hamburgensis et duo alii. *Heins.* *Sis pulcherrime visus*] *Sisque o,* tres scripti. *Idem.*

685 *Tum gradibus nitidis elabitur*] *Delabitur* pr. Palat. Thuan. Urbin. Bernegger. Neapol. pr. Reg. Cantabrig. pr. Basil. Arondel. aliique plurimi; recte. *Idem.*

687 *Salutat*] 'Diique relinquendi, &c. Este salutati tempus in omne mihi.' Trist. I. 3. *Farn.*

688 *Injectis floribus*] *Ingestis* prim. Gronov. *Heins.*

689 *Mediamque*] Lege quæ Valer. Max. lib. I. 8. et quæ Pierius l. XVI. Hieroglyph.

696 *Retinacula navis*] *Navi* multi. *Heins.*

701 *Præterque Lacinia templa Nobilitata Dea*] *Deæ* Thuan. Polit. pr. Palat. pr. Vatican. Arondel. et sex alii: unus *Deo.* Scribe, *Lacinia templo Nobilitata Deæ;* littora, videlicet. Supra initio libri hujus, 'Littora felici tenuisse Lacinia cursu Fertur.' Λακίνιον ἄκρον Ptolemæo. 'Templa' tamen 'Lacinia' habes apud Lucanum lib. II. 'Extenditque suas in templa Lacinia rupes.' Apud Virgilium, 'attollit se Diva Lacinia contra.' *Idem.* *Lacinia*] Lacinium promontorium, ubi Junonis templum. *Farn.*

702 *Scyllæaque littora*] Legendum *Scylacea*, vel ex illo Virgilii, 'attollit se Diva Lacinia contra Caulonisque arces ac navifragum Scylaceum,' satis apparet. Græcis Σκυλάκειον est: Σκυλάκιον oppidum: idque jam vidit in Solinianis Exercitationibus Salmasius, qui adeatur. Reddenda et forte ea vox Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'Argo saxa pavens postquam Scylaceia legit, Cyaneosque metus:' non enim Scyllam Argo præternavigavit, nisi in reditu. Apud Valerium Flaccum lib. III. 36. 'Teque etiam medio flaventem Rhyndace ponto, Spumosumque legunt fracta Scylaceion unda:' ita legendum ex vestigiis antiqui codicis, quo usus est Carrion. *Heins.* *Scyllæaque littora*] Scyllæum saxum est sublime, quod humilem a tergo terram alluentibus undis habet in Cherronesi faciem. Strabo lib. VI.

703 *Linquit Iapygiam*] Calabriam ab Iapyge Dædali filio dictam: quanquam promontorium mihi significari videtur, quod Acran Iapygiam vocant. *R.* *Amphrysia*] Calabriæ, quæ olim Magna Græcia dicta est, litus legens, agnosco Lacinium et Iapygium promont. Caulona, Locros, Naryciorum coloniam. Verum ubi sint Amphrysia vel Amphissia saxa, ubi in Italia sint Ceraunia, vel Celonia, ubi Romechium, nec mihi vestigium apparet. In prodigiis hisce procurandis laborat Adrian. Turnebus lib. I. 22. neque tamen litat. *Farn.* *Amphrysia saxa*] *Amphisia* Urbin. Arond. et multi alii: unus Leidensis *Amphrigia: Amphissia* Ortelius in Thesauro Geographico cum Barrio, et in Ad-

versariis Turnebus lib. I. 22. ut promontorium Locrorum intelligatur: sed vix persuadent; nam mox ‘Naryciamque’ sequitur. Vossius ad Melam *Argennia;* cum in veteri suo codice invenisset *Arangia;* ut *Argennum* promontorium Siciliæ intelligat, quod a læva est fretum Siculum transeuntibus. *Heins.*

704 *Ceraunia*] *Celennia* libri veteres majori ex parte: nonnulli, *Celemnia, Celempnia, Celenia, Cilenia, Cylennia, Cilemnia:* Arondel. *Celamnia:* Zulich. *Celeunia,* cum tribus aliis. Turnebus *Columnia,* ut Columna Rhegia intelligatur, quæ Græcis στηλίς· quod nollem viro magno excidisset, cum nec Latini sermonis rationem habuerit. Vossius ad Melam, *Cocintia,* a Cocinto promontorio; quem adi: nec video quid commodius reponi possit. *Idem.*

705 *Romechiumque*] In multis veterum *Plemiriumque:* in aliis *Romethiumque, Remethiumque, Remechiumque, Rometheumque, Remotiumque, Prothitonque:* primus Basil. *Ramethiumque.* Quare Vossio nostro assentior, *Lametumque* scribenti. *Plemyrium* Ortelius: Turnebus *Remigioque,* oblitus de remis paulo ante præcessisse. *Idem.* *Naritiamque*] Lege *Naryciamque;* vel quod malim, *Naryciumque.* Nam Locrorum oppidum Νάρυξ vel Ναρύκιον in Græcia. Potest et *Naryciosque* legi: nam in Thysiano codice *Naritiasque;* in Norico *Naritiumque,* quod veræ scripturæ proximum. *Idem.*

706 *Evincitque fretum*] Cum difficultate transit per Siculum fretum, quod quidem est maxime vorticosum. *Raph.* *Fretum*] Siculum inter Scylleum Italiæ prom. et Pelorum Siciliæ.

707 *Hippotadæque*] Insulas Æolias. Vide lib. IV. 663. *Temesesque*] Temesen, seu Tempsam, opp. Brutiorum, ærifodinis nobilem.

708 *Leucosiamque*] *Leucoriamque* veteres plerique: nonnulli *Leucoriamque,* vel *Leucoreamque:* *Leucoriamque* pr. Palat. *Yecoriamque* Neapol. alter Hamburg. *Loucotoamque:* Arond. *Leuconiamque:* pr. Hamburg. *Leuconamque:* unus *Leuthariumque;* alii, *Leutoriamque, Leucericamque, Leucothoëmque, Leutesiamque:* *Leucosia* certe ferri non potest, cum Λευκωσία sit Græcis. Scribe *Leucasiamque;* nam Græcis Λευκασία· ita eam Strabo appellat lib. II. et Dionysius Halicarnassensis I. apud quos est insula. Plinius quoquoque lib. III. 6. ‘contra Pæstanum sinum Leucasia est:’ apposite; ut jam videamus, cur eam cum Pæsto Naso conjungat. *Heins.* *Leucosiamque*] Insulam Leucaniæ, in sinu Pæstano. *Rosaria*] Opp. Lucaniæ rosis nobile, ‘biferique rosaria Pæsti.’

709 *Capreas*] Insul. maris Tyrrheni contra Promontorium Minervæ, Tiberii secessu notam. *R.* *Promontoriumque Minervæ*] In illius autem extremo est Athenæum, hoc est, Minervæ sacellum, quod Ulysses ædificasse narratur.

710 *Et Surrentino*] Surrentum urbs est Campaniæ vino maxime nobilis.

711 *Herculeamque urbem*] Hæc tum Heraclea, tum *Herculanum* vocatur. *Stabiasque*] Stabiæ oppidum fuit Campaniæ: quod bello sociali a Sylla deletum in villas abiit. *R.* *In otia natam*] Amœnitate et studiorum secessu nobilem Neapolim, Horat. Epod. v.

712 *Cumææ*] Cumas. Vide quæ nos ad Æneid. VI. 2. *Farn.* *Parthenopen*] Neapolim in otia natam Poëta ait propter locorum amœnitatem, quo se Romani otiaturi conferebant. *Cumææ templa Sibyllæ*] Et post hanc Neapolim transit Cumas Campaniæ urbem, maxime a Sibyllis nobilitatam.

713 *Lentisciferumque tenetur Linternum*] Lentiscum arborem ferens Linternum, quod quidem est oppidum Campaniæ, exilio majoris Scipionis, et sepulchro maxime nobile. *R.* *Tenetur*] *Tenentur* Urbin. pr. Basil. et quinque alii. *Heins.*

715 *Vulturnus*] Fluvius est Campaniæ, Vulturnum urbem præterlabens. *Sinuessa colubris*] Sinuessa Campaniæ urbs est. *Niveisque frequens Sinuessa colubris*] Nugas esse de Sinuessanis hisce colubris opinor. Neminem certe ex antiquis scriptoribus evolvi, qui harum meminisset: de balneis Sinuessanis multa apud auctores mentio. Itaque dubium non est, *columbas niveas* harum loco reponi debere; atque ita pr. Bonon. et unus Mediceus. 'Campanas' certe 'columbas' Plinius commendat lib. x. 37. Vide Notas lib. iv. 48. *Heins.*

716 *Et quam tumulavit alumnus*] Periphrasis est Cajetæ, quam a Cajeta Æneæ nutrice denominatam esse nostri quidem sentiunt Poëtæ. Quidam vero quod in littore curvo sit posita, sic appellatum a Laconibus putant. Curva namque omnia Cajetas Lacones vocabant. *Alumnus*] Æneas, a Cajeta altus et educatus. *Graves*] Propter exhalationes palustres. Æneid. vii. 1.

717 *Antiphatæque*] Formiæ. Antiphatæ Læstrygonum regi regnatæ. *Trachasque*] Tarracina, Anxur. *Farn.*

718 *Spissi littoris Antium*] Nihil verius hac lectione, quam primus Palat. Urbin. aliique non pauci agnoscunt: eamque et Geographiæ ordo requirit, et Val. Maximi auctoritas, qui Æsculapium ait Antium advenisse. Ciofanus tamen mavult *Anxur;* quod in multis libris exstat, cum Trachas, seu Tarracina, et Anxur eædem sint civitates. Plinius lib. iii. 5. 'Tarracina oppidum lingua Volscorum Anxur dictum.' Festus, 'Anxur vocabatur, quæ nunc Tarracina dicitur.' Livius lib. iv. 'Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt.' Dionysius Antiq. Rom. lib. xiv. Ἐξεπολιόρκησαν οἱ Ῥωμαῖοι τὴν Οὐόλσκων πόλιν, ἣ τότε μὲν Ἄνξωρ, νῦν δ' ὀνομάζεται Ταῤῥακίνη. Alii codices *Ancum, Ancon, antrum,* et similia; frustra. *Heins.*

723 *Æquore placato*] *Pacato* prim. Moret. Neapol. et alii xiv. Ep. x. 65. 'Ut rate felici pacata per æquora labar.' *Idem.*

727 *Castrumque*] Castrum Inui; id est, Panos, Latii opp. *Farn. Donec Castrumque*] Castrum oppidum est Latii inter Lavinium et Hostiam situm.

728 *Lavinii sedes*] Lavinium urbs est Latii Veneris templum habens. *Tiberinaque ad ostia*] Unde urbs Hostia fuit cognominata, quam Ancus Martius ædificavit, illucque coloniam deduxit. *R.*

729 *Huc omnes populi passim, matrumque patrumque*] *Matrumque senumque* Thuan. prim. Vatican. Oxon. et sex alii; duo *matrumque nurumque:* prim. Bonon. et unus Medic. *juvenumque senumque:* Rottendorph. præterea, *Huc omnis populus.* Censeo ab Nasone scriptum fuisse, *Huc omnis populus passim, matresque patresque Obvia turba ruunt.* Heins.

730 *Troica servat*] *Servant* multi veteres; recte. Vestales intelligit. *Idem.*

735 *Incalfacit hostia*] Dum enim victimæ jugulantur cultri sanguine calefiunt. *Farn. Conjectos*] *Subjectos* Jos. Scal. *Farn.*

737 *Acclivia malo*] *Acclinia* ex scriptis melioribus: *inclinia* pr. Basil. *Heins.*

740 *Insula*] Cur sibi in insula Tiberina sedem legerit Æsculapius, vide apud Plutarchum, problem. 94. *Farn.*

742 *Phœbeius anguis*] Æsculapius Apollinis filius.

Fab. li. Arg. *Hic tamen accessit*] Julii Cæsaris animæ Metamorphosin in stellam perspicue describit in gratiam Augusti Cæsaris Poëta; cum enim Augustus ludos in honorem Julii Cæsaris, qui in senatu fuerat trucidatus, celebraret, forte cometa apparuit, quem esse Cæsaris animam Augustus ipse, advocata concione, populo Romano persuasit. *R.*

746 *In urbe*] Non receptus aliunde Deus, sed Indigena, Indiges. Vide quæ nos ad l. XII. Æneid. 'Indigetem Æneam scis ipsa;' et quæ ad 608. vs. lib. XIV. supra. Deos reliquos accepimus, inquit Valer. Maximus, Cæsares dedimus, in præfat. ad Tiberium. *Farn.*

750 *Sua progenies*] Octavius Augustus, adoptione Julii Cæsaris filius et hæres; quem C. Octavio peperit Accia, filia Juliæ, sororis C. Julii Cæsaris.

753 *Papyriferi*] Adi Melchioris Guilandini commentarium de papyro, et in eum animadversiones Josephi Scaligeri. *Farn.*

754 *Numidasque rebelles*] Numidæ populi sunt Africæ admodum feroces. *R. Victrices*] Devicto Ptolemæo rege. Suetonius in vita Cæsaris cap. 35.

755 *Cyniphiumque Jubam Mithridatisque tumentem*] *Cinyphiumque:* dictum alibi. Lege præterea *Mithridateisque nominibus:* nam duæ primæ ejus nominis syllabæ sunt breves. *Heins. Cinyphiumque*] Mauritaniæ regem. Appianus videndus, Plutarch. Dion. Suetonius, alii. *Mithridateisque*] Mithridates, Ponti rex, cum Romanis annos 40. bellum gessit, Pharnacem filium ejus bella ferocius moventem Cæsar ex Alexandria advolans una acie profligavit.

759 *Superi favistis abunde*] *Cavistis* eleganter prim. Bonon. et quart. Medic. hoc est, prospexistis: *caruistis* Langerm. Simili significatione apud Silium lib. IX. 'Sat magnum hoc miseræ fuerit mihi cardine vitæ Solamen, cavisse meis.' *Heins.*

761 *Aurea*] Χρυσῆ Ἀφροδίτη Homero.

763 *Pontifici*] Infra ad vs. 778. *Conjurata*] Diomedes, filius Œnei, Calydoniæ regis, vulneravit Venerem. Homer. Iliad. E. *Farn. Pontifici*] Cæsari qui Pontifex erat. *Et conjurata arma moveri*] Nonnulli *conjurataque:* unus Ambros. *et jurataque.* Puto *jurataque.* Adi Notas lib. v. 150. *Heins.*

765 *Quanta mole*] Quanto studio.

766 *Caput*] Vita Cæsaris.

767 *De Dardanio Iulo*] Æneæ filio, a quo gens Julia originem duxit, ut Virgil. quoque testatur: 'Julius a magno demissum nomen Iulo.' Julius autem Cæsar de gente Julia solus restabat.

768 *Solane semper ero injustis exercita curis*] Imo *justis curis;* neque aliter plerique veteres: sic 'justi dolores' dicuntur. Trist. IV. 3. 'incubuit justo mens ægra dolori.' *Heins.*

776 *In me acui*] Progeniem meam. In Cæsarem conjuratum a 60. amplius, Cassio, Marcello, Bruto principibus conspirationis. Sueton. c. 80.

778 *Sacerdotes*] Julii Cæs. Pontificis max. Sueton. Cæsar. c. 13. *Farn.*

779 *Nequicquam*] Neque enim prohibere potuit, quin Julius Cæs. a conjuratis trucidaretur.

784 *Terribilesque*] 'Atque tubas, atque arma,' &c. Tibull. II. Eleg. 5. Lucan. lib. I. 578. *Farn.*

789 *Cærulus lucifer*] Obscurus, cum alioqui nitidissimus soleat esse. *Sparsus vultum*] Respersum et tectum os habens. *Atra ferrugine*] Nigro colore.

792 *Ebur: cantusque*] Simulachra Deum eburnea. Seneca Thyest. vs. 701. Tibullus I. Eleg. 5. *Farn.*

793 *Verba minantia*] *Minacia* quart. Medic. prim. Hamburg. Arondel. et duo alii; recte. *Heins.*

794 *Victima nulla litat*] Nulla, inquit, hostia Deos significat esse placatos. Id vero Cæsari evenisse, quo die fuit trucidatus, scribit Tranquillus.

797 *Umbrasque silentum*] *Silentes* pr. Erfurt. et Medic. chartaceus. *Nocturnas* etiam *canes* prim. Twisdenius. Vide Notas libro III. in fabul. Actæonis. *Heins.*

802 *Curia*] In senatu in Curia Pompeii trucidatus est Cæsar 23. vulneribus confossus. *Farn.*

803 *Tum vero Cytherea manu*] Pro *manu* plurimi scripti, etiam ex vetustioribus, *suum:* et proximo versu pro *ætherea* pr. Reg. Urbin. pr. Erfurt. alter Hamburg. pr. Palat. Basil. et decem alii, *interdum: hunc densa* Cantabrig. unus Voss. *et illa Deum: in terram nubem* unus Gronov. at pr. Vatican. *ænea nube: aëria* quinque: *Æneaden* unus Voss. unus Basil. *Æneadem:* duo alii *obscura:* Arondel. *ætheri:* pr. Hamburg. *Pectus sed tandem.* Opinor non uno mendo adfectos esse hos duos versus. Pro *utraque*, scripti *utrumque, utroque, utrimque, uterque.* Heins.

805 *Qua prius infesto*] Paris, ut narrat Hom. cum Menelao congressus, ope et auxilio Veneris, quæ nube ipsum operuit, manus illius fugit. *R. Paris*] Homer. Iliad. Γ.

806 *Et Diomedeos*] *Qua* prim. Vatican. Urbin. et Argent. *Heins. Et Diomedeos*] Iliad. E. *Farn. Et Diomedeos*] Æneas cum Diomede congressus facile interfectus fuisset, ut est apud Hom. nisi a Venere fuisset liberatus.

807 *Talibus hanc*] *Hinc* pr. et quart. Moreti. Pro *sola* pr. Palat. Bernegger. pr. Hamburg. Arondel. *solio.* Pro *paras*, pr. Vatic. pr. Palat. pr. Basil. pr. Erfurt. pr. Moret. Cantabrig. et pr. Gronov. cum aliis plurimis, *putas:* duo *putes;* totidem *potes.* Heins.

810 *Tabularia ferro*] Parcæ quippe decreta Jovis excipiunt, utpote librariæ superum archivique custodes. Martian. Capella lib. I. *Farn. Ex ære tabularia, &c.*] Immobilitatem fatorum exprimit per ærea et ferrea Parcarum tabularia, quæ nec cœli ullum incommodum, nec ullas ruinas, propter soliditatem, timent: quibus fata inscribunt, quæ deleri, id est, mutari, non possunt. *Pont.*

811 *Concussum cœli*] *Concursum* Calandr. pr. Hamburg. et multi alii; ut tonitrua intelligat: ita Lucretius frequenter. *Heins.*

813 *Incisa adamante*] *Inclusa* Urbin. Bernegger. pr. Hamburg. Arondel. et multi alii: pr. Basil. *insculpta: inclusa* placet in Trist. 'Nil adeo solidum est, adamas licet alliget illud.' Pont. lib. IV. 12. 'duro præcordia ferro Esse, vel invicto clausa adamante putem.' *Idem.*

816 *Hic sua*] Jul. Cæs. complevit datam a fatis ætatem; nempe 56. annos.

818 *Templisque colatur*] *Locetur* multi veteres. *Heins.*

819 *Natusque tuus*] Imo *suus*, pro ejus natus; quod est in plerisque scriptis. Egregie blanditur Augusto; quod sequentia satis evincunt: *tuus* nullum habet sensum. Pro *nominis hæres* prim. Palat. prim. Cantabrig. Oxon. Arondel. aliique complures *numinis: muneris hæres* Zinzerling. et unus Leidensis; *nominis hujus* unus Medic. Pro *feret unus onus*, tert. Medic. et alius ejusdem bibliothecæ *urbis onus.* In Fastis, 'Una domus vires et onus susceperat urbis.' Posset et *orbis onus;* ut ad Herculem alludat. Vide Notas Fast. I. 616. *Idem.*

820 *Onus*] Imperii molem, vs. 1. lib. præsentis. *Cæsique*] Bellorum initium et causa, prætextus saltem, avunculi necem ulcisci. Suetonius Aug. 10.

822 *Illius auspiciis*] D. Brutum Mutinæ obsederat Antonius, obsidionem levavit missus a Senatu Octavius. Sueton. 10. Florus lib. IV. 4. *Farn.*

823 *Pharsalia Emathiique*] Perperam ab auctoribus confundi Pharsalum in Thessalia, ubi depugnatum est inter Cæs. et Pompeium et Philippos in Thracia, ubi victi Brutus et Cassius ab Octavio et Antonio, dictum a nobis ad lib. I. Lucani, vs. 680.

824 *Emathiique iterum madefient*] *Emathiæque* prim. Palat. prim. Vatican. prim. Moret. Cantabrig. uterque Erfurt. prim. Reg. Beruegg. aliique complures: *Emathiaque* Urbin. Neapol. prim. Hamburg. Arondel. et octo

præterea. Lege cum uno Argentinensi, *Emathiaque iterum madefacti cæde Philippi.* Petronius, ut scribendum, 'Cerno equidem gemino jam stratos Marte Philippos;' non *gemina morte.* *Philippi* tamen fœminino genere apud Focam Grammaticum in vita Virgilii legitur, 'jam cæde piorum Perfusas acies legitur visura Philippos,' sed illic oppidum intelligit. *Heins.* *Æmathii Philippi*] Macedonici. *R.*

825 *Magnum*] Sextus Pomp. filius Cn. Pompeii Magni, cum diu piraticam exercuisset, tandem navali pugna ab Octavio victus Mitylenas aufugit. Appian. Civil. bel. lib. v.

826 *Romanique*] Cleopatræ non bene cedent nuptiæ cum Antonio, quos, 'dementes ruinas, Funus et imperio parantes,' ad Actium devincet Octavius Aug. Horat. Od. I. 37. Florus lib. IV. 11. Sueton. cap. 17. Aug. Velleius II. Appian. Bell. Alex. v. Zonaras lib. II. Dio lib. LI. *Farn.* *Tædæ Non bene fisa*] Non bene confisa nuptiis Marci Antonii: nam et regnum, et vitam amisit.

828 *Canopo*] Canopus urbs Ægypti, a Canopo navis Ulyssis gubernatore cognominata.

829 *Quid tibi barbariem, gentesque ab utroque jacentes Oceano numerem*] *Gentes* prim. Reg. et octo alii. Cantabrig. aliique multi *barbariam: barbariam gentes* prim. Palat. *barbariæ gentes* Zulichem. et tres alii. Scribe, *Quid tibi barbariæ gentes ab utroque jacentis Oceano numerem?* Heins. *Ab utroque Oceano numerem*] Orientali et Occidentali: prædicit autem Veneri Juppiter Augustum Cæsarem totius orbis terrarum imperio potiturum. *R.*

832 *Animum*] Sueton. cap. 27.

834 *Mores*] Censor.

836 *Prolem*] Tiberium ex Livia Drusilla uxore, sed gravida, impetrata a Druso, successorem nominis et imperii creabit. *Farn.*

837 *Curasque*] Imperii administrationem.

838 *Nec nisi cum senior*] LXXVI. ætatis anno Aug. vitam in osculis Liviæ expiravit. In numerum etiam Deorum illum fuisse receptum Poëta ait. *R.* *Similes æquaverit annos*] Interpretibus placet hæc ab Ovidio scripta esse, cum Augustus annum ætatis LVI. nondum attigisset, quo extinctus est Divus Julius. At quis seniorem aut senem vocavit Divum Julium? hæc ætas senectus non est, ut eam Augusto æquandam debeat precari. Piget pluribus hæc refellere. *Patrios annos* prim. Moret. et octo alii: neque aliter Bernegger. et Rottendorph. pro diversa lectione: at Thuan. aliique quatuor, *cum patruo senior similes:* unus Strozz. *cum patrios senior similes.* Sed desinamus ineptire. Scripserat, puto, Noster, *Nec nisi cum senior Pylios æquaverit annos.* Auguror neminem de hac restitutione dubitaturum, quod ut felicius ex voto succedat. En similem locum Pont. II. 8. ubi Tiberium alloquitur, 'Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos Vivant; et possis filius esse diu.' Trist. v. 5. 'Di, precor, et Cæsar Dis accessure, sed olim, Æquarint Pylios cum tua fata dies.' Utitur et alibi hoc adagio: ut libro Pont. I. 4. 'Nam mea per longos si quis mala digerat annos, Crede mihi, Pylio Nestore major ero.' Martialis lib. IV. in Natalem Domitiani, 'Cæsaris alma dies, et luce sacratior illa, Conscia Dictæum qua tulit Ida Jovem, Longa, precor, Pylioque veni numerosior ævo.' Et libro VIII. 'Terrarum domino, Deoque rerum, Promisit Pyliam quater senectam.' *Heinsius.*

839 *Cognataque sidera*] Ad Romuli et Cæs. stellas ascendet. *R.*

840 *Hanc animam interea*] In numerum Deorum, inquit Suetonius, relatus est: non ore modo decernentium, sed et persuasione vulgi. Si-

quidem ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, &c. creditumque est, animam esse Cæsaris in cœlum recepti, c. 88. et Dio lib. XLV. Zonaras, alii. *Farn.*

847 *Lucem capere*] *Numen* multi veteres: at prim. Gronov. prim. Erfurt. et quinque alii *lumen;* recte. *Heins.*

848 *Emisitque simul: simul evolat altius illa*] *Luna volat altius* Polit. Urbin. prim. Vatic. quart. Medic. prim. Hamburg. decem alii. Sed nondum integer est locus. Scribe cum Bernegg. Thuan. et aliis nonnullis, *Emisitque sinu. Luna volat altius illa.* Heins.

849 *Limite crinem*] *Callem* Thuan. *Idem.*

854 *Unaque in parte*] *Hac parte* quatuor: unus Voss. *et in una parte;* non male. *Idem.*

855 *Sic magnis*] *Magnus* Bernegger. Thuan. pr. Reg. uterque Erfurt. pr. Moret. aliique multi: cum pr. Vatic. Oxon. et pr. Gronov. pr. Palat. *sic magni cecidit.* Lege *magnis cedit.* Idem. *Sic magnis*] Sic Horat. Od. I. 15. 'Tydides melior patre.'

859 *Triformis*] Cœli, ætheris, aëris: namque terræ et maris imperium tenet Augustus: 'Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.' *Farn.*

860 *Terra sub Augusto*] *Sub Augusto est* plerique veteres. Lege *es;* ut vitetur τοῦ *est* concursus ingratus. *Heins.* *Pater est et rector uterque*] Jupiter et Augustus. Jupiter superiorum mundi partium, Augustus vero inferiorum terræ marisque.

861 *Dii*] Precatione simili librum Georg. I. claudit Virgilius, 'Dii Patrii, Indigetes, et Romule, Vestaque mater,' &c. Nec non Senec. Consol. ad Polybiam, et Plin. Panegyr. ad Trajanum.

864 *Vestaque*] Sacellum Vestæ erat in Palatio; cujus in parte Apollini templum excitavit Augustus, addita porticu, cum bibliotheca.

867 *Quosque*] Cum respectu fortassis ad numinum Tutelarium nomina vera, quæ ignota esse voluerunt, ne quando hostium carmine evocarentur, Macrob. Saturnal. l. III. 9. *Farn.*

868 *Et nostro serior ævo*] *Tardior* prim. Vatic. tert. quart. Medic. Oxon. alii quatuor. Forte, *sit nostro tardior ævo.* Heins.

871 *Jamque opus exegi*] Moris est fere Poëtarum, ut in suorum operum fine aliquid de se dicant. Horatius: 'Exegi monumentum ære perennius,' &c. Quanti vero hoc opus faceret Poëta, hinc facile apparet, quod nulla vi ipsum unquam interiturum sibi persuasit. *Jovis ira*] Fulmen. *R.* *Jamque*] De signaturis, quas operibus suis adfigunt Poëtæ in Exordiis et Epilogis, lege censuram Julii Cæs. Scaligeri cap. ult. lib. V. *Farn.*

FASTORUM LIB. I.

Libri vi. Fastorum] Numero xii. esse debuerant; imo et fuerunt. Ipse Fastographus in Tristib. ‘Sex ego Fastorum scripsi, totidemque libellos.’ Sed heu periere: triste naufragium, lugete litteræ. Quo autem tempore hos scripserit, habes ex ejus vita. At de Poëtæ obitu, vide quæ scripsit Jos. Scalig. ad Eusebii annum mmxxxiii.

1 *Tempora cum causis*] Est hæc propositio summæ totius operis bipartita: nam et dicturum se tempora pollicetur, et ortus occasusque signorum. Est autem Ortus cujuslibet Astri elevatio seu ascensus ejus supra Horizontem; vel certe apparitio ejusdem, quod antea ob vicinitatem Solis non conspiciebatur. Occasus vero est depressio, seu descensio Astri infra Horizontem, vel certe occultatio ejus, ita ut amplius cerni nequeat propter Solis propinquitatem. Itaque Ortus omnis astrorum et Occasus sumitur vel comparatione Horizontis, vel comparatione Solis. Hinc fit ut apud Poëtas triplex sit ortus occasusque Syderum: nempe Cosmicus et Chronicus, qui duo penes Horizontem sumuntur, et Heliacus qui ad Solem refertur. *Latium per annum*] Tria autem annorum genera ex sideribus colliguntur. Est annus lunaris, dierum triginta. Est solstitialis, continens duodecim menses. Est et magnus, quem esse volunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. *Ant. Tempora cum*] Ut Eratosthenes; qui τὰ φαινόμενα cum causis et fabulis conscripsit. *Neapol.*

3 *Cæsar Germanice*] Perperam alii qui hoc opus Tiberio dicatum putant: nam hic, cui sacravit Ovidius, est Cæsar ille Drusi Claudii Neronis filius; mater ei fuit Antonia minor, patruus Tiberius Nero, sed postea adoptione pater. Vide Dionem Cassium lib. iv. Germanici vero cognomen hic meruit ob patrem; quem et posteros Senatus Germanicos dici voluit. Parens tamen defunctus eo cognomine insigniri cœpit. *Neap.*

5 *Officioque*] *Officiique* Fulvii Ursini liber omnium veterrimus, literis Longobardicis exaratus, qui in Vaticana extat bibliotheca, et alii nonnulli ex melioribus; recte. *Heins.*

6 *Huic tibi devoto numine dexter ades*] Idem codex Ursini, cum tribus aliis, *En tibi devoto munere dexter ades;* quod et in suis Naugerius invenerat: nonnulli alii *Huic tibi devôto munere*. Opinor castigandum, *In tibi devoto munere;* sic infra: ‘Inque meo primus carmine Janus adest.’ Vulgata lectio sensum commodum non habet, nisi reponas *mihi devoto numine;* sed præstat altera scriptura. ‘Munera’ vocat simili modo hoc ipsum opus lib. ii. ‘Ergo ades, et paulum placido mea munera vultu Respice.’ *Idem. Huic officio*] Officioso labori meo. *Tibi devoto*] Operi huic Fastorum, tibi consecrato: vel quod in perpetuum tibi devovetur, et traditur. *Paul.*

7 *Sacra recognosces*] Nunc captatur attentio, cum ea se dicturum pollicetur, quæ ad Deorum religionem pertinent. Cæterum e sacris alia publica sunt, alia privata. Publica, quæ pro populo fiunt: Privata, quæ pro singulis familiis. *Ant. Annalibus*

priscis] Hic mentio fit Annalium eorum, qui dicebantur et Pontificalium libri, et commentarii Pontificum: his enim imposita erat ea cura, ut res gestas in tabulas referrent. Cic. de Oratore: 'Erat initio Historia nihil aliud nisi Annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum, usque ad P. Mucium Pontificem Maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, referebatque in album, &c. iique nunc Annales maximi nominantur.' Cur Maximi dicti sint, ostendit Festi Abbreviator: Non magnitudine, inquit, sed quod eos exarasset Pontifex Max. Tum nec diffuse omnia in illis scripta, sed presse et stricte, brevibus, non integris notis. *Neapol.*

10 *Sæpe tibi pater, &c.*] Drusus Claudius verus pater, sive Tiberius adoptivus; malim hunc. *Legendus avus*] Octavianus Augustus, quippe qui Tiberium adoptavit.

11 *Pictos signantia fastos*] *Festos fastus* idem Ursini codex et duo aut tres alii: *fastus* pro *fastos* etiam apud Horatium, Lucanum, alios invenies; de quo Notis ad Claudianum. Servius tamen ad Æn. III. tanquam errorem in Lucano id ipsum notat. Horatius Epist. II. 1. 'Qui redit ad fastos et virtutem æstimat annis:' ubi libri veterrimi *fastus* quoque. Noster lib. VI. 'Inspice quos habeat nemoralis Aricia fastus:' ita codex inter Mediceos primæ vetustatis: et hoc ipso libro infra cum uno Farnesiano, 'Ter quater evolvi signantes tempora fastus.' *Heins. Pictos Fastos*] Bene miscet Annales Pontificios cum Fastis: in illis enim libris quicquid erat, in his visebatur exaratum: nam qua die quicquid evenisset, fasta seu nefasta, recensendum erat in Annalibus. Sed, præter hos, duæ erant apud veteres tabulæ, quibus Fastorum nomen erat inditum: una, in qua varia dierum jura incisa; solemnia Deorum sacra, ludi et feriæ in eorundem honorem, res et victoriæ aliquot insignes. Vide Valer. lib. II. 5. Altera tabula erat, in qua nomina fere omnium Magistratuum continebantur: frequens hujus apud Scriptores mentio. *Neap. Pictos signantia fastos*] Minio vel rubrica. *Ant.*

12 *Cum Druso fratre*] Hic non filius Drusi Neronis, sed nepos ex fratre Tiberio. Germanico ergo frater erit adoptivus. *Neapol.*

13 *Cæsaris*] Potest hoc et ad Julium Cæs. referri, et ad Augustum: quorum alter relatus in Deos, alter relatum comprobavit, et templa multa sacravit, pluresque dies statos instituit, et Deorum cultum reformavit. *Aras Cæsaris*] Aras quæ Cæsari dedicatæ sunt, ob ejus merita: vel quas ipse vivens, aut Augustus consecrasset, et, cum aris, sacra quoque ab eo instituta.

20 *Ut Clario missa legenda Deo*] Ac si apud Apollinem legenda mitteretur, qui Clarius dictus est a Claro oppido in Ionia, non longe a Colophone: et a Claro insula, ubi summa religione colebatur. *Paul. Clario Deo*] Vigebat Clarii Apollinis oraculum Nasonis ævo: immo Germanicus eundem invisit, Auctore Tacito lib. II. Annalium. *Neapol.*

21 *Oris*] Os pro sermone, et ipsa eloquentia. Plin. de viris illustr. 'Mithridates duarum et viginti gentium ore loquebatur.' Cic. ad Varron. 'Adolescentioris Academiæ os.' Quo et refero illud Phædri fab. I. 'Duplex fabellis os est:' pro quo perperam legitur, *mos est*.

22 *Cum tulit arma reis*] Notavit et id Suetonius. Oravit, inquit de Germanico, causas triumphales: et Dio Cassius lib. LVI. Καὶ αὐτὸς μὲν οὐδὲν ἄξιον μνήμης ἔπραξε, πλὴν ὅτι καὶ τότε ὑπερεδίκησεν. *Neapol.*

23 *Cum impetus*] Animi ardor. *Paul. Nostras artes*] Poëticas. *Ant. Tulit*

impetus artes] Nam inter cætera studiorum monimenta reliquit comœdias Græcas. *Neapol.*

27 *In anno suo*] A se digesto: constituit annum suum decem mensibus. Vide Macrob. Saturn. I. 20. *Quinque bis esse suo*] Sub Romulo ergo annus fuit decimestris.

29 *Scilicet arma magis*] Congerit hic multa doctissimus Naso, ut probet quid Romulum ad hoc induxerit: quibus forte, nota vera origine, abstinuisset. Nam Romulus regni initio novum annum minime constituit; sed solum egit, ut mensis, qui quintus ordine erat aliis, fuerit suæ genti et populo secundus, et alia hujusmodi: cum in Latio ante urbem conditam, annum decimestrem fuisse constet, et apud alias etiam gentes; ut Athenis, &c. *Neapol.* *Quam sidera*] Anno jampridem a Numa Pompilio in duodecim menses distributo, additis Januario ac Februario: posteaque a Julio Cæsare ad cursum solis accommodato, et aliorum negligentia conturbato atque confuso, rationem temporum non sine maxima sua laude fundavit, intercalantium correctis erroribus. *Ant.*

31 *O Cæsar*] Germanice. *Et tamen ratio*] Quæ illum Romulum moverat ad annum ita digerendum. *Paul.*

33 *Quod satis est utero*] Medici opinantur, hominem gignendi summum finem decem menses. Vide Aulum Gellium libro tertio Noctium Atticarum. *Ant.*

35 *Per totidem*] Secunda ratio, quod decem mensibus uxor vidua domi lugubris se contineat: quod inde sumptum volunt, a tempore scilicet quo latet infans in matris utero.

37 *Cura Quirini*] Itidem Virg. XI. 'Talibus exarsit dictis violentia Turni.' Et Græci passim: Homer. Iliad. N. vs. 248. Σθένος Ἰδομενῆος. Iliad. Ξ. vs. 418. Ἔπεσ' Ἕκτορος...μένος ἐν κονίῃσι.

41 *Tertius mensis*] Scilicet anni Romulei. *A senibus dictus est*] Nam Maius vocatus a majoribus, hoc est, a senioribus. *Quartus*] Mensis. *Juvenum de nomine*] Nam Junius a junioribus dictus. *Paul.*

42 *Fuit notata numero*] Quasi vocata ab ordine numeri: nam quintus mensis Quintilis dictus, sextus Sextilis: inde September, October, November, December.

43 *Janum*] Quia mensium numero addidit: nam ab eo Januarium vocavit. *Nec avitas umbras*] Parentum, sive avorum animas: quia mensem instituit, quo illis parentaretur, hoc est, quo fierent sacrificia pro mortuis: et Februarium mensem dixit a februo, et februare, purgare est. Sed de hoc secundo libro dicetur.

44 *Mensibus antiquis præposuitque duos*] Falsum: ut et alii jam viderunt: ultimus enim anni mensis Februarius ex intercalatione Numæ. Quare refinxerunt, *addidit ille duos;* et sic tres nostri: sed rectius duo Farnesiani, unus Medic. et Gottorph. *apposuitque:* neque aliter Glossæ Rumphianæ. Vide notas ad Epist. IX. 60. *Heins.*

45 *Variorum dierum*] Nam ut varii nomine, varii tempore, ita variis officiis distincti.

46 *Officium idem*] *Officii idem* veterrimus Patavianus, primus Mediceus et quinque aut sex alii; rectius: infra lib. II. 'Spem capit in dominis esse soporis idem.' Sic 'idem virium,' 'idem ætatis' Tacito: 'idem juris' Lucano. *Heins.*

47 *Ille nefastus*] Numa ut in menses annum, ita in dies mensem divisit: diesque omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos vocavit. Festos Diis dicatos esse, quibus insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ: Profestos hominibus, ob administrandam rem privatam aut publicam concessos. His insunt fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares. In-

tercisos Deorum hominumque communes esse. Vide Macrob. Sunt tamen Intercisi dies, ut Varroni placet, per quos mane et vespere nefas jus dicere: medio autem tempore, inter hostiam cæsam, et exta profecta, fas, a quo quod factu intercidit, Intercisi. *Silentur*] A prætore scilicet. *Tria verba*] Hæc sunt illa tria verba, quæ a prætore proferebantur, jus dicturo, Do, dico, addico: hoc est, do leges, dico jus, addico, damno. Vel ut Ciofanus vult: Do bonorum possessionem: dico jus: addico id, de quo quæritur. *Paul. Ille nefastus erit*] Glossæ: Ἀποφράδες, *nefasti dies.* Utraque tamen vocula et Græca et Latina torqueri potest ad atros; et hæ voces ab auctoribus invicem usurpantur: hoc tamen adverte discrimen, quod omnis ater nefastus, sed non contra; nam dies festus etiam nefastus. *Neapol.*

48 *Fastus erit*] Hoc est, litigari, legem intendi, cum poterit prætor jus dicere secundum leges et instituta. Nefasti dies hac nota signantur, NP. *Paul.*

49 *Nec toto perstare die*] Sequuntur dies intercisi, quorum quibusdam horis fas est, quibusdam non est, jus dicere: nam quum hostia cæditur, fari nefas est; inter cæsa et porrecta fari licet; rursus, quum adoletur, non licet. *Neapol. Nec toto*] Erant dies, in quibus mane, cum fieret sacrificium, jus non dicebatur, sic ea parte nefasti: perfecto autem sacrificio, cum prætor jus diceret, fasti.

53 *Est quoque*] Comitialis dies erat, cum habebantur comitia; hoc est, cum conveniebat populus ad creandos magistratus, et ad suffragia ferenda. *Includere populum septis*] Vocare populum in campum Martium, ubi septum erat, quo populus includebatur, cum creandi essent magistratus. *Paul.*

54 *Est quoque qui nono*] Is est dies nundinalis, qui festus primo fuit: fastus postea lege Hortensia, imo fere ater; nam rebus incipiendis parum utilis habitus. Vide Dion. lib. XI. *Neapol. Est quoque qui nono semper*] Sunt et dies, qui Nundinales dicuntur a Nundinis, quæ a Romanis institutæ sunt, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die ad mercatum, legesque accipiendas, Romam redirent. De his Plin. Nat. hist. XVIII. Qui dies Lustricus dicitur, quo infantes lustrantur, et nomen accipiunt. *Ant.*

55 *Junonis cura*] Malim, si per libros liceat, *Junonia.* Trist. II. 'Proxima adoranti Junonia templa subibit Pellicibus multis hanc doluisse Deam:' ita libri veteres. Fast. VI. 'mensis Junonius,' et 'Junonale tempus.' 'Junonia sacra' Amor. lib. III. 13. 'Junonia Iris' Met. XIV. 'custos Junonius' de Argo, et 'ales Junonia' in Amoribus: et 'volucris Junonia' Medicamin. Faciei: et 'Junonia ira' Epist. Hypermn. Apud Macrobium Saturnal. lib. I. 9. 'Janus Junonius.' Met. XI. 'Ante tamen cunctos Junonia templa colebat;' quomodo et illic scribendum censeo: ut et Fast. III. 'Illic a nuribus Junonia templa Latinis Hac sunt, si memini, publica facta die:' nam libri veteres magno numero *Junonis;* vulgati *Junoni.* Statius Theb. I. 'celsæ Junonia templa Prosymnæ Lævus habet.' Sic et 'turbam Dianiam' canes vocat infra. 'Junonius anguis' Silius lib. VI. *Heins. Junonis Kalendas*] Unde ab his dicta illa Juno Kalendaris. *Neap. Vindicat*] Calendæ Junoni, Idus Jovi sacræ sunt. Primi dies mensium, ut Varro inquit, nominati ab eo calendæ, quod his diebus calentur menses. Dicunturque calendæ a calo, id est, voco: unde, Macrobio teste, ipsi curiæ, ad quam vocabatur, Calabriæ nomen datum est: nam curia Calabria dicebatur. Cum initium mensium majores nostri ab exortu lunæ servaverint, jure Junoni calen-

das addixerunt, Lunam ac Junonem eandem putantes. *Ausonias*] Latinas, seu Romanas. Et hoc ideo dixit, quoniam Græci calendas non habent.

56 *Idibus alba Jovi gratior*] Idus quidem Jovi, Nonæ vero nulli Deo dicatæ sunt: quas tamen populus Romanus exactis regibus maxime celebravit, Nonarum diem Servii Tulli natalem existimans. *Cadit*] *Cadet* Ursini et quatuor alii ex melioribus. *Heins.*

61 *Hæc tibi dicta*] *Mihi* plerique veteres. Sequenti versu *condere* Ursini liber: duo alii *findere.* Idem.

63 *Ecce*] Solebant enim Januarii calendis bona omina et auguria captare. *Paul.*

64 *Inque meo primum*] Meliores *primus.* Heins.

66 *Qui tua terga vides*] Πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

67 *Ducibus*] Et Tiberio et Germanico, qui militiæ præsunt.

68 *Otia pontus habet*] *Agit* septem veteres; quod præfero: sic lib. II. 'Luditur in castris: otia miles agit.' Et lib. IV. sub finem, 'Nil opus est istis, otia mundus agit.' Virgil. Georg. III. 'secura sub alta Otia agunt terra.' Claudianus, 'Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus.' Sic 'pacem agere;' et contra 'bellum agere:' de quibus alibi. *Heins.* *Otia pontus agit*] Tiberio et Germanico hæc dicta, sed præcipue Augusto. *Neapol.* *Otia*] 'Re placida atque otiosa, victis hostibus,' Plaut. Truc. I. 1. vs. 56. 'Pacem atque otium dare,' Amphitr. I. 1. vs. 53. Ter. prol. Adelph. 'In bello, in otio.' Cæsar de B. Civ. 'Rem ad otium deducere.'

70 *Et resera nutu, &c.*] Non precatur sinistrum aliquod omen: nam Janus non clusus belli index, sed poscit templi aditum ad sacrificia.

72 *Nunc dicenda bono sunt bona verba die*] Admonet Romanos, ut orta luce adsint sacrificiis, linguam coërceant, animum adhibeant, deinde bona verba dicant: quoniam infœlix annus portendi putabatur, si quid sinistri ominis calendis Januariis diceretur.

74 *Livida turba*] *Lingua* meliores. Sic Martial. Epigr. VII. 24. 'Cum Juvenale meo quæ me committere tentas, Quid non audebis perfida lingua doli?' sic corrigo: nam *audebis loqui,* quod in vulgatis est, vehementer friget. Aberrans librarii manus *lodi* pro *doli* scripserat; hinc natum postea *loqui.* Heins.

78 *Et tremulum spargit jubar*] Quod ex Virg. videtur translatum, Æneid. VIII. 'Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis Sole repercussum,' &c.

79 *Vestibus intactis*] Novis. *In arces Tarpeias*] Ad templum Jovis, quod in arce Tarpeia erat. Dictus postea mons Capitolinus. Huc ergo ibant cum populo Consules et post sacra magistratum inibant. *Paul.* *Tarpejas itur in arces*] Ex more ipse ad Sext. Pompeium in gratulatione initi Consulatus anno DCCLXVI. De Pont. IV. 4. *Neapol.*

81 *Jamque novi*] Jam lictores cum fascibus præeunt, et consules Kalendis Januariis inibant magistratum. *Nova purpura*] Novi magistratus insignia: sed hæc purpura est prætexta Consularis. Hanc et togam pictam et trabeam et palmatam dictam reperio. *Neapol.*

82 *Et nova conspicuum pondera sentit ebur*] Sellam curulem dicit, qua consules utebantur.

85 *Jupiter*] Cic. 1. Catilinar. 'Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auspiciis a Romulo es constitutus; quem Statorem hujus urbis atque imperii vere nominamus,' et quæ seqq.

87 *Salve festa dies*] Vetustiores libri *læta.* Heins.

90 *Græcia numen habet*] Inde Athenæus lib. XV. Ὅτι Ἰανὸς ὁ παρ' ἡμῖν, ὃν πατέρα προσαγορεύομεν.

92 *Sitque quod a tergo, sitque quod ante vides*] *Idque quod a tergo est, idque* alii, sed pejoris notæ. Scribe, *Fitque quod a tergo, fitque quod ante, vides.* Infra lib. VI. 'Stulta, videt Janus quæ post sua terga geruntur.' Huc refer Persianum illud, 'O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit.' *Heins.*

97 *Extimui*] Codices meliores *Obstupui.* Idem.

99 *Tenens baculum dextra, clavemque sinistra*] Cum clavi et virga ideo, quia est omnium portarum custos, et rector viarum. Sed utrumque idoneum est janitori, baculus ad vim repellendam, clavis ad claudendas et reserandas fores. *Ant. Clavemque sinistra*] Adi Macrob. Saturnal. I. *Neapol.*

106 *Ignis, aqua et tellus*] *Aquæ, tellus* rectius Petavii codex et tres alii: quidam *aqua, tellus.* Heins.

107 *Lite suarum*] Νείκεος ἐξ ὀλοοῖο, ex Orphei opinione. Vide Apollon. Rhodium ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν. *Neapol.*

109 *Cœlum flamma petît*] *Altum* scripti plerique; nisi quod Ursini liber et Petavii veterrimus cum decem aliis *Flamma petît altum*, contracte, pro *petiit.* Auctor Octaviæ, 'tecta defendit suis Aliena telis aut petît prædæ imminens.' Noster Met. l. VIII. 'Longius ît: auctor teli Pagasæus Iason.' Ennius Annal. lib. XVII. 'It eques, et plausu cava concutit ungula terram.' Statius Theb. X. 'Fractumque perît in sanguine murmur.' Sulpitia Sat. 'Ast ubi pax secura redît, oblita favorum Plebs materque una somno moriuntur obeso.' Statius via Domitiana, 'Quo non dignior has subît habenas.' Elegia in obitum Drusi, 'Auctor abît operis, sed tamen extat opus.' Juvenalis, 'Magnus civis obît, et formidatus Othoni.' Sic 'redî,' pro redii, apud Claudianum, et sæpe apud Auctorem Herculis Œtæi: 'inî' pro inii apud Statium, et 'petî' pro petii: 'adî' pro adii apud Val. Flaccum; et similia. Altum, pro cœlo: sic apud Claudian. Rapt. l. I. de hac eadem re, 'quicquid leve fertur in altum, In medium graviora ruunt.' Virgil. Georg. II. 'Illæ altum nidis petiere relictis.' Æneid. IX. 'Qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cygnum Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis.' Georg. I. 'Atque alius latum funda jam verberat amnem Alta petens.' Noster ipse Met. XV. 'Alta petunt aër, atque aëre purior ignis.' Valerius Flaccus l. IV. 'primum pavidæ Phineia tecta Pervolitant: mox alta petunt.' Boëthius l. IV. Cons. Philos. ubi de elementis 'pendulus ignis surgit in altum.' Sequenti versu pro *loco* libri omnes meliores magno numero *solo;* et recte: nam solum uniuscujusque rei fundamentum. Sic navium solum est aqua: stellarum cœlum: maris ac terræ aër. Noster Met. I. 'Astra tenent cœleste solum,' pro cœlo. *Heins.*

113 *Quoniam nota parva figuræ est*] Libri plerique *est* non agnoscunt. Recte autem codex Ursini, Gottorph. et unus Vaticanus *quondam;* ne dubita. Vossianus *nota prima;* etiam non male. *Idem.*

120 *Vertendi cardinis*] Vertendi cœli, quod assidua vertigine rotatur.

122 *Perpetuas ambulat illa vias*] *Per tutas vias* vetustiores plerique: tres *per totas:* sed vulgatæ lectioni controversia haud est movenda. Sic 'ambulare maria' dixit Cicero l. II. de finibus: 'Cum Xerxes Hellesponto juncto Athoque perfosso maria ambulavisset, terram navigasset.' Pari modo 'ire maria' et 'currere maria' dicebant. Quare non est ut possim accedere Quintiliano, cætera gravissimo scriptori, qui Inst. Orat. I. 9. 'Ambulare viam' solœcismis accenset. Lampridius Heliogabalo, 'Stravit et triclinia de rosa, et lectos et porticus; ac sic ea deambula-

vit;' quomodo duo codices Medicei: idque in suis Salmasius etiam invenit. *Heins.*

125 *Præsideo cœli foribus*] Id sibi veteres induxerunt ob causam quam tetigit Macrob. Saturnal. I. 'Janum,' inquit, 'quidam volunt Solem demonstrari, et ideo bifrontem, quasi utriusque januæ cælestis ortus et occasus potentem; qui exoriens aperiat diem, occidens claudat.' Ex hac opinione Janum 'matutinum' dixit Horat. Satyr. II. 6. *Cum mitibus horis*] Hæc quoque cœli custodes: ἀπὸ τοῦ ὀρεύειν. *Neapol.*

126 *Et redit officio Jupiter itque meo*] *Et redit officio Jupiter ipse* scripti plerique. Nimirum vera lectio est, *It redit officio Jupiter ipse meo*, quam Vossianus et septem alii agnoscunt. Statius Sylv. l. I. 'licet expositum per limen aperto Ire redire gradu.' Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'It redit in vastos semper onusta lacus:' usitatius tamen *Itque reditque;* quod apud Virgilium, Silium, Statium, Val. Flaccum, alios occurrit; etiam apud Nostrum Trist. V. 7. *Heins.*

127 *Inde vocor Janus*] Huc spectat locus Tullii, de Nat. Deor. II. 'Quod ab eundo nomen est ductum, ex quo transitiones perviæ Jani, foresque in liminibus profanarum ædium januæ nominantur.'

128 *Imponit libum*] Suspicor hoc illud esse, de quo Festus Pompeius: Annal. I. 'libi genus, quod Jano tantummodo libatur.' *Farraque mixta*] Molam salsam. *Neapol.*

129 *Namque modo ore sacrifico*] Ore sacerdotis, sacra facientis. *Patulcius vocor*] A patendo. Et idem vocor Clusius, a claudendo. *Paul.*

130 *Clusius ore vocor*] Ita vetustiores. Apud Macrob. Saturnal. I. 9. Clausus bis dicitur, quomodo et hic multi codices. Sed duo veterrima exemplaria Macrobii, alterum Thuaneum, Neapolitanum alterum, *Clusivius* illic agnoscunt; quod et postremas ejus editiones jam occupasse video. Neque aliter eum Servius Danielis nominat ad sextum Æneidos: ubi tamen *Patulcus* perperam appellatur. Quare parum abest quin opiner *Clusvium* ab Ovidio dictum contracte; ut *Vesvius* pro *Vesuvio* et similia. *Heins. Clusius ore vocor*] Tres apud me veteres quasi de compacto habent, *Clausius.* Sic scriptum et hoc Jani cognomentum apud Macrob. Saturn. I. 9. *Neap.*

133 *Vis mea narrata est*] Relata jam sua multiplici potestate, accedit ad causas formæ bifrontis; in qua assignanda, varia commenti sunt veteres, ut C. Bassus et alii. *Neapol.*

135 *Omnis janua habet geminas frontes*] Exteriorem et interiorem.

136 *Hæc*] Exterior scilicet. *Spectat populum*] Quasi respicit eos, qui foris sunt. *At illa*] Altera frons, quæ interior est, 'spectat larem,' ea quæ in lare, hoc est, quæ domi sunt.

141 *In tres vertentia partes*] *Vergentia* libri meliores præter Petavianum, de quo Pont. I. 9. 54. Et paulo ante iidem *perspicio* non *prospicio.* Avienus Phænomenis, 'Rursus si visum declivi tramite vergas.' Heins. *In tres vergentia partes*] Hinc Hecate vulgo Græcis τριπρόσωπος, τρίμορφος, τριοδίτης, τρίγληνος. Quid τρίγλη, quod in Hesychio legas. Vide et Athenæum l. VIII. *Neap.*

146 *Pactus erat*] *Fassus* præfero cum melioribus. Sic Trist. II. 'vultu fassus Telamonius iram:' atque ita sæpe Noster Art. Am. l. II. 'Atque oculos oculis spectare fatentibus ignem.' Epist. Canaces, 'Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos: Hæc satis in tacita signa fatentis erant.' *Heins.*

153 *Operitur frondibus arbor*] *Amicitur vitibus* Ursini, Mazarinianus, et septem alii: quatuor *amicitur frondibus;* etiam non male. Pont. III. 8. 'Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus.' Met. X. 'et amictæ vitibus

ulmi.' Ita in re simili 'pampineum' quoque 'amictum' Virgilius dixit in Culice. Hor. Sat. I. 16. 'Pomisque et pratis et amicta vitibus ulmo.' Corippus Africanus l. IV. 'cecidere securi Antiquæ quercus et amictæ vitibus ulmi.' Propertius Eleg. III. 13. 'Et portare suis vestitas frondibus uvas.' *Arbos* etiam quinque meliores cum prima editione. *Idem.*

158 *Et luteum celsa sub trabe figit opus*] Quidam *nectit:* quomodo Amor. I. 14. 'Cum leve deserta sub trabe nectit opus.' Petavianus et multi alii *fingit;* quod impense arridet. Lutea enim opera proprie fingi dicuntur; hinc *figuli*, et *figulina:* quo alludunt illa veteris Poëtæ de Virgilio, 'Figuli soboles nova carmina finxit:' similiter et cerea opera. Apud Virgilium apes 'Dædala fingere tecta' dicuntur Georg. IV. et ibidem de iisdem, 'Sufficiunt aulasque et cerea tecta refingunt;' male Salmasius *refigunt.* Cicero Officiis, 'Apum examina non fingendorum favorum causa congregantur: sed cum congregabilia natura sint, fingunt favos.' *Idem.*

159 *Tum patitur cultus ager*] Non agnosco hic numeros Ovidianos. Forte scribendum, *Tunc cultum patietur ager renovatus aratro.* Idem.

163 *Bruma novi, &c.*] Rationem affert Janus, in bruma solarem cursum terminari et renovari, sic ab ipsa solaris cursus renovatione renovari annum, qui ad ipsius solis cursum institutus est. Optime ergo faciunt, qui post hybernum tropicum annum inchoant, cum sol fine ulterius progrediendi facto rursus ad nos se recipit: fit enim naturale quodammodo hujusmodi principium, quo et lucis tempus augetur, tenebrarum vero et noctis diminuitur.

164 *Phœbus et annus capiunt idem principium*] Solis cursus et anni idem est principium.

165 *Postea mirabar*] Lege *scitabar.* Sic l. IV. 'Da Dea, quas sciter, doctas Cybeleia neptes:' ita enim et illic est scribendum. *Heins. Post ea mirabar, cur non, &c.*] Quærit, cur prima dies non vacaret contentione et certamine. De more enim erat, Kalendis Januariis certare demonstratione artis quam quisque profiteretur: ut bono omine ab anni initio captato, idem toto anno professuri essent. *Paul.*

169 *Quisque suas artes ob idem delibat agendo*] *Ibidem* multi ex scriptis. Alii, *obid, obide, inibi* et similia. Lego, *obit et delibat agendo.* 'Obire suas artes,' quomodo 'obire suas res,' et 'munia sua' Ciceroni; nisi malis, *obiter delibat*, quod non minus arridet. *Heins. Ob idem*] Hoc est, ut faustum fœlixque omen et auspicium ab initio captet. *Prælibat suas artes*] Prægustat, et certatim præmonstrat artes, quas profitetur. *Quisque suas artes*] Hoc est, fullo fulloniam, sutor sutoriam delibabat; agricolæ rusticum opus: sed hoc apage lucelli caussa. Pari modo quisque supellectilem domesticam poliebat, ut toto fere anno niteret. Vide et Senec. Epist. 83.

172 *Jane tibi primum*] *Primo* meliores. *Heins.*

174 *Ad quoscunque voles, inquit*] *Ad quoscunque velim prorsus* venuste liber Fulvii Ursini; ut τὸ *inquit* subintelligatur, quomodo alibi sæpe: et sane 'inquit' mox denuo sequitur. Mazarinianus etiam *velit.* Idem.

177 *Quem dextra tenebat*] *Gerebat* potiores scripti. Supra habuimus, 'Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra.' Puto tamen scribendum, *baculum quod dextra gerebat.* Adi Notas Met. II. 681. *Idem.*

178 *Omina solent esse principiis*] Apud antiquos enim non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius capto.

179 *Timidas advertitis aures*] Ita scripti nostri fere omnes: malim *ad-*

verteris, vel *advertimur;* nam *advertimus* in nonnullis exstat codicibus. Sic contra *averti* et *deverti* dicebant; de quo Amor. lib. II. 6. ‘ Surda miseros avertitur aure’ Boëthius consolatione Philosophiæ. Sarisberiensis l. I. 13. de Nugis Curialium citat, ‘ Auditas voces timida perpendimus aure.’ *Heins.*

180 *Consulit augur avem*] Probat omina principiis inesse ex prima observatione in utroque augurio, oscinum et præpetum: illud aure, hoc visu captabatur. *Neapol.*

181 *Patent templa*] Deorum ædes Kalendis Januariis apertæ sunt, idque Jano duce, qui aperit et claudit. ‘ Caduca auspicia ’ dixerunt veteres, cum aliquid in templo excidebat: ‘ velut virga e manu,’ inquit Festus. *Neapol.*

183 *Desierat Janus*] *Desierat paucis* Mazarinianus; eleganter mehercules; hoc est, pauca locutus. *Heins.*

185 *Quid vult palma sibi*] Anni novi initio, amici suis mella, palmulas, et caricas mittebant. Vide Senec. Epistol. 87. *Rugosaque carica*] Caricam ficum siccatam dixere Latini. Græci τὰ σῦκα vocant, recentes, Sole adustas, ἰσχάδας. Eæ autem ideo caricæ dictæ, quia ex Caria in Italiam translatæ: unde eædem cauneæ, a Cauno urbe ejusdem Cariæ. Sed caricas nostri postea pro qualibet ficu sicca transmarina usurparunt. *Neapol.*

186 *Et data sub niveo condita mella cado*] Lege cum Vossiano, Arundeliano, et aliis nonnullis, *sub niveo candida mella favo.* Met. VIII. ‘ Candidus in medio favus est.’ Nam ‘ rubrum cadum ’ Martialis melli adsignat, Epigr. I. 4. ‘ Flavaque de rubro promere mella cado.’ ‘ Candida mella ’ etiam dixit l. III. ‘ Jure repertori candida mella damus:’ sic codices veterrimi, non *splendida.* Codex tamen Pomponii Læti *liquida mella*, quomodo et hic unus Vaticanus pro diversa lectione: ita Virgilius non semel; sed prima semper correpta syllaba, quomodo et Noster alibi. ‘ Liquentia mella ’ Maroni quoque dicta, et Sereno Sammonico et Calpurnio; et ‘ expressis mella liquata favis ’ Nostro infra l. IV. Sed hoc loco *candida mella* admittimus. *Heins.*

189 *Stipis adjice causam*] Antiquissimum strenarum commercium, et sub Augusto viguit. Vide Suet. lib. IV. 42. Et vetera hæc rudera: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV. EX STIPE QUAM POPULUS ROMANUS NERONE CLAUDIO DRUSO. T. QUINTIO CRISPINO COS. VOLCANO. *Neapol.*

192 *Putas*] *Putes* Ursini liber et quinque alii: rectius. *Heins.*

197 *Pluris opes sunt*] Ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα. Theoc. Idyll. XV. Et Idyll. XVI. Χαιρέτω ὅστις τοῖος· ἀνήριθμος δὲ οἱ εἴη Ἄργυρος, αἰεὶ δὲ πλεόνων ἔχοι ἵμερος αὐτόν.

199 *Dum casa Martigenam*] Hæc ubi sita addubito, si una; si duæ, altera erat in Capitolio, altera in Palatio. *Neapol.*

200 *Et dabat exiguum fluminis herba torum*] Λαχνήεντ' ὄροφον λειμωνόθεν ἀμήσαντες. Hom. Iliad. Ω. χλωραὶ ῥῶπαι. Odyss. Π. ‘ Viridante toro consederat herbæ.’

201 *Angusta in æde*] Pro hac intellige Pompilianum Capitolium humile et vetus, quod situm in regione VI. non illud novum et celebre in VIII. ni capias de Jovis Feretrii templo, quod Romuli opus, angustum etiam; vix enim longitudine erat pedum XV.

202 *Inque Jovis dextra*] Ita veteres omnes: sed scribendum *Inque Dei dextra*, cujus alterum illud *Jovis* est glossema. *Heins.*

205 *Nec pudor in stipula*] Hæc nuda tritici aut hordei palea, quam antiqui legebant ad sua cubilia: et unde lectus, nisi a legendo? Vide Varro. de Ling. Lat. lib. IV.

207 *Jura dabat populis posito modo*

prætor aratro] Turbant scripti codices, nec sibi constant. Ursini codex et sex alii, *consul aratro:* at optimus Ambrosianus *missus modo consul:* Vossianus cum Arundeliano et aliis sex *misso modo consul aratro:* quatuor *misso modo prætor aratro.* Sed Ursini codicem sequor. Noster infra lib. III. 'Et caperet fasces a curvo consul aratro.' Val. Maximus lib. IV. 4. 'Illi etiam prædivites qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent.' *Heins.*

208 *Et levis lamina*] Etenim ex censoria nota damnabantur, qui quinque argenti pondo possiderent. *Paul.*

210 *Summo vertice Roma Deos*] *Summos Deos* meliores libri: vide infra vs. 308. Et mox pro *plura petunt* Ursini codex, Voss. Arund. et tres alii probæ notæ *volunt.* Heins.

217 *Dat census honores*] *Dant* Arundelianus: ut constructio sit, census honores, census amicitias dant. Eam vim habet repetita vox τοῦ *census.* Sed vide notas nostras Remed. Amor. vs. 164. *Heins.* *Dat census honores*] Tangit publicam querelam eorum temporum: vide et Plin. procem. lib. XIV. *Neapol.*

219 *Si sit stipis utile quæris*] *Cur sit stipis* vetustæ editiones et scripti nonnulli. Puto, *si cur stipis utile, quæris.* Nondum enim id quæsiverat Naso, sed quæstionem Janus prævenit. *Heins.*

222 *Victaque concessit*] *Concedit* Ursinus; optimus Ambros. Voss. Arond. et duo alii. Mox iidem cum aliis nonnullis *majestas ista* non *ipsa;* atque ita Naugeriani quoque. *Idem.* *Concessit novæ*] Cessit aureo nummo. *Paul.* *Prisca moneta novæ*] Non tamen ea abiit, sed in usu fuit; habitaque vilior moneta, quam nigram alicubi vocat Martialis, ob mixturam plumbi. *Neapol.*

225 *Sed utimur nostris annis*] Moribus nostri temporis.

228 *Clavigerum verbis*] *Dictis* optimus Ambros. et unus Moreti. *Heins.*

230 *Altera signata est*] Ita scripti: malim nihilominus *in ære altera signato.* Idem.

232 *Extenuasset opus*] Meliores *extenuaret.* Idem. *Extenuasset opus*] Excidisset et attrivisset imaginis notam, seu nummum ipsum.

234 *Deus falcifer*] Saturnus. *Venit in amnem Tuscum*] In Tybrim Hetruriæ fluvium. *Ante pererrato falcifer*] Id est, peragrato prius orbe, non ante quam nummus signaretur, ut placet rudi Scholiastæ: non ante Janum, ut videtur capiendus hic locus prima fronte; nam ille Saturno prior in Italiam venit, unde sumpsit initium Dynastia Aboriginum.

235 *Ego memini Saturnum receptum hac tellure*] Quia Italia inferior est quam Græcia, in qua mons est Olympus, finxere Poëtæ, illum ætherio Olympo ad Italiam advenisse.

236 *A Jove pulsus*] *Ab Jove* meliores. Infra lib. II. 'ab Jove crimen habet:' et III. 'Saturnus regnis ab Jove pulsus erat.' Met. III. 'Ab Jove mersa suo:' lib. XIII. 'ab Jove tertius Ajax:' lib. IX. 'ab Jove Musa parens:' et sic passim tam apud Nasonem quam alios scriptores veterrimi codices. *Heins.*

238 *Dicta quoque, &c.*] Varroni placet, Latium dici Italiam, quod lateat inter præcipitia Alpium et Apennini: vel sic dicta, quod Saturnus ibi latuerit.

239 *Puppim formavit in ære*] *Servavit* Ursini liber, optimus Ambros. Mazarin. et tres Farnesiani; quod et Naugerius ex suo expressit. *Heins.* *Formavit in ære puppem*] In æreo nummo navim formavere: quia navi fuerat Saturnus in Italiam advectus.

240 *Adventum testificata Dei*] Si vera hæc, cur in Græcia cusa etiam numismata cum Jano et rate? an ex Italia in Græciam, an Janus e Græcia in Italiam secum tulit? id certius:

et puto, fictum illud pro servanda adventus Saturni memoria.

241 *Cujus placidissima lævum*] Fabius Pictor: 'Is Janus sub initium aurei seculi lævum latus Tiberis Hetruriæ tenuit.' *Neapol.* *Ipse solum colui, &c.*] Saturnus cis Tybrim, et Janus trans Tybrim habitavere.

243 *Tunc ardua silva virebat*] *Incædua silva* legendum cum Naugeriano, Ursini et Ambros. bibliothecæ optimo, ac quinque aliis. Infra lib. II. 'Monte sub Esquilio multis incæduus annis Junonis magnæ numine lucus erat.' Amor. III. 1. 'Stat vetus et multos incædua silva per annos.' Statius Theb. VI. 'Sternitur extemplo veteres incædua ferro Silva comas.' Quidam libri *incidua* scribunt. *Heins.* *Tunc ardua sylva virebat*] Fabius Pictor, in III. 'Jam modo qua fuerant sylvæ pecorumque recessus, Urbs erat.' *Neap.*

244 *Bobus erant*] *Bubus erat* meliores. *Heins.*

245 *Arx mea collis erat, quam vulgus nomine nostro Nuncupat*] *Quem* cum melioribus legendum, nempe collem. Multi veteres *Ara mea est colli*, vel *collis;* Arundelianus *Ara mea colli erat:* alii, *Arx in ea est collis*, vel *Arx in ea est colli.* Exaratum nempe fuerat *Arx mea collis est.* Repone, *Arx mea collis is est, quem: erat* minus oportune hic repetitur, cum præcesserit paulo ante. Pro *vulgus* scribendum *vulgo* opinor: sed duo Farnesiani optimæ notæ cum Erfurtano, *cultrix;* sc. ætas, quod amplector. De hac arce Virgilius VIII. 'Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem. Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen:' ita vetustissimi codices; etiam Mediceus ille. Arx hæc dicta Antipolis. *Idem.* *Arx mea collis*] Agit hic de sua veteri habitatione, quæ fuit in Janiculo, ubi oppidum ejusdem nominis condidit. *Neapol.*

251 *Sine vi pudor ipse regebat*] Fabius Pictor: 'Ea ætate nulla erat Monarchia, quia mortalium pectoribus non hæserat ulla regnandi cupiditas: Principes quasi justi erant et religionibus dediti: non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus a jure innato discedebat; nullo tunc vindice aut metu, sed sua sponte retinebant fidem et rectum. Pudor ipse regebat populos et jus principes.' *Neapol.*

253 *Tuebar pacem et postes*] Defendebam pacem, cui præeram, et servabam januas.

255 *Tunc sic ego nostra resolvi*] *Resolvo* septem ex præstantioribus: *tunc sic nostra ora resolvo* tres Farnesiani ex optimis et Arundelianus; placet: nisi malis, *sic ora ego nostra resolvo.* Heins.

257 *Cum tot sint Jani*] Non templa, ut interpretes volunt: unum fuit præcipuum Romæ Jani templum, at Jani plures. Occurrit sæpe in lapidibus primus, imus, et medius: ut in hoc: C. JULIUS C. L. NICOMACHUS A JANO PRIM. PAL. et in isto: C. LEPIDUS C. L. ANICETUS A JANO MEDIO. *Imi* fit mentio ab Horatio Epist. I. 1. Sed hi tres in foro erant Romano. Excitatos puto anno DLXXX. a Fulvio Flacco Censore: de quo, 'Curavit,' inquit Livius lib. XLI. 'in his et cloacam circumducendam, et forum porticibus tabernisque claudendum, et Janos tres faciendos.' Suspicantur Eruditi, pro marmoreis arcubus et fornicatis transitionibus *Janos* accipiendos: Græci interpretantur ἀψῖδας. *Cur stas sacratus in uno*] Editiones nonnullæ cum quibusdam scriptis *cur sic sacratus in uno es.* Lege, *cur, dic, sacratus in uno es.* Heins.

258 *Templa duobus*] Piscario et Boario. Hujus vero certus situs fuit unde calida illa aqua exiit, adversus Tatium, Jani opera, ut fingit hic apud nostrum. Eum locum dixere antiqui Lautolas. Varro L. L. lib. IV. 'Lautolæ a lavando; quod ibi ad Janum geminum aquæ calidæ fuerint.' *Neapol.*

260 *Œbalii Tatî*] Tatii Œbalii, regis Sabinorum; ab ipsis Laconibus illuc profectis. *Paul.* *Œbalii rettulit arma Tatî*] Vossianus pro diversa lectione *Titi;* optime: ne Tatii nomen inconcinne repetatur; a Tito, quod Tatio prænomen, Titii, et Titienses, de quibus lib. III. vs. 131. agemus. Servius ad lib. VII. Virg. 'Priscique Quirites, id est, Sabini: prisci autem ideo, quia post fœdus Titi et Romuli placuit ut quasi unus de duobus populus fieret;' sic veterrimus codex Leidensis; et Georg. II. 'sic fortis Etruria crevit:' ubi Scholiastes ineditus bibliothecæ Leidensis, 'Eleganter Italiam Etruriæ junxit, quoniam de primo loquitur Romuli imperio, Titum collegam ejus intelligi vult.' Propertius Eleg. IV. 4. 'Romula ne faciem læderet hasta Titi.' Et mox, 'Dum captiva mei conspicer esse Titi:' sic utroque loco, saltem posteriori, scribendum censeo; nisi quod *conspicer ora* cum Gronovio reponi placet, pro *esse:* nam *Tatii* nomen paulo ante præcesserat, et mox sequitur. Nec male Gottorphianus *Œbalii senis.* Heins. *Œbalii Tatî*] Nam Sabini τῶν Λακεδαιμονίων ἄποικοι. *Neapol.*

261 *Utque levis custos, armillis capta, Sabinos Ad summæ tacitos duxerit arcis iter*] Scripti magno numero *armillis Sabinis:* recte. In Amoribus, 'Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas.' At multi codices etiam ex optimis *Sabinos Tatios:* certe *Tatium* in nullo nostrorum comparet, quod editiones tamen nonnullas occupat, idque ex Scaligeri excerptis fortassis admittendum. Sed ut sententiam meam expromam, puto *maniplos Tatios* ab Ovidio fuisse scriptum, ac *Sabinos* ex interlineari glossemate huc irrepsisse. Sic 'Tatii Cures' et 'Tatiæ prætoria turmæ' apud Propertium. Noster lib. II. ex antiquis codicibus, 'Te Tatii parvique Cures Cæninaque sensit.' *Heins.*

263 *Per quem descenditis*] Hunc puto, quem vocant urbis topographi 'clivum Capitolinum;' non illum postea dictum 'Publicium,' ut argutantur Interpretes, ab Ædilibus ejusdem cognominis: de quo sermo nobis erit in Festis Floralibus lib. V.

264 *In valles per fora*] *Et fora* Ursini liber et quatuor alii; Voss. et Arundel. *ad fora:* utrumque vulgatæ lectioni præstat. *Heins.*

265 *Et jam contigerant portam, Saturnia cujus Dempserat oppositas invidiosa seras*] Primo Petavii et Ursini liber cum decem aliis *contigerat;* quod confirmat superius *Tatium* legi debere. Pro *Saturnia cujus,* Vossianus *custos,* Gottorph. *civis.* Puto *Saturnia posti Demserat:* nam *custos* minus arridet, quod Tarpeiam paulo ante custodem portæ appellarit. *Appositas* etiam *seras* præfero cum uno Vatic. et Puteaneo; de quo Amor. III. 14. Denique *insidiosa* legendum; quod multi ex melioribus agnoscunt. *Idem.* *Et jam contigerant portam*] Quæ dicta Palatina, sive porta vetus Palatii. *Neapol.* *Et jam contigerant portam*] Jam venerant Sabini magno impetu ad portam, sub radicibus Viminalis, ut inde ingredientes arcem ascenderent. *Saturnia invidiosa*] Juno, quæ summo odio Trojanos insectata est, sic et Romanos ab illis progenitos.

268 *Movi callidus artis opus*] Male *opem* alii; quod mox sequitur. Art. Am. I. 'Usus opus movet hoc.' Fast. IV. 'Sacra Palis suberant: inde movetur opus.' *Heins.*

269 *Oraque reclusi*] Ipsas aquarum scaturigines.

270 *Aquas repentinas*] Repente scaturientes: nam magna vis aquarum ferventium subito in adversos hostes erupit. *Paul.* *Repentinas ejaculatus aquas*] Hoc aliter se habet apud Historicos. Tabellæ vero etiam mentio apud Fab. Pictorem lib. II. et Macrob. Saturn. I. ubi inepta quædam, ut, ex æde Jani aquam prorupisse, cum nondum ea per id tempus in nova

urbe. *Neapol.*

271 *Madidis subjeci sulphura venis*] *Calidis* Ursini liber pro diversa lectione et octo alii: quod et ex uno Ciofanus Vaticano profert. Rutilius Itiner. in hac narratione: ' Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum Rupit Tarpeias hoste sequente vias:' ita etiam alii. Sed cum ' fervidus humor' mox sequatur, ne bis idem dicat, arbitror *gelidis venis* esse reponendum. *G* enim et *C* cum in veterrimis libris promiscue confundantur, *venæ gelidæ* in *calidas* nullo negotio degenerare potuerunt: ut et lib. IV. 146. in nonnullis membranis factum. Noster in hac eadem fabula sub finem lib. XIV. Met. ' Jano loca juncta tenebant Naïdes Ausoniæ gelido rorantia fonte.' Et deinde, ' Alpino modo quæ certare rigori Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipsis.' Sed vide totum locum. Similis omnino diversitas lectionum in antiquissimis codicibus infra lib. IV. vs. 144. Fast. II. ' In medio gelidæ fons erat altus aquæ.' *Heins.*

274 *Quæ fuerat tuto*] *Quæque fuit* optimus Ambros. *Idem.*

275 *Ara mihi posita est*] Malim *Ponitur ara mihi.* Pro *Hæc adolet* codex Caroli Strozzæ, *Hanc adolent;* puto *Hac adolent.* Pro *cum strue* duo Vaticani *cum sale,* ut molam salsam intelligat. Possit etiam legi *in strue:* ut libris de Ponto, ' Armaque cum telis in strue mixta suis.' *Idem.* *Ara mihi posita est*] Ubi fuere antiqua illa λουτρά. Disce ex his, Nasonem, præter vulgum, ædis hujus Romulum, non Pompilium, auctorem fecisse. Et hæc vetus opinio Varronis apud Augustinum. *Parvo conjuncta sacello*] De hoc Procopius primo de bello Gothico: ' Id vero jam sacellum totum ex ære constructum fuisse sat constat,' &c.

276 *Cum strue*] ' Jano struem commoveto,' inquit lustricum Catonis carmen. Strues, libi genus; de quo vide Festum. Solita hæc in sacrificiis misceri cum ferto; imo vero nunquam hoc sine illa. Quæ qui adferebant struferctarii appellabantur. Inde in veteri lapide: PORCAM ET AGNAM STRUIBUS ET FERTIS. Fertum et ferctum pronuntiatum a priscis. *Neapol.*

277 *Motisque recluderis armis*] Legi in hac hæresi quosdam Romanorum perstitisse usque ad tempora Silverii P. M. et illius clari Ducis Belisarii. Vide Procop. I. de bello Gothico. *Neapol.* *Motisque recluderis armis*] Quod erat sacrorum. Nam is, qui belli susceperat administrationem, sacrarium Martis ingressus, primum ancilia commovebat, deinde hastam ipsius simulacri, dicens, *Mars vigila:* consule Scholiasten Virgilii, ad illa Æneid. VIII. ' utque impulit arma, Extemplo turbati animi.'

281 *Pace fores obdo*] Huic portæ nomen fuit Janualis. Vide Varronem de L. L. lib. IV. *Neapol.*

282 *Cæsareo numine*] Ursin. Voss. Arund. *nomine;* ut domum Cæsaream intelligat. *Heins.*

285 *Germanice, caussa triumphi*] Hæc victoria ἀναμφισβητήτως Cæsari Germanico, non Tiberio datur. Vide Tacit. Annal. II. ' C. Cælio, L. Pomponio Coss. Germanicus Cæsar A. D. VII. Kalendas Junias triumphavit de Cheruscis Chattisque,' &c. Fuit hoc anno DCCLXIX. male apud Eusebium anno MMXXXIII. Præter unius anni metachronismum, legitur pro *Chattis,* Germanicus Cæsar de *Parthis* triumphavit. Nunc videamus, an potuerit noster hujus victoriæ meminisse, cum plerisque eo anno sit mortuus. Nugæ: nam ipse natus ab U. C. anno DCCX. Hirtio ac Pansa Coss. Cui Chronologo hac de re fides, nisi ipsimet Nasoni habeam, lib. IV. Trist. ' Cum cecidit fato Consul uterque pari?' Decessit Poëta noster anno Urbis DCCLXX. Plene igitur potuit Ephemerides ejusdem anni scriptitasse, multo magis Germanici victo-

riam, quæ incidit in annum DCCLXIX. *Neapol.*

286 *Domitas jam tibi Rhenus aquas*] *Famulas* libri plerique veteres. Martial. lib. IX. ‘ Dum grande famuli nomen adseret Rheni Germanicarum magna lux Kalendarum.’ Sic Idem ‘ famulas Istri aquas ’ dixit lib. v. Ausonius Mosella, ‘ Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus Festinant famulis quam primum adlambere lymphis.’ Rutilius, ‘ Ipse triumphali redimitus arundine Tybris Romuleis famulas classibus aptet aquas.’ Pari modo ‘ Hydaspes famulus ’ Claudiano Mallii Cons. et ‘ famulus Ganges ’ III. Cons. Honorii: ‘ famulus Orontes’ Sidonio Panegyr. Anthemii. De *serva aqua* quod Ciofanus hic profert, nihil ad rem facit. *Heins.*

287 *Pacisque ministros*] *Ministri* nomen indignum majestate domus Cæsareæ. Et sane vetustissimus Ursini liber *magistros* agnoscit: sed nec illud quidem satis aptum. Quid ergo? Opinor scriptum fuisse *pacisque strem.* pro *pacisque sequestrem* vel *sequestrum*, absorptis duabus prioribus syllabis in *sequestrum* a cognatis in præcedente *pacisque* voce syllabis. De uno autem Augusto hic agi, sequens versus, ‘ Neve suum præsta deserat auctor opus,’ satis evincit. ‘ Pacis sequester,’ quomodo et ‘ auctor Pacis,’ Nostro Augustus dictus Pont. I. 1. Glossæ Stephani *sequester* Μεσίτης, ἔντριτος συνθηκοφύλαξ. Glossæ Mss. *sequester* ἐστὶ παρ’ ᾧ πολλοὶ ἐπίδικον παραδέδωνται πρᾶγμα. Vide Festum in *sequester*; et Gellium lib. XX. cap. ult. Obvia ea vox apud Jurisconsultos. ‘ Pacis’ igitur ‘ sequester,’ hoc est, medius et arbiter. Arbitrum et sequestrum Plautus conjunxit Rudente: ‘ Tu isthuc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum, Cujus hæc res arbitratu fiat.’ Silius lib. VI. ‘ At nova Elissæi jurato fœdere patres Consultant mandare duci, pacisque sequestrem Mittere.’ Statius Theb. VII. ‘ Ubi tunc fidei pacisque sequestra Mater eras?’ ubi Scholiastes, ‘ Sequester dicitur qui certantibus medius intervenit, apud quem cujuscunque certaminis futuri pignora deponuntur. Hoc vocabulum ab obsequendo factum est; quod ejus qui electus fuerit utraque pars fidem sequatur.’ Quibus similia habes apud Servium Æneid. X. Apud Lucanum lib. X. ‘ orator regis pacisque sequester.’ Hinc Virgilio, et eidem Statio ‘ pax sequestra’ lib. II. Theb. et Æneid. Contra ‘ Carnifex rapinarum sequester’ Ammiano lib. XIV. ‘ Pudicitiam perjurii sequestrem’ Val. Maximus dixit lib. IX. 1. Prudentius Cathemerin. Hymn. X. ‘ Nunc suscipe terra fovendum, Gremioque hunc concipe molli. Ominis tibi membra sequestro Generosa et fragmina credo.’ De hujusmodi nævis ex concursu duarum syllabarum aut vocum cognatarum exortis jam egimus ad Epist. XIV. 194. Amor. I. 13. 1. Sic Epist. XXI. 58. pro *perdere velle velis* legendum monui *perdere dure velis.* Apud Propertium Eleg. I. 1. ubi nunc inconcinne et frigide legitur, ‘ Ibat et hirsutas ille videre feras,’ persuasum habeo, debere scribi, *Ibat et hirsutas ille ferire feras.* Et Eleg. 3. ‘ Illa fuit lacrymis ultima cura meis,’ cum opiner manu Propertii esse *lacrymis ultima meta meis:* quomodo Noster Amor. III. ‘ Raditur hæc elegis ultima meta meis:’ et ipse Propertius Eleg. IV. 2. ‘ hæc spatiis ultima meta meis.’ Eleg. I. 6. apud Propertium, ‘ Tu patrui meritas conare anteire secures, Et vetera oblitis jura refer sociis:’ ‘ socios,’ Cyzicenos interpretantur; sed cum multi libri veteres *referre sonis* agnoscant, puto Propertium reliquisse, *referre foris.* In foro enim jus dicebatur. Rursus Elegia VIII. ‘ Nam me non ullæ poterunt corrumpere formæ, Quin ego, vita, tuo limine acerba

querar:' ita opinor scribendos illos versus: *corrumpere de te* valde friget. Idem lib. II. Eleg. ult. 'Amphiaraëæ nil prosunt fata quadrigæ, Aut Capanei magno grata ruina Jovi.' Τὸ *magno* non apparet in vetustis codicibus, quod magnus Scaliger etiam monuit, qui valde versus istos distorquet. Scribe, *Aut Capanei irato grata ruina Jovi.* El. III. 19. 'Hæc amor ipse suo constringit pignora signo. Testis sidereæ torta corona Deæ:' alii de Corona Ariadnea, alii de Luna accipiunt aut Venere; nihil horum. Lege, *Testis siderei tota corona chori:* astra designat. Sic Tibullus II. Eleg. 1. 'Ludite: jam Nox jungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro.' Idem Propertius libro eodem El. 24. 'Limina jam nostris valeant lacrymantia verbis.' De lacrymis amantium ante limina puellæ rem novi: sed quam insolens hoc et durum, *verbis lacrymantia limina!* Puto reponendum, *Limina jam nostris valeant halantia sertis:* de halandi verbo dixi Metamorph. lib. VII. 812. Apud Virgil. Æneid. I. 'Thure calent aræ, sertisque recentibus halant:' et Georg. IV. 'halantes floribus horti.' Tibullus libro primo, Eleg. 1. 'Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes Non pudet, et rixas inseruisse juvat:' non est plena oratio: τὸ *juvat* etiam post τὸ *pudet* frigide inculcatur. Non dubito ab elegantissimo Tibullo scriptum, *inseruisse seræ.* Eadem Elegia paulo ante, 'Parva seges satis est: satis est requiescere lecto Scilicet, et solito membra levare toro:' τὸ *lecto* otiosum et superfluum est, cum *toro* sequatur; quare corrigebam *requiescere fesso.* Plura erant hujusmodi, quibus proferendis nunc supersedebimus, ne nimii simus. Defungemur tamen in transcursu restitutione Statiani loci, quem ex parte ad Epist. XIII. 35. castigavimus. Is exstat Sylvarum lib. V. Epicedio patris, 'Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno Causa minor; si Thessalicis Admetus in oris, Si lux una retro Phylaceida rettulit umbram, Cur nihil exoret genitor chelys aut tua manes, Aut mea?' Τὸ *Admetus* valde turbat sensum; unde factum, ut versum excidisse primo sim opinatus. Non enim Admetus ab inferis reversus. Si recte perpendas *Thessalicis in oris*, in duabus prioribus vocibus, invenies τὸ *Alcestin*, quæ vox a cognatis duabus proximis extrita fuit. Scribe igitur, *si Thessalicas Alcestin in oras, Si lux una retro Phylaceida rettulit umbram;* ita omnia in hoc Statiano loco optime sese habebunt: exstat hujus argumenti Alcestis tragœdia Euripidis. Sed ab his deverticulis ad Nasonem tandem revertamur. *Idem.*

290 *Hac die*] Calendarum scilicet Januariarum. *Duo templa*] Alterum Jovi, alterum Æsculapio. *Neapol.*

291 *Accepit Phœbo, &c.*] Ex Phœbo et Coronide Nympha filia Phlegyæ, filii Martis, natus est Æsculapius, qui in Epidauro urbe colebatur. *Paul. Accepit Phœbo*] Æsculapio ergo templum in insula Tiberina sacratum. Motus et causa dedicationis exstitit pestilentia vastans urbem et agros: hinc aditi libri Sibyllini, in quibus inventum ait Liv. lib. X. 'Æsculapium ab Epidauro Romam arcessendum,' &c. Arcessitus tandem hic, ne cogites signum aliquod æreum aut ligneum simulacrum; anguis sane fuit: sed pro! quot mira iste anguis est ausus? Vide Valerium de Miraculis I. 8. *Neapol.*

292 *Dividua aqua*] Bene, quia flumen finditur in duas partes, ob insulæ impedimentum. *Neapol.*

293 *Jupiter in parte est*] Hoc templum si dicatum eodem die quo Æsculapii, illud incidet in ann. CDLXII. *Neap. Juppiter est in parte*] Ipsius insulæ: quia et ibi templum est illi consecratum.

294 *Templa nepotis*] Æsculapii, qui

nepos est Jovis: quoniam hic Phœbi pater, cujus ille filius.

296 *Propositi pars fuit ista mei*] *Promissi pars sit et ista* Ursini liber: Voss. et Arund. *promissi pars sit et ipsa:* Petavianus *promissi pars fuit illa:* alii magno numero. Et superiori versu *Quid vetat* meliores pro *Quis;* dictum Epist. Ariadnes. *Heins.*

297 *Felices animæ*] *Animos* Voss. Arund. duo Farnesiani cum uno Vaticano, venuste; nisi *animas* malis: nam sequenti versu *illas* est in Ursini libro et tribus aliis. Trist. IV. 10. ex vestigiis scripti codicis, 'Felices ambos, tempestiveque sepultos!' Pont. I. 2. 'Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit.' Epist. Herus, 'Felices illas, sua quas præsentia nosse Crimina vera jubet.' Deinde pro *jocisque* scribendum *locisque*, ut libri meliores habent, et ab aliis jam est monitum. Supra, 'humanis numina mixta locis.' *Idem.* *Felices animæ*] Ad has etiam Plinius: 'Macte ingenio, este cæli interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores, quo homines Deosque vicistis.' *Neapol.*

298 *Inque domos superas*] Sic Noster de Pythagora. Metam. XV. fab. 2. 'Mente Deos adiit, et quæ natura negavit Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.'

301 *Sublimia pectora*] *Regales animos* dixit Manilius sub initium primi. *Neap.*

303 *Perfusa fuco*] Falso et fictitio medicata colore. Glossæ: *fucus*, χρῶμα. *Neapol.*

308 *Summaque sidera*] *Imaque* Petavianus; sed frustra. Initio lib. III. 'Contigeratque sua sidera summa coma.' Supra, 'Et tetigit summos vertice Roma Deos.' *Heins.*

309 *Cœlum metabimur*] Ad condendum nostrum parapegma: idem μετρεῖν πόλον dictum a Leone Philosopho. Ad hoc a patribus inventa instrumenta dioptrica; quæ primum excogitavit Hipparchus. *Neapol.*

310 *Ad vaga signa dies*] *Stata signa* nonnulli ex melioribus; quod et Neapoli recte approbatur. *Heins.*

311 *Ergo ubi nox aderit, &c.*] Cum venerit nox, quæ diem tertium calendarum Januariarum præcedit. *Paul.* *Venturis tertia nonis*] III. Nonas Januarias Cancer mane occidit. *Neapol.*

313 *Quærentur brachia*] *Quæruntur* scripti majori ex parte. Quare et sequenti versu *subivit* reponendum, quicquid illi obnituntur. *Heins.*

315 *Institerint imbres missi tibi nubibus atris Nonæ signa dabunt exoriente Lyra*] Veteres plerique *nisi si tibi:* alii, *nisi si de* vel *missi de nubibus;* quomodo et Mazarin. Naugerius et Neapolis recte ex suis libris, *Institerint Nonæ: missi tibi nubibus atris Signa dabunt imbres exoriente Lyra:* quomodo et quinque ex nostris cum Petaviano; qui tamen, *nisi sic ibi nubibus.* At Ursini codex, *Institerint Nonæ: nisi sit tibi nubilus aër.* Scribendum forte *si sit subnubilus aër.* Rem. Am. 'Limes erat tenuis longa subnubilus umbra.' *Idem.* *Institerint Nonæ, &c.*] Ostendit ipsismet Nonis futuram tempestatem, et Lyræ ortum heliacum: hic eodem tempore est Cæsari apud Plin. lib. XVIII. 26. *Neapol.*

317 *Quatuor adde dies*] V. Idus Januarias Agonalia Romæ erant: initium a Numa Pompilio ducunt. Iterabant hæc festa veteres XII. Kalendas Junias. Et propridie Idus Decembris exstat memoria in antiquo Kalendario: in eo Constantini Magni notatur ipsamet dies SEPTIMONIA, et bene: ne titubes. Vide Festi fragmentum in vocula *septimonium*, sed aliqua in parte semirosum. *Neapol.*

318 *Luce Agonali*] Die quo Agonalia celebrantur arietis immolatione.

319 *Nominis esse potest succinctus causa minister*] Prima opinio causæ nominis, a rogando: cum rex sacrificulus mactaturus arietem, rogat po-

pulum seu principem civitatis, 'Agone?' ab ea voce rogantis putat Agonalia dici. *Succinctus minister*] Is erat victimarii cultus. *Neapol.*

322 *Semper agatne rogat, nec nisi jussus agit*] Primo illud rectum, quod optimus Ambros. Læti codex et duo Farnesiani præstantiores *Agone* exhibent. Varro de L. L. 'Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab Agone? eo quod interrogabatur Princeps civitatis, et princeps gregis immolabatur.' Agones quoque popas fuisse dictos vult Statii Scholiastes Theb. IV. Pro *rogat*, Petavianus Ursin. Vossian. Arundel. et septem alii, *rogas;* unus Patavinus *roges. Nec agat* vel *aget* etiam meliores. Scribe, *Semper, agone, roges, nec nisi jussus agas.* Et paulo ante, *esse potes succinctus causa minister,* non *potest;* quomodo unus meus; eleganter. Apostrophe est ad popam. Ita optime omnia sese habebunt. Sequentes versus eo, quo exprimendos curavi, ordine libri veteres agnoscunt. *Heins. Nec nisi jussus agit*] Ex ritu Dionys. Halicar. l. VII. Antiq. Συντελεσθείσης δὲ τῆς πομπῆς, ἐβουθύτουν εὐθὺς οἵ τε ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον. Et paucis interjectis: Ἔπειτα κατευξάμενοι θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον.

323 *Sed agantur ab actu*] Inde Festus: 'Agonium dies appellabatur, quo Rex hostiam immolabat: hostiam enim antiqui agoniam vocabant.' *Idem. Pars, quia non, &c.*] Altera opinio, quod pecudes ad sacrificium sponte non veniant, sed aguntur, seu abiguntur, et inde Agonalia dici.

327 *Timet hostia cultros*] Sive, inquit, ducit originem ἀπὸ τοῦ ἀγωνιάω, quod Græcis usitatissimum, pro *metu angi:* unde qui timet, ἀγωνιάτης dicitur apud Diog. Laërtium. *Neapol.*

329 *Fas etiam*] Imo *Pars etiam* cum Mazarin. Læti, quatuor Farnesianis, ac aliis nonnullis. Superiora satis id adstruunt. Paulo ante *lux est ista* etiam meliores libri. *Heins.*

330 *Nomina Græca*] *Grata* optimus Ambros. et unus Patavinus. Lege *Graia;* quomodo sæpe peccatum, ut alibi diximus. *Idem. De ludis fieri solitis ætate priorum*] A ludis quos veteres exercebant. Dicebantur enim ludi Agonales. Primus eos instituit Hercules in Elide, apud Jovem Olympium. *P. Nomina de ludis Graia*] Huc pertinent illa Festi: 'Agonia sacrificia, quæ fiebant in monte: hinc Romæ mons Quirinalis Agonus, et Collina porta Agonensis. Agonium, locus in quo ludi initio facti sunt, ob hoc dictum, quia fuerit sine angulo.' Græcis angulus γωνία, locus angularis γωνιαῖος· unde angulo carens ἀγώνιος. *Neapol.*

331 *Et prius antiquus dicebat Agonia sermo*] *Et pecus* Ursini liber, optimus Ambros. et sex alii, cum prisca editione; recte. Vide Festum in *Agonias* et *Agonium.* Heins. *Et antiquus dicebat Agonia sermo*] Antiqui vocabant ipsa festa Agonia. De quo Pompeius: Agonium diem appellabant, quo rex hostiam immolabat. Hostiam enim antiqui Agoniam vocabant. Agonum etiam putabant dici Deum præsidem rebus agendis; Agonalia ejus festivitatem. *Paul.*

333 *Utque ea non certa est*] Ita Ciofanus et Neapolis. Sed Ursini codex et decem alii, *nunc certa est;* quod versus præcedens confirmat. *Heins.*

335 *Victima quæ cecidit*] Intrudit huc multa de sacrificiis veterum, ansa sumpta ex iis quæ dixit in Agonalibus. Victimæ vero et hostiæ etymon non arridet. *Neapol.*

336 *Hostibus a domitis hostia*] *Hostibus amotis* Ursini liber et Patavinus Hectoris Trevisani; quod arridet. Nam, si vulgatam sequimur scripturam, nihil aut parum inter hostiam et victimam intererit. Nonius, 'Hostire est comprimere, coërcere, dictum ab hostia. Pacuvius Teucro, Nisi coërcuero protervitatem, atque

hostiro ferociam.' Ita lege. Hinc et 'Hostilii Lares, quibus immolabant, quod ab his hostes arceri putarent,' teste Festo. *Heins.*

338 *Far erat*] Idque a Jani ævo, teste Q. Fabio lib. I. de aureo sæculo. *Puri lucida mica salis*] *Liquidi salis* codex Regius; ut alterum ex glossemate irrepserit. *Heins.*

339 *Nondum pertulerat*] Suspicor myrrham, costum, crocum, eodem tempore quo thus, nostris avis fuisse cognita; cum ex iisdem fere regionibus asportata. Thuris vero notitia ad eos quando pervenerit, dubium: multa tamen edisces e loco quodam trito Arnobii lib. VII. adversus Gentes. *Lacrymatas cortice*] Nam stillant ab ipso ligno: inde fere omnes voce *Lacryma* hac in re usi. Myrrhæ vero duæ species, liquida et dura, *στακτὴ καὶ πλαστή.* Vide Theophrast. *Neapol.* *Pertulerat myrrhas*] Myrrhas, quæ ex suorum arborum cortice tanquam ex oculis lacrymæ emanant. Et ad illud alludit, quod in Metam. X. dixit: 'Est honor et lacrymis, stillataque cortice myrrha Nomen herile tenet, nulloque tacebitur ævo.'

343 *Herbis contenta Sabinis*] Hæ ante thuris notitiam veteribus in usu: hinc magnus Vates in Culice: 'Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina:' neque post thuris inventionem spreta, sed frequens fuit ad suffitus. De hac Dioscorides: *χρῶνται δέ τινες τοῖς φύλλοις ἀντὶ θυμιάματος.*

545 *Factis prati de flore coronis*] Ita nostri omnes. Neapolis ex uno suo *plexis.* Heins.

346 *Qui posset violas addere*] Sed hæ etiam postea inter flores coronarios habitæ in pretio. Vide Athenæum lib. XV. *Neapol.*

348 *Nullum culter habebat opus*] Concludit tandem, priscos illos *ἀναθήματα* Diis obtulisse, non *θυσίας*: dona, non victimas.

349 *Avidæ gavisa est sanguine porcæ*] Ab hac igitur sumpsit initium rei animatæ sacrificium. Scripsit et Varro lib. II. de Re rustica: 'Sus Græce dicitur *ὗς*, olim thysus dictus, ab illo verbo quod dicunt *θύειν*, quod est immolare,' &c. *Neapol.*

351 *Teneris lactentia succis*] Libri meliores *sulcis.* Recte. Trist. III. 12. 'Herbaque quæ latuit Cerealibus obruta sulcis.' Met. I. 'Semina tum primum longis Cerealia sulcis Obruta sunt.' Tibullus, 'spes sulcis credit aratis Semina.' Virgilius, 'Cum primum sulcos æquant sata.' Avienus Orbis Descript. de Ægypto, 'Vomere quæ duro, quæ longi pondere aratri Sollicitavit humum, quæ fœtus edere sulcis Tellurem docuit:' quomodo scribendum ex veteri libro Mediolanensi; nisi mavis *credere sulcis.* Vulgo, *rectis cædere sulcis.* Mox idem ex eodem veteri libro, 'Quæque gravi sollers committit semina sulco:' hoc est, gravido sulco. Atque ita passim auctores. Sulci etiam pro scrobibus sumuntur, in quibus arbores plantantur. Calpurnius Ecloga 2. 'Sulcos ne forte priores Languida mutata quærant plantaria terra.' Male et illic *succos* legitur. Virgilius, 'nunc te quoque medica putres Accipiunt sulci.' Vide Festum in *Sulci.* Heins.

356 *Verba dolore dedit*] *Dicta* veteres plerique; recte: nam 'verba dare' alio significatu dicitur: *digna dedit* Arundel. et sex alii. *Idem.*

357 *Rode caper vitem*] Expressum hoc distichon ex versiculis Eveni: Κῆν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ. *Neapol.* *Tamen hinc*] *Hic* Petavianus et alii quatuor. Lege *huic* cum uno Farnesiano, id est, viti. *Heins.*

358 *Spargi in cornua*] Ex ritu sacrorum. Virgil. Æn. IV. 'Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido Candentis vaccæ media inter cornua fudit.'

359 *Noxæ tibi deditus hostis*] 'Cum lex jubet,' inquit Festus, 'noxæ de-

dere, pro peccato dedi jubet.' *Neapol.*

361 *Nocuit quoque culpa capellæ*] Hæc ob erosam oleam Palladi sacrificata. *Neapol.*

363 *Flebat Aristæus, &c.*] Mactatio bovis initium sumpsit ab Aristæo: primus enim ille pro reparandis apibus bovem immolasse fertur. Vide in fine Georgicorum Virgil. *Aristæus*] Apollinis et Cyrenes filius. *Necatas cum stirpe*] Apes extinctas cum omni spe sobolis. *Paul.*

365 *Cærula genitrix*] Κυρήνη. *Neap.*

367 *Proteus*] Redi ad Notas in Amor. II. 15. 10. et Art. I. 761.

368 *Et dabit*] Docebit, quo pacto reparare possis examina extincta. Proteus a multis Oceani et Tethyos filius creditus est: et marinorum piscium pastor. Hunc artium peritum, et in varias se formas solitum vertere tradiderunt. Mater igitur nunc instruit filium, ne mutatione formæ decipiatur: sed cum primum invenerit, alliget.

373 *Ille suam faciem transformat et alterat arte*] *Alterare* Latinum vix est: etsi memini in glossis Stephani occurrere *Altero*, ἑτερόω. Quare reponatur ex Ursini et Petavii optimis libris, quod et duo Medicei agnoscunt, *transformis adulterat.* Pont. IV. 10. 'Copia tot laticum, quas haurit, adulterat undas.' 'Transformia corpora' dixit Met. VIII. 'Ast ubi habere suam transformia corpora sentit, Sæpe pater dominis Triopeida tradit.' Scribe etiam *Ille sua*, hoc est arte, ut bene unus Patavinus. *Heins.*

379 *Pastor*] Aristæus. *Fervent*] Fervere et emicare pullulantes videntur.

380 *Dedit mille animas*] Mille viventes apes. *Paul. Una necata dedit*] Inde apud Græcos apis epithetum βουγενής: et vetus illud poëma, fortassis Eumeli, dictum βουγονία, de hac Aristæi fabella suspicantur litteratores egisse. *Neapol.*

381 *Pavit oris pratum*] Parum Latine profecto, pro depavit. In nonnullis vetustioribus *Pascit.* Petavii *Pascit ovis prato:* optimus Ambros. *Pascit oves pratum:* tres alii *Pavit oves.* At Ursini liber cum quinque aliis *Poscit ovem fatum;* quod sequor. *Heins.*

385 *Placat equo Persis, &c.*] Persæ equum Soli mactant ea ratione, quod celerrimo numini celeris sit offerenda victima. *Radiis Hyperiona cinctum*] *Comtum* quatuor libri: sic Virgil. lib. VII. 'Quin et Marrubia venit de gente sacerdos Fronde super galeam et felici comtus oliva.' *Heins. Radiis Hyperiona cinctum*] Solem radiis vallatum, ceu telis. Recurre ad Notas in Ep. IV. vs. 159.

387 *Quæ semel*] *Quod* meliores. Pro *triplici virgine* duo libri, *geminæ.* Codex Ursini *gemina.* An *Ægææ Dianæ?* Aulis enim in Ægæo mari: an *Eubœæ*, pro *Euboicæ?* quomodo apud Statium Sylvar. lib. V. Epicedio Patris, 'stupuit primæva ad carmina plebes Eubœa.' *Heins. Pro virgine*] Iphigenia. *Cerva datur*] Si non erat hujus succedanea ovis; quam dixere cervariam. *Neapol.*

389 *Exta canum Triviæ*] Ideo κυνοσφαγὴς θεὰ Lycophroni nuncupatur: causa est, quod Deam, teste Eustathio, τῶν νυκτερινῶν φόβων αἰτίαν εἶναι veteres putarint, et omnium spectrorum. Ea per canis latratum credita eisdem evanescere. *Libare Sapæos*] Hi Thraciæ populi. Herodot. lib. VII. Ἔθνεα δὲ Θρηΐκων, δι' ὧν τῆς χώρης ὁδὸν ἐποιέετο, τοσάδε· Παῖτοι, Κικόνες, Βίστονες, Σαπαῖοι, Δερσαῖοι, Ἠδωνοὶ, Σάτραι. Hos Sapæos, ab Homero Sintas vocatos, auctor est Strabo lib. X. 'Triviæ libare Sabæos.' *Sapæos* reponi debere recte vidit Neapolis; qui Thraciæ populus. Neque aliter primæ editiones et duo scripti ex nostris. Recte autem subjungit *vidi;* quia per Thraciam iter fecit missus in exilium. *Heins.*

390 *Accolit Hæme nives*] Adludit

haud dubie ad antrum Hecates in Thracia, quod Ζήραυθος appellatum, de quo Stephanus: Ζήραυθος πόλις, καὶ ἄντρον Ἑκάτης ἐν Θράκῃ. Ibi solitos præcipue canes Hecatæ immolari, testis fidus Suidas. *Et quicunque tuas accolit, Æme, nives*] Quasi omnes tuos accolas, et tua nivosa saxa colentes. Æmus enim mons Thraciæ.

391 *Custodi asellus*] Priapus hic; sub cujus tutela prisca rura erant: merces obvia; propterea quidem nomine Perspectus hæc illi: ' Villicus ærarî quondam, nunc cultor agelli, Hæc tibi Perspectus templa Priape dico: Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor, Assiduus custos ruris ut esse velis: Improbus ut si quis nostrum violabit agellum, Hunc tu,' &c. *Neapol.*

392 *Sed tamen apta Deo*] *Huic Deo* rectius octo ex melioribus. *Heins.*

393 *Festa corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi*] Nonno quoque κορυμβοφόρος dicitur: quomodo et κισσοφόρος idem dictus poëtis Græcis. Codices tamen vetustiores *racemiferi.* Met. xv. ' Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.' Pro *celebrabat* Petavii et Oxoniensis *celebrabas:* ut lib. III. ex veteri codice, ' Nondum tradideras victas victoribus artes Græcia.' At Farnesianus unus, *celebrabant.* Vide Notas ad Remed. Amor. vs. 164. *Idem.*

394 *Quæ solito tempore bruma refert*] Intelligit τριετηρίδας, Bacchi festum. Vide Herodot. lib. IV. de Gelono Budinorum oppido. Hic vero Noster locutus est ex sententia multorum, cum vere sacrum illud fuerit annuum. Trieteris enim nihil aliud erat quam tres anni quadrimestres, seu duo semestres. Censorin. cap. XIX. *Neapol.*

395 *Di quoque cultores in idem venere Lycei*] Ursini et Petavii liber cum multis aliis *Lyæi.* Mazarin. optimus cum tribus aliis vere, ut puto, *gelidi Lycei.* Sic Met. I. ' gelidi pineta Lycei' dixit, et lib. IV. ' gelidum Erimanthon.' Virgilius Ecl. x. ' gelidi fleverunt saxa Lycei.' Sequens distichon rectius huic præponatur. *Heins.* *Dii quoque cultores*] Dii Lycæum Arcadiæ montem incolunt, ubi est sedes Panos Lycæi: a quo Lycæa ludicra, quæ nos *Lupercalia* dicimus; de quibus latius in secundo.

396 *Quicunque loci non alienus erat*] *Mero alienus* Ursini codex et Naugerianus cum aliis nonnullis. Idem Ursini liber *locis* pro diversa lectione, quod Petavianus quoque et sex alii agnoscunt. Scribe *joci non alienus.* Di a jocis non alieni; quomodo Met. IV. ' atque aliquis de Dis non tristibus optat Sic fieri turpis:' et de Flora Fast. v. ' Non est de tetricis, non est de magna professis:' et postea: ' non est mihi credite, non est Illa cothurnatas inter habenda Deas.' Sallust. Catilin. ' Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat, neque aliena consilii propter Semproniam:' sic et Cicero non semel. Lucretius lib. III. ' Aut quia non veniunt omnino aliena salutis.' Lib. VI. ' Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena.' Idem, ' Quæ nisi respuis ex animo longeque remittis Dis indigna putata alienaque pacis eorum;' ita scribe: nam codices scripti *putare:* vulgati *putando.* Pont. I. 7. etsi aliter id sumi possit, ' Sim modo pars vestræ non aliena domus;' sic ἀλλότριος nunc cum tertio, nunc cum secundo casu apud Græcos jungitur. *Heins.*

399 *Silenus*] Redi ad Met. IV. vs. 26.

400 *Qui rubroque avidas*] *Quique rubro pavidas* rectius legas cum plerisque scriptis. Nisi malis *Quique ruber pavidas* cum Ursini libro et tribus aliis. Petavianus, *Quique rubro lividas.* Mendose Horatius de Priapo, ' Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus.' Infra, ' At ruber hortorum decus et tutela Priapus.' Et lib. v. ' At ruber hortorum custos.' Sic et

'rubicundus Priapus' ibidem dicitur, et 'ruber custos' Tibullo. *Heins.*

404 *Miscendas large*] Imo *parce*, ut decet in Bacchi convivio. Atque ita Vossian. Arundel. excerpta Politiani et duo alii codices. Ne dubita. *Idem. Miscendas parce*] Alii leg. *large*. In Græco convivio visum nostro meminisse Græcanicæ temperaturæ: de qua Hesychius, τὸ πάλαι, inquit, ἐκιρνᾶτο τρία ὕδατος λαμβάνειν, τὸ δὲ τέταρτον οἶνον. Sed certius, nullam fuisse communem omnibus Græcis certam κρᾶσιν. Lege Athenæum lib. IX. a cap. 6. ad 9. *Neapol.*

407 *Illa super suras tunicam collecta*] Hoc fere illud ἐκραγέντων χλανίδων ἔφαινε μηρόν. Iste priscus Nympharum cultus, qualem nunc spectamus in earum picturis, quibus brachia detecta et femora apparent. Ejusque vestis originem inde deductam suspicatur vir magnus, quod per initia caprinas pelles ad lumbos utrimque cinxerint, nodatas corio crurum anteriorum: merito igitur φαινομερίδες appellatæ. Quo etiam nomine dictæ mulieres Lacænæ, quod incedentes femora retegerent: sed eis id in usu, quia tunicarum pinnæ, tunc non assui solitæ, explicabantur. *Tunicam collecta ministrat*] *Succincta* duo veteres. *Heins. Super suras tunicam collecta*] 'Virginis arma Spartanæ.' Et mox, 'Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.' Virg. Æneid. I. Et deinde, 'Succinctam pharetra, et maculosæ tegmine Lyncis.'

408 *Dissuto sinu*] Λελυμένης ἐπωμίδος, soluta fascia pectorali. Hæc supra subuculam aptabatur. Apuleius II. Milesiar. 'Ipsa linea tunica mundule amicta, et russea fasciola prænitente, altiuscule sub ipsas papillas succincta.' Fuit illa fœminis usui, ut graciles fierent: ut ventrale ad cohibendum ventris tumorem. Glossæ, *ventrale*, κοιλιόδεσμος. *Neapol.*

409 *Vestes trahit*] *Vestem* meliores. *Heins.*

410 *Vincula nulla pedes*] *Vincula* pro calceis, tritissimum. Vates: 'unum exuta pedem vinclis.' Et unde Græcis ὑπόδημα, nisi ἀπὸ τοῦ ὑποδεῖσθαι, et aliud calcei genus καμψίον, a κάμπτειν, quod corrigiis et loris reticulatim vinciretur? de quo Hesychius: Καμψία, κανὰ, κανίσκια, κανάβια, κυνηγετικὰ, ὡς γύργαθοι, ἢ ὑποδήματα ποιά. Et illud dictum καμπάγιον, nostris *campagus*: cujus etymon evidens ἀπὸ τῶν καμπῶν. Vide Glossar. Gr. Barb. I. Meursii: Et ex his collige, antiquos calceis, ex eo quod vincirentur, plerumque nomina dedisse. *Neapol.*

411 *Incendia mitia*] Incutiunt dulces amoris ac libidinis stimulos.

415 *Hortorum Deus et tutela Priapus*] *Decus et tutela* Petavii et Ursini liber cum quatuor aliis; bene: sic lib. XIII. Metam. 'decus et tutela Pelasgi Nominis Æacides.' *Heins.*

416 *Ex omnibus illis*] Ex omni illarum numero. *Lotide*] Lotidos amore.

419 *Fastus inest pulchris*] Malo, *pulchræ:* aliquis sciolus interpolarat, ut sæpe alias. *Heins. Fastus inest pulchris*] Huc pertinent illa Petronii: 'Quia nosti venerem tuam, superbiam captas, vendisque amplexus commodius.' Hinc alter vocat 'fastosas mæchas' in suis Epigrammatis: 'Ad nocturna jacet fastosæ limina mæchæ.' *Neapol.*

420 *Despicit*] Facit se fastidii plenam. Recurres ad Epist. XVI. 97.

422 *Corpora victa sopore*] *Vincta* sex libri, de quo Met. XI. 239. Ursini codex *jacta;* pro *tacta* aut *jacta sopora*. Heins.

426 *Suspenso digitis gradu*] Primo pede metuens audiri. Sic, 'suspendere vota labello,' apud Catullum, est vix labra movere, eamdem ob caussam. *Neapol. Suspenso gradu*] Librato corpore. vs. 429. Sic Ter. Phorm. v. 6. 'Suspenso gradu placide ire perrexi: Accessi, adstiti, animam compressi,' &c.

428 *Ipse sui flatus*] *Ipsa aura* libri meliores. *Heins.*

435 *Territa consurgit*] *Consurgens* Ursini liber et unus Patavinus; rectius. *Idem.*

439 *Morte dedit pœnas, &c.*] Ob illud facinus, quia Nympham excitarat, asellus mactatus est: et inde Lampsaceni accepere morem asini Priapo mactandi. *Et hæc est*] Duo libri *hoc est;* unus Patavinus *hic est:* lego, *et hinc est.* Pro *Deo* mox unus Mediceus *mari;* ut *marem Hellespontiacum* vocet Priapum. *Heins.*

440 *Deo Hellespontiaco*] Priapo Lampsaceno: a Lampsaco urbe, quæ est in littore Hellesponti, in ora Asiatica, Priapi patria. *Paul. Hellespontiaco Deo*] A patria hoc epithetum: ' Ορνεάτης (sic illum vocat Euphronius Priapeiorum scriptor, in Strabone lib. VIII.) et alia, a locis ubi cultus. *Neap.*

443 *Et plumis ova fovetis*] *Quæ plumis* tres libri. *Heins.*

444 *Dulces sonos*] *Modos* Patavinus et multi alii. *Idem.*

447 *Ut proxima quæque est*] Rectius meliores τὸ *est* omittunt: *id falsum* Ursini liber, et alii nonnulli: duo *id falso:* vulgati *hoc falsum.* Idem.

448 *Nunc datis ore notas*] Quis non meminit in augurali disciplina aves fuisse oscines et præpetes? quæ sic dictæ, quia ore et penna auspicium facerent. *Neapol.*

449 *Volucrum proles*] *Volucris* tres scripti: sic 'turba volucris' de avibus Met. v. ex antiquis libris, 'nuper et istæ Auxerunt volucrem victæ certamine turbam.' 'Volucres pennæ' Art. Am. I. ex veteri libro. *Nunc denique* tres itidem scripti. *Heins.*

452 *Uritur in calidis alba columba focis*] *Ignitis focis* Mazarin. optime: sic 'ignitum aërem' dixit Prudentius Hamart. 'sulphure cum jam Nimboso ignitus cælum subtexitur aër:' usus quoque idem alibi ea voce non semel. 'Ignitum' quoque 'vinum' videor legisse apud Gellium. *Blanda columba* præterea sex scripti; ut in Amoribus, 'Oscula dat cupido blanda columba mari.' *Idem.*

453 *Nec defensa juvant Capitolia*] Scitum istud, quo auxilio tum urbs a Gallis liberata: in illius rei memoriam de suo ævo, inquit Plutarchus, in libello περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης· Πομπεύει δὲ μέχρι νῦν ἐπὶ μνήμῃ τῶν τότε συμπτωμάτων ἡ τύχη, κύων μὲν ἀνεσταυρωμένος, χὴν δὲ μάλα σεμνῶς ἐπὶ στρωμνῆς πολυτελοῦς καὶ φορείου καθήμενος. Tamen ejusdem exta dat Isidi in sacris.

454 *Inachi lauta*] Alii, *Inachi vacca:* Ursini liber *Inachi bacca:* alius *Baccha.* 'Inachiam bovem' vocavit Fast. XI. et 'Phariam juvencam' alibi non semel: 'vaccam Memphitidem' Propertius, si bene memini. *Heins.*

455 *Deæ noctis*] Lege *Deæ Nocti.* Nox enim Dea apud Poëtas. Neque aliter præstantissimus Ursini liber. Sequenti versu *provocat* meliores. *Idem. Cristatus ales*] De gallo gallinaceo non male Alcimus: 'Candida Phœbeo præfulgent ora rubore, Crista riget radiis, ignea barba micat. Alæ, colla, comæ, pectus, femur, ungula, cauda, Pœstanis lucent floridiora rosis. Flammea sic rutilum distinguit pinna colorem, Ut vibrare putes ignea membra faces.'

457 *Interea Delphin*] Ipsa luce Agonali, hoc est, v. Idus oritur Delphin ἡλιακῶς. Id Cæsari apud Plin. est pridie Nonas, lib. XVIII. 36. *Neapol. Clarum super æthera sidus*] Scripti præstantiores *æquora.* Heins.

459 *Medio discrimine signat*] Parum certo oculo hoc discerno, et ambigo de vero: nam Noster quarto Idus Januarias mediam hiemis partem hic facit: ac sic Columella de Re rustica lib. XI. 'Tertio nonas Januarii Cancer occidit, tempestas varia; pridie Nonas Januarii media hiems, Auster multus, interdum pluvia.' *Idem.* Censet tabula illa edita sub nomine Ptolemæi. *Neapol.*

461 *Proxima prospiciet*] III. Idus celebrabantur publice Carmentalia (feriæ erant stativæ); sed in qua urbis parte? Ego opinor sub Capitolio apud Carmentalem portam: ibi Carmentæ ara fuit antiquitus constituta. Vide Dionys. Halicarn. lib. I. Antiq. Καὶ γὰρ Εὐάνδρῳ θυσίας. In Kalendario Constantini notatur hoc festum, DIES CARMENTARIORUM. *Neapol. Tithono Aurora relicto*] *Nupta* Ursini, Petavii, Mazar. et tres alii libri; bene: lib. VI. 'Jam Phryx a nupta quereris Tithone relinqui.' *Heins.*

463 *Æde recepit*] Ad aquam Virginem. Consentiunt Urbis antiqui topographi, Victor et Rufus: et Frontinus de aquæ ductibus Romanis de hac eadem capiendus in his: 'Ædicula fonti apposita hanc Virginem pictura ostendit.' Ista ea fortassis est, a qua nomen aquæ inditum. *Neapol.*

464 *Campus*] Martius. *Aqua virginea*] Hanc aquam M. Agrippa, in urbem perduxit, in agro Lucullano collectam. Virgo appellata est, quod quærentibus aquam militibus puella quasdam venas monstravit: quas sequuti qui foderant, ingentem aquæ copiam invenerunt.

467 *Ipsa mone*] Malim *Nympha, mone.* Sic infra de Carmenta vs. 633. 'Sive fugæ comites, Mænali nympha, tuæ:' ubi plura. Lib. III. 'Nympha, mone nemori stagnoque operata Dianæ.' Heins. *A carmine ductum*] Haud dubie a nostris patribus Carmenta a carmine dicta. Vide Plutarch. ἐν αἰτίοις. Τὴν δὲ Καρμένταν οἱ μὲν Εὐάνδρου μητέρα, &c. Nec aliud sibi vult numisma illud, quod Carmentam revelat in hunc modum: caput habet muliebre vegeta forma; comam inceptam, a fronte et a facie rejectam, premit corona ex fabarum foliis atque foliculis apte contexta; cincinnis sub eadem per collum defluentibus, citharam appositam respicit, ut vatem dicas, et nummus cusus fuit Q. Fabio Maximo, ut ex inscripto nomine perspicio: nec fortuito huic mater Euandri a dorso denarii incisa; nam a Carmenta illustrem Fabiorum familiam et sunt qui deducant.

469 *Orta prior Luna*] Sic illa commenta est. Vide Clem. Alexandr. in admonitione ad Gentes. Minor fuit insania Atheniensium, qui se αὐτόχθονας credidere: hi vero, ut in hujus rei indicium, cicadas aureas in capillorum cincinnis gestabant, teste Apostolio in Proverbio τεττίγων ἀνάμεστοι, Centur. XVIII. Arcadibus lunulæ in calceis usui fuere, Romanis postea ad hanc nobilitatem respicientibus. *Neap. Orta prior luna, &c.*] Arcades olim ausi sunt Antelunares se dicere, et solos se nobiles prædicare: unde a Græcis προσέληνοι vocantur. Ex quo factum putatur, ut apud Romanos qui nobilitate præstabant, lunulas in calceis ferrent. Mos autem fuit Græciæ populis, in alienas ire terras, quas fertiles esse cognoverant, et eas habitare, pulsis veteribus incolis. Sed quoniam soli Arcades ob sterilitatem agrorum pulsi non sunt, ideo se vetustate ac nobilitate cæteris præstare dixerunt.

470 *Habet nomen a magno Arcade*] Denominatur Arcadia ab Arcade, Jovis et Themistus aut Calistus filio. Verum Arcadia nominata est aliquando Pelasgia, aliquando Parrhasia, aliquando Lycaonia.

471 *Hinc fuit*] *Hic fuit* meliores: sic Met. V. 'Hic fuit, a cujus stagnum quoque nomine dictum, Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas.' Lib. XV. 'Vir fuit hic ortu Samius.' *Heins.*

473 *Æthereos ignes*] Ignis æthereus, ἡ μανία, ὁ ἐνθουσιασμὸς, qui eisdem est φόβος. Hesych. Φοβήσας, ἔνθουν ποιήσας. *Neap.*

474 *Ore dabat pleno carmina vera*

Dei] Lege, *Ore dabat vero carmina plena Dei:* quomodo Mazar. Voss. Arond. et tres alii; atque ita ex conjectura Scaliger. *Heins.*

476 *Multaque præterea*] Alter Puteaneus pro diversa lectione *præterito.* Unus Ambros. *Multa:* vix dubito Ovidium nostrum scripsisse, *Multam præterito tempore nacta fidem:* 'præterito tempore' ut lib. VI. 'Ablue præteriti perjuria temporis, inquit. Ablue præterito perfida verba die:' ubi duo veterrimi codices *præterea die*, similiter. *Idem.*

477 *Nam juvenis*] Euander. *Fugatus*] Dissensione et seditione civili. *P. Nimium vera cum matre*] Pari significatione dixit in Epistolis: 'Ah nimium miseræ vates mihi vera fuisti!' *Neap.*

478 *Deserit Arcadiam*] *Arcadium* Strozzæ codex; quod præstat: larem intellige. *Heins.*

480 *Siste, precor, lacrymas*] *Siste, puer*, vetustæ editiones cum quinque scriptis. *Idem.*

482 *Offenso Deo*] *Infenso* Matthæus Herculanus ex veteri libro notarat in codice suo; quod et marginem quarundam editionum occupavit. Sed vulgata lectio bene se habet. Cydippe, 'Nam pudet, et timeo, quamvis mihi conscia non sim, Offensos videar ne meruisse Deos.' *Idem.*

486 *Spemque metumque*] *Spemve metumve* malo. *Idem.*

489 *Ex quo exul*] In Bœotia sedem sibi delegit, Thebasque condidit. *Qui quondam pulsus*] A patre scilicet. *Ab oris Tyriis*] A Phœnicia, seu a Tyro clarissima Phœniciæ urbe. *Paul.* Vide Ovid. Met. III. Hanc raptam a Jove fabulantur Mythici, sed vere piratæ aliquot Cretenses fuere. Vide Herodot. lib. I.

490 *In Aonia constitit*] Nam desperata sororis salute, Bœotiam habitare decrevit: ea ab antiquis incolis Aonibus sic dicta. Vide Strabonem lib. IX. *Neap. In humo Aonia*] In Bœotia.

491 *Iason Pagasæus*] Thessalicus, a Pagasis in Thessalia. *Paul. Pagasæus Iason*] Ille ob cædem Menalippi fratris fugit ad Argivos: Jason interfecto Pelia Corinthum abiit. Πεγασαὶ, sive, cum Plinio, Pagasa, Thessaliæ oppidum: unde sinus Pagasicus; Græcis, Παγασιτικὸς, seu Παγασικὸς, ut habent Mss. Strabonis.

493 *Omne solum forti patria*] Euripideum illud expressit: Ἅπας μὲν ἀνὴρ αἰετῷ περάσιμος. Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς. Excelso vir animo contristari exsilio non debet. Et unde initia et principia cujusque gentis, nisi ex totidem exsulibus? Vide Senec. Consolat. ad Helviam. *Neap.*

494 *Ut volucri*] Δεῖξόν μοι, τί διαφέρει οἰκία ἀνθρώπου, καὶ νεοσσιὰ πελαργοῦ, ὡς οἴκησις. Arrian. Epict. lib. I. 28. *Et volucri*] Ut avibus patria est. *Vacuo quicquid in orbe patet*] Hoc est, in aëre.

495 *Errat in anno*] *Horret* legendum cum Ursini libro et Mazar. et quinque aliis. Noster in Ibide, 'At cum tristis hyems Aquilonis inhorruit alis.' Festus Avienus Prognosticis, 'Cum madefacta dies sub tempestatibus horret:' et Germanicus Arateis, 'Frigidus ac rapidis horrebit Aquarius Euris.' Lucanus lib. IV. 'Pigro bruma gelu siccisque Aquilonibus horrens:' ubi *hærens* perperam legitur. Virgilii illa respexit 'horrida cano Bruma gelu.' Hinc 'horrida tempestas,' et 'hyems horrida,' passim apud Poëtas. *Heins.*

496 *Tempora veris erunt*] Πρῶτα μὲν εἰρεσίῃ, μετέπειτα δὲ κάλλιμος οὖρος. Homer. Odyss. Λ. vs. ultimo. Et Eurip. Elect. Μόλις προβαίνουσ' ἡ τύχη, σταίη καλῶς. Ergo, ἀντελπίζειν Thucyd. I.

497 *Et firmus mente parentis*] *Firmata mente* meliores; recte. Met. III.

'mentem firmat Deus, Excute, dicens, Corde metum.' In mortem Drusi, 'Firmavitque animum, destituitque preces.' *Heins.*

498 *Nave secat fluctus*] Navigat Ionium et Tyrrhenum æquor. *P. Italiamque tenent*] Quo anno ii in Italiam venere, disce ex Dionys. Halicarn. lib. I. Antiq. Origo gentis Romanæ: 'Regnante Fauno, ante annos circiter LX. quam Æneas in Italiam deferretur, Euander Acas, Mercurii et Carmentis Nymphæ filius, cum matre eodem venit.' Tunc ad rudes Italos litteræ translatæ. Nescio an auctor Euander filius, seu Nicostrata mater. Antiqui versus: 'Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas: Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.' Marcus Victorius scribit, tantum cum Euandro ad nos translatas XVI. postea quasdam a Palamede et Simonide adjectas. Sed apud Euripidem Palamedes ipse totam scribendi rationem sibi attribuit. Vide Joh. Tzetzen Chiliad. X. hist. 332. *Neapol.*

500 *Egerat*] Multi ex melioribus *Vexerat;* forte pro *Rexerat.* Heins. *Obvius ibat aquis*] Ex Virg. VIII. 'Adversum remis superes subvectus ut amnem.'

501 *Vada juncta Tarenti*] Ita editi et scripti fere omnes, manifesto errore; meliores pauci *Terenti:* vide Festum in ea voce. *Heins. Illa*] Carmentis. *Aspicit latus fluminis*] Dextram Tyberis ripam. Terentum aliqui esse putant inter Palatium et Aventinum, locum in quem Carmentis desiliit. *Paul.*

502 *Per loca sola*] Sedes Aboriginum. *Neap. Solas per loca sola casas*] *Sparsas casas* scripti plerique: sic 'sparsi lata per arva greges' lib. II. et lib. IV. 'sparsi per nemus omne Dei.' Ita et 'sparsa mapalia,' et 'dispersa mapalia,' apud auctores: 'sparso concita mapali Agrestum manus,' Val. Flacco lib. II. *Heins.*

506 *Pinea texta*] Hoc est, navim. Loquendi modus antiquus: in XIV. Metamorph. 'Fert ipse avidas in pinea Turnus Texta faces.' *Neap.*

507 *Properans insistere ripæ*] Vetustiores magno numero *terræ;* et recte: nam alterum paulo ante præcesserat. Sequenti versu pro *Evandri manu* legendum puto *Evandra:* ut infra lib. III. 'Telegona manu:' et lib. IV. 'Parthi manu' pro Partha. Posset et legi, *Vix, Evandre, tua vixque retenta manu est.* Heins.

510 *Novos cœlo terra datura Deos*] Leucotheam et Herculem: ni malis Romulum et duos primos Cæsares. *Neap.*

512 *Et nemorum Nymphæ*] *Sylvæ* scripti fere omnes meliores; nimirum *divæ* legendum, quod tres codices agnoscunt. Dryadas intelligit. Gratius initio, 'Adscitæque tuo comites sub numine Divæ Centum omnes nemorum, centum de fontibus omnes.' Posset et legi *Et nemora, et sylvæ:* quæ duo etiam distinxit Amor. lib. III. 8. 'Sed nemora et sylvæ crimina vestra tegunt.' Ita sylvas etiam alloquitur apud Val. Flaccum Jason lib. V. 'Vos etiam, sylvæ, vos Colchidos hospitis oram Pandite:' perperam *ore* vel *ora* illic in vulgatis. *Heins.*

515 *Fallor, &c.*] Nunc incipit vaticinari. *An hi colles, &c.*] An his collibus magna urbs surget. Etenim septem colles complexa est urbs ipsa, Palatinum, Capitolinum, Aventinum, Cœlium, Exquilinum, Viminalem, Quirinalem. *P.*

516 *Cætera terra petet*] *Petent* Zulichemianus antiquissimus: vide notas Rem. Am. vs. 164. *Heins.*

517 *Totus promittitur orbis*] Ἐς καλὸν ᾤχετο πύργος ὁ Τρώϊος, ἡ γὰρ ἐν ὅπλοις Ἠγέρθη κόσμου παντὸς ἄνασσα πόλις. Bassus in Anthol. 'Omnia sub pedibus vertique regique videbunt,' Virgil.

519 *Dardaniæ pinus*] *Dardaniæ* li-

bri quatuor. Puto *Dardanides;* adi Notas lib. I. Artis vs. 172. *Heins.* *Tangent hæc littora pinus*] Ad Æneæ adventum post annos LX. Sed mirum quod vates hanc felicissimam Monarchiam præviderint. Exstat vaticinium Cassandræ apud Lycophronem.

520 *Caussa novi fœmina Martis*] Lavinia. *Neap.*

521 *Funesta quid induis arma*] Prædicit et cædem Pallantis: sed Turnus occisor cadet, inquit, Æneæ dextra. *Neap.*

523 *Victa tamen vinces*] Ennius Annal. XIV. 'Quei neque Dardaneis campeis potuere perire; Nec, quom capta, capei; nec, quom combusta, cremari.' Ex quo Virgil. VII. 'num Sigeis occumbere campis, Num capti potuere capi? num incensa cremavit Troja viros?'

526 *Nunc minor hic toto est altior orbe cinis*] *Non minor* multi scripti: alii *Num minor:* Ursini liber et duo alii, *Non minus:* Zulich. *Nec minus:* tres, *Num minus;* bene: vide notas Epist. XI. 19. *Heins.*

527 *Sacra et sacra altera patrem*] *Sacra altera et altera patrem* unus Vaticanus. *Idem.*

528 *Iliacos accipe, Vesta, Deos*] De templo Vestæ intelligit, quod postea Numa condidit: ubi servata sunt sacra Trojana, et Palladium, et Dii penates.

529 *Tempus erit, &c.*] Hoc ad C. Cæsarem refertur; qui et Pontifex maximus, et sacerdos Vestæ, curam erit illorum habiturus, et orbi imperaturus, et referendus in Deos.

531 *Tutela manebit*] *Manebis* unus Mediceus probæ notæ; venuste. *Heins.*

533 *Nepos*] Germanicus. *Et natus*] Tiberius filius. *Dei*] Augusti. *Paul.* *Inde nepos natusque*] Notavit id Dio lib. LVII. sub initium, et Suetonius in eodem Principe. *Neapol.*

534 *Licet ipse recuset*] Quamvis ipse Tiberius recusaturus sit imperii molem.

536 *Sic Julia*] Aut Livia Augusta. *Erit novum numen*] Nova Dea. *Paul.* *Julia numen erit*] Hæc secunda Cæsaris Augusti conjux, quæ prius dicta Livia Drusilla, postea mariti adoptione in Juliorum domum admissa; unde in posterum ei nomen fuit Julia Augusta: quam a nepote Claudio consecratam tradit Suetonius lib. V. 11. et Dio Cassius lib. LX. Habuit et præter Virgines vestales, suam Flaminicam. Et passim in Inscriptionibus antiquis litatum Juliæ videmus, ut in his Fragmentis Fratrum Arvalium: DIVO AUGUSTO BOVEM MAREM, DIVÆ AUGUSTÆ VACCAM. Si hi honores a Claudii ævo mortuæ Liviæ: at fere omnes filius Tiberius per modestiam imminuit, addito, ne cælestis religio decerneretur. Adi Tacitum sub initium Annalis V. *Neap.*

537 *Talibus ut dictis nostros descendit in annos*] *Talibus auspiciis* Arund. et tres alii. At Ursini. Zulich. Mazar. Nauger. Voss. et tres alii, *Talibus auspiciis nostros descendit ad agros.* 'Dicta' hic pro vaticiniis sumsit: vide notas in Epist. V. 33. *Heins.*

541 *Nec mora longa fuit*] *Subit* puto, quia paulo ante præcesserat *fuit:* nisi illic mavis, *Felix, exilium cui locus ille suum!* Idem.

543 *Boves illuc applicat*] Malim *appulit:* ut lib. V. 'huc captas appulit ille boves:' et lib. VI. 'Appulerat ripæ vaccas Œtæus Iberas.' Pro *heros* unus Patavinus *oras.* Forte *illuc oræ.* Idem. *Applicat illuc*] In Latium, apud Pallantium. *Boves Erytheides*] Armenta Geryonis: ab Erythia insula in extrema Hispania. *Paul.* *Ecce boves*] Paulo post Arcades quarta Græcorum classis in hanc Italiæ partem venit, duce Hercule. Vide Halicarnass. *Erytheidas*] Statim explodes editiones in quibus *Erythreidas,* ubi leges Strabonis verba lib. III. Ἐρυθεῖαν δὲ τὰ Γάδειρα ἔοικε λέ-

γει ὁ Φερεκύδης, &c. Sed hoc parum obest; nam insulæ Gadibus adsitæ, sub uno Erytheæ nomine nuncupatæ. *Neapol.*

544 *Claviger*] Hercules clavam ferens. *Emensus iter longi orbis*] Quasi emensus orbem longo itinere. Nam ex Creta, ubi exercitum paravit, in Ægyptum trajecit: et peragrata Libya in Hispaniam venit, et inde in Italiam.

545 *Dum domus Tegeæa*] Domus regis Arcadici: a Tegeæa urbe quæ est in Arcadia. *Est huic*] Herculi. *Hospitium*] Quasi dum hospes ab Euandro retinetur. *Paul.*

546 *Lata per arva*] *Læta* Ursin. Mazar. Zulich. et quatuor alii; recte: sic lib. IV. 'Sacrarumque Melam pascua læta boum.' Fast. lib. V. ut codices duo veterrimi agnoscunt, 'Omnia tentabo lætis medicamina terris.' Et Amor. III. 5. 'Carpebant tauri pabula læta procul.' Mox *sentit* pro *sensit* meliores itidem. *Heins.*

547 *Heros Tyrinthius*] A Tyrintho oppido in Bœotia, in quo natus est.

550 *Traxerat aversos Cacus in antra ferox*]. Alii codices *boves.* Sed *aversos feros* est scribendum; ut recte unus Farnesianus: vide Notas Ep. IX. 114. *Heins.* *Cacus*] Latro: qui ab ipsa re dictus est Cacus.

551 *Aventinæ timor, &c.*] Incolebat Cacus Aventini montis sylvam, quam suis grassationibus et formidandam reddebat et infamem: eratque tam vicinis quam peregrinis infensus.

553 *Dira viro facies*] Tres apud me veteres, *Dura viro facies.* Ego quidem hic malim *dira:* licet *durus* sit idem ac ἰσχυρὸς καὶ καρτερός· nam vires statim commendat. *Neapol.*

554 *Mulciber*] *Mulcifer* multi ex vetustioribus, quomodo sæpe apud nostrum aliosque in antiquissimis membranis occurrit. *Heins.*

556 *Abdita*] *Obdita* Ursini codex. Videantur quæ noto Art. Am. II. 636. *Idem.*

559 *Jove natus abibat*] Petavianus *abibas;* ut Jove natus pro nate dixerit. *Idem.*

561 *Accipio, Revocamur ait*] *Accipio revocamen* Petavianus, Nauger. Ursin. Arondel. et multi alii: vide notas ad Epist. XIII. 135. Sed et vulgata ferri potest. Valer. Flaccus lib. I. 'Accepere Deæ; celerique per æthera lapsu Diversas petiere vias.' Sequenti versu, pro *victor*, recte etiam vetustiores libri *ultor.* Virgil. in hac eadem narratione, 'nam maximus ultor Tergemini nece Geryonæ spoliisque superbus Alcides aderat.' *Id.* *Accipio revocamen, &c.*] Mugitum inclusarum sequutus Hercules ad speluncam venit.

564 *Vix movissent*] Movere potuissent. *Illud onus*] Saxum. *Bis quinque juga*] Hoc est, decem jugatorum boum paria.

565 *Humeris*] Arondelianus, *Nititur hic humero; cœlum quoque sederat illi.* Heins.

567 *Quod simul eversum est*] Primæ editiones et scripti quinque *evulsum:* Neapolis malit *avulsum.* Cum τὸ *est* a nonnullis absit codicibus, scribendum puto *Quo simul avulso,* vel *averso;* ut et Met. IX. 'Quo simul evulso sanguis per utrumque foramen Emicuit;' nam unus ex meis *Quo simul evulsum:* et lib. VI. 'Quo simul educto pars est pulmonis in hamis Eruta:' et utroque loco τὸ *est* in multis scriptis desiderabatur: nisi mavis *Cui simul:* vide Notas Amor. lib. I. 4. vs. 1. In Tristibus 'simul nobis habitare' dixit, pro cum nobis; ita enim libri veteres: sæpe in his elegantiis peccatum. *Idem.* *Quod simul eversum est*] Alii leg. *Quod simul evulsum est.* Virgilius in re simili 'avulso' usus: unde sic malim in nostro legere, *Quod simul avulsum est.* Nec ambigo ita a germana manu olim scriptum. *Neapol.*

568 *Ictaque subsedit pondere mollis humus*] *Pondere molis* primo legendum

cum castigatioribus scriptis. Deinde pro *Icta*, quidam ex melioribus *Jactaque;* tres *Laxaque;* duo *Læsaque;* Zulich. *otaque*, sic ut prima litera desideretur. Vulgatam non muto. Trist. I. 9. de navi: 'nec sævis icta fatiscit aquis:' et 'icta hostia' pro percussa Metamorph. Dicentur plura mox vs. 720. *Heins.*

569 *Collata prælia dextra*] T. Lucretius lib. v. apte ad rem: 'Arma antiqua, manus, ungues, dentesque fuerunt, Et lapides, et item sylvarum fragmina rami.' *Neap.*

571 *Patrias ad artes*] Vulcani nempe filius, flammarum vomitu arcere Herculem tentat. Hæc pleraque ex Æneid. VIII. 'Ille autem, (neque enim fuga jam super ulla pericli est,) Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu, Evomit, involvitque domum caligine cæca,' &c.

575 *Occupat Alcides*] Curtius lib. IX. 'Jussit quatuor admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram.' *Clava trinodis*] Sic describitur a Poëtis hæc Herculea, non levis seu polita, sed rustica et inculta. *Neap.*

579 *Taurum tibi, Jupiter*] Post boves inventos aram exstruit Jovi inventori, et unum e juvencis mactat. Vide Dionys. lib. I. *Neap.* *Tibi, Jupiter*] Similiter Virgil. VIII. 'tibi enim, tibi, maxima Juno, Mactat, sacra ferens.'

581 *Constituitque sibi*] Hanc dictam a Pontificibus Maximam, non ipse sibi constituit, in quo Naso fallitur, sed Evander Herculi dicavit; ob ea quæ a matre Carmenta didicerat. Vide Dionys. *Neap.*

582 *Hic ubi pars urbis de bove nomen habet*] Ubi est forum boarium: quod forum ita appellatum volunt aliqui quod ibi bovem Hercules immolaverit. Alii ab ænea bovis statua, quæ ibi posita erat.

583 *Evandri mater*] Carmentis.

584 *Quo tellus sit satis, &c.*] Nam Hercules tellurem monstris purgavit.

586 *Sic Dea*] Ipsa relata in Deas. *Possidet hanc diem*] Quæ est tertia Iduum.

587 *Idibus in magni, &c.*] Idibus Januariis immolatur Jovi vervex, diesque illa relata in Fastos: in ea enim Octavius Cæsar, Augustus cognominatus est. *P.*

589 *Populo provincia nostro*] Eadem luce, anno Urbis conditæ DCCXXVI. post orationem illam simulatam, habitam a Cæsare Octaviano de deponendo imperio, redditæ senatui et populo omnes pacatæ provinciæ; quæ vero nondum sedatæ, a Cæsare retentæ: sed in has omnes imperium tantum decennale voluit: hoc finito, aliud et aliud quinquennium decretum, inde rursus decennium; adeo ut toto ævo imperium tractaverit. Vix in mentem interpretibus venit, hoc sibi velle Nasonem in hoc versiculo. *N.*

590 *Et tuus avus, &c.*] Hoc est, Cæsar Octavius, Tiberii ex adoptione pater, et avus tuus, o Germanice. *Augusto nomine dictus avus*] Sed aliter Censorinus, qui rejicit in XVI. Kalendas Februarias; Orosius, qui in VIII. Idus Januarias, qui magis ad nostrum accedit; et priscus hic lapis: VII. IDUS JANUARIAS, QUA DIE PRIMUM IMPERIUM ORBIS TERRARUM AUSPICATUS EST, THURE, VINO SUPPLICENT. Tu adhære cui voles, ego a Nasone non recedam. His ergo Idibus datum Octaviano Augusti cognomen: Romuli sibi imponere animus erat, ni suspectus affectati regni fieret. Vide Dionem lib. LIII. Hinc postea omnes fere subsecuti Principes nomen illud usurparunt. Sed plerisque odio fuit. Quidam Germanici, quidam tantum Cæsares, quidam Antonini dicti: sed nemo æquavit Caligulam, qui teste Dione, ποτὲ δὲ τοῦ δήμου βοήσαντος, νεανίσκε Αὔγουστε, ὑβρισθῆναι ἐνομίζετο.

591 *Perlege dispositas ceras*] Subindicat clypeos seu thoraces, qui Græcis δίσκοι καὶ ὅπλα. Τὸ vero *perlege* ostendit, in basi nomina gestaque cujusque subscripta: et certe ita fuit. Vide

Val. Max. lib. v. 8. Titulus, est index et ἔλεγχος rerum gestarum. *Annosa per atria*] Libri aliquot habent, *generosa;* quidam *cinerosa,* qui respiciunt ad culinas, sitas in atriis. *Neap. Perlege*] Oculis perlustra. *Ceras dispositas*] Statuas cereas. *Per atria annosa*] Per antiqua nobilium atria, nobilitatem generis, et clarissima facta referentes. *Cinerosa per atria*] De cinerosis atriis nugæ: primæ editiones et scripti plerique castigatiores *generosa atria;* probe: sic infra lib. II. 'Quo ruitis generosa domus:' et in Pont. 'O qui, nominibus cum sis generosus avitis, Exsuperas morum nobilitate genus:' duo nostri minorum gentium, *numerosa atria;* totidem *annosa;* quod nollem secutus esset Neapolis. *Heins.*

592 *Contigerant*] Alii *Contigerint:* Petavii veterrimus *Contigerunt;* bene: quomodo et Scaliger conjecerat. *Idem. Nulli viro*] Nulli unquam ex Romanis ducibus.

593 *Africa victorem, &c.*] Ut magis illud Augusti cognomen extollat, refert etiam, unde alii cognomenta acceperint: nam plerumque a victis gentibus fuere tradita. *Africa victorem de se*] P. Cornelius Scipio, ab Africa devicta Africani meruit cognomen. *Alter*] Hoc est, P. Servilius Isauricus. *Isauras opes domitas*] Potentiam Isaurorum populorum, quos vicit, et multas eorum urbes expugnavit.

594 *Aut Cretum domitas*] Iste Qu. Metellus Creticus. Florus III. 7. de hoc: 'Nec quidquam amplius tamen de tam famosa victoria quam Cretici cognomen reportavit.' Imo etiam triumphavit, licet non adeo magna pompa: nam duces captivos subduxerat Pompeius (ornamentum erant victoriæ), de quo juste ait questum Q. Metellum Paterculus lib. III. Vide et Dionem.

595 *Hunc Numidæ faciunt*] Hic etiam ex familia Metellorum: patrem habuit L. Metellum Calvum Consulem anno DCXI. Marmora Capitolina: Q. CÆCILIUS L. F. Q. METELLUS AN. DCXLVI. NUMIDICUS PROCOS. DE NUMIDIS ET REGE IUGURTHA....Rosit longa ætas voculam *triumphavit:* nam Eutropius bis de eodem Rege triumphatum tradit lib. IV. semel ab hoc Q. Metello, et iterum a Caio Mario. Paterculus II. Historiæ: 'Metelli tamen,' inquit, 'triumphus fuit clarissimus, et meritum virtutique cognomen Numidici inditum.' *Illum Messana superbum*] Legant studiosi quæ Scalig. notavit ad Eusebii Chron. num. MDCCXLII. *Neapol. Hunc*] Cecilium Metellum, qui Jugurtham per injurias Numidiam occupantem fudit, et universam Numidiam vastavit: inde Numidicus cognominatus est. *Messana*] Quæ urbs est in Sicilia. Nam Valerius Maximus, postquam Messanam nobilissimam Siciliæ urbem cepit, *Messala* cognominatus.

596 *Ille*] Scipio Æmilius. *Traxit notam*] Titulos et cognomentum. *Ab urbe Numantina*] A Numantia nobilissima Celtiberorum civitate. *Paul. Ille Numantina*] Numantia excisa et deleta anno DCXXII. a Scipione Æmiliano Africano, veteris Africani nepote: qui meruit etiam sic dici, ob victoriam de Pœnis et Asdrubale anno DCVII. Ab ea igitur urbe Numantinus etiam cognominatus. Appian. in Iberica vide.

597 *Et mortem et nomen*] Id vero post mortem. Vide Dionem lib. LV. *Neapol. Et mortem et nomen, &c.*] Drusus Tiberii frater, et Germanici pater, cum inter Salam fluvium et Rhenum adversus Germanos belligeraret, victor oppetiit. *Mortem et nomen Druso Germania fecit*] Patri tuo: quia mortuus in Germania, et Germanicus appellatus.

598 *Me miserum virtus*] Jure: nam facit Paterculus adolescentem 'tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel in-

dustria percipit,' &c.

599 *Tot sumet nomina*] *Sumat* meliores: et mox *torquis ademtæ* pro diversa lectione Ursini liber, et quinque alii cum Arundel. plures *adeptæ*, vel *adepti: adeptæ* Zulich. ut apud Propertium, 'Torquis ab incisa decidit unca gula.' Atque ita Quadrigarium et Varronem locutos monet Nonius in ea voce. *Heins.*

601 *Aut torquis ademptì*] Denotat Manlium Torquatum, Valerium Corvinum, et sequenti disticho Pompeium Magnum: quorum tituli in ipsorum posteros translati. Legi tamen olim ademptos his familiis a non bene sano Caligula. Vide Sueton. IV. 35.

604 *Sed qui te vicit, nomine major erat*] Hoc est, major omni nomine ac titulo: at codex Ursini, Voss. Zulich. Mazar. et multi alii, *te quoque major.* Quare fuit cum legendum censerem, *se quoque major erat;* ut occulte tangat clementiam Cæsaris, qua victis hostibus ignovit. Noster Epistola Briseidis, 'Vince animos iramque tuam, qui cætera vincis.' Nota et ista Claudiani, 'Tandem vince tuum, qui vincis cuncta, pudorem.' Et Martialis ad Domitianum, 'Ducum victor, victor et ipse tui:' nam, 'Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit Mœnia.' Succurrebat et altera conjectura, *re quoque major erat;* ut rem et nomen inter se opponat, quomodo et alibi sæpe. Idque ipsum viro elegantis tersissimique ingenii Gaspari Gevartio in mentem venerat: sed vulgatæ lectioni controversiam non esse movendam nunc judico. *Heins. Sed qui vicit te*] Cæsar, a quo bello Pharsalico superatus es. *Erat te quoque major*] Quia te et scientia militari, et virtute, et fœlicitate superavit.

605 *Nec gradus est Fabios supra*] *Ultra Fabios* meliores omnes: sic Seneca initio Suasor. 'Non magis quicquam ultra Alexandrum novimus, quam ultra Oceanum.' *Heins.*

609 *Sancta vocant augusta patres*] Non absimilia his sunt illa Dionis lib. LIII. Πάντα γὰρ, inquit, τὰ ἐντιμότατα, καὶ ἱερώτατα αὔγουστα προσαγορεύεται, &c. *Augusta vocantur Templa*] Nam locus ubi templum extruendum per augures prius constituitur, simul constitutus dici potest Augustus, et Diis consecrari. Ad hanc mentem Festus: 'Augustus,' inquit, 'locus sanctus ab avium gestu, &c. sic dictus, sive ab avium gustatu, quia aves pastæ id ratum fecerunt.'

610 *Sacerdotum*] Id est, pontificum: præibant enim illi verbis solennibus in dedicatione cujusvis templi. Vide Livium lib. IX. de Cn. Flavio. Varronem de L. L. lib. V. 'Sic enim ædes sacra a Magistratu Pontifice præeunte dicatur.' *Rite dicata manu*] Non dubie, morem illum tangit, cum postem manu tenebat Pontifex, dum ara aut fanum sacrabatur: quem Valerius insinuat lib. V. 10. Idem testatur Senec. de eodem, Consolatione ad Marciam. *Neap.*

611 *Ab origine hujus verbi*] Augusti. Nam et augurium et augustum deducuntur ab avium gustu gestuve.

614 *Protegat et nostras*] Omnino *vestras fores* scribendum cum vetustioribus. Tristium III. 1. 'Cur tamen apposita velatur janua lauro, Cingit et augustas arbor opaca fores?' Unus tamen Vaticanus *meritas fores;* eleganter. *Heins. Protegat vestras fores*] Quasi sit in vestris foribus clementia. Nam hæc civica corona, et militum virtutis et clementiæ principum insigne clarissimum erat. *Paul. Querna corona fores*] Quæ eodem die cum Augusti cognomine Octaviano a Senatu concessa. Dio lib. LIII. Huc spectant nummi eidem cusi, quidam cum corona ex hac fronde, et hisce literis, OB CIVES SERVATOS: quidam cum aquila tenente unguibus quercum, et duobus arbusculis a latere (lauri sunt): alii cum orbe et iisdem ramulis, sed hacce inscriptione: PAX ORBIS TERRARUM. S. P. Q. R.

615 *Tanti cognominis heres*] Intellige Tiberium. Vid. Sueton. lib. III. 26. *Neapol.*

616 *Omine suscipiat, quo pater, Urbis onus*] *Orbis* vetustiores plerique. Met. xv. 'Ut Deus accedat cœlo, templisque colatur, Tu facies natusque suus, qui nominis hæres Impositum feret orbis onus;' sic scribendum puto: nam Medicei duo, *urbis onus:* vulgo *unus onus*. Trist. lib. v. 'O vir, non ipso quem regis orbe minor.' *Heins.*

617 *Respiciet Titan*] XVIII. Kalendas Februarias fiunt rursus sacra Carmentalia; non iterum priori Carmentæ, sed ejusdem duabus sororibus: quarum una Porrima, altera Postverta nominata. Causa novati sacri subsequitur. *Neapol.*

618 *Fient sacra relata*] Iterum lata. *Deæ Parrhasiæ*] Carmenti Arcadiæ.

619 *Matres*] Datus nuptis hic honos paulo post captos Veios. Assignanda erat Apollini decima urbis et agri capti, quam voverat in eo bello Camillus: negotium datum Tribunis militum consularibus, cumque in ærario copia non exstaret, 'Matronæ,' inquit Livius lib. v. 'cætibus ad eam rem consultandam habitis, et communi decreto pollicitæ Tribunis militum, aurum et omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maxime Senatui unquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque carpentis festo profestoque uterentur.' *Carpenta vehebant*] Hæc similia canathris Spartanarum virginum; de quibus Didymus: αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν τῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται. Potuisset etiam hic scribere, ἐπὶ καμαρῶν: nam hujusmodi vehicula καμάρας legi dicta a Polluce lib. x. cap. 12. Erat enim κάνθρον currus ligneus tectus, velut basterna, quam exponit Isidorus *tectam manualem:* at hæc rotarum adminiculum non habuit, et a servis sive pari burdonum portabatur. *Neap.*

620 *Ab Euandri dicta parente reor*] Vult a Carmenta nomen inditum carpentis: quæ Dea si vere dicta a carmine, ut supra dictum, qui in hoc veri umbra? Carpentis certe nomen est a carpendis et scindendis lignis e quibus constabant: hinc fabros tignarios carpentarios prisci appellarunt. *Neap.*

621 *Mox honor eripitur*] Extat hæc memoria apud Plutarch. in Quæstionibus Rom. Sed in hoc per id tempus Porrimæ et Postvertæ faciebant.

622 *Prole novare viros*] Quidam ex vetustioribus *juvare;* perperam. Dixi de hoc loco ad Epist. IV. 90. *Heins.*

624 *Crescens onus*] Τὸ ἔμβρυον. Juvenal. Satyr. II. Domitianum carpit, qui Juliam, Titi fratris filiam, incestavit. *Neap.*

626 *Jus ereptum*] *Amissum* Ursini, Zulich. Mazar. Voss. Arond. et sex alii: Petavianus, *exertum:* tres, *exceptum.* Reliqui omnes *exemtum*, pro ademtum; quod sequor. *Heins. Restituisse jus exemptum*] Jus vehiculi, quod eripuerant.

627 *Tegeææ parenti*] Carmenti: a Tegea, oppido in Arcadia.

629 *Fas est inferre sacello*] Observato et id in aliis factitatum. Varro lib. VI. de L. L. 'Scortari est, sæpius meretriculam ducere, quæ dicta a pelle, &c. et nunc dicimus scortea ea, quæ ex corio et pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus, ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adsit.' Ex hac superstitione summæ curæ fuit veteribus, ne Flaminicæ ὑποδήματα sive σανδάλια ex morticino corio gestarent. Festus: 'Mortuæ pecudis corio calceos aut soleas fieri Flaminicis, nefas habetur, &c. quoniam sua morte extincta omnia funesta sunt.' Et Servius: 'Sane Flaminicæ non licebat neque calceos neque soleas morticinas habere.'

Græcis est *κενέβριον* sive *θανάσιμον*, scorteum vero *σκύτινον*, *δερμάτινον*· ex eo fecere Latini *scortiscum* et *scordiscum;* quod Glossis *ephippium*, quia illud e pellibus. *Neap.*

630 *Ne violent puros*] Veterrimus Zulich. *Ne tennent.* Scribe *Ne temerent.* Temerare, idem quod violare res sacras Ovidio: vide Notas Am. I. 8. et Pont. II. 2. 227. *Heins.*

633 *Porrima placatur Postvertaque*] *Placantur* bene quinque libri. Sequenti versu recte *Mœnala Nympha*, pro *Diva*, octo codices. Virgilius certe Carmentam bis 'Nympham' appellat lib. VIII. Malim etiam *Postvorta;* ut apud Macrobium lib. I. Saturn. c. 7. etiam Servio ad lib. VIII. Æneid. ubi *Post vota*, pro *Postvorta*, male scribitur. Is alteram sororem Porrimam cum Ovidio vocat, quæ Gellio est Prosa, Antevorta Macrobio: quare frustra est Illustrissimus Neapolis, qui Porrimam ab uno Nasone dictam arbitratur. *Idem.* *Porrima et Postverta*] Quas aliqui sorores, aliqui comites Carmentis putavere. Ideo ipsis simul cum Carmenti res divina fit. Nam Porrima dicta est, quod id quod porro, hoc est, longe ante fuerat, caneret: Postverta, quod postea venturum esset, prædiceret. Unde dictum est, Porrima præteritum canit, et Postverta futurum. *P.* *Porrima placatur*] Vetus inscriptio: DEO MERCURIO ET POSTVERTÆ C. ANTIUS TITI FILIUS EX VOTO. *Neap.*

634 *Mœnali Diva*] A Mænalo monte Arcadiæ.

635 *Altera*] Porrima scilicet. *Cecinisse putatur*] Veridica voce dixisse. *Quod porro fuerat*] Quod longe ante fuerat. *P.* *Altera, quod porro fuerat*] Porrima scil. an ideo sic dicta, quod caneret omne præteritum, Postverta vero futurum? melius, meo judicio, Varro apud Gellium: Quando igitur contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriusque tunc mulieres enituntur; hujus periculi deprecandi caussa aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una Postverta nominata est, Prosa altera, a recti perversique partus potestate et nomine. *Neap.*

636 *Altera venturum postmodo quicquid erat*] Ut etymon hoc rectius quadret, quidam codices supra *Postventa* pro *Postverta.* Sed omnem scrupulum tollunt Zulich. et Mazarin. in quibus, *versurum postmodo quicquid erat.* Heins.

637 *Te niveo posuit templo*] Templo marmoreo, quod ea die tibi consecratum est, qua alta Moneta, excelsum Junonis Monetæ templum: quod erat in ea parte Capitolii, in qua fuerat domus M. Manlii Capitolini. *P.* *Posuit lux proxima*] XVII. Kalendas Februarias templum Concordiæ dedicatum.

638 *Qua fert sublimes*] Ostendit situm, inter forum scilicet et Capitolium, regione VIII. prope ædem Junonis Monetæ. Dixit 'sublimes;' quia ad hanc a templo Concordiæ centum gradibus conscendebatur. *Neap.* *Fert sublimes gradus*] Per hypallagen: hoc est, via qua sublimibus gradibus ad Junonem Monetam itur.

640 *Sacratæ constituere manus*] *Restituere* Ursini, Naugerii, Zulich. Mazar. et sex alii; et recte: de Tiberio enim et Livia agit, de Camillo mox acturus. Immeritus igitur vapulat Neapoli Bersmannus, qui istam lectionem probet. Pro *prospicias* multi codices *prospiciens* aut *prospicies:* et pro *Nunc te* quatuor libri *Hic te:* unus *Hinc.* Forte legendum, *Ut bene prospicias Latiæ Concordia turbæ, Hic te sacratæ restituere manus.* Heins. *Manus sacratæ*] Manus pontificum.

641 *Furius antiquam*] Ita fere vetustiores libri. Alii *antiquus, antiqui, antiquo.* Recte omnino Neapolis *antiquum* ex suo codice; neque aliter duo ex nostris: sic 'indignum,' 'mirum,' et similia apud Poëtas. Vide Notas Amor. lib. I. 6. Pro vo-

verat ille, Ursini, Naugerii, Zulich. Mazar. tres Farnes. unus Patavinus *ante;* et hoc bene. *Heins. Furius*] Camillus. *Populi superator Hetrusci*] Qui Veientes vicit, Hetruriæ populos. *P. Furius antiqui*] Aliquot inest *antiquis:* forte ad discrimen cujusdam Furii junioris, seu verius filii, qui dictus Sp. Furius Camillus, et eo sedato tumultu primus prætor Romæ creatus. Meus priscæ editionis codex habet *antiquum:* hoc est, olim victor Hetrusci populi: rectissime. Penitus reprobo exemplaria, in quibus *antiquam,* fidei epithetum: nam a voto ad initium primi lapidis positi ad structuram dies interfuere, non anni, ut edisces. *Neap.*

642 *Voverat*] Voti caussam postea subdam; votum certius pete e Plutarch. in Camillo, *τοὺς δὲ βουλευτὰς,* inquit, *ἀναλαβὼν ἐβάδιζεν ἐπὶ τὴν σύγκλητον,* &c. Nec potuit differri dedicatio ad Tiberii ævum, ut male suadet Fanensis: nam Furius ædem vovit ann. CCCLXXXVI. Tiberius suam Concordiæ consecravit anno DCCLXIV. intersunt anni CCCLXXVIII. *Neapol. Voverat antiquum*] Vetus Concordiæ templum.

643 *Sumptis secesserat armis Vulgus*] Petebat enim, ut non jam duo Consules patritii, sed alter nobilis alter e plebe crearetur. Summa fuit hac de re dissensio; sed obtinuit vulgus. Vide Livium lib. VI. 'Prope ad secessionem plebis res,' &c. Factus igitur e plebe Consul L. Sextus, datus ei e patritiis collega L. Æmilius Mamercus: contigit id ann. CCCLXXXVII. de quo et Livius lib. VII. 'Annus hic erit insignis novi hominis consulatu,' &c. In Livio vero nulla mentio templi; sed ob redactos in concordiam ordines, ludos, inquit, magnos decretos, feriisque Latinis diem unum ad triduum additum: quod non siluit Plutarchus in Camillo. *Secesserat*] *Decesserat* quatuor ex melioribus: an *desciverat?* quale mendum etiam ex Claudiano sustulimus sexto Consulatu Honorii vs. 252. sed vulgata scriptura bene se habet. *Heins.*

644 *Et ipsa suas Roma timebat opes*] Id quod et Tit. Liv. in præfatione operis sui confirmat. Et Sallust. Bell. Cat. 'Sed ubi justitia et labore Resp. crevit, reges magni bello domiti, nationes feræ et populi ingentes vi subacti, Carthago æmula imperii Romani ab stirpe interiit, cuncta mari terraque patebant: Fortuna sævire, ac miscere omnia cæpit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miseriæque fuere,' &c. *Roma timebat opes*] Forte adludit ad leges, quas Tribuni pleb. tunc promulgarunt adversus bona patritiorum pro vulgi commodis: tres fuere; et hæc una de ære alieno, ut deducto eo de capite quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset triennio æquis portionibus persolveretur: altera de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri possideret: tertia, ne Tribunorum militum Comitia fierent, Consulumque utique alter e plebe crearetur: hanc lucem quoque Livio debemus. *Neapol.*

645 *Caussa recens melior*] Mentio nunc fit de novo templo Concordiæ; ni melius de veteri aliquo refecto, quod dedicavit Tiberius, non ob populi dissensionem, sed ob devictum Illyricum et auctas Romanas opes. *Sparsos Germania crines Corrigit*] Id est, Tu in caussa (subvereor ut fallar) ne eæ gentes vires propagarent: nam perdomito toto Illyrico, Germanos jungi Pannoniis non sivisti, qui animos sumpserant ob mortem Quintilii Vari et ejusdem deletas tres legiones. 'Quas ob res,' inquit Suetonius, 'triumphus ei decretus est, multique et magni honores,' &c. Triumphus tamen ille non statim, sed biennio præterito celebratus: ea enim tempestate urbs tota clade Variana affligebatur.

Neapol. Sparsos Germania crines Porrigit] Scripti novem *passos;* bene: Petavianus et quatuor alii *pansos.* Tristibus, 'Crinibus en etiam fertur Germania passis.' Infra lib. II. 'Passis sedet illa capillis.' Lib. III. 'Ut medium campi passis tetigere capillis:' sic vetustissimi Codices, ut et lib. IV. 'audire solemus Threicias passis Mænadas ire comis.' Lib. V. 'passis Acca capillis:' initio Tristium, 'Hirsutus passis ut videare comis;' quomodo et illic veteres libri: sic et alibi frequenter Naso; ut suis locis dicetur. Pro *Porrigit* multi ex scriptis *Corrigit;* alii *Colligit:* sed frustra. Captivi tondebantur; quo alludit Naso. Hinc et 'Africam tonsam' dixit Propertius pro victa. Noster Amor. lib. I. 14. 'Jam tibi captivos mittet Germania crines: Culta triumphatæ munere gentis eris.' Claudian. lib. I. in Eutrop. 'Militet ut nostris detonsa Sycambria signis.' *Heins.*

647 *Libasti munera, &c.*] Ex historicis, qui aiunt, prandium mille mensis, et congiarium trecenos nummos viritim dedisse ex manubiis hosticis. *N.*

648 *Templaque fecisti*] Vide Dionem Cassium lib. LVI. et Sueton. in Tiberio: 'Dedicavit et Concordiæ ædem, item Pollucis et Castoris, suo fratrisque nomine de manubiis.' Ex his nova opera id templum a Tiberio exstructum nondum elicio: nam licet inserat Historicus 'de manubiis,' impensas quoque scio permultas in dedicatione ædium sacrarum necessarias fuisse. Verum omnem scrupulum tollit Cassius lib. LV. 'Tiberius,' inquit, 'Kalendis Januariis quibus Consulatum inivit cum Cn. Pisone, in Octavii curiam (hæc enim erat extra pomœrium) convocato senatu, fanum Concordiæ sibimet ipsi reficiendum injunxit; ut suo id et Drusi nomine inscriberet:' id vero ut vides, peregit Tiberius post annos XVII. illius victoriæ occasione. *N.* *Quam colis ipse*] *Quæ colis* multi codices: tres *quæ colis ipsa:* Maz. *quam colis ipsa:* Zulich. *quæ colit ipsa.* Forte, *quam colat ipsa,* nempe Germania. *Heins.*

649 *Et rebus et ara*] Partem refectionis Liviæ matri noster attribuit. *N.* *Tua genitrix*] Livia Drusilla: quam Augustus matrimonio Tiberii Neronis, et quidem prægnantem abduxit, dilexitque, et probavit unice ac perseveranter. *Et rebus*] Ad rem scilicet divinam facientibus: aut quia re ipsa concors cum viro semper vixerit, voluit etiam Concordiæ ædem constituere.

650 *Sola*] Livia. *Magni Jovis*] Augusti, quem Jovi comparat. Nam jam relatus in Deos. *P.* *Toro digna, &c.*] Eandem pari adulatione prosequitur Trist. II. Elegia prima.

651 *Hæc ubi transierint*] *Transieris* primæ editiones et duo scripti; totidem *transierit.* Lego, *Nox ubi transierit:* sic infra lib. II. 'Nox ubi transierit, solito celebretur honore.' Lib. IV. 'Nox ubi transierit, cælumque rubescere primo Cœperit:' atque ita frequenter in his libris. 'Hæc' paulo ante præcesserat; inde natus error. Posset etiam legi *Lux ubi transierit.* Heins. *Hæc ubi transierint*] XVI. Kalendas Februarias nostro est Solis transitus in Aquarium: ut et Plinio: sic enim ille lib. XVIII. 26. 'Et cum Sol in Aquarium sentitur transire, quod fere XVI. Kalend. Febr. evenit.' Ptolemæo XVII. Cum hoc signo quantum Zodiacus emergat, vide apud Hipparchum lib. III. ad Arati et Eudoxi Phænomena. *N.*

652 *Curres*] Currere incipies. *Per juvenis signa regentis aquam*] Per signa Aquarii. *Signa regentis aquas*] *Aquam* scripti. Lege *gerentis aquam.* Nam 'urniger' Aquarius dictus passim Poëtis. *Heins.*

653 *Septimus hinc oriens*] X. Kalen-

das Lyra occidit occasu heliaco. *Neapol.*

654 *Toto jam lyra nulla polo*] Multi ex scriptis *nullo polo.* Forte *furvo polo;* de qua voce Met. III. *Heins.*

655 *Sidere ab hoc ignis*] IX. Kalendas clara stella in pectore Leonis occidit; accipe de occasu cosmico. Columella scribit die Januarii XXVII. immergi. *Neapol.*

656 *Qui micat*] Lucet in medio pectore Leonis.

657 *Ter quater evolvi, &c.*] Evolverat Poëta Fastorum libros, nec invenire potuit diem sementinam. Sed admonitus est, statas non esse ferias. *Signantes tempora*] In quibus signata et descripta sunt tempora, et omnia quæ quibusque temporibus fiunt. *Fastos*] *Fastus* unus Farnesianus ut dixi supra initio libri primi. *Heins.*

658 *Nec sementina est*] *Sementinæ* Arundel. Læti, et quinque alii: *Sementiva* septem. Ursini, Petavian. et decem alii, *Sementita.* Voss. *Sementitia.* Sed apud Varron. lib. I. 2. bis 'Sementivæ feriæ' occurrunt, quæ Festo sunt Sementinæ: sed et illic in duobus codicibus bibliothecæ Leidensis *Sementivæ;* quomodo in Varronis quoque ac Catonis exemplaribus scriptis extare monet Petrus Victorius. Hinc et 'pira Sementiva' Catoni ac Plinio lib. XV. 15. ut recte libri veteres: et 'frumenta Sementiva' eidem Plinio lib. XVIII. 7. Varro lib. V. L. L. 'Sementinæ feriæ, dies is, qui a Pontificibus dictus, appellatus a Semente, quod Sationis causa susceptæ.' Scribe, *Sementivæ feriæ, dies is, qui a Pontificibus indicitur, appellatæ a semente.* 'Sementivæ' quoque dicuntur Macrobio Sat. lib. I. in veterrimo codice Neapolitano. *Idem.* *Nec sementina, &c.*] Qui poteras, si sementinæ feriæ sunt e conceptivis? Macrob. Sat. I. 'Et sunt stativæ universi populi communes certis et constitutis diebus ac mensibus, et in fastis statis observationibus annotatæ: in quibus præcipue servantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptivæ sunt, quæ quotannis a Magistratibus vel Sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos, vel etiam incertos: ut sunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia. Imperativæ sunt, quas Consules vel prætores pro arbitrio potestatis indicunt. Nundinæ sunt paganorum, itemque rusticorum, quibus conveniunt negotiis propriis vel mercibus provisuri. Sunt præterea feriæ familiarum propriæ, ut Claudiæ familiæ vel Æmiliæ,' &c. *Neapol.*

659 *Indicitur*] A sacerdotibus scilicet, vel a magistratibus, cum sint feriæ conceptivæ.

660 *Non stata sacra*] Quæ non sunt fixa et certa constitutis diebus.

661 *Sic tempore certo*] *Tempora certa* multi ex melioribus; recte. Et pro *sacris,* Ursini codex aliique nonnulli *sacra est:* nonnulli *sacri est:* *sacro* Petavianus, Mazar. et unus Moreti; probe. Sequenti versu *Seminibus lætis* multi ex vetustioribus. *Heins.* *Sic tempore certo*] Semen ubi jactum: a quo inditum diei nomen. Varro: 'Sementinæ feriæ dies is qui a Pontificibus dictus, appellatus a semente, quod sationis causa susceptæ.' *Neap.*

662 *Est fœtus ager*] Gravidus. *Seminibus jactis*] Postquam sunt jacta et condita solo semina, tunc erunt feriæ sementinæ. Quod quidem fit vel celerius vel serius, pro qualitate temporis et regionum. Jacto ergo semine, dies indicitur. Antiqui autem Deam Seriam a serendo, Segestam a segetibus appellabant.

663 *State coronati, &c.*] Post peractam sementem erit per hyemem a labore rustico vacandum, danda est tam bobus quam colonis quies, nec terra proscindenda: noxia enim est hyberna glacies proscissæ nuper terræ. *State coronati*] Putavi olim pro vincire hic coronare intelligendum; quasi, State vincti ad præsepe: mo-

ris eram inscius, ex quo boves feriis serto fuso per cornua, labore vacabant. Vide Tibull. lib. II. Elegia prima. Membranæ quædam habent, *vertice stare boves*. Neapol.

664 *Vere redibit opus*] Vide Maronem Georg. I. 'Vere novo, gelidus canis,' &c. Uni et alteri vati lux erit a Columella lib. II. 2. de Re rustica. *N.*

665 *Rusticus*] *Villicus* Ursini liber et unus Patavinus. Sequenti versu *frigida humus*, non *frigore*, idem Ursini, Zulich. Mazar. et decem alii; bene. *Heins.* *Aratrum*] Hoc, et instrumenta alia, si operi rustico jam usui esse non poterant, in triviis collocabantur. Ratio apud Scholiast. A. Persii ad illud Sat. IV. 'pertusa compita,' in his: 'Facta juga ab agricolis ponuntur velut ab emeritis; quod est elaborati operis indicium; sive quod omne instrumentum existimant sacrum.' *Neap.*

667 *Villice, da requiem, &c.*] Apte præcipit villico, sinat otiari familiam post jactam sementem: nam id villici erat munus, qui cuncto operi rustico præerat; unde villicari, villæ præesse dixerunt veteres. Comperi etiam 'villicum' pro quolibet custode seu præfecto a Poëtis receptum. *Semente peracta*] Sparso frumento sequebatur ultima aratio; post hanc longa quies terris. In ea aratione boves 'lirare' dicebantur, ut in aliis 'proscindere' et 'effringere' terram. Servius: 'Cum primo agri arantur, quando duri sunt, proscindi dicuntur; cum iterantur effringi; cum tertiantur, lirari.' Vide et Varron. lib. I. de Re rustica.

669 *Pagus agat festum*] An ob sementinas ferias? an novi festi hic mentio, cui nomen fuit 'Paganalia?' certe addubito, sed magis ad Paganalia inclino; quæ post sementinas ferias statim puto concipi solita. *Pagum lustrate*] Accensis suspicor stipulæ acervis, ut in Parilibus. *Neap.* *Lustrate pagum*] Circuite solemni pompa in Sementinis et Paganalibus festis.

670 *Annua liba focis*] Quivis pagus suum foculum habebat, ex instituto Servii Tullii. Vide Dionys. Halicarnass. lib. IV. ἵνα δὲ καὶ τούτων πλῆθυς μὴ δυσεύρετος, ἀλλ', &c.

671 *Frugum matres*] Ut mos erat in prædicto sationis festo. Varro enim inquit, de R. R. 'Sementinis feriis in ædem Telluris veneram, rogatus ab æditimo.' *Ceresque*] Hanc Empandam in Paganalibus sacris dictam, didicimus ab antiquis. *Neapol.* *Placentur matres frugum, &c.*] In sementinis et paganalibus festis sacrificandum est Terræ Cererique, frugum parentibus, et farre et porca prægnanti. *Farre suo*] Quod ipsæ tradunt.

672 *Farre suo, gravidæ visceribusque suis*] Durus concursus *suo, suis*. Scribe, *Farre pio:* ut apud Horatium Od. III. 23. 'Mollibit aversos Penates Farre pio et saliente mica.' Et apud Tibullum Eleg. III. 3. 'Et vanum in curas hominum genus omina noctis Farre pio placant et saliente sale.' Virgil. lib. V. 'canæ penetralia Vestæ Farre pio, et plena supplex veneratur acerra.' *Heins.* *Gravidæ visceribus suis*] Porcæ prægnantis.

673 *Officium commune tuentur*] Ceres enim jacit semina, Tellus recipit: hæc alit, illa curat excutitque matura.

675 *Consortes operum*] *Superis* plerique; vel, *superum:* duo *operis*. Heins. *Per quas correcta vetustas*] Quasi quæ rudem vetustatem, et sylvestrem cultum ad civilem usum redegistis. *P.* *Consortes operum*] Glossæ, *consortes*, κοινόβιοι, σύγκληροι. *Neap.*

677 *Fructibus immensis avidos satiate colonos*] *Frugibus* castigatiores magna ex parte. Pont. I. 4. simile mendum sustulimus. Zulichemianus etiam *augete colonos* pro diversa lectione; eleganter: sic 'augere opibus,' 'honori-

bus,' apud optimos Latinitatis auctores. Trist. II. 'Divitiis etiam multos et honoribus auctos Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.' Fast. III. 'Jam pius Æneas regno nataque Latini Auctus erat:' sic et sæpe alibi. *Heins.*

681 *Cælum aperite*] Pellite nubes, quæ cælum nobis claudunt. *Ventis serenis*] Serenitatem inducentibus.

683 *Cerealia dona*] Alii codices *rura*, alii *culta*. Nihil muto. Fast. VI. 'jaciunt Cerealia dona.' Vide Notas Remed. Am. vs. 173. *Heins.*

685 *Subjectis granis*] *Suppositis* Gottorph. etiam bene. *Idem.*

687 *Scabræ rubiginis*] Petavianus *Robiginis*, ut Dea Robigo intelligatur: vide quæ noto lib. IV. 907. *Idem. Scabræ rubiginis*] Quasi sine ulla asperæ rubiginis læsione. Provenit enim rubigo ex calore solis, cum adurit madefactos aquis culmos. *P. Scabræ rubiginis*] *Scabrum* est quodcunque asperum. 'Scabra saxa,' dixere Latini impolita. Barbatum et impexum hominem vocat etiam 'scabrum' Flaccus Epist. 7. libri primi. *Neap.*

688 *Palleat ulla seges*] *Ægra* libri meliores; idque recte: ut apud Virgilium, 'Arebant herbæ et victum seges ægra negabat.' Statius Theb. IV. 'Ægra solo macies, tenerique ab origine culmi Inclinata seges.' Pro *seges* etiam *Ceres* duo libri. Symmachus pro ara victoriæ, 'secuta est fames publica et spem provinciarum omnium messis ægra decepit.' *Heins.*

691 *Oculos vitiantibus*] Plautus in Milite glorioso Act. II. Scen. 3. 'Sc. Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico. Pa. Quid jam? Sc. Quia luscitiosus.'

692 *Surgat avena*] Dixit sterilem, quemadmodum vates: 'et steriles dominantur avenæ:' ut discernat a sativa. Græci *sterilem* dicunt *αἰγίλωπα* et *σιτόσπιλον*. Lolium quoque ut vides, numeratur inter frumenti vitia: iisdem *ἡ αἶρα*. *N.*

693 *Passuraque farra*] Nam primo far veteres torrebant; deinde sub mola in farinam redactum, pane jam facto, coquebatur iterum in furnis: sic 'bis tostum' alibi Naso meus appellat. *Neapol.*

696 *Efficiatque*] *Efficiantque* Patavinus ex melioribus. Art. lib. I. 83. ex antiquis codicibus, 'Utraque laudentur:' 'per carmina turba' præcesserat. Sic et *cassis erant* mox malim. *Heins. Utraque Diva*] Ceres et Tellus.

699 *Versique in pila ligones*] Pilum fuit Romanorum antiquum et vetus armamentum. De quo vide quæ ad Polybium notavit Lipsius lib. III. Militiæ Dial. IV. *Neapol.*

702 *Jampridem*] Hoc et illud supra, 'Bella diu tenuere viros,' videntur denotare causam bellorum post victoriam Actiacam, quæ incidit in IV. Nonas Septembris. *Neapol. Vestro sub pede*] *Nostro* Arondel. et multi alii. Et mox *præcedet* pro *præcedit* meliores. *Heins.*

704 *Pacis alumna Ceres*] Nam et ipsa a pace nutritur. *Paul. Pacis alumna Ceres*] Non abeunt hinc ista Albii Tibulli, ex Elegia ultima libri primi.

705 *At quæ venturas*] VI. Kalendas Februarias dicata Castorum ædes. *Neapol.*

706 *Ledæis Deis*] Castori et Polluci Ledæ filiis.

707 *Fratribus illa Deis*] *Dies* scripti plerique; sed male: quod arrisisse nobilissimo Neapoli miror. Vide quæ noto ad Elegiam in mortem Drusi, vs. 290. *Heins. Fratres*] Tiberius et Drusus: non quod ambo simul dedicaverint, sed quod Tiberius ipse suo et fratris nomine dedicarit. *Paul. Fratres de gente Deorum*] Intellige Tiberium et Drusum: vide Dionem lib. IV. sub ann. DCCLIX. Sueton. lib. III. Dio Cassius dedicationem hanc rejicit ad annum DCCLXIX. *Neapol. Fratribus ille Deis, &c.*] Legen-

dum, *Fratribus illa Deis, fratres de gente Deorum, &c.* ut sit sensus, Fratres de gente Deorum, hoc est, Tiberius et Drusus, ex gente Deorum Julii et Augusti Cæsarum, constituere illa, scilicet templa, fratribus Deis, sive Diis Castori et Polluci. *Micyl.*

708 *Circa Juturnæ*] In regione VIII. Pub. Victor in eadem : 'Templum Castorum ad lacum Juturnæ.' *Neap.* *Composuere*] Ea templa scilicet.

709 *Ipsum nos carmen, &c.*] Trigesimo die Januarii erit festum Pacis. Invocat igitur, et orat illam, ut diutius in orbe maneat, ne bella gerantur, nisi ad propulsandam, non ad inferendam injuriam. *Deduxit Pacis ad aram*] Quæ sita in regione urbis XIV.

710 *A mensis fine secunda dies*] Trigesima ergo Januarii ad aræ pacalis sacrificia assignata. *Neap.* *Hæc dies*] Pacis. *Erit a mensis fine secunda*] Secunda ab ultimo die Januarii, retro numerando.

711 *Frondibus Actiacis*] Corona victrici et triumphali. Ab Actio promontorio Epiri, apud quod Cæsar Octavius Antonium et Cleopatram fudit, post quam victoriam Janum Quirinum clusit : 'Protinus et totum pax alma effusa per orbem.' *Comtos redimita capillos*] *Canos* alter Petavianus ; quod et alii in suis invenerunt : sed nil muto. *Heins.*

715 *Quibus arma coërceat, arma*] Id belli genus exoptat, quod solum ad medelam propulsandæ injuriæ. 'Justum bellum,' inquit Livius, 'quibus necessarium ; et pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.' *Neapol.*

720 *Perfusa victima fronte cadat*] *Percussa fronte* legendum cum vetustioribus : supra, 'Hic qui nunc aperit percussi viscera tauri.' Trist. IV. 2. 'Candidaque adducta frontem percussa securi Victima purpureo sanguine tingit humum.' Prudentius Hymno S. Vincentii, 'His colla mugientium Percussa taurorum cadunt,' de sacrificiis. Alibi *icta ;* ut Met. XV. 'Ictaque conjectos incalfacit hostia cultros.' Trist. IV. 'Victima Tarpeios inficit icta focos.' Pont. II. 'Victima pro templo cur cadat icta Jovis ?' Propert. Eleg. IV. 4. 'Et cadat ante meos icta juvenca focos.' *Heins.* *Albaque victima cadat*] Immoletur Paci pecus alba.

FASTORUM LIB. II.

1 *Crescat et annus*] Malo *crescit* cum Maz. Zulich. Voss. et aliis nonnullis. Pro *Alter ut et mensis* veteres plerique *ut hic*. Lege, *Alter ut hinc mensis, sic liber alter eat*. Lib. III. 'Nec mihi parva fides annos hinc isse priores.' *Heins.*

3 *Elegi, itis*] *Ite* Mazar. et sex alii; ut in Pont. 'Ite leves Elegi doctas ad Consulis aures.' Sequenti versu pro *Ipse ego*, duo codices *Certe ego*. Idem. *Nunc primum, Elegi*] Quasi non antehac, sed nunc primum. *Velis majoribus itis*] Sublimiore stilo, per translationem. *Paul. Nunc primum velis*] Recta lectio, *Jam primum velis* Neapol.

8 *Ecquis illinc*] Ex ipsa re amatoria. *Esse viam ad hæc*] Sacra scilicet, et tempora describenda.

19 *Februa Romani dixere piamina*] M. Varro de L. L. lib. v. 'Rex cum ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem februatum appellat. Februum Sabinis purgamentum, et id in sacris nostris verbum: nam et Lupercalia Februario, ut in antiquitatum libris demonstravi.' Vide et Plutarch. in Numa. *Neapol.*

20 *Nunc quoque dant*] *Huic quoque* decem libri. *Heins.*

21 *Pontifices ab, &c.*] Cum capellæ per lupercos mactarentur, gemini adolescentes præclari sanguinolento gladio fœdatam sibi faciem attingebant. Alii ilico cum lana lacte madida accurrebant, atque abstergebant sanguinem. Ergo inde expurgationibus lanæ usus erat. *Pontifices petunt lanas*] Ad expurgationem scilicet. *A rege*] A rege sacrificulo. *Et flamine*] Sacerdote. *Paul. Pontifices a rege petunt*] Hoc est, sacrificulo: pari modo dictum ab antiquis, sine adjectione ulla sacrorum, vidisti ex loco citato Varronis; cui Tullium addimus. 'Cum ex Collegio,' inquit, 'tanto non regem, non flaminem, non pontificem videret.' Et alibi: 'Discite pontifices, vos flamines, etiam tu rex disce.' Id sacerdotium L. Brutus Consul anno post exactos Reges sacris addidit: causam institutionis pete e Dionys. lib. v. Ibi describitur quis primus illud exercuerit, imo etiam munus. Præerat sacris omnibus, non vero cuivis sacro ministro: ostendit Liv. lib. II. 'Regem,' inquit, 'sacrificulum creant: id sacerdotium Pontifici subjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.' Ejus uxor erat regina sacrorum. *Et flamine lanas*] Has igitur petebant pontifices a rege sacrificulo et flamine Diali: suspicor eas fuisse rufi coloris. Vide Clem. Alexandrin. Stromat. lib. VII. *Neapol. A Rege*] *Ab Rege* meliores. Mox pro *veterum lingua*, iidem *veteri*: nonnulli tamen *vetere in*. Heins.

23 *Quæque capit lictor*] Sed flaminius; de quo Festus: 'Flaminis lictor est, qui flamini Diali sacrorum caussa præsto est.' *Neapol. Domibus purgamina certis*] Primus Medic. *cernis*: Voss. Mazar. et alius Medic. *ternis*: Sarravianus pro diversa lectione *acernis*. Lege meo periculo *domibus tersis*. Scriptum fuerat *tertis*, quomodo veteres pro *tersis* dicebant, teste Nonio; hinc natus error. Sic lib. IV. ex vestigiis veteris libri, 'Uda prius spargat virgaque tergat humum.'

Propertius IV. Eleg. 9. 'Dein quemcunque locum externæ tetigere puellæ, Suffit, et hinc pura limina tergit aqua.' Varro de L. L. v. 'Februum Sabini purgamentum appellant:' et 'februare' pro purgare apud Nonium. Agit autem de domo Flaminis quæ Flaminea dicebatur; ut monet Gellius. De Lictore Flaminio nos docet Festus, quem locum ab Illustriss. Neapoli jam video occupatum. Adi eundem in *Februarius.* Heins.

24 *Turbida cum mica farra*] *Torrida* primæ editiones cum Ursini, Vossii, ac aliis multis melioris notæ codicibus; idque etiam in Observationibus amplexus est doctissimus Gronovius. Sic 'torridas fruges' pro tostis dixit Accius Troadibus apud Servium Fuldanum lib. I. Æn. 'Nocturna saxo fruges franges torridas:' et 'Torrida limina' Propertius Eleg. III. 12. 'Torrida sacrilegum testantur limina Brennum:' de templo Apollinis a Gallis incenso. *Idem.*

25 *Nomen idem ramo, &c.*] Idem etiam vocatur et ex lauro ramus, quo sacerdotes expiaturi coronabantur. *Idem nomen*] Februa scilicet. *Qui cæsus ab arbore pura*] Quis ambigat, quin arbor pura sit ipsissima pinus? nam paulo post dicit: 'Februa poscenti pinea virga data est.' Quin ad conciliandam castitatem Thesmophoriazusæ hujus foliis lectulos sibi sternebant. Vide Stephan. *Neap.* *Arbore pura*] Sacris destinata, intacta securibus. Sic dicuntur, 'puri dies.' 'Pura laurea,' Propert. Ἐν καθαρῷ, a cæsorum cadaveribus purgato loco, ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος Πιπτόντων. Hom. Iliad. K. vs. 199. 'Pura mulier,' quæ morbo Campano non laborat. Petron. Ἁγνὸν πῦρ, Eurip. Electr. 'Tempora pura, placatis sepulcris,' vs. 33. hic. 'Hasta pura:' qua de re uberius ad Am. III. 8. 23.

27 *Ipse ego flaminiam*] Scribe cum melioribus *Ipsam ego flaminicam.* Flaminica, uxor flaminis: codices multi *flamineam.* Heins. *Ipse ego flaminicam*] Flaminis conjugem: quam et flaminam comperi dictam. Verum scito non legi in omnibus libris *flaminicam:* in meo est *flaminiam,* id est, sacerdotalem, quæ Diali præministrabat. Joseph. Scaliger mavult *flaminia,* quasi ab ædibus flaminis. *Neap.*

28 *Pinea virga data est*] Lego *spinea:* omnibus enim spinarum generibus vim insitam noxarum depellendarum veteres credebant. De spina alba Noster lib. VI. bis. 'spinam, qua tristes pellere posset A foribus noxas, (hæc erat alba,) dedit:' ubi *virgam* frustra multi codices antiqui exhibent: quem locum ex Dioscoride aliisque erudite illustrat Neapolis. Mox eodem libro, 'Virgaque Janalis de spina sumitur alba.' *Heins.*

29 *Denique quodcunque est, &c.*] Ut aliquando concludat, Denique, inquit, omnia quæ ad expurgationem, a veteribus 'februa' vocabantur. *Quo corpora nostra piantur*] *Pectora nostra pietur* Ursini liber: *pectora pientur* Voss. et sex alii: *pectora piantur* tres: primus Med. et unus Bonon. *corpora piamur;* recte, qui familiaris Ovidio Græcismus. *Heins.*

30 *Intonsos avos*] Horat. Od. II. 15. 'Non ita Romuli Præscriptum et intonsi Catonis auspiciis.'

31 *Secta quia pelle*] De hoc ritu plura nos ad Lupercalia hoc mense Februario. *Neap.* *Mensis ab his, &c.*] Ab his ergo mensis Februarius appellatus est, quo Luperci, hoc est, Panis sacerdotes, sectis caprarum coriis, omnia circumeunt, et expurgant. *Ab his*] Lustrationibus. *Luperci*] Sacerdotes Panis. *Secta pelle*] Secto caprino corio.

32 *Lustrant*] Circumeunt. *Habent*] Habent expiationem. *Idque*] Hæc lustratio.

33 *Aut quia placatis, &c.*] In Februario non solum pro viventium expurgatione, sed etiam pro mortuorum expiatione fiebant sacrificia: quod

nisi factum esset, putabant circa sepulchra errare manes, et ex eo aëris intemperiem, tempestates, et pestilentiam existere. *Aut quia tunc*] Cum ferales dies, id est, dies in quibus fiebant feralia, hoc est, sacra pro mortuis.

34 *Ferales præteriere dies*] Qui sunt IX. Kalendas Martias. Vide quæ ad eos notabimus.

35 *Purgamine*] *Purgamina* meliores recte. *Heins.*

37 *Græcia principium moris dedit*] Primæ editiones et octo ex nostris ac totidem ex scriptis Ciofani *principium fuit;* probe. Alcimus Avitus de laude Virginitatis: 'Et quia principium tam sancti fœderis esses.' Noster infra hoc ipso libro ex veteri codice, 'Aut quia principium tu Dea lucis eras.' Et, 'Heu quantum fati parva tabella fuit!' Remedio Amoris, 'Auxilium multis succus et herba fuit.' Mazarin. *putant* pro *putat* sequenti versu; quomodo et unus Medic. ex melioribus et Vatican. Vide notas Rem. Am. vs. 164. *Heins. Græcia principium moris*] Quibus? Romanis: hi fuere Græcorum simiæ: et Romanos ab eis accepisse fatemur, auctores vero negamus: nam ut Ægyptios omittam, Berosus apud Josephum lib. I. Originum a Noë rem repetit: nihil antiquius fere dici potest. *Neapol.*

39 *Actoridem*] Patroclum Actoris nepotem. *Paul. Actoridem Peleus*] Ob necem Clesonymi seu Æanes, ut auctor Strabo lib. IX. Reliquas fabellas pete ab antiquis Mythicis. *Neapol.*

40 *Per Æmonias aquas*] Per aquas Thessalicas. *Cæde Phoci*] Occidione fratris sui, qui Phocus dictus est. *Hæmonias aquas*] *Hæmonidas* Zulich. Adi Notas Art. I. vs. 172. *Heins.*

41 *Vectam frænatis, &c.*] Medeam intelligit, Ætæ Colchorum regis filiam, quæ patrem prodidit, fratrem interemit, Athenas confugit, ab Ægeo Athenarum rege expurgata, et in matrimonium accepta est. *Ægeus credulus*] Quia credidit illius scelera aqua elui posse.

42 *Phasida*] Medeam a Phasi. *Fovit ope*] *Juvit ope* nonnulli ex præstantioribus. *Heins.*

43 *Amphiaraides*] Alcmæon, Amphiarai filius. *Naupacteo Acheloo*] *Naupactoo* Petavianus, Voss. et alii multi; ut Arctoo, Myrtoo, Lesboo. *Heins.*

44 *Acheloo, Solve nefas, dixit*] Cædis scilicet patratæ, quia matrem interfecerat. Achelous fluvius Acarnanes ab Æolis dividit.

46 *Putatis*] *Putetis* Mazar. et Zulich. rectius. *Heins.*

48 *Et ante fuit*] Τὸ *ante*, cave de Romuleo anno intelligas; sed de Pompiliano; nam hic agit de Juliano: Romuli annus decimestris, et a Martio inchoatus.

49 *Veteris*] Jam vides qua de causa probata nobis lib. I. lectio illa, *Mensibus antiquis addidit ille duos;* nam Februarius a Numa et imis manibus et intercalationi deputatus, ultimum obtinuit locum, hoc tamen a Græcis discrimine; illi, confecto ultimo mense anno intercalare tempus adjiciebant; Romani post XXIII. Februarii, peractis Terminalibus, inserebant superfluum, quinque deinde reliquos mensis dies post ἐμβολισμὸν superaddebant. *Neap. Qui sequitur Janum, &c.*] Februarius vero, qui nunc post Januarium est, tunc ultimo loco erat, duplici argumento: et quod in fine anni fiebant expurgationes, et quod finis sacrorum, et Termini festum, de quo dicemus suo loco.

51 *Primus erat Jani*] Meliores *enim Jani.* Heins.

55 *Principio mensis*] Kalendis Januariis templum Junoni Sospitæ consecratum. *Phrygiæ contermina Matri*] Ergo exstructum in Palatio. *Phrygiæ Matri*] Templo Cybelis, quæ ex Phrygia advecta est.

56 *Delubris novis*] Quis auctor hujusce templi tacet Noster. Pighius lib. X. Annalium, ex nummis cusis ann. DLXIX. suspicatur Lucium Portium Licinium Consulem fuisse: Fanensis scribit hoc templum illud esse, quod Cn. Cornelius vovit sub initium belli Insubrici, de quo Liv. lib. XXII. sed fallitur: nam istud conterminum Matri magnæ locant in Palatio, regione X. Hoc vero Cornelii in foro Olitorio, regione XI. Quoniam ergo nihil certi invenimus, ideo facimus locum judicii sanioris. *Neapol.*

57 *Nunc ubi sint illis quæris sacrata Kalendis*] Urs. Patavinus et reliqui majori ex parte cum primis editionibus *Nunc ubi sunt illis quæ sunt:* Voss. et sex alii, *ubi sint illis quæris,* vel *sunt* Mazar. Zulich. et decem alii. Recte: nisi forte mavis, *Nunc ubi sunt illis, quæso, sacrata Kalendis Templa Deæ?* Lib. IV. ‘Substitit hic Erato: mora fit. Dic cætera, quæso, Dic, inquam, parva cur stipe quærat opes:’ sic et ibi videtur scribendum. ‘Illis Kalendis,’ ut lib. III. ‘Nonis sacrata quod illis Templa patent.’ Lib IV. ‘Pinguia cur illis gustantur larda Kalendis.’ *Heins.*

62 *Obligat ille*] Exercet aperte τέχνην κολακευτικὴν, ut alter ad suum Domitianum.

63 *Templorum sancte repertor*] Magnus Casaubonus ad Suetonium, et post illum Neapolis, legunt *refector:* sed primæ editiones, codex Pomp. Læti, Zulich. et decem alii, *repostor;* optime. Tacitus Annal. lib. I. ‘Cæcinæ dubitanti quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret.’ Apud Maronem Æneid. V. ‘Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt Robora navigiis.’ *Heins. Templorum positor*] Justa laus, imo debita. Fax erit huic disticho locus Suetonii: ‘Principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis vel refectis et excultis Urbem adornarent: multaque a multis exstructa sunt,’ &c. Nec solum sacris, sed et profanis ædificiis mirum quam deditus. *Neapol.*

64 *Sit Superis, opto, mutua cura tui*] Id est, ut sic superi tui tuarumque rerum curam gerant.

65 *Quos tu cælestibus annos*] *Quot tu* Regius. Unus Vaticanus *æquos cælestibus;* argute: sed nil muta. *Heins.*

66 *Pro tua domo*] Pro salute tuæ familiæ. *P. Maneant*] Excubent. *N.*

67 *Tunc quoque vicini, &c.*] In ipsis calendis itur cum pompa, hoc est, cum processione, ad Asylum, quod Romulus constituit: ut eo omnes qui tuti esse vellent confugerent, et ab omni essent noxa liberi. *Celebratur*] Cum pompa frequentatur. *Vicini lucus celebratur Averni*] *Asyli* Ursin. Arondel. Mazar. Zulich. Nauger. et decem alii. Hærent hoc loco interpretes, nec se expediunt. An intelligit lucum de quo Festus in *Lucaria?* quanquam Lucariorum festum in aliam diem rejiciunt Kalendaria antiqua. Ut opinionem meam dicam in re subobscura, puto *Helerni* legendum, et agi de eo luco, de quo lib. VI. ‘Adjacet antiquus Tiberino lucus Helerni:’ sic enim codices veteres illic majori ex parte, aut *Hilerni,* aut *Elerni,* aut *Ilerni:* Ursini veterrimus *Alerni:* tres alii *Averni:* unus Farnesianus non magnæ fidei *Hilernæ;* quod vulgatas majori ex parte editiones occupavit. Viderit igitur doctissimus Onuphrius, qua fretus auctoritate regione Urbis XIII. ÆDICULAM ET LUCUM HYLERNÆ ponat. *Heins.*

68 *Qua advena Tybris*] Quia aliunde advenit, ut est ex Apenninis montibus, et Hetruria. *Petit æquoreas aquas*] Via qua Tybris in mare tendit.

69 *Ad penetrale Numæ, &c.*] Fit eodem die sacrificium in templo Vestæ, et in templo Jovis, in arce Capitolina. *P. Ad penetrale Numæ*] Hoc est, templum Vestale. Horat. ‘Ire dejectum

monumenta Regis, Templaque Vestæ.' Ibi veteres Magistri: 'Regiam dicit Numæ Pompilii, qui ad Vestæ suam habuit.' *Neapol. Capitolinum Tonantem*] In templo Jovis Capitolini. Quod templum primus dedicavit Horatius Pulvillus.

70 *Inque Jovis summi*] *Summa arce* libri meliores, recte. Arcem Capitolinam (quam ab ipso Capitolio distinguunt passim Livius atque alii) sic appellabant κατ' ἐξοχήν· ut infra l. VI. 'Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ Ex voto memorant facta, Camille, tuo.' In mortem Drusi, de Augusto, 'Ille vigil, summa sacer ille locatus in arce;' et alibi non raro. *Heins.*

71 *Sæpe graves pluvias*] Habes idem a Columella lib. XI. cap. 2. 'Kalendis,' inquit, 'Februariis Fidis incipit occidere. Ventus Eurinus et interdum Auster cum grandine est.' *Neapol. Adopertus nubibus æther*] *Auster* Zulich. Mazar. et sex alii. Apposite Columella, lib. XI. cap. 2. 'Kalendis Februariis Fidis incipit occidere. Ventus Eurinus et interdum Auster cum grandine est. Concitat Auster pluvias:' ut Art. lib. III. 'Et tepidus pluvias concitat Auster aquas.' Hinc 'nubilus' et 'humidus' et 'pluvius' et 'udus' et 'imbrifer' Poëtis passim dicitur. *Heins.*

73 *Proximus Hesperias, &c.*] Secunda die Februarii occidit omnis Lyra. Occiduntur etiam Leonis terga. *Hesperias abiturus in undas*] Quasi occasurus, mersurus se in undas Hispanas.

76 *Ubi est hodie*] IV. Nonas incipit Lyræ et medii Leonis occasus; at hujus matutinus est, Lyræ vero vespertinus. *Neap.*

77 *Dumque lyram quærit*] *Quæret*, et *demit* paulo ante, meliores libri. *Heins. Dum Lyram quæret*] Quæ jam tota disparuit. *Medii terga Leonis*] Mediæ partis posterioris; nam anterior occiderat. Nunc totum cosmice occidit. Sic cosmice totus oritur Aquarius, qui illi est oppositus.

79 *Quem modo cœlatum, &c.*] Delphinem oriri quinto idus Januarias, superiore libro diximus. Nunc vero inquit, tertio Nonas Febr. hoc est, tertia die mensis, Delphinum occidere. *Cœlatum stellis*] Ornatum stellis. Nam stellas habet novem.

81 *Felix in Amoribus index*] Legat puer quæ ex Eratosthene transcripsit insignis ille Augusti libertus Poëticῶn Astronomicῶn lib. II. 18. *Neap. Felix index*] Qui fœliciter amorem indicavit. De amoribus Neptuni intellige. Nam Neptunus quo tempore voluit Amphitriten uxorem ducere, et illa, cupiens virginitatem servare, cum ad Atlantem fugisset, complures ad eam quæsitum dimisit. In his et Delphina quendam, qui pervagatus insulas, ad virginem pervenit, eique persuasit, ut Neptuno nuberet: pro quo facto delphinis effigies inter sidera collocata est.

82 *Lesbida lyram*] A Lesbo insula. *Cum domino*] Hoc est, cum Arione; qui ex Methymna urbe Lesbi fuit. Hic musicæ artis peritia nulli secundus. Ejus historia a Plin. lib. IX. delibatur, itidem et a Gellio. *P. Seu tulit ille Lyram*] Sive is Delphinus, qui vexit ad Tænaron Ariona Methymnæum. Sequitur nunc flebilis casus: ne putes fabellam: fuit ad tempora Periandri, qui claruit circa XXXVIII. Olympiaden. Vide notas Jos. Scaligeri ad Eusebii annum MCCCXCVIII.

85 *Lupus est a voce retentus*] Lege *hac voce;* et sic unus Vaticanus. *Heins.*

87 *Una jacuere sub umbra*] *Umbra cubuere sub una* Zulich. Mazar. Arond. et quatuor alii; bene: sic Virgil. in Culice, 'At circa passim fessæ cubuere capellæ.' *Idem.*

88 *Et stetit in saxo proxima cerva leæ*] Illud *in saxo* cum sit omnino odiosum hoc loco, non dubitem codi-

cis Puteanei lectionem admittere, in quo *infestæ leæ:* ut alibi, ‘ Non docet infestos currere cerva canes.’ *Idem.*

89 *Cum Palladis alite cornix*] *Corvus* Mazar. prim. Medic. et octo alii. Sed de noctuæ et cornicis inimicitiis vide Ælian. Hist. Animal. libro III. 9. *Idem.*

91 *Cynthia*] Diana, a Cyntho monte in Delo insula.

92 *Tanquam fraternis*] Velut Apollineis.

93 *Siculas impleverat undas*] Quid mirum, si peragrarat eam insulam et universam Italiam? Vetus editio *Siculas impleverat urbes.* Neap.

95 *Inde domum repetens, &c.*] Ubi ditatus fuerat in Italia, redire volebat Corinthum ad Periandrum, in Lesbon insulam, in suam patriam. *Inde*] Ex Italia. *Puppim*] Corinthiorum navim. *P. Inde domum repetens*] Tarento ultimo profectus. *Neap.*

99 *Districto ense*] Alii *destricto;* quod præstat: infra sic ‘ deripere ensem vagina ;’ de quo hoc libro vs. 794. agemus. *Heins.*

100 *Cæteraque armata*] *Armata est* Ursini, Voss. Arondel. Maz. Zulich. et alii complures. Lego *Cæteraque armatæ conscia turba manus:* in quibus loquendi modis Noster est totus: sic infra hoc ipso libro, vs. 636. ‘ Parca precaturæ sumite vina manus.’ Et lib. IV. ‘ montes ululatibus implent, Et feriunt mœstæ pectora nuda manus.’ Ita utroque loco ex fide veterum librorum est scribendum. *Idem.*

101 *Dubiam puppim*] *Pinum* liber Pomp. Læti et unus Farnes. placet. *Idem.*

102 *Non hæc sunt digitis arma tenenda*] *Ferenda* quinque libri. Scribe *terenda:* sic Art. Am. ‘ Clypeo manus apta terendo est,’ ex antiquis itidem libris. *Idem.*

103 *Ille metu pavidus*] Imo *vacuus;* atque ita in uno Moreti pro diversa lectione erat notatum. Met. III. ‘ Ille metu vacuus, Nomen mihi, dixit, Acœtes.’ Met. X. ‘ Isque metu vacuus, naturalique pudore Deposito, celebrare domos.’ Seneca Hippol. ‘ Tutum esse facinus credis et vacuum metu? Erras.’ Mox pro *sed liceat,* duo codices cum Mazar. *si liceat;* bene, si *deprecer* quoque præcedenti versu legas. *Idem.*

107 *Induerat Tyrio distinctam murice pallam*] *Bis tinctam* primo legendum ex castigatioribus. Artis Amat. III. ‘ Nec quæ bis Tyrio murice lana rubes :’ ubi perperam plurimi ex scriptis *de Tyrio.* Quale mendum etiam e Martiali eluendum puto in Xeniis Epigr. LXXXVII. Murices: ‘ Sanguine bis nostro tinctas, ingrate, lacernas Induis :’ *de nostro* enim et illic legitur. Nam quod in Apophor. Epigr. CLIV. habes, ‘ Ebria Sidoniæ cum sim de sanguine conchæ,’ de dibaphis illic non agi ipsum lemma Epigrammatis satis evincit. Fulgentius præfatione Mythologiæ de Calliope, ‘ talo tenus bis tinctam recolligens vestem.’ Pro *pallam* quidam codices *Lanam:* ut Horat. ‘ te bis Afro Murice tinctæ vestiunt lanæ :’ sed vulgata lectio præstat; palla enim citharœdorum vestis. Stat. Theb. IX. ‘ bis Œbalio saturatam murice pallam’ dixit. ‘ Sidonio recocta fuco purpura,’ et ‘ bis coctus aëno Sidonius murex’ Apollinaris. ‘ Sidonium bis cocti muricis ostrum’ Alcimus Avitus de laude Virginitatis. Horatius, ‘ Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ.’ ‘ Assyrio bis lauta colore Vellera’ Virgil. in Culice. ‘ Sidonio repetita aheno Lana’ Auctor Herculis Œtæi. Sed modus non esset. Pro *Induerat* multi veteres *Induit et.* Legam libenter *Induitur.* Scriptum nimirum fuerat *Induit turio,* cum geminari syllaba debuerit. *Idem.* *Tyrio distinctam murice*] Ἔνηλον sive ἐμπόρφυρον· nostri dicerent ‘ prætextam clavo purpureo.’ Nam clavus parvula erat aut rotunda figura, qua vestes undique pingebantur; sive

fascia, qua illæ in extremis oris ornabantur: Græcis *παρυφὴ* aut *σημεῖον*. Nec aliud 'distincta murice,' quam pluribus clavis ex purpura picta seu ex eadem fasciis prætexta: sed palla et cultus citharædi belle depingitur a Cornificio lib IV. ad Herennium. Sed codex noster sic legit hunc versum: *Induit et Tyrio depictam murice vestem.* Neap.

108 *Reddidit icta*] *Reddit et* tres scripti: unus *Reddit tacta.* Heins.

110 *Trajectus penna tempora cantat olor*] *Threicius* est in Zulich. Mazar. a manu prima, et uno Farnes. ac Medic. Locus haud dubie mendosus, cui medicinam non nunc fero. Pro *canentia tempora* recte etiam *candentia* tres scripti: *olos* etiam *ἀρχαϊκῶς* Ursini liber. De oloribus alibi nihil simile legi; quare suspectum habeo hoc distichon. *Idem.*

113 *Delphina se supposuisse*] Quo alludit Propert. II. Eleg. 25. de somnio naufragii, ad Cynthiam: 'Sed tibi subsidio Delphinum currere vidi, Qui puto Arioniam vexerat ante lyram.'

115 *Ille sedet, citharamque tenet*] *Sedens* et *tenens* libri meliores; vel, *sedens tenet,* quod malo: *citharam quatiens* nonnulli: et pro *vehendi, ferendi.* Forte *citharamque ferit* vel *terit.* Idem. *Et cantat pretium vehendi*] Id est, pretium et mercedem vecturæ: ita ut suave illud carmen esset uberrimum vecturæ pretium. Et pro ipsa vectura hic poni potest, in cujus mercedem cantabat. *P. Pretiumque vehendi*] Debitum seu mercedem. Terent. 'Pretium,' inquit, 'ob stultitiam fero.' *Neap.*

121 *Sacras Nonas*] His Patris patriæ cognomentum Cæsar Augustus accepit. Lege Suetonium l. II. c. 58. Contigit hoc anno DCCLVIII. septem annis post decimum tertium Augusti Consulatum. *Neapol. Dum canimus sacras, &c.*] In Nonis Februariis Augustus pater patriæ est appellatus: unde eo die festum rei tantæ celebrabatur. *Dum canimus sacras Nonas*] Superius dixit, tutela Dei carere, ac si nulli Deorum sacræ essent: et nunc 'sacras' appellat, ob auctos Augusti titulos: et cum ea die eo honore decoratus fuerit, 'sacras' appellavit, quia publico consensu consecratas.

122 *Maximus his factis*] Lege *fastis* cum scriptis: pro *his* multi *hic;* tres *hinc,* quod placet. *Adcelebratur* etiam sex veteres. *Heins.*

127 *Sancte*] De hoc vide Tranquill. Poëta inquit, patres, equites, et plebem hoc ei nomen dedisse.

128 *Hoc dedit*] De hujusmodi honore, vide Dionis Cassii judicium, l. LIII.

129 *Res tamen dedit*] Nomen hoc scilicet. *Ante*] Antequam dederat senatus, et populus: quia re ipsa eras pater patriæ.

130 *Pater orbis erat*] Primæ editiones et multi ex scriptis *urbis.* Heins.

133 *Concedes*] Rectius alii *concedas.* Idem.

135 *Te Tatius parvique Cures*] *Tatii* tres scripti: ut apud Propertium IV. Eleg. 10. 'Sic Sancum Tatii composuere Cures;' ita enim legi malim, quam *Tatiæ:* vide notas supra l. I. vs. 261. 'Parvi Cures' etiam Virgilio. *Idem. Te Tatius, &c.*] Romulus cum finitimis tantum pugnavit, cum Sabinis, cum Cenniensibus, quorum regem obtruncavit, cum Antenatibus, et postea cum Veientibus. Terminus autem imperii Romuli decimus octavus ab urbe lapis fuit. At Augusto principe, universus orbis Romano paruit imperio. Tatius, rex Sabinorum. *Ceninaque*] Et oppidum hoc non longe ab urbe fuit. *Cures*] Sabinorum oppidum.

139 *Rapis*] Quia fictis ludis cum convenissent finitimi, multas rapuit. *Hic*] Augustus scilicet. *Castas esse*] Observare pudicitiam. Instauravit

enim Augustus legem Juliam, ad coërcendos adulteros. Unde est: 'Ubi nunc, lex Julia? dormis?' *Recipis nefas*] Quasi nefarios et sceleratos homines. *Paul.*

140 *Reppulit ille nefas*] *Submovet* meliores magna ex parte. Trist. v. 2. 'nullas submovet ara preces.' *Heins.* *Reppulit ille nefas*] Exemplum sit ædes Dianæ Ephesiæ, cui asyli jus antiquum ab Alexandro et Mithridate concessum; auxit deinde duobus stadiis Antonius. *Neapol.* *Submovet ille nefas*] Inter cæteras Augusti laudes hæc quoque commemoratur virtus: 'evaganti frena licentiæ Injecit, amovitque culpas, Et veteres revocavit artes.' Horat. Od. IV. 15.

142 *Tenet nomen principis*] Augustus autem (ut testis est Tranquillus) 'domini' appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit. *Paul.* *Principis ille tenet*] Quam oderit Augustus 'Dominum' se appellari notarunt Suetonius, Philo Judæus, et alii: Principis vero titulum admisit ea forte de causa, ob quam et ita dici Tiberio placuit; eam subindicat Cassius. *Neap.*

143 *Te Remus incusat, &c.*] Exprobrat Romuli immanitatem.

144 *Pater*] Mars. Nam Martis filius Romulus creditus. *Cœlestem fecit te*] Retulit te in Deos; quasi dicat, Non tuis meritis, sed patris. *Cœlestem fecit patrem*] Julium Cæsarem; quia nepos et hæres ejus fuit. Solvit illi divinos honores, et pro Deo coli voluit. *Paul.*

145 *Jam puer Idæus*] Aquarius, quem quidam Ganymedem esse volunt, oritur ipsis Nonis Febr. media alvo tenus antecedit solem orientem. Quod hoc tempore fieri necesse est, sole Piscibus propinquante: cum Aquarius et oriatur et occidat capite prius quam reliquis membris. *Ant.* *Media tenus eminet alvo*] Intellige de dimidiato Aquario oriente: sic aliqui hoc signum non totum oriri voluerunt, ut Aratus, quem Noster in multis secutus. Vide et Hipparch. II. 14. *Neap.* *Puer Idæus*] Ganymedes Trojanus: ab Ida monte prope Ilium, de qua raptus fuit.

148 *Mitior aura Deo*] *Mollior* meliores; lib. III. Artis, 'Et Zephyri molles auraque, dixit, ades.' Vide Notas ad Epist. III. 42. *Heins.*

149 *Quintus ab æquoreis*] Non Idibus (ut male Bersmannus; nam Idus expressim paulo post consecrat Fauni festo) sed V. Idus: nec alia Poëtæ mens. Plin. confert in diem tertium post Nonas l. XV. 3. et l. II. 47. Incerti auctoris παράπηγμα, quod his Fastis assui solet, statuit VIII. Idus. *Neap.* *Nitidum jubar extulit*] *Exerit* Voss. Arond. et septem alii: *caput exerit* Zulich. et Mazar. Sequenti versu *tempora veris eunt* pro *erunt* tres scripti; ut in Amorib. 'tempora noctis eunt:' et hoc ipso libro, 'Fauni sacra bicornis eunt:' et lib. VI. 'tacitæ tempora noctis eunt.' Opinor scribendum, *Quintus ubi æquoreis nitidum jubar exerit undis Cynthius, en primi tempora veris eunt.* Heins.

152 *Relinquet hyems*] *Reliquit* meliores: nonnulli etiam *relinquit* cum Naugeriano. *Idem.*

153 *Tertia nox veniet*] *Veniat* ex melioribus repone: sic sæpe Noster infra. *Idem.* *Tertia nox aderit*] Tertio idus Februarias Bootes, qui et Arctophylax dicitur, oritur. Non quod oriatur et occidat, sed cum in plaustro sit, quod vertatur circa cardinem, in ipsa vertigine videatur occidere: et cum se elevat, oriri. Arctophylax dictus est, quasi ursæ custos.

154 *Geminos exeruisse pedes*] III. Idus est Arcturi ortus vespertinus: quæ stella sita in medio crurum τοῦ Ἀρκτοφύλακος. Vetus παράπηγμα, III. Idus: 'Subsolanus spirat, Arcturus oritur.'

155 *Jaculatricem Dianam*] Ἰοχέαι-

ραν hanc vocant. *Calisto*] Veteres scribunt *Callisto*, recte. *Neap.* *Inter Hamadryadas, &c.*] Aggreditur nunc fabellam ipsam, quæ et in Metam. et ab Hesiodo et ab aliis pluribus refertur.

156 *Calisto sacri pars fuit una chori*] Quasi una Nympharum sacri chori inter Hamadryadas et Dianam jaculatricem.

159 *Cynthia*] Diana.

160 *Dixit eris*] *Semper* Voss. Arondel. prim. Med. Mazar. ut *dixit* subintelligatur. *Heins.*

162 *De Jove*] *A Jove* prim. Vaticanus et duo alii. Lege *ab Jove:* dictum supra l. I. *Idem.* *A Jove crimen habet*] Qui indutus Dianæ facie virginem compressit. *Neap.*

167 *Hic, ait, in sylva*] *Hac* scripti meliores. Puto *Hac, ait, in lympha.* Heins. *O virgo Tegeæa*] O Callisto Arcadica, a Tegea oppido Arcadiæ.

168 *Erubuit falso sono*] Non vero nomine virginis: nam virgo esse desierat. *Paul.*

170 *Dat mala signa moræ*] *Male* legendum omnino, vel invitis membranis. Lib. III. 'Tu quoque Thebanæ male præda tacebere matris.' Trist. III. 10. 'Pellibus et sutis arcent male frigora braccis:' et l. IV. 6. 'Sic male quæ video non videoque nocent:' et l. V. 7. 'Pellibus et laxis arcent male frigora braccis:' qui loci vulgo mendosi circumferuntur. *Heins.*

173 *Perjura*] Quia juraverat virginitatem se esse servaturam. *Lycaoni*] Callisto, Lycaonis filia.

174 *Castas pollue, dixit, aquas*] *Sacras* octo libri: sed Cato Diris, 'Dulcia rura valete, et Lydia dulcior illis, Et casti fontes.' At l. II. Met. in hac fabula, 'I procul hinc, dixit, nec sacros pollue fontes, Cynthia.' *Idem.*

175 *Impleral cornibus orbem*] Implere cornibus orbem Luna dicitur, cum ἐκ τῆς μηνοειδοῦς πανσέληνος fit.

179 *Utque feræ*] Malim *fera pellice.* Heins.

182 *Amata Jovi*] *Amanda* Voss. Arond. Mazar. et Zulichemianus. *Heins.*

183 *Jam tria lustra*] Erat jam puer Arcas quindecim annos natus, cum venator factus est matri obvius. *Jam tria lustra*] Aperte lustrum nostro est spatium quinquenne (de hoc apud litteratos adhuc controversia): nam de eodem puero alibi, 'Ter quinque ferens natalibus annos.' *Neap.*

187 *Hanc puer ignarus, &c.*] Venator filius inscius, matrem non agnoscens, illam interemisset, ni Jupiter miseratione motus, ambos in cælum rapuisset: eamque Arcton, filium autem Arctophylaca, nominavit.

191 *Canamque adiit Saturnia Tethyn*] *Canamque rogat* libri meliores; quidam et *petit.* Heins.

192 *Mænaliam*] Arcadicam: a Mænalo Arcadiæ monte.

193 *Idibus agrestis fumant, &c.*] Idibus Februariis fiunt sacrificia in honorem Fauni, cujus templum erat in insula Tyberina, in angulo superiore: et eadem die Fabii fuere ad Cremeram cæsi, de quo nunc agetur. *Paul.* *Fumant altaria Fauni*] In Kalendariis nulla fit mentio hujus celebritatis. Forsan his Idibus iterabant veteres memoriam dedicationis: nec quidem hoc die sacratum ei fanum reperio; non ita annum, qui fuit DIX. ab urbe condita. Liv. l. XXXIV. *Neap.*

194 *Aquas*] Quasi in ipso insulæ angulo, quo flumen in duas partes dividitur.

195 *Hæc fuit illa dies*] Sed annus CCLXXVI. Diodorus l. XI. Ἐν Ῥώμῃ δὲ ὕπατοι καθειστήκεσαν Τίτος Μινούκιος· et verius, Μενήνιος καὶ Γάϊος Ὡράτιος Πουλούϊλλος· et post multa subdit hanc cladem Fabiorum. Dies vero quam recenset Ovidius, cum lego Livium sub limen l. VI. si verus ille, quod ita sentio, aliquantisper anxium me habet; et miror in hanc foveam doctiss. Poëtam incidisse. Nota Historici verba: 'Tum de diebus

religiosis agitari cœptum, diemque ad XV. Kalendas Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fœde pugnatum, a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nulli publice privatimque agendæ fecerunt.' *Neap.* *Veientibus armis*] *Arvis* Mazar. Læti, Nauger. et tres alii, quod malo: nam 'arma' sequitur: cæterum Ursini liber *Volscentibus armis;* sed id contra fidem historiæ, etsi cum Volscis bellum sub eandem tempestatem gessere Romani. *Heins.*

196 *Cecidere*] Occubuere.

197 *Vires et onus susceperat urbis*] Ergo quod unius erat civitatis, una gens suscepit. *Paul.* *Et onus susceperat urbis*] Nam Resp. in eo bello milite et pecunia inanis erat; et hanc et militem obtulit gens Fabia. *Neap.*

198 *Sumunt*] *Sumite* codex Læti et unus Farnesianus: vide quæ infra, vs. 638. hoc libro, mox a me dicentur. *Heins.*

201 *Carmentis portæ dextra est via proxima Jano*] *Dextro Jano* Zulich. Mazar. Polit. Læti, et octo alii; bene; quod et Neapolis vidit. Liv. l. II. in hac narratione, 'Infelici via a dextro Jano portæ Carmentalis profecti.' Pro *Carmentis* Ursini liber, Mazar. Zulich. et sex alii *Carmenti:* an *Carmenti porta?* Erat autem ædes hæc Jani extra portam Carmentalem: vide Festum in *Religioni est.* Idem. *Dextro est via*] Porta Carmentalis ea, quæ etiam solita nuncupari Veientina et Tarpeia; nam huic directo Capitolium incumbebat: sed a clade Fabiorum dicta exinde Scelerata. *Neap.*

202 *Quisquis es, omen habet*] *Quæ fera nomen habet* Ursini liber: non probo; scelerata enim dicta, ut ex Festo patet, non fera. Sequens distichon ab Ursini, Petavii, et aliis quibusdam abest. *Heins.* *Omen*] Malum: quia qui per eam egressi sunt, interempti sunt Fabii.

205 *Ut celeri passu, &c.*] Venere ad fluvium Cremeram, qui non longe a Veiis fluit: ibi castra posuere. *Rapacem*] Ideo 'rapacem,' quia tunc augebatur imbribus. *Cremeram tetigere rapacem*] *Tenuere* unus Medic. unus Moreti, cum prima editione. Adi Notas l. III. 219. *Heins.*

206 *Hibernis ille fluebat aquis*] Sub initium Brumæ Urbe profectos credibile sane est: nam post castellum prope Cremeram exstructum, et infestationes aliquas a Fabiis in agrum hosticum illatas, Καὶ ὁ μὲν, inquit Dionys. l. IX. χειμὼν ἐκεῖνος ἐτελεύτα. *Neap.*

207 *Districtis ensibus*] *Destrictis* libri meliores; ut supra 99. *Heins.*

208 *Tyrrhenum per agmen*] Hetruscum.

209 *Libyca de gente leones*] *De rupe* meliores magno numero cum primis editionibus. *Heins.* *Libyca*] Nam Libya nutrix est leonum: et præcipue Mauritania, quæ est pars Libyæ.

211 *Inhonestaque vulnera tergo*] Cui opponitur, 'pectus percussit honestum.' Et Tacit. 'Vulnera ipso loco decora.' Πρηνὴς honeste cadit: ὕπτιος, minus honeste: Hom. passim. *Vulnera accipiunt*] Phrasis Virg. 'nec vulnera tergo Accipiunt.' Æn. III.

213 *Sic iterum, sic, &c.*] Sæpe victores fuere Fabii: unde cum Veientes aperto Marte nihil proficerent, occultas insidias paravere.

214 *Armaque tecta*] *Operta* unus Puteaneus: alter, *cæca;* quod placet: unus Patavinus *cæcata;* proximæ verum. Statius Theb. II. 'Insidias natura loco cæcamque latendi Struxit opem.' *Heins.* *Arma tecta*] Sic Virg. Æn. III. 'Tectosque per herbam Disponunt enses, et scuta latentia condunt.'

218 *Turba latet*] Malo *latent.* Heins.

224 *Quodque vident, sternunt*] *Quosque* multi ex scriptis. *Quodque vi-*

dent, spernunt Voss. Mazar. Zulich. et duo alii : tres *Quosque vident spernunt;* optime. Nam et Livius notat a Fabiis nimia sui fiducia fuisse peccatum. *Idem.*

227 *In apertos undique campos*] Recipies te ad Epist. v. vs. 77.

230 *Restet, adest*] *Habent* Ursini, Maz. Zulich. et decem alii. *Heins.*

231 *Silvis latratibus actus*] Alii *latrantibus;* sed elegantissime mehercules duo Mazar. duo Farnesiani, et unus Vaticanus *silvis Laurentibus.* Noster Metam. xiv. 'Exierat tectis Laurentes Picus in agros, Indigenas fixurus apros.' Virgil. 'Ac velut ille canum morsu de montibus altis Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos Defendit, multosque palus Laurentia, silva Pastus arundinea :' quæ Noster hoc loco respexit. Horat. Sat. ii. 4. 'Umber, et iligna nutritus glande, rotundas Curvat aper lances carnem vitantis inertem. Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.' Martial. Epigr. ix. 19. 'Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum Misimus.' Idem x. 45. 'Ilia Laurentis cum tibi demus apri.' Hinc et in Catalectis poëtarum veterum: 'Vite Sabine, Lacon sulco, sue cognite Laurens.' *Idem.*

237 *Ut tamen Herculeæ, &c.*] Erant Fabii e sanguine Herculeo. Nam rediens ex Hispania Hercules, et, ubi postea Roma condita fuit, hospitatus, cum Arcadica puella concubuit, e qua natus est Fabius, a quo principium et originem sumsit familia Fabiorum. Provisum est ergo a Diis ea clade, ut aliquis ex Herculea domo superesset. *Ut tamen Herculeæ*] Hanc antiquitatem isti familiæ tribuere veteres, Silius Italicus et alii : ex Hercule scil. et Evandri filia Vinduna primum Fabium natum. Certe ante urbem conditam mentio hujus gentis : ea est, quam Remus habuit sociam.

240 *Unus de Fabia gente*] Hoc sibi persuadere non potuit Dionys. Halicarnassensis ; idque non uno probat argumento : se ea quidem super re disserit, qua vix aliud certius apud Historicos.

241 *Olim tu, Maxime, nasci*] De hoc viro incomparabili loquuntur fere omnia quæ exstant Romanorum monumenta. *Neap. Olim*] In futurum.

242 *Res restituenda*] Ex Ennio 'Unus homo nobis cunctando restituit rem.'

243 *Continuata loco tria, &c.*] Nocte post Idus Februarias, hoc est, decimosexto calendas Martias, Corvus, Anguis, et Crater oriuntur. *Continuata loco*] In eodem loco; et ob id continuata, quia occupant spacium Cancri, Leonis, et Virginis. Aut continuata, qui simul sociata sunt, Corvus, Anguis, et Hydra.

244 *Inter utrumque latet*] Cum *latent* mox sequatur, accedo Mazar. Voss. Arond. et aliis multis, in quibus *jacet;* ut recte Neapolis : unus Vaticanus *micat.* Heins.

245 *Illa*] Sidera : scilicet Corvus, Anguis, Crater. *Idibus latent*] Quia tunc non oriuntur cosmice, hoc est, quando sol occidit. *P. Oriuntur nocte, &c.*] xvi. Calendas. Columellæ vesperi oritur Crater : et addit sub idem tempus venti mutationem. *Neap.*

246 *Quæ tibi cur tria sint tam sociata canam*] *Consociata* Voss. Arondel. prim. Medic. septem alii; bene. In mortem Drusi, 'Quodque etiam magno consociata Jovi es.' Horat. Od. ii. 3. 'Umbram hospitalem consociare amant.' Phædrus Fab. 68. 'Novissime interdicit, ne cum malefico Usum bonus consociet ullius rei.' Avienus Fab. 19. 'Quos meritis nullus consociaret honos.' Utitur etiam eo verbo frequenter Tullius. Pro *tibi* quoque probe *sibi* tres scripti cum Zulichemiano. *Heins.*

247 *Forte Jovi Phœbus*] Cætera hæc φορτικὰ disces clarius a Mythologis.

249 *I mea dixit avis*] Statius lib. ii.

Silvar. de Corvo: 'Plangat Phœbeius ales.' *Neapol.* *O mea avis*] O corve. Corvus enim est sub Apollinis tutela, qui prius albus erat. At niger factus est, revelato adulterio Coronidis puellæ a Phœbo amatæ, de qua natus est Æsculapius, ut in Metam. II.

250 *E vivis fontibus*] E scaturienti fonte.

251 *Corvus inauratum, &c.*] Obtemperaturus Phœbo corvus, accepit craterem deauratum, et volare occœpit.

256 *Dulcia poma mora*] *Mitia* unus Patavianus optimæ notæ. Virg. Eclog. I. 'sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles, et pressi copia lactis.' Horatius Epod. II. 'Vel cum decorum mitibus pomis caput Autumnus arvis extulit.' Arnob. lib. V. 'in puncti spatio poma extulit mitia perfectionis propriæ maturitate completa:' contra 'cruda,' vel 'acerba;' quæ et 'dura' paulo ante dixit. Noster Amoribus, 'Pomaque crudeli vellis acerba manu.' *Heins.*

262 *Fatidicum verbis*] *Versis* Mazar. *veris* Hamburg. Puto *veri*: ut Met. XII. 'veri providus augur Thestorides.' *Idem.*

263 *At tibi, dum lactens*] Plin. lib. X. 12. 'Corvi ante solstitium generant: iidem ægrescunt sexagenis diebus, siti maxime, antequam fici coquantur autumno.' *Lactens hærebit in arbore ficus*] Ficus lactens est viridis et recens. Lac vocarunt Latini fici rorem, qui Græcis ὀπὸς, et στακτὴ cuidam Anonymo, qui scripsit Alexandri vitam. *Neapol.*

264 *Bibentur aquæ*] *Bibantur* rectius septem veteres. Est enim imprecantis. *Heins.*

265 *Monumenta perennia*] *Patentia* Ursini liber: sic lib. VI. 'Hæc hominum monumenta patent.' Lib. IV. ex veteri libro, 'Factum abiit, monumenta patent.' *Idem.*

267 *Tertia post Idus, &c.*] Decimoquinto calendas Martias fiunt in honorem Fauni Lupercalia: quæ quamvis a Romulo sint qui dicant instituta fuisse, tamen in Latio ab Evandro originem habuere. In Panis ergo honorem hac die constituta sunt Lycæa ludicra, quæ a nostris Lupercalia dicta sunt. Fiebant autem a nudis Lupercis: tecti tamen erant caprina pelle. Nam quo habitu simulacrum ipsius Dei figurabatur, eo habitu sua sacra fiebant. *Nudos Lupercos*] Fauni sacerdotes, qui Lupercalia sacra faciebant in Lupercali, ut Varro inquit. Locum enim, ubi sacra hæc fiebant, a Romanis Lupercal, a Græcis Lycæum. *Paul.* *Tertia post Idus*] XV. Kalendas Martias erant Lupercalia: nomen habuere a Lupercis; quorum plures sodalitates. Una fuit Fabiorum, alia Quintiliorum, et hæ antiquissimæ: addita postea ea Juliorum a C. illo Cæsare. Cujus institutionis mentio apud Dionem lib. XLIV. Γεροποιούς τε ἐς τοῦ Πανὸς γυμνοπαιδίας τρίτην τινὰ ἑταιρίαν ἣν 'Ιουλίαν ὠνόμασαν. Tria ergo Romæ Lupercorum collegia, quæ sacra quotannis rite facerent: hæc aliquantum remissa Augusti ævo, sed eodemmet restituta. Sueton. lib. II. 'Nonnulla,' inquit, 'etiam ex antiquis cærimoniis paullatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium, sacrum Lupercale.' *Nudos Lupercos*] De hoc more Plutarch. in C. Cæsare. Vide et Dionys. lib. I. Nudum etiam corpus tum illis unctum, ut ex Appiano apparet lib. II. Bel. Civil. Uncti igitur et seminudi discurrebant vicatim ludentes; hinc Ludii appellati. *Paul.*

268 *Et Fauni sacra bicornis*] Huic Deo suspicor capras illas immolatas: ex harum sanguine tunc duo juvenes fronte linita, lana, lacte madida, eam detergebant, nec sine risu. Vide Plutarch. in vita Romuli. Canes etiam in eo sacrificio cæsos, vid. apud eundem. *N.* *Sacra bicornis erunt*] *Eunt* libri meliores plerique: dictum supra vs. 149. *Heins.*

270 *Latius unde petita domos*] Ex Ar-

cadia primum suspicatur cum Evandro translata: et in hanc sententiam Plutarchus Romulo et Clem. Alexandr. Strom. lib. I. de Carmenta: ἧς υἱὸς Εὔανδρος, ὁ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ Λουπέρκιον καλούμενον κτίσας. Hoc fanum auxerunt postea magnis ædificiis Romani, ut auctor Halicarnass. lib. I. nam vetus illud Arcadium fuit humile et in spelunca, multa fronde tecta.

271 *Coluisse feruntur Arcades*] Quippe quem ἐπιχώριον. Et sane nulla prorsus fuit urbs aut angulus in ea regione, in quo sacrum aliquod huic Pani non esset. Lege Arcadica Pausaniæ. *Neapol.*

273 *Testis erit Pholoë*] Φολόη mons ejusdem regionis. Strabo lib. VIII. nomen sortitus a Pholo illo Herculi intimo, ibi sepulto. Vide Diodor. Βιβλιοθ. lib. IV. *Testes Stymphalides undæ*] Stymphalus urbs in Arcadia et ejusdem nominis amnis. Pausan. lib. VIII.

274 *Quique citis*] Hic defluit e paludibus Phenei. *N.* Est Ladon Arcadiæ fluvius: qui cum prius exitum non haberet, paludem faciebat. Postea terræ motu alveum invenit.

275 *Nemoris*] Nonacris etiam inter colles Arcadicos. Adi Plin. lib. IV. 6. Is unus e quo fluebat Stygos hydor; cujus admiranda petas e Vitruvio lib. V. 3.

276 *Altaque Trœzene*] Trœzen et Trœzene est urbs Arcadiæ. *Parrhasiæque nives*] Parrhasiam superius Arcadiam dictam fuisse diximus, et erat etiam Parrhasia urbs. Sed hic Parrhasiæ nives, quasi nivosi omnes Arcadiæ montes. *Altaque Trœzene*] *Trœzene* non dicitur, sed *Trœzen* apud vetustiores Græcos ac Latinos scriptores; et ut dicatur, tamen Arcadiæ ea civitas non sit, sed Peloponnesi. Lege igitur *Cyllene* cum Voss. Mazar. Zulich. et decem aliis. Puteaneus et Dousæ liber *Tigene*. Κυλλήνη, ὄρος Ἀρκαδίας· unde Mercurium quidam dictum volunt Cyllenium. Sic Met. lib. V. 'Usque sub Orchomenon, Psophidaque, Cyllenenque, Mænaliosque sinus, gelidumque Erymanthon, et Elin Currere sustinui.' Met. lib. I. 'Et cum Cyllene gelidi pineta Lycæi:' ubi *Cylleno* perperam scribitur. Lib. VII. 'Dextera Cyllene est;' non *Cyllena* cum vulgatis. Hujus montis meminit et Fast. V. Noster. Statius quoque Theb. IV. ubi varia Arcadiæ loca recensentur. *Heins.*

277 *Pan illic numen aquarum*] Ursini, Maz. Zulich. et octo alii, codex Pom. Læti, et tres alii, *Pan erat armenti custos, Pan numen aquarum:* quod amplector, si legas *equarum.* Idem. *Pan illic numen, &c.*] Hinc in Græcorum Epigrammatis nil frequentius reperies, quam Pani Deo vota piscatorum: de his alicubi Zosimus Thasius: πρὸς νηῷ Πανὸς ἔθεντο λίνα· ad felicem sane capturam. *Neapol.*

279 *Transtulit Evander*] Quo tempore jam notavimus primo Fastorum. *Neapol.*

281 *Pelasgis*] Hoc est, ab Arcadibus. Nam superius diximus Arcadiam aliquando appellatam fuisse Pelasgiam, aliquando Lycaoniam, aliquando Gigantida, aliquando Parrhasiam.

282 *Flamen ad hæc prisco more Dialis erat*] *Erit* duodecim scripti: duo *inest.* Pro *ad hæc*, Mazar. et quatuor alii *ab hoc;* totidem *adhoc;* tres *adhuc;* unus *ob hoc.* Ursini liber et duo alii distichon hoc omittunt. Forte, *Flamen ad hæc prisco more Dialis erat.* Heins. *Dialis erat*] Ne titubes. Idcirco hujus sacris flamen hic affuit, quia Pan universa natura creditus, et ipse Jupiter: norunt Mythici.

283 *Cur igitur currant*] Nunc dicendæ veniunt causæ celerrimi cursus et positæ vestis: quibus diutius insistit. *Neapol.* *Si currere mos est*] *Sic* cum scriptis plerisque. *Heins.*

286 *Et subitas concitat ipse fugas*] *Concitat ille feras* Mazar. unus Vati-

canus et Moreti; quam veram lectionem arbitror. Hi terrores πανικὰ vocabantur, καὶ πανικὰ δείματα· de quibus in Miscellaneis vir summus Angelus Politianus. Apposite Val. Flaccus lib. III. ubi de Pane, ‘ Ludus et ille Deo, pavidum præsepibus aufert Cum pecus et profugi sternunt dumeta juvenci.’ ‘ Concitare,’ ut supra lib. I. ‘ fugiens concitat omne nemus;’ et sic sæpe alibi. Ursini tamen codex et quinque alii *concipit fugas;* non minus eleganter: pro qua lectione erudite, ut solet, multa Gronovius Observat. lib. IV. 14. Reliqui codices *concipit feras.* Idem.

287 *Jubet ire ministros*] *Amat ire* codex Thuaneus. *Idem.*

290 *Luna prior*] Hinc Arcades προσέληνοι, id est, Antelunares dicti sunt.

291 *Vita feris similis*] *Fere et* unus Vaticanus. Lege *feræ similis,* pro ferinæ. Sed nec male Mazarin. *Vita fere silvis nullos agitata per usus.* Sequenti versu *rude vulgus erant* unus Moreti pro diversa lectione, rectius quam *erat* cum vulgatis. *Heins.* *Vita feris similis*] Vid. Diod. Siculum in primo: Τοὺς δὲ ἐξ ἀρχῆς γενηθέντας τῶν ἀνθρώπων φασὶν ἐν ἀτάκτῳ καὶ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας, &c. *Neap.*

294 *Hausta duabus aqua*] Cum neque poculi neque vini usus erat. *Neapol.*

297 *Nullus usus equi, &c.*] Equo vehi Bellerophon primus edocuit. *Se quisque ferebat*] Non vehebatur equo, sed ambulabat.

298 *Lana sua*] Quia non tondebatur ad hominum vestes.

299 *Sub Jove durabant*] Sub dio: hoc est sub aperto cœlo: quia tectis carebant. Durabant ergo, quasi patienter perseverabant sub aëre. *Paul.* *Et corpora nuda gerebant*] Diodor. Siculus in primo: τοὺς οὖν πρώτους τῶν ἀνθρώπων, μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων εὑρημένου, ἐπιπόνως διάγειν, γυμνοὺς μὲν ἐσθῆτος ὄντας, &c. Primus Pelasgus subvenit his malis. Vide et Pausan. lib. VIII.

301 *Detecti*] Hoc est, nudi.

305 *Juvenis Tirynthius*] Hercules, a Tiryntho oppido. *Forte comes dominæ*] Cui serviebat.

306 *Faunus*] Ipse Pan. *Vidit utrumque*] Herculem et Omphalen. *Ab excelso loco*] A summo monte.

309 *Humeros perfusa capillis*] De hac et alia crinium textura Lucian. ἐν τοῖς Ἐρῶσι sub finem. Quin sic capillum gestabant; nodo ad summum verticem religabatur. Sic et Apuleius de quadam, Metam. lib. II.

310 *Mæonis*] Nam Omphale domo Lydia. Mæones antiquitus dictæ Lydiæ populi. Strabo lib. XIII. Herodot. lib. I. sub initium. Et nomina barbarica variis obnoxia mutationibus: nam et *Meones* antiquior scriptura quam *Mæones.* *Gætulo murice tinctam*] Compones ex auro et purpura vestem χιτῶνα ὁλοπόρφυρον, χρυσῷ κατάπαστον, sive melius διάχρυσον σηρικὸν, coloris vero purpurei, non ex lana: nam tunicæ epithetum est ‘ tenuis,’ quod Latinis scio passim pro serico in usu. Poëta de crocota: ‘ Tenui succincta crocota.’ Et hæc e serico fuit. *Neapol.*

311 *Tepidos umbracula soles*] Rectius decem libri *rapidos;* quo fervorem solis exprimit. Amor. lib. III. 5. ‘ Sint rapidi Soles, siccaque semper hyems.’ *Heins.* *Tepidos umbracula Soles*] Umbraculum τὸ σκιάδιον: quod ex pellibus et e qualibet divite materia concinnari poterat, quæ Solis radios arceret. *Neapol.*

313 *Jam Bacchi nemus et Tmoli vineta tenebant*] Numeri in hoc versu turbati. Puteaneus codex et unus Farnes. *Jamque nemus Bacchi:* duo alii τὸ *et* non agnoscunt. Lege, *Jam Bacchea nemus Tmoli vineta tenebant:* ita ‘ Bacchei ululatus,’ pro Bacchicis, Met. lib. IV. Malo autem *tenebant* quam *tenebat,* quod in plerisque est: sic Virgil. Æn. VI. ‘ Inde datum

molitur iter: jamque arva tenebant Ultima;' Æneas, nempe, et Sibylla. *Heins.* *Tmoli vineta*] Τμῶλος Lydiæ mons, imminet Sardibus: quæ olim regia fuit Lydorum. Hinc nostro, ' vineta Tmoli,' et Græcis celebris οἶνος Τμωλίτης, de quo Strabo lib. XIV. *Neapol.*

314 *Hesperus*] *Hesperos* Petavianus: sic bis scriptum offendi Fragmento Prognosticorum Germanici in vetusto codice Puteaneo. *Heins.*

315 *Laqueata et pumice vivo*] Rotundius decem veteres *laqueataque*. Idem. *Tophis laqueata*] Natura magistra: nam tophus est nativus. *Neapol.*

318 *Cultibus Alciden instruit illa suis*] Quod illustrat Senec. Hippolyt. vs. 317. ' Natus Alcmena posuit pharetram, Et minax vasti spolium leonis; Passus aptari digitis smaragdos, Et dari legem rudibus capillis: Crura distincto religavit auro, Luteo plantas cohibente socco; Et manu, clavam modo quæ gerebat, Fila deduxit properante fuso,' &c. Et in Herc. Furente, vs. 65. ' Fortem vocemus, cujus ex humeris leo Donum puellæ factus, et clava excidit, Fulsitque pictum veste Sidonia latus? Fortem vocemus, cujus horrentes comæ Maduere nardo?' &c. Et alibi. ' Sed usitatum est Herculi: captas amat. Ubique caluit, sed levi caluit face.' *Alciden induit illa*] O viro forti injuriam: sed quia mortalis, ὀλισθηρός. Risit tamen id factum Herculis Tertullianus in pallio: vocando illum, 'Scytalosagittipelligerum.' *Induit illa suis*] *Instruit* vetustiores; recte: sic Epist. IX. de hac eadem, ni fallor, Omphale: ' Instruxitque manum clava domitrice ferarum.' Hinc ' instrumenta' pro cultu. Initio Trist. ' Felices ornent hæc instrumenta libellos.' Met. XI. ' Instructamque fidem gemmis et dentibus Indis Sustinet a læva:' hoc est ornatam; ita libri vetustiores. *Heins.*

319 *Dat tenues tunicas*] Has ἁβρὸν κύπασσιν vocavit Dictinus Poëta vetus; traditque ab eadem in templo Dianæ consecratas. Hesych. Κύπασσις, περίζωμα καὶ χιτῶνος εἶδος. *Neap.* *Gætulo murice*] Purpura ex Africa. Gætuli enim Afri sunt.

322 *Magnas manus*] *Vastas* liber Pomponii Læti et duo Farnesiani pro diversa lectione; quod placet: nam ' magni pedes' sequuntur. *Heins.*

324 *Scindebant magni*] *Stringebant magnos* quinque codices. *Idem.*

328 *Secubuere toris*] Nam in castu fuisse debebant, qui mane se rei sacræ immisturi erant: receptissimus ritus apud veteres. In sacris Isidis factitatum observo disertim ex Juvenale Sat. VI. vs. 536. ubi maritus, si puris et observandis diebus a concubitu uxorio non abstinuerat, veniam a Dea impetrat pro violato cadurco. Inde lectum, in quo per eos cubabant, variis herbis substernebant, quibus vis aliqua ad tutelam castitatis; quod summa cura factum Athenis in Thesmophoriis. Erat autem in usu conyza, pinus folia, cneorum, vitex, et cicutæ liquor, &c.

329 *Repertori vitis, &c.*] Huic potissimum, cujus Γεραιραὶ in Limnis, ubi fiebant τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια, cogebantur, antequam sacra attrectarent, hanc sacramenti formulam proferre: 'Αγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας· καὶ τὰ Θεόγνια καὶ 'Ιοβακχεῖα γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. Sunt verba Demosthenis. *Neap.* *Quia sacra parabant*] Bene Zulich. Mazar. Voss. et alii nonnulli, *pia sacra*. Heins.

333 *Vinoque solutos*] Ita meliores: quidam tamen *sepultos;* quos inter Zulich. et Læti codices: alii *gravatos* vel *jacentes*. Idem.

334 *In dominis esse soporis idem*] Itidem dormire dominos, ut famulos putabat.

339 *Setis hirsuta leonis*] Quibus Omphale Herculem mentiebatur. *Neap.*

340 *Pertimuit*] Quia putabat Herculem esse.

341 *Attonitusque metu rediit, ceu sæpe viator*] Lege *sepe*, viso in sepibus angue; nisi *vepre* malis: nam in vepribus angues frequentissimi. Hinc de iis Lucretius lib. IV. ' nam sæpe videmus Illorum spoliis vepres volitantibus auctas.' *Riguit* etiam Voss. Arond. Zulich. Mazar. et tres alii, ne bis idem dicat. At Ursini, Læti, Petavii, et plurimi alii, *rediit ut sepe viator*. Vide Notas Epist. VI. 31. Respexit illa principis poëtarum, 'Ως δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη Οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, Ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρείας. Quæ et Maro in animo habebat. ' Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit.' Phædrus: ' Viator est deductus in eundem locum, Feroque viso rettulit retro pedem.' *Heins.*

344 *Mendaci decipiturque nota*] Id est, falso signo muliebrium ornamentorum.

345 *Ascendit*] Ostendit hac vocula fuisse λέχον ejusdem βατήριον. Hæc pro literatis. *Spondaque sibi propiore*] Sponda significat hic quamlibet cubilis partem: et bene. Nam spondas dixere Latini utraque lecti latera, sed cum discrimine: nam quæ parieti hærebat interior dicta, sive pluteus; altera exterior, sive prior: in hac cubasse viros observo. *Neapol.*

346 *Et tumidum cornu durius inguen erat*] *Cupidum* Mazar. unus Moreti *rigidum:* Gottorph. *rigido*. Probe. Petronius, ' Rogo adolescentulus mecum nocte dormiat: nisi illud tam rigidum reddidero quam cornu.' Vide Notas Amor. III. 7. 67. *Heins.*

349 *Cætera tentantem*] *Cunctantem* unus Medic. Dixi ad Claudian. lib. II. in Stilichon. *Idem.*

352 *Mæonis*] Omphale Mæonia.

356 *Lyda puella*] Omphale ex Lydia. *Puella*] De eadem Propert. ' Lydia Gygæo tincta puella lacu.'

357 *Fallentes lumina vestes*] En secundam caussam nudi incessus: nunc pensita aliam, quæ subsequitur. *Neap.*

359 *Adde peregrinis*] *Peregrinæ* Arondel. Mazar. Zulich. unam enim solummodo causam retulit. *Heins.* *Peregrinis*] Ut Græci, quicquid suum non erat, barbarum et exoticum dixere, ita Romani peregrinum: unde his peregrina lingua quævis extera: peregrina sacra colebantur eorum more a quibus accepta; ut hæc Lupercalia, illa Matris Idææ, &c. *Neap.*

361 *Cornipedi Fauno*] *Cervipedi* Zulich. eleganter: quomodo ' Capripes' idem dictus: et ' Capripedes Satyri' Lucretio ac Horatio. *Heins.*

363 *Transsuta*] Quasi trajecta.

364 *Exta parant*] Ex ritu antiquissimo, et exta ex victima sibi parare, eademque assa non elixa. *Neap.* *Medias sole tenente vias*] *Fovente* idem Zulich. Mazar. Voss. et Arond. *medium sole tenente diem* Læti et unus Farnes. *Heins.*

367 *Cæstibus et jaculis et missi pondere saxi*] Voss. Mazar. Zulich. et tres alii, *Vectibus:* alii nonnulli cum Petaviano *Vestibus:* unus Vatic. *Utribus;* ut harpastum intelligat. De cæstu certe minus placet, qui ludus Romanis vix in usu. Vectes, seu sudes, militare exercitium. Conjunxit hæc tria, vectes nempe, jacula, et saxa Silius etiam libro primo. ' Nunc sude, nunc jaculo, nunc saxis impiger instat.' Cæterum hoc distichon duo codices aut tres non agnoscunt, et videtur ex superiori conflatum. *Nisi* etiam *saxi* meliores. *Idem.* *Et missi pondere saxi*] Solo brachio, an funda se exercuerint, ex his non colligo, licet veteres Glossæ λιθοβόλους *fundibalos* exponant: in qua vocula nihil τοῦ σφενδόνης. *Neapol.*

370 *Et Reme dixit, agunt*] Arondel. Voss. Mazar. et unus Vaticanus *eripe;* quod elegantius omnino, et animi consternati ac præsentissimam

opem urgentis signa egregie prodit. Sic apud Val. Flaccum lib. VI. ‘Mars sævus ab altis, Hostis io, conclamat, equis, agite, ite, propinquat.’ Et apud Silium lib. II. ‘mihi gloria magnæ, State, venit pugnæ.’ Noster Trist. III. 9. ‘tumulo speculator ab alto, Hostis, ait, nosco, Colchidi, vela, venit.’ Ita locum mendosissimum puto esse scribendum. Vide quæ illic notavi. *Heins.*

372 *Occursu præda recepta Remi*] Lege *accursu* vel sine libris: lib. VI. ‘Territa voce sui nutrix accurrit alumni.’ Apud Horatium Sat. I. 9. ‘Accurrit quidam notus mihi;’ sic præstantiores codices, non *occurrit:* ut et apud Maronem Æn. V. ‘primusque accurrit Acestes.’ *Idem.*

373 *Detrahit exta*] *Detulit* Voss. Arond. Mazar. et unus Patavinus: an *depulit?* Idem.

375 *Dicta facit, &c.*] Facit Remus cum Fabiis quod dixerat. Fabii enim erant Remi socii, et Quintilii erant Romuli.

380 *Et memorem famam, qui bene gessit, habet*] *Quod bene gessit* Ursin. Mazar. Zulich. Petavianus, et multi alii: Voss. *quam bene;* puto pro *quum:* Excerpta Politiani et opt. Mediceus, *quod bene cessit.* Scribe *quis bene cessit, habent.* Met. X. ‘seu quod male cesserat illi, Sive fidem dederat.’ Seneca Controv. XXVIII. ‘Nescit, quod bene cessit, relinquere;’ sic ille sæpe: vel, *si bene cessit, habent.* Epist. Herm. ‘Pars hæc una mihi conjux bene cessit Orestes.’ Trist. V. 12. ‘An quia cesserunt primo bene carmina.’ Pont. IV. 2. ‘Utiliter studium quod tibi cedit, ama.’ Horatius Sat. II. 1. ‘neque si male cesserat, usquam Decurrens alio, neque si bene:’ ubi libri quoque veteres plerique, *gesserat.* Severus Ætna, ‘Nec cuiquam cessit melius sua tempora nosse.’ Vetus Epitaph. ‘Nec tibi, nec nobis æternum vivere cessit.’ *Heins.*

381 *Cur sit locus ille Lupercal*] Quærit etymon Lupercalis; quod locus in quo Fauni sacra fiebant. Et primo ad lucem narratiunculæ præfero Dionysii verba de nemore, quo scapha cum geminis expositis recessit: Ἐλέγετο δὲ Πανὸς εἶναι τὸ νάπος, καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τοῦ θεοῦ. *Neapol.*

382 *Quæve diem tali nomine*] Voss. Arondel. Mazar. Zulich. et sex alii, *tanto nomine.* Forte *noto nomine.* Heins.

383 *Sylvia Vestalis cælestia semina partu*] *Ilia* rectius Voss. et sex alii libri. Virgil. ‘Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.’ Et alibi, ‘Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater Educet.’ Atque ita eam vocat passim Noster: ut Amor. lib. III. 6. Trist. II. infra lib. III. ex veteri Arondeliano, ‘Ilia Vestalis, quid enim vetat inde moveri?’ Noster alibi, ‘Romulus Iliades Iliadesque Remus.’ Et lib. III. ‘Iliadæ fratres.’ *Cælestia semina partum* Bonon. venusta appositione: duo alii *cælesti partu.* Heins. *Sylvia Vestalis, &c.*] Historiam aggreditur ortus et expositionis Romuli et Remi. Nam ubi expositis lupa lac tribuit, locus ille Lupercal dictus est. *Sylvia*] Quæ Rhea et Ilia dicta est. *Paul. Sylvia*] Hinc eadem de se ipsa in III. ‘Ignibus Iliacis aderam, cum lapsa capillis Decidit ante sacros lanea vitta focos.’

384 *Patruo regna tenente suo*] Amulio, qui fratre pulso regnum occupavit. *Neap. Vestalis*] Vestæ sacerdos, Numitoris filia. *Ediderat*] Pepererat, enixa erat partu. *Cælestia semina*] Gemellos pueros semine cælesti, hoc est, Marte, genitos. *Patruo suo*] Amulio, qui Numitorem fratrem regno fraudarat.

388 *Flent tamen, et geminos*] Lege, *ut geminos in loca jussa ferunt.* Ita sæpe apud nostrum peccatur. *Loca sola* quidam ex melioribus: etiam bene. *Heins.*

389 *Albula*] Fluvius, ita ab aquæ colore appellatus: sed cum in eo

mersus esset Tyberinus, qui Calpeto Albanorum regi successit, Tyberis appellari cœpit.

390 *Hibernis forte tumebat aquis*] M. Varro de L. L. lib. IV. 'Germalum a germanis Romulo et Remo, quod ad ficum ruminalem et hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expositos.' Clarum ex his hiemali tempore in lucem editos. *Neapol.*

391 *Hic ubi nunc fora sunt, &c.*] Ita inundaverat Tyberis, ut æquos circa se campos occcuparet. *Fora*] Hoc est, forum Romanum, et forum boarium, et piscarium.

392 *Jacent valles, Maxime Circe, tuæ*] Circus maximus dictus est, quod circum spectaculis ædificatis, ibi ludi fiunt: et quod ibi circum metas fertur pompa, et equi currunt. *Paul. Quaque jacent valles*] Vallis Circi maximi eadem cum ea quæ dicta Murcia, caveæ clamoribus nobilis. *Neap.*

393 *Huc ubi venerunt, neque enim procedere possunt Longius*] *Nec jam procedere* bene Ursini liber, et unus Patavinus: unus Farnes. *ubi nunc ventum est.* Lege, *Huc ubi perventum est.* Lib. I. 'Huc ubi perventum est, consistite, præscia mater.' *Heins.*

394 *Longius*] Propter aquas ipsas. *Unus et alter*] *An alter* Arond. et Maz. eleganter. Sic initio lib. IV. meliores libri, 'Saucius, an sanus, nunquid tua signa reliqui?' Et eodem libro, 'Unaque pastorem vidisset an arva colentem Vox erat.' Auson. 'Rex, an Tyrannus, Lydiæ Crœsus fuit,' sive Tyrannus. Idem in Epitaph. 'Et jam desieras puer, anne puella, videri.' Remed. Amor. 'Daunius an Libycis missus tibi bulbus ab oris, An veniat Megaris, noxius omnis erit.' Juvenalis Satyra II. 'O proceres, censore opus est an aruspice vobis.' Gratius, 'Deus ille, an proxima Divis Mens, fuit.' Sallustius apud Servium Fuldensem, 'Perrexere in Hispaniam an Sardiniam.' Vetus Epigramma; ut in vetustissimo codice scribitur, 'Nec sibi congressi vir nocet an mulier.' *Heins.*

395 *Ah quam sunt similes, ah quam*] *At* utroque loco Ursini et Petavii codd. bene. Martial. 'At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira, Quam placida nostras respuit aure preces!' Est autem admirationis hic, alibi et indignationis. Vide Notas ad Epist. XII. initio. *Idem.*

396 *Ex istis iste vigoris habet*] *Ex illis iste* Zulich. Maz. Arond. Voss. et multi alii; recte: unus Farnesianus et Læti codex *ex istis ille;* quod tantundem. *Idem. Iste vigoris habet*] Haud dubie hic Romulus. *Neapol.*

397 *Nisi fallit imago*] *Ni fallit* quatuor: unus Farnes. *non.* Lege, *nec fallit.* Heins.

398 *Nescio quem e vobis*] *In vobis* Maz. et duo alii. Excerpta Politiani et tres alii probæ notæ *Nescio quem vobis;* probe: scilicet auctorem, quod sequitur proximo versu. *Heins.*

401 *Ferret opem certe*] Ad matrem refer. *Idem. Si non ope mater*] Nam sacerdos illico vincta, in custodiam data. *Neapol.*

403 *Nata simul moritura simul*] Verba famuli lacrymantis ad puellulos. *Neapol. Moritura simul*] Duo veteres *peritura.* Sequenti versu opt. Patavinus *Pignora* pro *Corpora;* etiam venuste. *Heins.*

405 *Vagierant ambo pariter*] *Vagierunt* Petav. Ursin. et Nauger. bene, ut jam monui Epist. VII. Septem codd. *Vagierant clamore pari: sentire putares.* Recte, si *Vagierunt* rescribas. Epist. Canaces, 'Vagitus dedit ille miser; sensisse putares.' *Idem.*

407 *Sustinet impositos, &c.*] Alveus ille cum pueris parumper innatavit. *Sustinet*] Non dejecit, sed sursum tenet. *Summa unda*] Super summam undam. *Paul. Cavus alveus unda*] Hac vocula plura adsignificarunt veteres: hic valet pro, cavato ligno. Est et

Latinis *alveus* πύελος, quod Græcis *solium.* Neapol.

408 *Heu quantum fati parva tabella tulit*] *Dedit* Petav. pro diversa lectione: *vehit* tres alii: duo *curva tabella tulit:* alter Mazar. et unus Med. *curva tabella fuit.* 'Fatum fuit;' eleganter: sic Propertius Eleg. II. 1. 'Huic misero fatum dura puella fuit.' Remed. Amor. 'Auxilium multis succus et herba fuit;' quæ vera scriptura. Amor. II. 1. 'Clausa tuo majus janua fulmen erat;' ut et illi codices vetusti. Martialis Epigr. IV. 12. 'Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.' Pro *curva* tamen *tabella,* malim *curta tabella fuit:* dixi Amor. II. 2. sæpe in voce *curtæ* peccatum: sic Trist. lib. I. 1. 'Contigerisque tuam scrinia parva domum:' cum libri veteres *curva* agnoscant; ego *curta* scribendum opinor: ut et 'curta theca' apud Martialem pro *curva* lib. XI. Epigr. 59. 'Curtum larem' dixit Horatius Epist. I. 7. 'Gaudentem parvisque sodalibus et lare curto:' ita veterrimi libri; non *lare certo.* 'Curtum mulum' idem Sat. I. 6. et 'curtos Judæos,' 9. Sic 'curta fides patriæ' apud Juvenal. Sat. XIV. et 'curtum enthymema' Sat. VI. ut illic quoque vetus codex. *Heins.* *Tulit parva tabella*] Alveus ipse.

411 *Arbor erat, remanent vestigia*] Quia adhuc ejus tempore truncus apparebat, nondum penitus aruerat. *Paul.* *Quæque vocatur Rumina*] Ut et ficus ruminalis, a mamma: Glossæ, *rumis;* θηλὴ ἀρχαϊκῶς. Festus: 'Mamma autem dicitur sive ruma et rumen.' *Neapol.*

412 *Romula nunc ficus, Rumina ficus erat*] *Rumina nunc ficus, Romula ficus erat,* Ursini liber, Zulich. Maz. et duo alii; recte: neque aliter in codice suo emendarat magnus Scaliger: quatuor *Rumula,* mendose. Vidit veram quoque ex Livio lectionem Illustrissimus Neapolis. 'Ruminalis fici' præter Livium meminerunt Plutarchus in Romulo, in Problem. et de Romanorum Fortuna, Varro de L. L. et lib. I. de scenicis Originibus, Plinius lib. XV. 18. Tacitus Annal. lib. XIV. Servius ad Æneid. VIII. Festus; alii. *Heins.*

416 *Perdere*] *Prodere* Thuan. et alter. Petav. eleganter: vide Notas Rem. Am. vs. 457. *Idem.*

418 *Et fingunt lingua*] Perperam scripti multi *lingunt* vel *lambunt.* Adi Notas ad Epist. XX. 134. *Idem.* *Et fingit*] Ut in quinto hujus operis de Achille juxta ægrum Chironem, 'manibus fingebat amicis.'

419 *Ubera ducunt*] Male alii *sugunt.* Trist. I. 7. 'Quæque tibi quondam tenero ducenda palato Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.' Cicero initio lib. III. Tusc. Quæst. 'Simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem duxisse videamur.' Ita scribo. Juvenal. Satyr. XII. 'quem jam pudet ubera matris Ducere.' Nec dubito quin in Germanici Arateis quoque reponendum sit, 'si vere Jupiter infans Ubera Cretææ duxit fidissima capræ;' ubi *mulsit* nunc legitur. Prudentius tamen passione S. Romani, 'Multo ante clara, quam capellam Gnosiam Suxisse fertur Jupiter Martis pater:' nisi et illic *duxisse* reponi placet. *Heins.*

420 *Nec sibi promissa lactis aluntur ope*] Scripti maxima ex parte *promissi: Et sibi promissi* duo: *Nec sibi promissi* Voss. Mazar. et quinque alii: *Et sibi permissi* Ursin. et unus Vatic. bene. *Idem.*

421 *Illa loco nomen fecit, &c.*] A lupa ergo Lupercal locus ille appellatus est. *Locus ille*] *Ipse* meliores. *Heins.*

423 *Arcadio dictos a monte Lupercos*] Accedit novum alterum etymon, a Lycæo, scil. Arcadiæ monte. *Lupercum* enim vere reddes Græce Λύκαιον, et *Lupercalia* Λύκαια: quæ festa in ea

regione antiquissima; et congruunt aliquantum cum nostris. Vide Plutarch. in vita Cæsaris. Hæc instituta a Lycaone Pelasgi filio. Vide Pausan. sub initium lib. VIII. *Neapol.* *Dictos a monte Lupercos*] Lege *ductos*: hoc est, originem trahere ex Arcadia: sic infra lib. III. 'A te principium Romano ducimus anno;' ubi male *dicimus* vulgo: lib. I. 'Ipsa mone, quæ nomen habes a carmine ductum:' lib. III. de Saliis, 'a saltu nomina ducunt.' *Heins.*

427 *Fœcunda patienter verbera dextræ*] Plutarch. in Romulo: 'Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem et partum ratæ.' Idque non a plebeis solum, sed a nobilissimis matronis factitatum. *Neapol.*

428 *Optatum nomen*] *Optati* concinnius Maz. *Heins.*

429 *Nam fuit illa dies*] Aperit nunc, unde mos fuerit Lupercis, pellibus caprarum obvias quasque cædendi: hæc enim verbera non ex Evandri adventu, sed post annos plurimos, post raptas Sabinas, ut vides, in urbe recepta. Subjicit ergo quod in alio non reperies, ob diuturnam in concipiendo sterilitatem a sexu muliebri aditum lucum Junonis Lucinæ; cumque suppliciter medelam a Dea his malis optaret, auditum ex luco ferunt, ut hircus nuptas iniret. Quod insignis Augur Etruscus interpretatus, cædendas mulieres corio caprarum, quas Luperci Deo Pani facerent. Dictum factum: pristinæ fœcunditati matronæ restituuntur, Lupercis jus verberum datum. *Neapol.*

430 *Pignora rara*] Rarum fœtum: quia raro parturiebant.

435 *Monte sub Exquilio, &c.*] Lucus Junonis intactus ferro erat sub monte Exquilino. In hoc ergo luco supplicatum est Junoni a nuptis et viris. *Incæduus*] Quasi non cæduus. *Paulinus.*

436 *Lucus erat*] Vide Varronem lib. IV. L. L. in Exquiliarum etymologia.

441 *Italidas matres, inquit, sacer hircus inito*] *Italias* multi ex melioribus scriptis: de quo Met. XV. 9. unus Farnes. *Etalides*: an *Œbalidas?* ut l. III. 'Inde diem, quæ prima, meas celebrare Kalendas Œbalides matres non leve munus habent.' Deinde pro *sacer hircus* lege cum Maz. duobus Vatic. et Strozzæ libro *caper hirtus*: Vossii *caper hircus*. Sic et 'hirtæ capellæ' Virgilio et Avieno ora Marit. caper enim proprie hircus castratus, a quo iniri non poterant. *Heins.*

444 *Ab Etrusca venerat exul humo*] Peperit hæc tellus peritissimos artis auguralis. Scitum illud, Attium Nævium, hujus disciplinæ virum magnum, his a patre traditum, ut eam solum edisceret.

445 *Jussæ sua terga puellæ*] *Maritæ* rectius tres scripti, atque in iis opt. Mediceus. *Heins.* *Sua terga puellæ percutienda dabant*] Vere interscapilium, quod Latinis pars sub collo, Græcis τὸ κάτωμον: unde nostrum verbum catomidiari, quod proprium in Lupercalibus: vide Scholiast. Juvenalis, ad illud, 'Agili palmas præbere Luperco.' *Neapol.*

447 *Decimo nova cornua mense*] *Motu* plerique scripti; et recte: ut in Observationibus jam monuit doctissimus Gronovius. Vide notas nostras ad Epist. XI. 46. Quidam codices *cursu*. Heins.

448 *Mater erat*] Concinnius *erant*. Idem.

450 *Principium lucis habes*] Quia tu nascentes ad lucem producis, inde a luce *Lucina* dicta es. *Principium tu, Dea, lucis habes*] *Eras* duo scripti; et pro diversa lectione Zulich. quod placeret, nisi verbum id ipsum clausisset pentametrum præcedentem. *Heins.*

453 *Orta dies fuerit, &c.*] Jam omnes Lupercalium causas absolvit, et longius in his immoratus redit ad in-

stituta, hoc est, ad dierum ordinem: monetque, post Lupercalia die proxima, quæ erit decimo quarto Kalendas Martias, hoc est, decimo septimo die Februarii, credendum non esse ventis, et ob id minime esse navigandum. *Orta dies fuerit*] Eadem Lupercalium: hac Sol in Piscibus, et ventorum inconstantia per dies sex. Hanc ἀκαταστασίαν faciunt etiam Ægyptii a XXI. fere Februarii usque ad XXVI. *N.*

454 *Perdidit aura fidem*] Non minus elegans, quod libri tres veteres agnoscunt, *Prodidit fidem:* sic 'prodere fidem,' pro fidem fallere Sallustio Catilinaria: 'sed ea sæpe fidem prodiderat, creditum abjurarat.' Cicero in Lucullo, 'Prodere officium aut fidem.' 'Prodere commissa fidei' Horatius Sat. I. 3. quo et illa Propertii alludunt de Tarpeia lib. IV. Eleg. 4. 'Prodiderat portæque fidem patriamque jacentem.' Superiori etiam versu *fuerit*, pro *fuerat*, legendum cum plerisque codicibus. *Heins.*

456 *Carceris Æolii*] Virgil. Æneid. I. 'heic vasto rex Æolus antro Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.' Αἴολον, ὅστ' ἀνέμοις αἰθρηγενέεσσιν ἀνάσσει. Argon. 4. vs. 765. Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων. *Janua lata patet*] Scribe *laxa* cum uno Ambros. et Gottorph. Amor. I. 8. 'Clausa sit oranti tua janua, laxa ferenti.' Et lib. III. 1. 'Quam tu non poteris duro reserare cothurno Hæc est blanditiis janua laxa meis.' Sic contra 'janua stricta,' et 'adstricta.' Vide Notas Amor. III. 1. 50. *Heins.*

457 *Jam levis obliqua, &c.*] Eadem die sol relicto Aquario, Piscium ingreditur signum. *Obliqua urna*] Oblique enim spectat et urna, qua aquas effundit versus pisces: et ideo 'obliqua.'

458 *Proximus*] *Protinus* quinque libri: et duo superiori versu *subsidit.* Heins.

459 *Te memorant*] Causam refert Piscium in cœlo locatorum, quæ et ab Hygino traditur. Pisces vero duo sunt: alter Notius, alter Boreus dicitur. Boreus inter æquinoctialem et æstivum circulum sub Andromedæ brachio collocatus, arcticum polum spectans constituitur. Alter in zodiaco extremo sub scapulis Equi, non longe ab æquinoctiali circulo collocatus spectat ad occasum: sed pariter in cursu vadunt, et eodem micant tempore. *Paul.* *Nam juncta micatis Signa*] Junguntur enim modo illo cœlesti, quem Græci dicunt συνδεσμὸν τῶν ἰχθύων. *Neap.*

461 *Terribilem quondam fugiens*] Dione, Hesiodo teste, Oceani et Tethyos filia, et Veneris mater fuit: sed sæpe a Poëtis pro ipsa Venere ponitur, ut et hic. *Fugiens quondam Typhona*] Typhon unus e filiis Terræ fuit.

463 *Venit ad Euphratem*] Sed qua Syriam perluit, quam inundat, et Taurum penetrat, licet ab ipso ducat originem: hanc enim habet ἐν τῷ προσβόρῳ μέρει τοῦ Ταύρου. Vide Strab. lib. XI.

464 *Inque Palæstinæ*] Tres enim veteribus Syriæ: Συρία Κοίλη, Φοινίκη, Παλαιστίνη. Vide Ulpian. in lib. I. de Censib. et apud Tibull. sic legend. contra mentem Scaligeri: 'Alba Palæstino sancta columba Syro.' Hæc Syria Palæstina, eadem quæ Judæa. Hinc et Strabo Judæos jungit cum Syris, lib. XVI. *N.*

465 *Populus, &c.*] Delituit Venus cum filio inter populos arbores, et cannas, et salices, qui in ripis erant.

466 *Hos tegi*] Venerem cum filio. *Hos quoque posse tegi*] Lege *his quoque* vel *hic;* nam in uno codice Vatic. *hoc* extat: in quatuor aliis *se quoque. Salices has* Maz. et Zulich. *Heins.*

467 *Insonuit vento nemus*] *Intonuit* Mazar. Voss. pr. Med. et quatuor

alii: sic sæpe 'tonare' pro sonare apud Poëtas. *Idem.*

472 *Pro quo nunc cernis sidera numen habent*] Voss. Arondel. Mazar. et tres alii, *dignum sidera munus;* quod secutus sum. Posset et *nunc cœlum sidera munus habent* legi: sic Art. Am. 'Munus habe cœlum.' *Dignum sidera nomen* alii: *Pro quo, quæ cernis, sidera nomen* Nauger. Petav. Zulich. et tres alii: *nunc cernis sidera nomen* Ursin. et plurimi alii. Forte, *Pro quo nunc cerni sidera munus habent.* Idem.

473 *Genus hoc imponere mensis*] Quod hæc gens fuerit *ἄπιχθυς*, non dubium. Athenæus lib. VIII. *ὃς διὰ τὰ Σύρων πάτρια καὶ ἡμᾶς τῶν ἰχθύων ἀπεστέρησεν.* Hinc Comicus ille Timocles apud eundem de Hyperide *τοῦ ὀψοφάγου*: Τοὺς *ἰχθυοπώλας οὗτος ἡμῶν πλουτιεῖ.* 'Οψοφάγος *γὰρ ὥς τε τοὺς λάρους εἶναι Σύρους.* Caussa cur piscibus abstinuerint, non eadem omnibus. *Neapol.*

474 *Ne violent*] *Nec violant* libri meliores. *Heins.* *Timidi Syri*] Ad religionem spectat epithetum; ut in Lemuralibus, 'timidusque Deorum.' Convenit et Syris, qui priscis fuere pietate insignes. An conjectura Scaligeri verior, allusisse Nasonem ad Syriam phrenesim? ex esu enim piscium timuit ea gens, ne sibi venter aut membrum aliud intumesceret. *Neap.*

475 *Proxima lux vacua est*] XIV. Kalendas Martias. *At tertia dicta Quirino*] XIII. Kalend. Erant Quirinalia Instituta hæc non eodem die quo Romulus esse desiit in terris, sed multo post ejus excessum. *Neapol.*

477 *Sive quod hasta Quiris*] *Cures* Ursini et Petavii liber: *curis* Maz. Zulich. et quatuor alii; recte, ut et Neapolis vidit. Adi Festum in ea voce; etiam in *Quirinus* et *Quirites.* Heins. *Priscis est dicta Sabinis*] Testes M. Varro, Festus, Plutarch. &c. Inde iidem Sabini Martem primo Curinum appellarunt, et tractu temporis Quirinum; cujus statua illis et Romanis nihil aliud quam hasta.

478 *Bellicus a telo*] Festus: 'Curis est Sabine hasta: unde Romulus Quirinus, qui eam ferebat, est dictus.' *Neapol.*

479 *Sive suo Regi nomen*] *Suum Regi nomen* meliores. *Heins.* *Sive Quirites*] Romani. *Suo regi nomen posuere*] Quod a Quiritibus Quirinus sit dictus.

480 *Junxerat Cures*] Sabinos. *Romanis*] Nam ubi inter Romanos et Sabinos compositæ res fuere, par honor Romulo et Tatio datus est, et ex duobus populis unum fecere. *P.* *Junxerat ille Cures*] Hac tamen lege, ut Romani a Tatii patria Curites dicerentur, urbs antiquum ei nomen a Romulo impositum servaret. Vide Plutarch. in vita hujus Principis. *Neapol.*

487 *Quem tu tolles, &c.*] Duo veteres, *in cærula cœli.* Utrumque haustum ex Ennii Annalibus, de eodem Rege in numerum Deorum adscribendo. *Neapol.* *In cærula cœli*] Ita Regius, Petav. Zulich. et Mazar. probe. Reliqui *in sidera*, vel *ad sidera:* vide Notas Met. XIV. 814. *Heins.*

490 *Cœli pondera*] Nam Atlas fingitur cœlum humeris sustinere. *Pondera movit Atlas*] Bene etiam meus liber, *pondera sensit Atlas.* *Pondera movit Atlas*] *Sensit* quinque nostri: ut Met. IX. 'sensit Atlas pondus.' Alii *novit.* Heins.

491 *Capreæ dixere paludem*] *Capream* bene primus Med. sic supra 'Carmens porta,' quæ Carmentalis: 'Collis Quirinus' lib. XIV. Met. pro Quirinali. Infra hoc ipso libro ex veteri codice *penetralia Collatina;* atque ita passim veteres. 'Flumen Tolenum' lib. V. itidem ex antiquis libris: sic via Appia, via Flaminia, via Domitiana, via Trajana, forum Trajanum, aqua Marcia, aqua Claudia, Basilica Ulpia, horrea Sulpicia, et infinita hujusmodi in antiquis monumentis. *Idem.* *Capreæ dixere paludem*] A qua Nonas illas Quintiles dic-

tas aliqui putarunt Caprotinas: ego vero de etymo magis ad Varronem proclino: 'Quod eo die,' inquit, 'in Latio Junoni Caprotinæ mulieres sacrificant.' L. L. lib. v. Vide et Plutarch. postrema in vita Romuli, ἡ δ' ἡμέρα ᾗ μετήλλαξεν. *Neapol.* *Capreæ paludem*] De Caprotinis invenies aliquid in Art. Am. II. vs. 257.

492 *Forte tuis*] *Viris* Maz. Zulich. *Heins.*

493 *Sol fugit, et removent*] Malo *en removent.* Idem. *Sol fugit*] Notarunt hanc Solis defectionem in Romuli excessu veterum omnium monumenta: sed Dion. Halicarnass. addit rem miram in ejusdem regis conceptione observatam; quem vide, illo loco: Ἔοικε δὲ οὐ μικρὰν ἀφορμὴν παρέχειν τοῖς θεοποιοῦσι τὰ θνητά, &c. *Neapol.*

495 *Hinc tonat, hinc missis*] *Intonat emissis* Mazar. et quinque alii: unus Patav. *immissis.* Heins.

496 *Rex*] Romulus scilicet. *Astra petebat*] Quasi cœlum ascendebat. *Patriis equis*] Equis Martis. Curru enim suo Mars illum in cœlum referebat. *P.* *Fit fuga*] Græci inquiunt, diem illum Romani τὴν τροπὴν τοῦ πλήθους, id est, POPLIFUGIA, appellarunt, ut habet vetus Kalendarium. Vide et Varron. lib. v. de L. L. et Macrob. *Neap.*

497 *Luctus erat, &c.*] Flebat populus Romuli mortem, et parricidii senatus accusabatur: creditumque esset, a patribus interfectum fuisse, nisi adveniens ex Alba Julius Proculus jurasset, vidisse Romulum humana forma augustiorem; et alia, quæ mox dicemus.

499 *Sed procul e Longa*] Scribe, *Sed Proculus Longa veniebat Iulius Alba.* Quomodo codex Læti: duo Farnes. unus Patav. Zulich. et Mazar. optime, et ex fide historiæ; *Iulius* enim *Proculus* passim vocatur a scriptoribus. Sic Livius, Halicarnasseus, Plutarchus, Florus, Jul. Obsequens, Xiphilinus, Tatianus contra Græcos, Lactantius, Tertullianus et Augustinus non uno loco: nisi quod *Proculum* nonnulli ex iis, omisso *Iulii* prænomine, appellarunt. *Heins.* *Veniebat Iulius Alba*] Hic fassus Romulum vidisse, et in eo quid humano majus, isti creditum, et sedati plebis animi, cum et dictis jusjurandum addidisset. Vide Xiphilin. sub finem Augusti. Perjurium illud velut hæreditarium postea usui fuit in omni Cæsarea consecratione. Vide et Just. Martyr. Apologia II. 'Producentes quempiam quo jurejurando confirmet, vidisse se e rogo in cœlum ascendere ardentem Cæsarem!' *Neapol.*

500 *Lunaque fulgebat*] *Surgebat* Petav. et multi alii; etiam bene: sic Met. VIII. 'Sexta resurgebant orientis cornua Lunæ.' *Heins.* *Lunaque fulgebat*] Tu refer ad Romanum diem, qui ex media nocte in mediam noctem terminabatur. Ergo hodierna prima luce, prima parte diei, et sic etiam nox esse poterat.

501 *Sepes tremuere*] Prim. Ambros. *sonuere*, et novem alii: quidam *nubes crevere*, quos inter Mazar. et Zulich. et Arond. pro *crepuere;* quomodo recte Vossianus; addito interpretamento, 'Dis prosperæ, hominibus sinistræ:' ut ad omen alludat, quod ex sinistro fulmine ac tonitru captabant. Æneid. lib. VIII. 'Suspiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens. Arma inter nubem, cæli regione serena, Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare:' ita vetustissimus codex Mediceus; perperam vulgati *fragor intonat*, cum 'tonare' mox subsequatur. Sequenti versu *horrueruntque*, pro *horruerantque*, Pet. Mazar. Ursin. Voss. et decem alii; de quo ad Epist. VII. 166. *Heins.*

505 *Et dixisse simul*] Malim, *dixisse viro.* Idem.

506 *Ne violent*] *Nec* meliores: et sequenti versu, *placentque.* Idem.

508 *Et patrias artes colant*] 'Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere

morem, Parcere subjectis, et debellare superbos.'

509 *Oculis evanuit auras*] Puto *evanuit ocius.* Scriptum fuerat nempe *ocius evanuit;* nisi forte malis, *in tenuem ex oculis evanuit auram:* ut apud Æneid. IV. 'Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.' *Heins.*

510 *Convocat hic populos*] *Patres* primæ edit. et sex scripti cum Naugeriano. *Idem.*

511 *Collis quoque dictus*] Non adeo verum quin titubet. Festus: 'Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim Agonus appellabatur, antequam in eum commigrarent fere Sabini Curibus venientes, &c. a quo hanc appellationem sortitus est,' &c. *N. Templa Deo faciunt, &c.*] Verbis Proculi plebs mota est, Quirino templum dedicavere in eo colle, qui ab hoc, Quirinalis dictus est.

512 *Certi sacra paterna dies*] Ergo Quirinalia stata et annua. Vide Dionys. lib. II. *Neap.*

513 *Lux quoque cur eadem*] Eadem die, qua Quirini festum est, seu Quirinalia celebrantur, feriæ sunt stultorum, quas ita diffinivit Pompeius: Stultorum feriæ appellabantur Quirinalia, quod eo die sacrificant hi, qui solemni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt: in qua quidem sententia et ipse Poëta est. *P. Stultorum festa vocetur*] Vide Plutarch. Quæst. Rom. et Festum Pompeium. *Neap.*

514 *Sed apta subest*] *Fides* Voss. et Maz. Lego *fide,* pro fidei: quomodo Noster non uno loco in Metamorphoseon libris, Virgilius, aliique ex optimis scriptoribus locuti: sic 'commissa fide' pro fidei apud Horatium Sat. I. 3. 95. *Heins.*

519 *Veteres jaciebant farra*] Pari significatione dictum a Demosthene *καταβάλλειν σπέρμα.* Porro far in usu Romanis CCC. annorum spatio fuisse, tradit M. Verrius Flaccus apud Plinium Hist. Nat. lib. XVIII. cibus ex eo confectus appellatus farratum. Vide Juvenal. Sat. XI. *Neap.*

520 *Farra resecta*] *Secuta* quidam ex melioribus: et *dedere* sequenti versu pro *dederunt.* Heins.

521 *Usibus admoniti*] Poëta inquit, veteres utilitate admonitos far torrere cœpisse, sed torrendi ignorantia damna plurima tulisse. Nam usque adeo torrebant, ut in cinerem verteretur: et casæ, ubi torreretur, sæpe adurerentur. Instituta igitur Fornaci Deæ fuere Fornacalia, quo torrendæ fruges temperarentur.

522 *Peccato suo*] Sua ignorantia. *P. Damna tulere suo*] Nam secuta sementis jactura ex ignota torrendi ratione. *N.*

524 *Nunc ipsas ignes*] *Igni* Ursin. Læti, Maz. et octo alii. *Heins.*

525 *Facta Dea est Fornax*] A Numa habuit initium, et festa quæ Fornacalia vocata. Plin. lib. XVIII. 2. 'Numa instituit Deos fruge colere,' &c. 'Is et Fornacalia instituit, farris torrendi ferias:' sed fecit indictitias, non statas. Hinc illi, qui ea die cum Fornicalia indicebantur, feriari non poterant, Quirinalibus sacra illa omissa coacti peragere. Forte quia hæc inter popularia. Festus: 'popularia sacra sunt, quæ omnes cives faciunt; nec certis familiis attributa sunt: Fornacalia, Parilia,' &c. Opposita ergo his privata, Gentilitia et Familiaritia sacra. *Neap.*

526 *Ut fruges temperet*] *Ut vires temperet* prim. edit. et tres scripti. Sequenti versu *nunc Fornacalia* meliores. *Heins.*

527 *Curio legitimis*] Romulus urbem trifariam divisit, et unicuique parti unum præfecit: hi appellati fuere tribuni. Rursus unamquamque tribum in denas divisit partes: has appellavit curias, quæ triginta fuere. Singulis curiis singulos præfecit: hos appellavit curiones. Sed curionum officium erat, sacris præsidere, festa et ludos populo prædicare, et ordinibus

in militia præesse. Curio ergo, quasi ille qui curiæ præerat, Fornacalia festa indicebat, nam non erant stata. *Curio Maximus indicit: nec stata sacra*] Hic caput et ἔξαρχος XXX. Curionum. Hujus auctoritate, Curiæ et illi regebantur. Græce diceres ἀρχηλοχαγόν. Curiones enim Dionysius φρατριάρχους καὶ λοχαγοὺς appellavit: inde Curialium conventus φρατριαστῶν σύνοδοι. Et observandum, Curionem maximum ad annum U. C. DXLIV. semper ex patribus creatum, ex plebe vero deinceps. Liv. lib. XXVII. *Legitimis verbis*] Ut illa apud Arnob. lib. VII. LAVATIO DEUM MATRIS EST HODIE. JOVIS EPULUM CRAS EST, &c. 'Legitimum' erat, quicquid certa formula dicebatur sive ediscebatur.

528 *Indicit*] Hinc Curiones sive Cusiones in Carmine Saliari, hoc est, Calatores, sive Sacrorum præcones. *Neapol.*

529 *Multa tabella*] Nam a singulis curiis singulæ tabellæ, et erant numero quinque et triginta. Romulus triginta instituit, sed postea quinque superadditæ fuere. *P.* *Pendente tabella*] In ea exaratum, ut hæc populi pars in Titia curia cogeretur, pars in Tifata, pars in Saucia, reliqua in attributis cuique curiis: hæ velut ædiculæ erant, in quibus, qui urbem colerent, singillatim in sua quisque sacra faceret. *Neapol.*

532 *Sacra relicta*] Opt. Ambros. Voss. Arond. Mazar. et tres alii *relata;* bene: sacra in diem extremum relata. Paulo ante dixerat, 'Et referunt certi sacra paterna dies.' Libro I. 'Respiciet Titan actas ubi tertius Idus, Fient Parrhasiæ sacra relata Deæ.' Sic 'ferre' et 'referre leges' vel 'jura.' Martialis lib. VI. 'Julia lex populis ex quo, Faustine, relata est:' ita quidam scripti, non *renata*, quod tamen non damno. Propert. I. Eleg. 5. 'Et vetera oblitis jura referre foris:' quomodo Notis ad præcedentem librum illa castiganda esse monuimus ex vestigiis membranarum: nunc *jura refer sociis* illic scribitur inconcinne. *Heins.* *Extrema die*] Extrema parte diei, posteaquam cæteri sacrificium absolvissent. *P.*

533 *Est honor et tumulus*] Quirinalibus Feralia succedebant, sed post dies tres. In his justa piis manibus solvebantur: quod hoc etiam mense Græci peragebant. Hesych. Μιαραὶ ἡμέραι τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, &c. Notum Anthesterionem inter menses Atticos Februarii et Martii Romani partem complexum. *Neapol.*

534 *In exstructas munera ferre pyras*] *In exstinctas pyras* Mazar. et unus Vatic. recte: tumulos et sepulcra intelligit. Sic lib. V. 'Et tamen extincto cineri sua dona ferebat, Compositique nepos busta piabat avi.' Idem Mazar. *ferte pyras.* Lege, *Est honor et tumulis, animas placate paternas, Parvaque in extinctas munera ferte pyras.* Heins.

535 *Pietas pro divite grata est Munere*] Malo *gratis;* ut τὸ *est* subintelligatur. Pietas apud gratos manes est pro magno munere. *Idem.*

537 *Tegula porrectis*] *Prorectis* excerpta Politiani et unus Medic. Lege *projectis coronis:* et sic alter Maz. pro diversa lectione. Coronæ post exacta convivia a domum abeuntibus projiciebantur. Amor. I. 6. 'At tu non lætis detracta corona capillis, Dura super tota limina nocte jace. Tu dominæ, cum te projectum mane videbit, Temporis absumti tam male testis eris.' Epistola Cydippæ, 'Projicit ipse suas deducta fronte coronas, Spissaque de nitidis tergit amoma comis.' Val. Max. lib. VI. 9. 'coronam capiti detractam projecit.' *Idem.* *Velata coronis*] Hæ etiam solitæ in sepulchra mortuorum afferri: ideo eædem nostro, lib. III. Trist. sunt 'Feralia munera.' Et in lapide prisco hæc lego: ET AD MONUMENTUM ITUM ADITUM AMBITUM ADQUE HAUSTUM CORONARE VESCI MORTUUM MORTUAS

MORTUOSVE OSSA INFERRE UT LICEAT. Scito hæc non omnibus paruisse, sed iis quibus a monumenti domino permissum: quibus non nominatim excipiebantur. *N.*

538 *Et sparsæ fruges, parvaque mica salis*] Quidam ex melioribus *sparsaque;* non male. Ursin. Petav. et unus Vatic. *parcaque.* Puto, *Et parcæ fruges, parcaque mica salis:* parum molæ salsæ. *Heins.*

539 *Inque mero mollita Ceres*] Hæc aut panis vino madidus: aut farina vino subacta. Vide Festum. *Neapol.*

540 *Testa relicta via*] *Testa reperta* Naugerianus; non male. Lego tamen *relecta,* pro recollecta: ut apud Horatium, 'Omnem relegit Idibus pecuniam,' pro recollegit. Fractam testam et inutilem innuit. 'Curtam' dixit infra vs. 645. ubi vide quæ notamus. Simile mendum sustulimus Met. VIII. 173. ubi *filo relicto,* pro *relecto,* male legebatur. *Heins.*

541 *Nec majora veto*] Multum sane consumsit antiquitas in his epulis monumentariis. Vide Tertullianum de resurrect. carnis. *Neapol. Nec majora veto*] Non prohibeo, quod majora facias sacrificia.

544 *Juste Latine*] Latinum genitum ex Fauno et Marica Nympha Virgil. dixit. *Paul. In terras, juste Latine*] Bene in Latium: nam ritus antiquior, et a Plutone initium suum habuit. Vide et Diod. Sicul. lib. v.

545 *Solemnia dona*] Prima tulit ille patris reliquiis in Sicilia nostra ubi conditæ. *Neapol. Patris Genio*] Deo loci: pro ipso loco in quo pater erat sepultus.

546 *Edidicere novos*] *Pios* plerique scripti: Arond. *suos.* Heins.

547 *Gerunt pugnacibus armis Bella*] *Legunt* Maz. Voss. Zulich. Idem Maz. et duo alii *deseruisse* sequenti versu pro *deseruere.* Idem.

548 *Parentales deseruere dies*] Diem parentalium sacrorum, in quibus pro parentibus seu majoribus extinctis epulæ sepulchris ferebantur. *Paul. Parentales deseruere dies*] Tibi sit in hoc fides, mi magister: nam si eam annalium sequimur, non meminimus legisse, Parentalia aliquando ob bella intermissa. *Neapol.*

550 *Suburbanis rogis*] Hi enim ante urbem excitabantur. *Neapol.*

553 *Latosque ululasse per agros*] Vossianus *Latiosque;* ut et tres Medicei; haud dubie recte: sic lib. III. 'quid in Latios illa veniret agros?' Lib. v. 'Exul ab Arcadia Latios Evander in agros Venerat.' Met. XIV. ex antiquis libris, 'Latios errat vesana per agros;' plurimi *latos ululasse.* Mox pro *fient* meliores *fiunt.* Heins.

556 *Prodigiisque venit funeribusque*] Has species miraculorum repulsas vide in Arnobio lib. VII. adversus Gentes.

557 *Viduæ cessate puellæ*] His igitur diebus vitabantur viduis nuptiæ, ut novis feriis et atris aliquot lucibus: sed ferias minime religiosas aiebat olim solus Verrius Flaccus, idque non futili ratione. Vide Macrob. Saturnal. I. *Neapol.*

558 *Exoptat puros*] Ac si hi impuri: ita est; nec alia causa dixerunt Græci τοῦ 'Ανθεστεριῶνος ἡμέρας μιαρὰς, ut ex Hesychio probavimus. *Pinea teda*] *Pinea,* an *spinea* legendum, in incerto est: cum spinus et pinus utraque pro face novis nuptis in usu fuerit. Illud maneo, accensam e foculo maritæ, non viri. Varro apud Nonium de vita P. R.

559 *Matura videbere matri*] Idem vetat cuique virgini, ætate etiam nubili. *Neapol.*

560 *Hasta recurva comas*] Hæc acus celibaris, diversa ab acu comatoria, qua compago crinium sustinebatur, et quæ Græcis βελόνη. De celibari vide Festum et Plutarch. qui δοράτιον vocat, ut Noster in Quæstionibus Romanis. *Neapol.*

561 *Conde tuas, Hymenæe, faces*] Κηροὺς γαμηλίους. *Neapol.*

563 *Foribus celentur opertis*] Ut arcerentur ab aspectu funesto: qua de causa hoc etiam vetitum iis qui rem sacram facturi erant, ut Pontifici, flamini Diali, et aliis ministris: quin statuas Deorum in viis positas, si illac funestum aliquod transferendum erat, panno velatas memini legisse. *Neapol.*

567 *Nec tamen hoc ultra, quam cum de mense supersunt*] *Hæc* meliores, et *tot de mense supersint;* optime: sequens pentameter confirmat. *Heins.*

568 *Quot habent carmina nostra pedes*] Si recte verba capio, ostendit XII. Kalendas Februarias finita Feralia: sic remanent e mense dies undecim, et his includo diem ipsum Feralem; in quo Vates aberrat a veteribus Kalendariis, quibus Feralia sunt die XXI. Februarii. Suspicor ego, incepisse Feralia a VI. Idus, terminataque XII. Kalendas; hæc inquit, non ultra, 'cum tot de mense supersunt.' Et non elicitur ex his per undecim dies continuata Feralia; sed per aliquot: nam supra dixit, 'dies Parentales.' Vide et Athenæum lib. III. de Februarii etymo. *Neapol.*

569 *Hanc, quia justa, &c.*] Ab hoc igitur, quod epulæ sepulchris ferantur, feralis dies dicta est, et 'feralia sacra.'

571 *Ecce anus in mediis*] Recenset nunc quid actum ultima Feralium luce. Ut vides, anicula cum puellulis Nymphæ Mutæ nescio quid magicum parant. Præerat hæc Dea compescendis linguis. Debet Regi Numæ suum cultum. Vide et Plutarch. Nunc ambigas quid velint hoc sacrificio veteres, et cur potissimum Parentalibus adjunxerint: forsan ut nos edocerent, manes convitio non lacessendos. *Neapol.*

572 *Tacitæ*] Deæ Mutæ. *Nec tamen ipsa tacet*] Quia silentibus utitur. *Non tamen ipsa tacet*] *Vix tamen* ex melioribus nonnulli. Pro *anus annosa* superiori versu, quod paulo durius videtur, *vinosa* malim: hoc enim si volebat, poterat *longæva* aut *grandæva* dixisse: certe liber Gottorph. *animosa.* Mox dicet, 'ebriaque exit anus.' Anus vino deditas esse notum est; qualis illa apud Plautum merobiba; et apud Græcos comicos passim. Lib. v. Fast. de sacris Bacchi, 'Cur anus hoc faciat quæris? vinosior ætas Hæc erat, et gravidæ munera vitis amat.' Sic 'vinosus senex' Anacreon Nostro Art. III. dictus, et Homerus Horatio 'vinosus.' Propertius IV. Eleg. 5. 'Terra tuum spinis obducat, lena, sepulchrum, Et vetula invisam sentiat umbra sitim:' ita locum mendosum esse scribendum opinor; de quo pluribus ad ipsum Propertium. *Heins.*

573 *Tria thura ponit*] Id est, tria thuris grana. *Sub limine*] Et cur sub limine? qua transituri essent detractores, quorum linguas compescere volebant. *P.*

574 *Mus sibi fecit iter*] Tria igitur grana thuris jacit ad limen, qua murium aditus ad sua domicilia. *Neapol.*

575 *Cantata tenet cum fusco licia plumbo*] *Ligat* sex ex vetustioribus, et decem alii; quomodo magicis istis in Ciri Virgiliana, 'Terque novena ligat triplici diversa colore Fila.' Deinde novi, et plumbum esse quod nigrum vocetur, et esse ejus quoque usum in magicis; contra 'albi plumbi' meminisse cum alios, tum Lucretium. Sed cum in multis veteribus sit *bombo*, vel *bumbo*, amplector quod in Politiani codice et uno Patavino pro diversa lectione erat notatum, *rhombo.* Amor. I. 8. ubi licia cum rhombo conjungit, 'Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo Licia, quid valeat virus amantis equæ.' Erat enim rhombus 'figura tetrapleuros, non tamen recti anguli' apud Geometras. In rebus magicis trochus est seu turbo qui rotabatur, liciis nunc versicoloribus nunc pullis nexus, unde 'Staminea rhombi rota' apud Pro-

pertium. Hesych. Ῥόμβῳ, περιφορᾷ κινήσει. Suidas κύλινδρον interpretatur: hinc ῥομβεῖν, σφενδονᾷν· et ῥομβώδης παράταξις apud rei militaris scriptores: et apud Eubulidem comicum, Δημοσθένους ῥομβοστωμυλήθρα, pro Demosthenicæ linguæ volubilitate, eleganter dicitur. Apud Theocritum in Pharmaceutria ῥόμβος χάλκεος est, quem τροχὸν χάλκεον Scholiastes interpretatur. Quare possit vulgata lectio ferri hoc Ovidii loco, ut rhombus plumbeus subintelligatur. Apud Propert. 'magico torti sub carmine rhombi:' et 'torti magica vertigine rhombi' Lucano lib. VI. Martial. Epigr. XII. 60. 'Cum secta Colcho luna vapulat rhombo;' ubi rectius legas *Iolco rhombo:* nam lib. IX. idem *Thessalico Lunam deducere rhombo* dixerat. Sic 'Iolcos venenorum ferax' Horatio. Apud Propertium etiam male vulgo legitur, 'Colchis Colciacis urat aëna focis,' pro *Iolciacis:* nam in Thessalia Æson ab illa recoctus. In Ciri Virgiliana, 'Tentat Iolchiacis animum defigere votis:' quod mendum etiam plerosque Ovidii codices ex veterrimis occupavit lib. VII. Met. illo versu, 'Victor Iolciacos intrat cum conjuge portus.' *Heins.* *Licia*] Quæ neverit virginea manus. *Cantata*] Incantata. *Cum fusco licia plumbo*] Licia ad implicandas linguas, plumbum ad reprimendas adhibet. *Ant.* *Cum fusco licia plumbo*] En utrumque ad rem magicam. Vide Psellum lib. de Dæmonibus. *Fusco plumbo*] Hujus duo genera, nigrum et candidum. Lege cap. Plin. XVI. et sequens lib. XXXIV.

576 *Nigras versat in ore fabas*] Quod actum etiam in Lemuralibus. *Paul.* *Et septem nigras versat in ore fabas*] Per fabas nigras mortui referebantur: quibus ut silentium datum est, ita detrahentibus silentium incuteretur.

577 *Quodque pice adstrinxit*] Demum caput aut vere humanum, aut ex alia materia huic simile, pice linebat, et acu pingebat a cranio ad mentum. Legitur in antiquo nostro codice: *Obsuto mento torret in igne caput.* Dein vivis carbonibus admotum, aridum jam vino conspergebat. *Neapol.*

578 *Obsutum menta torret in igne caput*] Diu fateor me hæsisse in hoc loco: nam, quod in nonnullis exaratum *mento* offendebam, parum aberat quin *lento igne* scribendum arbitrarer; ut Trist. III. Eleg. 11. 'Et falsum lento torruit igne bovem:' et mox, 'hunc lentis carbonibus ure:' et Arte Amat. 'Ignibus hic lentis uretur, ut humida tæda:' ita et alii passim. Nunc, dum veterrimos codices consulo, longe aliter videtur. Naugerianus certe et Ursini, *Obtusum mentæ:* Petav. et unus Put. *Obsutum mentæ;* Zulich. *Obsutum menæ;* quomodo et in Mazariniano fuisse a manu prima videtur. Lege *Mænæ caput.* Singula nunc videamus. Primo *Obsutum* bene se habet, etsi libri ex fidissimis nonnulli *Obtusum* suggerant. Obsuebatur enim acu et pice os mænæ. Virgil. Georg. IV. 'huic geminæ nares et spiritus oris Multa reluctanti obsuitur:' ita venerandæ vetustatis Mediceus, non *obstruitur* cum vulgatis. Florus lib. IV. 12. 'unius os sutum, prius abscissa lingua.' Lege *os obsutum;* 'obsuta lectica' Suetonio in Tiberio cap. 64. Noster Metam. X. 'Jamque gravem crescens uterum perstrinxerat arbor, Pectoraque obsuerat, collumque operire parabat:' ita censeo scribendum, non *obruerat.* 'Os consuere' apud Senecam Epist. XLVII. 'sic fit ut isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. At illi, quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem.' Sic Noster supra, 'verubus transsuta salignis exta:' ubi male multi ex scriptis *transfixa* vel *transjecta.* 'Transsutos Œdipi pedes' dixit

Seneca Phœnissis. Nunc de mæna. Mæna pisciculus marinus, qui Græcis μαινὶς, non magni pretii, et sale condiri solitus in vasis sive orcis. Hinc Persius, 'Mænaque quod prima nondum defecerit orca:' atque hoc est quod Martialis vult Epigr. XII. 32. 'Fuisse gerres atque inutiles mænas Odor impudicus urcei fatebatur, Qualem marinæ visit aura piscinæ:' ubi nollem doctissimum Rondeletium hæsisse, ac *hircii* pro *urcei* reposuisse. Mænas enim salliri solitas ex Plinii quoque loco non uno apparet. Opponit eas acipenseri Cicero lib. II. de Finibus: 'Qui voluptatem contemnunt, eis licet dicere, se acipenserem mænæ non anteponere.' Ad exilitatem earum alludit Martialis, cum 'breves mænas' alicubi vocat, ut et Arnobius cum 'pistricum et mænarum dominum' Neptunum appellat. Glossæ Stephani, Μενὶς ἰχθύδιον. Lege Μαινίς: quicquid ordo literarum isti lectioni repugnat. Hujus usus plurimus in sacris inferis, quomodo hic apud Nostrum. Eustathius in Homerum: θύεται μαινὶς τῇ Ἑκάτῃ, ταυτὸν δὲ εἰπεῖν τῇ Σελήνῃ· διὰ τὸ δοκεῖν ἔστιν οἷς μανιῶν αἰτία εἶναι. Hinc μαινίδας καὶ τριγλίδας Ἑκάτης βρώματα vocat Antiphanes ἐν Ἀγροίῳ apud Athenæum lib. VII. Nihil igitur mirum, si Deæ infernæ, qualis Tacita hæc nostra, idem, qui et Hecatæ, piscis dedicetur: deinde Deæ Mutæ, mutum animal. Quid quod Mæna Deæ Tacitæ sacra potest videri, ob cognationem nominis, siquidem Athenæus lib. VII. docet id in multis obtinuisse: ac propterea τρίγλην sacram fuisse Hecatæ, quod illa τριοδίτης καὶ τρίγληνος sit dicta. Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν τοῖς περὶ θεῶν, τῇ Ἑκάτῃ φησὶ θύεσθαι τρίγλην διὰ τὴν τοῦ ὀνόματος οἰκειότητα· τρίμορφος γὰρ ἡ θεός. Addit et causas, cur citharus piscis Apollini, Mercurio boces, exocætus Baccho, Veneri phalaris, aphya Neptuno, atque ita porro pisces alii aliis Dis consecrentur. Est autem cognatio nominis inter mænam piscem et Deam Tacitam, quod illa etiam Mania sit dicta. Mania certe Macrobio in Saturnalibus, et Arnobio mater Larum, quemadmodum nostro et Plutarcho in Numa Tacita. Eandem Laram et Deam Mutam vocat Lactantius, quomodo et Noster paulo post appellabit. Alii Larundam: sed Maniæ nomen illi proprium fuisse in carminibus Saliaribus ex Varrone lib. VIII. L. L. discimus. Mænam igitur cum Eustathius loco supra jam allato deducere videatur ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, ac Furias etiam seu Eumenidas μανίας dictas fuisse ex Pausania liqueat, nihil impedit nomen maniæ inde quoque derivari. Caput præterea mænæ ad fulmen expiandum adhiberi Plutarchus nos docet, eumque ritum a Numa promanasse. In cujus vita, fabulam de Jove Elicio recensens, a nostro quoque narratam libro Fast. III. hæc addit inter alia, Ἐπεὶ δὲ ἔγνωσαν ἑαλωκότες ἰσχυρὰν καὶ ἄφυκτον ἅλωσιν, ἄλλα τε προθεσπίσαι πολλὰ τῶν μελλόντων, καὶ τὸν ἐπὶ τοῖς κεραυνοῖς ἐκδιδάξαι καθαρμὸν, ὃς ποιεῖται μέχρι νῦν διὰ κρομμύων, καὶ τριχῶν, καὶ μαινίδων· ἔνιοι δὲ οὐ τοὺς δαίμονάς φασιν ὑποθέσθαι τὸν καθαρμὸν, ἀλλ' ἐκείνους μὲν καταγαγεῖν τὸν Δία μαγεύσαντας· τὸν δὲ θεὸν ὀργιζόμενον τῷ Νουμᾷ, προστάσσειν ὡς χρὴ γενέσθαι τὸν καθαρμὸν κεφαλαῖς· ὑπολαβόντος δὲ τοῦ Νουμᾶ, κρομμύων, εἰπεῖν, ἀνθρώπων. Τὸν δὲ αὖθις ἐκτρέποντα τὸ τοῦ προστάγματος δεινὸν, ἐπερέσθαι θριξίν. Ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Διὸς ἐμψύχοις, ἐπαγαγεῖν τὸν Νουμᾶν, μαινίσι. Arnobius initio lib. V. ubi ex Val. Antiate eandem rem narrat, 'Jovem diu cunctatum expiabis dixe capite fulgurita, regem respondisse cœpitio: Jovem rursus, humano: retulisse regem, sed capillo: Deum contra, anima, mænæ subjecisse Pompilium.' Ita scribendus locus mendosissimus; vulgati, *piscis subjecisse Pompilium:* sed codex Regius τὸ *piscis* non agnoscit; vox *anima* absorpserat sequentem vocem *mænæ* ob cogna-

tionem literarum, quod et alii jam sunt subodorati. Apud Plautum Pœnulo Act. v. 5. 'Deglupta mæna;' ut libri meliores agnoscunt illic: cujus loci oportune me admonuit ocellus ille bonarum artium Gronovius meus. Male viri eruditi ex *mæna* illic *Mænadem* concinnant. 'Degluptam mænam' vocat lepide hominem glabrum et nullius pretii: recte etiam fœmineum pisciculi molliusculi nomen dat cinædo. Sic Fidus Cornelius Nasonis Gener Corbuloni 'Struthiocamelus depilatus' dicitur apud Senecam de Constantia sapientis. Præterea hominem fœtidum et male olentem hoc convitio designat, quomodo 'halec viri' paulo ante dixerat: ita enim scribo. 'Halec viri' igitur, fæx viri, et quidem salsamentaria, quæ omnium putidissime olet: unde et 'putre halec' Martiali dicitur. Pergit convitiando Plautus, et addit, ἁλαγορᾶς *hama:* ita enim rectius leges cum Ms. Camerarii, quam ἅλς ἀγορᾶς. Ἁλαγορὰ, forum salsamentarium: hamæ vasis odor est ingratus. Fœtorem quoque hominis designat, cum 'allî ulpicique plenum' paulo post nuncupat. Salsamenta autem esse gravissimi odoris quis nescit? quod jam supra in loco Martialis de urceo, in quo mænæ fuerant conditæ, vidimus; qui ad illustrationem hujus Plautini nonnihil facit. Denique mænarum etiam noster meminit in Halieutico, 'Fœcundumque genus Mænæ, Lamyrosque, Smarisque.' Ita enim est scribendum. Atque hæc pluribus forte, quam par erat: sed in loco hactenus non intellecto si feliciter, ut spero, versati sumus, periculum non est, ne dicamur nimii fuisse. *Heins.*

581 *Hostiles linguas, &c.*] Egreditur postea e loco anus, peracto sacro, et dicit anus, Vinximus, id est, alligavimus. *Vinximus ora*] Proprie dixerunt veteres, cum arte magica quidam functione aliqua prohibebatur, ut a saga hic linguæ usus maledici. *Neap.*

583 *Protinus a nobis requires*] *Forsitan requiras* duo veteres; ut sæpe alibi. *Heins.*

585 *Immodico Juturnæ victus amore*] *Indomito captus amore* libri meliores magno numero: quidam tamen *vinctus;* de quo infra Fast. iv. 224. *Idem.*

587 *Inter coryleta jacebat*] *Latebat* rectius Voss. et tres alii. *Idem.*

589 *Latium quæcunque tenebant*] *Quotcunque* unus Med. alius *quotcunque tenebas;* venuste. *Idem.*

592 *Summo concubuisse Deo*] *Jungere membra* meliores magno numero cum prima editione: vide notas Rem. Am. vs. 407. Propertius tamen 'Dicitur et nudæ concubuisse Deæ' de Endymione lib. ii. Eleg. 15. *Summo Jovi* codex Pomp. Læti, quomodo Virgil. et alii. Noster ipse supra hoc libro, ut est in nonnullis codicibus, 'Inque Jovis summi cæditur arce bidens.' *Idem.*

593 *Nam quæ mea magna voluptas*] *Nam quæ est* meliores plerique. Placet *nam quod* cum uno Mediceo: Gottorph. *quoniam.* Idem.

596 *Fluminea corpora mergat aqua*] Duo libri *mandet.* Puto, *flumineæ corpora mandet aquæ.* Attius Philoctete apud Ciceronem Tuscul. lib. ii. 'Heu quis salsis fluctibu' mandet Me ex sublimi vertice saxi?' *Idem.*

597 *Annuerant Nymphæ Tyberinides omnes*] Primo *annuerunt* cum Naugeriano et uno Mediceo legendum. Deinde scripti plerique *omnes Tyberinides undæ:* duo, *Nymphæ Tyberinidos undæ.* Lege *omnes Tyberinides udæ.* Similes errores notavi Epist. vi. 107. *Heins. Omnes Tyberinides undæ*] Omnes Nymphæ Tyberinides.

598 *Quæ colunt thalamos tuos*] Nymphæ quæ colunt Anienem fluvium. *Ilia diva*] Lege, *Ilia dia:* ut apud Ennium, 'Ilia dia, nepos, quantas ærumnas tetulisti?' Idem Annal. i. apud Servium Georg. iii. 'Dium ex se Anchisen generat:' ubi *Pium*

perperam nunc scribitur, claudicante versu. Sic Homero sæpe δῖος Ἀχιλλεὺς et δῖος Ὀδυσσεὺς, et δῖα γυναικῶν et δῖα θεάων. Δῖα Θεανὼ Iliad. E. δῖα Καλυψὼ Odyss. E. Etiam de civitatibus. Sic Ἠλίδα δῖαν habes Iliad. B. et δῖαν Ἀρίσβην Odyss. Γ. Λακεδαίμονα δῖαν, et similia. 'Dia Camilla' Virgilio. Plura vide Met. IV. 535. Fl. Sosipatro 'dius Ulysses' quoque dicitur; ubi de tropis agit: quomodo in veteri codice ejus legi monet Pierius Valerianus ad lib. II. Æneidos Virgilianæ. *Heins.*

599 *Forte fuit Nais Lar nomine*] *Lara* Mazar. Zulich. Læti, et sex alii; quomodo et ex Lactantio Neapolis; optime. Lara etiam est Varroni. Lala antiquis dicta, ἀπὸ τοῦ λαλεῖν. Hoc vult Ovidius. *Idem. Lar nomine*] Legend. *Lara nomine.* Firmianus: 'Quis cum audiat Deam Mutam, tenere risum queat? hanc esse dicunt ex qua nati Lares, et ipsam Laram nominant vel Larundam:' quod verissimum. *Prima sed illi Dicta bis syllaba*] Lalara, inquit, fuit ei primum nomen. *Neapol. Illi antiquum nomen erat*] Syllaba prima bis dicta: hoc est, *Lala.*

601 *Ex vitio positum*] Hoc est, ex garrulitate linguæ: λαλέω enim Græce *loquor. Sæpe Almo*] Qui erat ejus pater. Almo fluvius est paulo extra urbem, via Hostiensi, qui ex paludibus oritur, non longe a templo divi Pauli. *Paul. Dixerat Almo*] *Almon* opt. Ambros. et unus Patav. sic et Met. XIV. veteres nonnulli, et Fast. IV. 338. *Heins.*

602 *Nata, tene linguam*] Fingit hanc Naidem Almone satam. *Neapol.*

603 *Juturnæ sororis*] Lacus Juturnæ erat juxta Pallantium, non longe a templo Vestæ.

605 *Miserataque nuptas*] *Nuptam* rectius nonnulli: alii *nymphæ* vel *nympham.* Heins.

607 *Quaque est non usa modeste*] Malim, *quaque est minus usa modeste.* Idem. *Quaque est non usa modeste*] Non sano modo: sic Cic. 'Prima commendatio proficiscitur a modestia. Quem tum moderatum, alias modestum et temperantem vocamus.' Livius etiam hoc explicat: 'Rebus secundis modeste ac moderate utendum.' Et Plaut. in Bacchid. IV. 7. 'sine modo et modestia sum.' 'In modestia enim modus est,' Cic. Offic. II. Hinc explicatur illud Taciti Annal. II. 'Modestia hyemis.' Hæc est illa σωφροσύνη.

608 *Mercuriumque rogat*] *Monet* Ursini, Voss. Zulich. Maz. et quatuor alii; rectius: et pro *Eripit huic, Eripuit* iidem. Forte, *Mercuriumque monet, Ducat ut ad manes:* vel etiam, cum libri proximo Pentametro nonnulli habeant *Nympham hæc infernæ,* legi possit, *Duc hanc ad manes (locus ille silentibus aptus) Nympham, ait: infernæ Nympha paludis erit.* Heins.

612 *Duci tum placuisse suo*] *Placuisse Deo* scripti plerique cum prima editione. *Idem. Duci Deo*] Hinc ψυχοστόλος Ἑρμῆς. Tryphiod. ψυχοπομπός. Ψυχαγωγὸς πομπαῖος, Æschyl. Eumen. Νεκροπομπός, Lucian. in Dial. Mercur. et Maiæ.

615 *Fitque gravis, &c.*] Ex Mercurio facta est illa gravida, peperitque duos filios, qui appellati sunt Lares, et præsunt custodiæ urbis, et servant compita. *Geminosque parit*] Hæc igitur Larunda, sive Diva Muta, est Mania Macrobii. *Neapol.*

616 *Semper in æde Lares*] *In urbe* scripti iidem; et recte. Lares enim non familiares tantum; sed publicos etiam seu viales designat, qui in compitis colebantur. *Heins.*

617 *Proxima cognati, &c.*] Inter feralia pro mortuis sacrificia convivium fit inter cognatos et affines, undecimo calendas Martias, hoc est, decimonono die Februarii. De quo Valerius ita: 'Convivium etiam solenne majores instituerunt, idque Charistia appellavere, cui præter cognatos et

affines nemo intererat: ut si qua inter necessarias personas querela orta esset, inter sacra mensæ, et inter hilaritatem animorum, adhibitis concordiæ fautoribus tolleretur.' *Proxima cognati dixere Charistia*] VIII. Kalendas Martias erant Charistia. Bene Kalendarium Constantini Magni: IX. FERALIA. VIII. CHARISTIA. VII. TERMINALIA. In Rurestri, post Parentalia et Lupercalia, legitur, CARA COGNAT. mallem CARI. COGNAT. id est, Caristia cognatorum. Vide Valer. lib. II. 1. 'Convivium etiam solemne majores instituerunt, idque Charistia appellarunt,' &c. Dies ergo ille totus deditus conviviis: hinc eundem, Festum epularum, dixerunt. *Neapol.*

618 *Ad socios turba propinqua Deos*] Pro diversa lectione in quatuor scriptis *dapes* inveni; in uno *patres;* in alio *cibos.* Quare arduum non fuit *socias dapes* conjectare; quod unus Mediceus postea confirmavit: 'socias dapes' vocat ea convivia, quibus festum illud dabatur. Vide quæ notat Illustriss. Neapolis ad hunc locum. Glossæ Steph. *Cara cognatio,* Τιμὴ συγγενείας. Martial. Epigr. IX. 55. 'Cara daret solenne tibi cognatio munus.' Quo alludens 'caros' etiam pro cognatis posuit Ausonius præfatione Parentalium, et Carm. IX. 'sociæ dapes,' ut alibi 'socii lares' et 'penates,' de quibus nonnihil Epist. V. 126. et 'sociare hospitia,' 'mensas,' 'penates,' et similia. Hinc Valerio Flacco 'jungere Penates,' pro hospitale fœdus inire, libri tertii initio, 'manibusque datis junxere penates;' ut vere restituit Gronovius noster. 'Sacrare laribus fidem' idem Valerius eodem libro, 'Nec tibi Thessalicos tunc profuit, Ornyte, reges Hospitiis, aut mente moras fovisse benigna, Et Laribus sacrasse fidem:' ubi *diem* perperam nunc legitur. De Chalybum gente idem lib. IV. 'Hospitii quis nulla fides.' 'Fidas hospitis ædes' Noster dixit VI. Fast. V. 689. ut illic recte codices scripti. *Heins.*

623 *Innocui veniant*] Arcet ab hac mensa Atreas et Thyestes, Medeas et Inones, Philomelas et Prognes, Tereas, et tandem capita quæ bona sceleri et crimini debent. *Neap.*

624 *In partus mater acerba suos*] *Tuos* rectius codex Hamburgensis. *Heins.*

627 *Tantalidæ fratres*] Fratres Tantalidis similes, ut Atreus et Thyestes fuere, Tantali nepotes, Pelopis filii.

628 *Ruricolis*] Agricolis. Ino Phryxi et Helles noverca, Athamantis uxor, agricolis adusta semina dabat: quæ cum minime nascerentur, sequuta est annonæ caritas, &c.

631 *Dis generis date thura boni*] *Bonis* multi ex scriptis: ut in illo Virgiliano, 'vos o mihi manes Este boni:' ubi videatur Servius. *Heins. Diis generis*] Diis ejusdem cognationis. *Concordia*] Dea. *Paul. Dis generis date thura boni*] Vos mentis recti consciæ. In antiquo meo est, *date thura bonis.* Non reprobo scripturam: nam boni manes, et boni lemures (alios vocarunt noxios et aversos) erant Dii lares, quibus modo supplicabant pro incolumitate reliquæ familiæ: huc spectat vetus hic lapis: LARIBUS PRO SALUTE ET INCOLUMITATE DOMUS Q. SERTORII. *Neap.*

633 *Ut grati pignus amoris Nutriat intinctos missa patella cibos*] *Grati pignus honoris* Voss. Arond. Ursin. Petav. Zulich. et multi alii melioris notæ: ut in Trist. III. 4. 'Ante volebatis, gratique erat instar honoris, Versibus in nostris nomina vestra legi:' sic recte vetus liber. Martial. Apophor. Epigr. XXXIV. 'Militiæ decus en, grati gestamen honoris, Arma tribunitium cingere digna latus.' Ita versus isti videntur esse legendi de Parazonio, ex vestigiis veterrimorum codicum. Cæterum pro *Nutriat intinctos cibos,* quod Latinum non est, *inventos cibos* Hamburg. *intactos cibos* Arond. *immissos cibos* undecim alii:

quinque *incinctos cibos:* Voss. *intinctos Lares;* quomodo Zulich. et Mazar. a manu prima: cujus scripturæ fugitiva etiamnum vestigia apparebant. Lege nulla fere mutatione et conjectura indubitata, *incinctos Lares.* Lares enim in marmoribus ac signis æneis antiquis exprimuntur incincti, seu succincti: ut Persius loquitur, 'Cum primum pavido custos mihi purpura cessit, Bullaque succinctis Laribus donata pependit.' Sic 'incincta Diana,' et 'incincta Hebe,' et 'incinctus tunica mercator,' pro *succinctus,* apud Nostrum. Denique alter Maz. et unus Medic. *uncta patella,* quomodo et Persio, 'uncta vixisse patella Semper, et assiduo curata cuticula sole.' Unus Farnes. *juncta:* Zulich. *jussa.* Sed cum *τὸ missa* vox sit convivalis, unde et 'missus,' pro cibo, et 'missilia,' pro donis, nil temere mutem. Lib. VI. 'Fert missos Vestæ pura patella cibos.' Et lib. V. 'Accidere in mensas ut rosa missa solet.' Art. lib. I. 'Huic detur capiti missa corona tuo.' Hinc et 'missæ pullo fruges' apud Livium in auguralis sacri descriptione. *Heins.*

634 *Missa patella cibos*] Tibullus alicubi Lares compellans: 'Adsitis, Divi; nec vos e paupere mensa Dona nec e parvis spernite fictilibus.' Quid hic, 'parva fictilia,' nisi veteres patellæ? hinc 'patellarii Dii' Plauto; et a Varrone scriptum: 'Deos colere ac dare in patellam, μικρὸν κρέας.'

635 *Placidos nox humida somnos*] *Nox ultima* Voss. Arondel. Maz. unus Vatic. et Farnes. haud dubie recte. Atque ita fuerat in Zulichemiano a manu prima. Solenniora apud veteres convivia in multam noctem aut primam quandoque lucem protrahebantur, quod vespertino tempore instituerentur. Sic Met. VI. fabula Prognes, 'lucis pars ultima mensæ Est data, nox somno;' ita codices vetusti: nam *lucis pars optima,* quod vulgo legitur, contra ritum veterem pugnat, ut dixi illic loci. Bene igitur *nox ultima* hoc loco, ut appareat tempus indulgendo genio fuisse datum solito spatiosius: atque ita Virgilianum illud, 'suadentque cadentia sidera somnos,' intelligendum esse opinor; ut extremam noctis partem designet. Propert. l. IV. Eleg. 4. 'Et jam quarta canit venturam buccina lucem, Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt. Experiar somnum.' *Heins.*

636 *Larga precaturi sumite vina manu*] *Parca* Mazar. et pro diversa lectione Vossianus; optime: ne dubita. Non enim pocula describit in salutem Principis haurienda, quod volunt interpretes, sed libationem, quæ parco mero in focum aut mensam effuso fiebat; ut jam videbimus. Duo codices *precatura manu;* unus Medic. *manus.* Lege, *Parca precaturæ sumite vina manus,* ut supra monuimus: sic antea, hoc libro, de Fabiis, 'Sumite gentiles arma professa manus.' Lib. IV. 'Et feriunt molles taurea terga manus.' Trist. I. 'Et feriunt mœstæ pectora nuda manus.' Trist. III. 'Sumite plebeiæ carmina nostra manus.' *Idem.*

637 *Et bene vos, bene tu patriæ pater, optime Cæsar*] *Bene te* meliores omnes; recte: de quo vide quæ notavi lib. I. Arte Am. 601. Nec accedo codicibus, qui *bene nos* habent. Augusto Cæsari hic ingeniose blanditur, idque ex ritu Græcorum, qui finito convivio poculum hauriebant διὸς σωτῆρος καὶ ἀγαθοῦ δαίμονος dictum, ut ex Athenæo aliisque sat liquet: horum loco Ovidius Cæsari Patriæ Patri et Laribus libandum suadet. Nam ἀγαθοὶ δαίμονες nihil aliud quam Genii; ut recte Servius etiam notavit ad Georg. III. 'ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latine genios vocant.' Genii autem Laribus iidem. Agi autem de vino non bibendo sed in focum effundendo, illud quod sequitur, 'suffuso mero,' abunde ostendit, ac proinde *Parca*

vina recte superiori versu a nobis reponi. Apposite omnino et ad rem Horatius Od. IV. 5. ad Augustum, 'Condit quisque diem collibus in suis, Et vitem viduas ducit ad arbores: Hinc ad vina redit lætus, et alteris Te mensis adhibet Deum. Te multa prece, te prosequitur mero, Defuso pateris; et Laribus tuum Miscet numen, uti Græcia Castoris, Et magni memor Herculis.' Hanc libationem etiam Græcis in usu fuisse Athenæus lib. XV. docet. *Φιλόχορος ἐν δευτέρῳ Ἀτθίδος καὶ θεσμός, φησιν, ἐτέθη τότε προσφέρεσται μετὰ τὰ σιτία πᾶσιν ἀκρατούμενος, ὃν γεῦμα καὶ δεῖγμα τῆς δυνάμεως τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ.* Deinde mensas fuisse amotas ex eodem constat; quanquam Eustathius in Odyss. Γ. id mensis jam remotis factitari solitum asseverat. Sed et in conviviis si viri principis saluti poculum libarent, eidem bene precabantur, ut hic Augusto Ovidius. Apud Lucianum in Cataplo Megapenthes tyrannus jam mortuus, *καὶ μὴν σπένδοντες ἐν τοῖς συμποσίοις, μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἐπηύχοντό μοι πολλὰ καὶ ἀγαθά.* In eo quoque gratificatur Augusto noster, atque ex fide historiæ agit, quod eum Laribus adjungit, cujus Genius inter duos Lares medius in compitis esset dedicatus; de quo infra, 'Mille Lares Geniumque ducis, qui tradidit illos, Urbs habet, et vici numina trina colunt.' *Idem.* *Et bene vos*] Nota formula hæc inter scyphos et pocula antiquorum. Vide Plautum in Persa, Act. v. Scen. 1. et in Sticho Act. v. Scen. 4. *Bene tu patriæ pater, optime Cæsar*] Piaculum enim fuit apud antiquos, in quavis publica sive privata mensa, suo etiam Principi non bene precari. Vide Ambros. de Helia et jejunio cap. 18. *Neapol.*

638 *Dicite suffuso per sacra verba mero*] Quidam veteres *post sacra: sint bona verba* Mazar. Voss. Læti, pr. Ambros. atque alii nonnulli. In Zulich. Hamb. et Gottorph. *sint sacra:* Petav. Arondel. Ursin. et plurimi alii, *in sacra*, hiante versu. Lege, *sint rata verba*, vel, *ter rata verba:* aut *ter bona verba*, ut Tibullus II. Eleg. 2. 'Dicamus bona verba.' Ternarius numerus boni erat augurii, etiam observatus apud Græcos. Apostolius in Parœmiis, *Ἔθος εἶχον οἱ παλαιοὶ μετὰ τὸ δεῖπνον πίνειν ἀγαθοῦ δαίμονος, ἐπιῤῥοφοῦντες ἄκρατον, καὶ τοῦτο δὲ τρίτον.* Neque aliter in sacrificiis. Gratius Volcanalium descriptione: 'Des lapsis ultima rebus Auxilia, et meriti si nulla est noxia tanti, Tot miserare animas, liceatque attingere fontes, Sancte, tuos; ter quisque vocantes pinguia libant Thura foco:' ita versus isti scribendi. Noster Fast. IV. 778. 'hæc tu conversus ad ortum Dic ter, et in vivo perlue rore manus:' quomodo bene optimi codices. Valerius Flaccus libro I. 'Ipse ter æquoreo libans carchesia patri Sic ait Æsonides.' 'Sint rata verba,' ut supra hoc libro, 'Tu fore dixisti: sint rata dicta Jovis.' De *ratis votis* ac *verbis*, vide Notas ad Epist. XVI. 15. Noster lib. superiori, 'Efficiatque ratas utraque diva preces.' Lib. III. 'Vox rata fit, patrioque vocat de nomine mensem.' Met. III. 'Prima fide vocisque ratæ tentamina sumsit Cærula Liriope:' quæ vera scriptura. Ita 'ratum opus' in Ibide dixit, 'Quæque ratum triplici pollice netis opus.' *Heins.*

639 *Nox ubi transierit*] VII. Kalend. Martias erant festa Terminalia dies N. P. ut notatur in Kalendariis.

640 *Indicio qui Deus arva suo*] Is a Numa Pompilio primo cultus et institutus. Ut enim contenti reculis propriis non ambirent alienas, fecit, ut unusquisque suum agellum circumscriberet, et finibus lapides infigeret. Vide Dionys. lib. II. *Neapol.*

641 *Sive lapis, sive es Stipes*] Ex utroque confecta sacra illa indicia rei alienæ: hinc illud: *Πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον τὸ δὲ προσκυνούντες.* Inde

passim et lapidis et stipitis nomine terminus exauditur. Tertullianus alicubi, nec fallor, vocavit 'palos terminales,' alius 'cancellos:' hinc 'cancellare,' 'cancellatio,' pro limitatione in Siculo Flacco.

642 *Ab antiquis*] Hi Græci sunt, qui *τέμονας* dicunt: nos, una mutata littera, *terminos*. Neap. *Tu quoque nomen habes*] *Numen* cum melioribus legendum. Gottorph. et tres alii, *sic quoque*. Heins.

643 *Te duo diversa*] Agrorum utrimque possessores. Hoc erat sacrificium privatum; publicum vero, quod fiebat ἀμφιετεὶ sexto ab Urbe lapide: de quo Noster paulo post. Vide Plutarch. in vita Numæ. *N.*

644 *Binaque dona ferunt*] *Binaque liba* Ursin. Voss. Arond. Zulich. Mazar. Nauger. et multi alii cum prima editione. Supra lib. I. 'Et date paganis annua liba focis.' Juvenalis Sat. XVI. apposite de Termino 'saxum Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.' *Pro parte* etiam superiori versu optimus Ambros. Mazar. Zulich. Voss. Arondel. et multi alii ex melioribus. *Heins.*

645 *Huc ignem curto fert rustica testu*] *Curta testa* Naug. et quidam alii: *curto testo* Ursin. et Mazar. *curto texto* Petav. Zulich. *tecto*, pro *testo*. Omnia bene: nam *testum* idem cum *testa*. Similis diversitas lectionum Fast. l. v. 'Et fumant testu pressus uterque suo.' Nonius Marcell. 'Testa genere fœminino sæpe invenitur: neutro apud obscuræ auctoritatis sed summos scriptores legimus;' ubi de *testu* nihil. Petronius, 'Necdum superaveram cellulæ limen, cum animadverto Enothem cum testo ignis pleno venientem.' Nam testa ignem petebant. Auctor Rhetoricæ ad Herennium, 'de tanto patrimonio testam, qua sibi petat ignem, non reliquit.' Sed et *testu* veteres dicebant; quod Charisius indeclinabile, ut *genu*, ponit. Unde Varro lib. IV. de L. L. 'Testuatium, quod in testu calido coquebatur.' Perperam vero plurimi veteres *curva testa*, pro *curta*. Supra 'media testam relictam via' habuimus. Martial. Epigr. III. 11. 'Curtaque Ledæ sobrius bibat testa.' Sic et 'curtam antliam' dixit idem Epigr. IX. 19. ubi *curva* perperam nunc legitur, 'Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis, Curta laboratas antlia ducit aquas.' Ita optime libri veteres; *ducit* pro haurit: sic 'ducere poculum,' 'ducere ubera;' de quo supra: vulgatum illud *tollit aquas* frigidiusculum est. 'Curtum calicem' idem dixit Epigr. I. 93. 'Nec curtus Chiones Antiopesve calix.' Et lib. XII. 'Matella curto rupta latere meiebat.' 'Curtam ofellam' pro minuta habes Apophor. CCXXI. 'Rara tibi curta craticula sudet ofella.' Ita optime Thuanus liber, non *Parva craticula*, nisi quod nos *curta* reposuimus conjectura ducti, quod meminissemus *parvam* a Juvenale etiam dici *ofellam*. Sat. XI. 'exiguæ frustis imbutus ofellæ.' 'Rara craticula,' quomodo apud eundem Juvenalem Sat. XI. 'Sicci terga suis rara pendentia crate.' 'Tabellam curtam' habes et apud Prudentium περὶ στεφ. Hymno XII. 'Buxâ crepant cerata genis impacta cruentis, Rubetque ab ictu curta et humens pagina:' sic scribunt veterrimi codices; idque in suis Giselinus invenit non intellectum. 'Dolia curta' Lucretio lib. IV. Juvenalis 'curtum temone jugum' dixit Sat. XII. Cæterum quemadmodum 'testa hic curta,' sic 'tegula curta' Propertio IV. Eleg. 5. 'Horruit algenti tegula curta foco:' ita vetus liber; ut et recte legit Salmasius, non *pergula*. Idem Eleg. 7. 'Læsit et objectum tegula curta caput.' Sic eidem lib. IV. 5. 'Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo.' *Idem.* *Curva fert, &c.*] Vaticani verius, *curto testu*. Pauperis est habere fictilem nec integram patel-

lam, et rupto latere guttum. *Neapol.*

647 *Concisaque construit alto*] Sic Ursini liber. Reliqui *arte* majori ex parte; duo *apte. Destruit* unus Patav. ex optimis. Forte *concisa superstruit ara.* Nam alter Petav. *aræ.* Tibullus tamen II. Eleg. 5. 'At sibi quisque dapes et festas exstruet alte Cespitibus mensas cespitibusque torum.' *Heins.*

649 *Irritat cortice flammas*] *Invitat* alii; quod Grutero arridebat: nil muta: dixi Am. II. 4. 'Irritare flammas' non semel habes apud Corn. Severum in Ætna. Sed scribe pro *Tum, Dum. Dum sicco primas irritat cortice flammas:* et sic unus Vaticanus. *Idem.*

650 *Stat puer*] Hunc communi consensu litterati suspicantur, quem Græci παῖδα ἀμφιθαλῆ vocant, Latini *Camillum.* Inclino: sed quid dissimulem? lente. Mallem, boni senis filiolum pro puero intelligi: nam colona ejusdem etiam erat proles. *Neap.*

651 *Inde ubi ter fruges*] Dionysium de sacrificiis ad eundem vide. *Neap.*

655 *Spargitur et cæso communis Terminus agno*] *Cæsa agna* Junianus; et placet, quia 'lactens porca' sequitur: ita enim meliores omnes, non *lactans.* Horat. Epod. II. 'Vel agna festis cæsa Terminalibus, Vel hædus ereptus lupo.' Mox pro *vicinia simplex* multi veteres *supplex:* 'simplices colonos' Manilius dixit lib. IV. et Noster supra de Fabiis 'simplex nobilitas.' *Heins. Spargitur*] Et ubi sacra illa Numæ lex de servandis puris a sanguine his sacris? abiit. Audi Plutarchum: Νῦν μὲν ἔμψυχα, immolant, &c. *Neapol.*

657 *Celebrantque dapes*] Frequentes adsunt. Celebrare, pro frequentare, jam satis notum est. Hinc, mercatus celebris. Cicero: 'Domus mea quotidie celebratur.'

663 *Signasses olim Thyreatida terram*] Quem locum Thucydides in Cynosuria esse, inquit, ad Argivi et Lacedæmonis agri confinia. Tyream Herodotus Argivorum et Lacedæmoniorum contentionem et pugnam fuisse asserit. Nam inter eos pactum fuit, ut utrimque trecenti dimicarent. Occubuere Argivi omnes, præter Alcenum et Mathinum. Spartani, seu Lacedæmones, præter Othryadem ducem eorum, omnes cæsi. Ob quod dedecori ascribens Othryades, quod cæteris pro patria cæsis solus superesset, inter extinctorum cadavera seipsum interemit. *P.* *Thyreatida terram*] Sic recte veteres. Thyreatis terra pars erat terræ Argolicæ, Lacedæmonii tamen interceptam tenebant. Vide Thucydid. lib. IV. *Thyreatida terram*] Ita scripti potiores: tres tamen *Thyreida;* ut apud Statium dicitur, 'Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.' Sed a Θυρέα seu Θύρη, οἱ οἰκοῦντες θυρεάται ὡς τεγεάται· καὶ θηλυκῶς θυρεάτις, inquit Stephani Epitome. Nihil igitur muta. *Heins.*

664 *Missa trecenta forent*] Imo sexcenta: ex his tres solum supervixere. Vide Herodot. lib. I. Atrox hæc pugna fuit, si bene supputo, anno MCCCCLXXII. nam paulo post captus Crœsus, et Sardes, quod rejicitur in MCCCCLXXIII. *Neapol.*

667 *Quid nova, &c.*] Tarquinius Priscus, cum esset Jovi Optimo fanum constructurus, de loco augures consuluit: responsum est, In Tarpeio colle. Sed cum ibi multæ essent Deorum aræ, visum est auguribus, ut de unaquaque ara Deos consulerent, an se moveri concederent. Dii cæteri geniique permisere, in alia loca suas aras transferri. Terminus autem et Juventa minime annuerunt. *P.* *Quid? nova, &c.*] Opus inceptum a Tarquinio Prisco ex voto; sed a nepote Superbo absolutum. *Neap.*

669 *Inventus in æde*] *Conventus* Maz. Voss. et tres alii; probe: sic Met. XV. veteres codices, 'Incerti quid agant proceres ad templa petiti Conveniunt operosa Dei.' Fast. III.

'Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem.' Lib. vi. 'Convenere patres, et, si bene floreat annus, Numinibus nostris annua festa vovent.' Statius Theb. xii. de ara Misericordiæ Athenis, 'Huc victi bellis, patriaque e sede fugati Conveniunt.' *Heins.*

670 *Restitit*] Inde prodiit ænigma illud perantiquum tribus versibus senariis: 'Semel minusne, an bis minus sit, non sat scio, An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier, Jovi ipsi Regi noluit concedere.' *N.*

672 *Foramen habent*] Servius lib. ii. 'Unde in Capitolio superna pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini spectat: nam Termino non nisi sub divo sacrificabatur.' Non tamen huic soli: cuivis enim Numini, cui in loco aliquo fulgurito ara erecta, sine tegmine veteres faciebant, sed his plerumque. Vide et Vitruv. lib. ii. 2. *Neap.*

673 *Termine, post illud, &c.*] Ex illo, Terminus ubicunque fixus est, effodi non potest. Et pœna erat, quam superius diximus, in eos, qui aut occuluissent, aut transtulissent Terminum.

676 *Hominem præposuisse Jovi*] Quin Jovi non cessisti, non cedas homini.

678 *Clamato Tuus est hic ager, ille tuus*] Sic vetustiores nonnulli: alii plurimi *Tuus est hic ager, ille suus;* vel *Suus est hic ager, ille tuus:* Gottorph. et unus Medic. *Meus est hic ager, ille tuus.* Puto, *Clamato, Meus est, est ager ille meus:* sic apud Stat. 'meus, ille meus;' quomodo et alii loquuntur: quanquam et alterum *Hic meus, ille tuus*, satis arridet. Epist. Med. 'Clamarem, Meus est, injiceremque manus.' Am. i. 4. 'Et dicam, Mea sunt; injiciamque manus.' Metam. iv. 'Vicimus, et Meus est, exclamat Nais.' *Heins.*

679 *Est via, quæ, &c.*] In privatorum agris supra terminos a privatis sacrificabatur, in confinibus autem urbium publice sacrificium fiebat. *Quæ populum ducit in agros, &c.*] Est via, per quam itur Laurentum, quæ fuerat regia Latina. Dicta est via Laurentina, quæ est inter viam Hostiensem et Appiam.

680 *Dardanio petita duci*] Hoc est, Æneæ, quia illuc appulit, et post mortem Latini regnavit.

681 *Illa lanigeri*] Multi ex scriptis *Illic:* Arondel. *Illac;* quod placet. Mox Stroz. et unus Med. *Nunc dicenda mihi Regis fuga.* Heins.

682 *Sextus ab Urbe lapis*] Num hi antiqui agri Romani fines? haud dubie ita est: ideo sacerdotes ibi sacrum Deo Termino agebant, nec aliam ob causam οὐ μακρὰν ambarvale sacrificium extendebatur. Vide Strabon. lib. v. *Neap.*

685 *Nunc dicenda mihi*] Vigesima tertia dies mensis Februarii, hoc est, septimo calend. Martias, appellata est Regis fuga, quando Tarquinius Superbus cum filiis ejectus est.

686 *Sextus ab extremo*] *Quintus* legit ex uno suo veterrimo Neapolis; quomodo calendaria antiqua exigant scribi. Nostri omnes pro vulgata stant lectione, præter unum Hamburg. in quo, *septimus extremo.* Heins. *Quintus ab extremo*] Sic legend. nec alio die notatur in Fastis lapideis Regifugium. Alii falso ad Calendas Junias differunt, ut Macrob. Saturn. lib. i. 12. Non ambigo quin Macrobium deceperit carmen Ovidii v. Fast. cum canit 9. Calend. Junias: 'Quattuor inde notis locus est: quibus ordine lectis, Vel mos sacrorum vel fuga Regis inest.' Sed in his nulla mentio Regifugii: sed tantum harum litterarum, q. r. c. f. quæ significant, Quando Rex, id est, sacrorum, Comitio fugit. Fusius ad V. de hoc ritu prisco nos vide ad eosdem versiculos. *Neapol.*

688 *Vir injustus*] Id ipsum regni initium aperuit, quod occiso Servio Rege socero invasit. Multa hujus Tyranni impia referunt severioris notæ Historici; multa quidem, quæ non

illi, Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. III. Imo omne convitium comprehendit Latinus Pacatus Panegyrico ad Theodosium. *Neap.*

689 *Ceperat hic alias, &c.*] In Volscos bellum movit, Suessam et Pometiam vi captas diripuit, Gabios fraude cepit. *Alias everterat urbes*] *Averterat* Naugerii liber, ex nostris Erfurtensis et unus Vaticanus: ut sit furari, furto occupare, vel etiam aversas sibi reddiderat. *Heins.*

692 *In medios hostes venit*] Transfugit Gabios. *Proles manifesta Superbi*] Sextus patri simillimus, qui minimus ex tribus erat, ut scribit Naso, ex Historico Patavino: si Dionysium sequimur, natu maximus. *Neap.*

694 *Hoc cupiunt fratres*] Rectius Petav. et tres alii *cupiant:* ut Epist. Deianiræ, 'Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis.' *Heins.* *Fratres*] Titus et Aruns.

696 *Verbera passus erat*] Eaque in foro publice. *Neap.*

697 *Luna fuit*] Plena luce splenduit. Regredere ad Epist. X. vs. 17.

698 *Notata vident*] Ad idem fere sensum torsit 'notare' Petronius in Satyrico: 'Sequar ego frontes notans inscriptione solerti, ut videamini stigmate esse puncti.' *Neapol.*

702 *Perdendi Gabios quod sibi monstret iter*] *Quod* vel *quo* Voss. *quo* etiam in multis aliis; in nonnullis *qui. Prodendi* quoque Junianus; quomodo et infra vs. 710. pro *Traduntur mœnia,* unus Moretanus *Produntur.* Heins.

703 *Hortus Sectus rivo aquæ*] Dividit. Lucret. lib. VI. 'Qua via secta semel liquido pede detulit undas.' Sic eleganter dicitur, 'secare viam.' Virgil. 'Secare medium agmen:' pro compendio viæ uti. Ut Silius: 'Fallaci gyro campum secat.' Διαπρήσσειν κέλευθον. Homer. Odyss. B. 213. Πέλαγος μέσον τέμνειν. Odyss. Γ. 174.

706 *Lilia summa*] Poëta lilia decussa inquit, Dionysius et Livius papavera dixere: eo docens ipsum oportere spectatissimos cives perdere. *Paul.* *Lilia summa metit*] Imitatus factum Thrasybuli Milesii, qui rogatus a Periandro per quemdam, necessaria moneret ad imperium diuturnum, agrum mutus cum legato petit, et aristas cædit altiores: si quietem, innuens, Rex tuus quærit in regnis, extinguat validiores. *Neap.*

711 *Ecce nefas, &c.*] Gabiis receptis, Tarquinius pacem cum eorum gente fecit, fœdus cum Thuscis renovavit, inde ad negocia urbana animum convertit. Hæc agenti, ut Livius cum Poëta concordans inquit, portentum terribile visum. *Paul.* *Altaribus anguis Exit*] Tria simul triste aliquod portendebant: visus coluber in ara, rapta exta, et ignis exstinctus: sed duo postrema non recenset Livius; nec illud in altari sedisse, sed e columna lignea (eam templi Capitolini veteris suspicor) elapsum in regiam prorupisse. *Neap.*

714 *Qui dederit primus oscula*] Præstantiores plerique *princeps,* non *primus;* quomodo apud Virgilium libro XI. 'princeps turmas invasit Asylas.' Et apud Statium Theb. XII. 'Cujus in Ogygio princeps stet lancia muro.' Noster ipse supra hoc libro, 'Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.' *Heins.*

715 *Properata dederunt*] *Tulerunt* iidem codices præstantiores magno numero. 'Oscula ferre' passim apud Nasonem aliosque occurrit. Apud Livium libro I. in narratione hujus rei, 'Imperium summum Romæ habebit, qui vestrum primus, o juvenes, osculum tulerit.' *Idem.*

717 *Brutus erat stulti sapiens imitator*] Effigiem indolis suæ, tanquam per ambages, ostendebat in corneo illo baculo, qui aurum habebat inclusum.

719 *Ille jacens pronus*] Malim *Ille cadens.* Livius, libro I. quem Noster in aliis quoque narrationibus studiose

exprimit, 'Brutus alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit.' Noster Met. VIII. 'Pronus ab arborea cecidit radice retentus.' *Heins.*

721 *Cingitur interea*] Ex fide Annalium. *Neap.* *Cingitur interea, &c.*] Ardea 23. millia passuum ab urbe distans. Hanc obsedit Tarquinius, causam prætendens quod Ardeates Romanos exules suscepissent, conspirarentque cum eis de reditu.

722 *Longas obsidione moras*] *Lentas moras* Mazar. Zulich. Voss. et sex alii: sic 'lentum duellum' habes apud Horatium Epist. I. 2. et II. 2. *Heins.*

725 *Tarquinius juvenis socios*] Lege *juvenes socios:* agi enim de patre Tarquinio, non filio, quæ sequuntur evincunt, 'ex illis rege creatus ait.' *Idem.* *Tarquinius juvenis*] Nescio cur ambigant interpretes, an hic Tarquinius sit Sextus, cum de eodem paulo post legerint: 'Interea juvenis furiales regius ignes Concipit:' et mox ipsemet, multa secum animo volutans, 'Cepimus audendo Gabios.' *Neap.*

727 *Dum nos sollicitos pigro tenet Ardea bello*] *Difficilis Ardea* Arond. Voss. Zulich. Maz. Læti, aliique complures: et recte: sic 'Janua difficilis,' apud Nostrum Met. VIII. et Propertium 'difficiles fores' Eleg. I. 6. ad quas facilis non erat accessus. Artis Amatoriæ libro I. 'Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci.' *Heins.*

729 *Ecquid in officio torus est socialis*] Numquid nos reciproce amant uxores nostræ? num servant conjugales leges? *Neapol.*

730 *Mutua cura*] Mutuus amor. Virgil. 'Mea cura, palumbes.' 'Mutuum sentire.' Cæsar. B. Alex.

732 *Et fervet multo*] *Fervent* Mazar. Zulich. Voss. Arondel, et octo alii ex præstantioribus. Superiori etiam versu *Quisque suam laudant*, non *laudat*, Gottorphianus; venuste: de quo alibi est dictum. *Heins.*

733 *Surgit cui dederat*] Scribendum vel invitis membranis *Surgite;* ut Collatini socios alloquentis oratio hinc incipiat. *Idem.* *Collatia*] Oppidum fuit prope Romam, sic dicta, quod ibi opes aliarum civitatum fuerint collatæ, a quo porta Romæ Collatina appellata est. *P.* *Clarum Collatia nomen*] Tarquinius Collatinus Egerii F. *Neapol.*

739 *Fusis*] Erat id vinolentiæ nota.

740 *Posito pervigilare mero*] Lege Livium; sed non meminit vini, cujus potus grave crimen sexui muliebri; scita lex illa Romuli. Inde ex Polybio Athen. lib. X. Λαθεῖν δέ ἐστιν ἀδύνατον τὴν γυναῖκα πιοῦσαν οἶνον, &c. Nota hos mores et oscula hæc licita. Vide et Dionys. Halicarn. *Neap.*

741 *Inde cito passu petitur Lucretia, cujus*] *Lucretia: nebat* Mazar. Zulich. duo Farnesiani, unus Mediceus, et pro diversa lectione Vossianus; quod egregie auget felicissimæ brevitatis artificium in hac narratione. Versu proximo *calathi lanaque mollis erant*, non *erat*, sex scripti. *Heins.*

742 *Ante torum calathi*] Antiquæ nostræ matres in atrio, ubi et lectus stratus, lanificio operam dabant. En hæc omnia uno exemplo. Asconius. Æmilium Probum etiam vide in Præfatione ad suos Cæsares. Γυναικωνῖτις pars erat in ædibus, in qua mulieres habitabant; ut ἀνδρωνῖτις, in qua seorsim viri. *Neap.*

743 *Data pensa trahebant*] A Lucretia præscripta: hoc matrifamilias incumbebat. *Neapol.*

744 *Sic ait illa*] *Ipsa* Mazar. Zulich. Arondel. et quinque alii: et mox *vestra manu*, pro *nostra*, totidem. *Heins.*

746 *Lacerna*] Hinc elicias, lacernam fuisse vestem militarem. Eadem dicta 'penula' Tertulliano et Suetonio: qui etiam in vita Claudii, 'tunicas russulas militares' appellavit. Vide et Interpretem Juvenalis, in illa: 'trita donare lacerna.' *Neapol.*

747 *Nam plura audire potestis*] *Soletis* Læti codex et unus Farnesianus. Pro *auditis* etiam *audistis* multi veteres. *Heins.*

749 *Postmodo victa cades: melioribus, Ardea, restas*] Versus de mendo suspectus. Cogitabam aliquando, *Dummodo victa cadas, melioribus, Ardea, resta;* ut sit voventis. *Idem.*

751 *Sed enim temerarius ille Est meus*] Pro *ille* duo veteres *ultro.* In uno Vaticano satis antiquo, *esto.* Forte, *sed enim temerarius est o, Est meus.* Mox, pro *qualibet ruit*, multi veteres *quolibet;* unus Moreti, *quemlibet petit.* Posset et legi, *quamlibet ense furit*, ut apud Valerium Flaccum libro I. 'Hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Æson:' quod ex Carrionis codice non fuerat mutandum. Idem Valerius lib. VI. 105. ut castigandum censeo; 'Te quoque venturis, ingens Ariasmene, sæclis Tradiderim, molem belli, lateque furentem Undique falcato deserta per æquora curru.' Pari modo et apud Propertium corrigo IV. Eleg. 6. 'Dixerat: et pharetræ pondus consumit in arcus: Proxima post arcus Cæsaris hasta furit;' non *fuit*, quomodo frigide nunc legitur. *Idem.*

755 *Desinit in lacrymis, inceptaque fila remisit*] *In lacrymas* repone ex castigatioribus scriptis. Deinde multi veteres *intentaque fila remittit;* quod et Naugerius in posteriori editione Aldina est amplexus. Sed Met. VI. de Arachne, 'Aspicit hanc torvis; inceptaque fila reliquit.' *Idem.*

757 *Lacrymæ decuere pudicam*] *Cecidere pudicæ* Ursin. et octo alii; probe: neque aliter codex Naugerii: nonnulli *cecidere pudicæ;* proxime verum: 'cadere lacrymæ' passim nostro aliisque dicuntur. Val. Flaccus libro I. 'lacrymæ cecidere canenti.' *Idem.*

759 *Pone metum, veni*] *Venio* plerique præstantiores; ut apud Statium Theb. XI. 'Eumenis ejecit fractis Etheoclea portis, Clamantem, Venio.' *Idem.*

761 *Furiales regius ignes*] *Furiatus* Mazar. Ursin. et sex alii. Puto *furiatos ignes:* sic 'furiata mens' apud Maronem. Mox *captus amore,* non *raptus*, Arondel. Voss. et octo alii. *Idem.*

764 *Nulla factus ab arte decor*] Sine fuco et pigmento; unde Noster alibi, 'Scitis et inducta candorem quærere cera: Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.' Malim legas, *candorem quærere creta.* Neap. *Nulla ab arte decor*] 'Nulla mala re expolita fœmina, ut quæ ornantur sibi.' Ter. Hinc Eurip. Electr. recte monet: Γυνὴ δ' ἀπόντος ἀνδρὸς ἥτις ἐκ δόμων Εἰς κάλλος ἀσκεῖ, διάγραφ' ὡς οὖσαν κακήν. Et Menand. in fragm. 25. Γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, καὶ οὐ χρυσία.

766 *Quoque minor spes est*] *Minus* primus Mediceus et duo alii. Forte, *Quoque spei minus est.* Proximo versu *dederat cantum* meliores, non *cantus.* Heins.

772 *Injectæ collo sic jacuere comæ*] *Neglectæ comæ* reponantur ex auctoritate codicis Ursini, quatuor Farnesianorum, Mazar. Zulich. Arondel. aliorumque complurium. 'Hypsipyle neglecta comam,' Statio Theb. IV. Unus Moreti *Impexæ;* non male. *Idem.*

776 *A vento qui fuit, unda tumet*] *Qui fuit ante* sex veteres. *Idem.*

780 *Vimque metumque*] *Dolumque* cum præstantioribus. Pro *injusti stimulis amoris* malim *incesti amoris.*

782 *Audentes forsque Deusque juvat*] Alii *forsque Venusque* et *juvant;* vel *forsque metusque.* Codex Politiani *forsne Deusne;* quomodo et Læti codex et unus Patavinus ex melioribus: huc et Vossianus alludit, in quo *Forsve metusve.* Lege *Viderit audentes forsne Deusne juvet.* Viderit fors et Deus, uter audentes juvet. Vide de hoc loquendi modo quæ notamus Pont. I. 2. 'Forsne Deusne,' ut apud

Statium Theb. II. 'audenti Deus et Fortuna recessit.' Apud Ciceronem frequenter habes, 'De istis Fortuna viderit.' Mezent. apud Maron. 'ast de me Divum pater atque hominum rex Viderit.' *Idem.*

787 *Penetralia Collatini*] *Collatina* unus Mediceus: quomodo apud Maronem, 'Hi Collatinas imponent montibus arces.' *Idem.*

788 *Comiter*] Dionysius: Ἐξένιζεν αὐτὸν ὡς συγγενῆ τοῦ ἀνδρὸς πολλῇ προθυμίᾳ τε καὶ φιλοφροσύνῃ. *Sanguine junctus erat*] Nam Tarquinius Collatinus, nepos Tarquinii Superbi, Sexti filii consobrinus. *Neapol.*

791 *Poscunt sua tempora somnum*] *Somni* meliores. *Heins.*

793 *Aurata vagina liberat ensem*] *Auratum* concinnius libri meliores, ut recte vidit Neapolis. Iidem *deripit ensem,* etsi non ignorem alterum quoque elegans esse. Met. VI. 'Quo fuit accinctus vagina liberat ensem:' ubi pari modo *deripit* in scriptis nonnullis veterrimis exaratum: ut lib. X. 'Pendenti nitidum vagina deripit ensem.' Sic 'ensem destringere,' non *distringere,* in antiquissimis codicibus passim legitur. *Idem. Auratum vagina*] Ensis auratus idem ac auro vinctus ad capulum, χρυσένδετος. Ni melius, manubrium vere fuisse ex solido auro et argento confectum. *Neapol.*

795 *Utque thorum*] Livius: 'Sinistraque manu mulieris pectore oppresso, Tace, Lucretia, inquit, Sextus Tarquinius sum, ferrum in manu est; morieris si emiseris vocem.' In eandem ergo sententiam et verba cum Poëta conveniunt.

801 *Fœmina pugnans*] *Pugna* meliores: et *qui necet* proximo pentametro octo scripti, pro *vetet:* et *ensis adest,* pro *erat,* Ursini codex optimus cum tribus aliis. *Heins.*

803 *Urgentur pectora palmis*] *Urgetur* ex veteri libro Modius in Novantiquis Lectionibus, eleganti Græcismo: sic supra, 'Carpitur attonitos absentis imagine sensus:' atque ita passim noster. *Nunc primum* sequenti versu unus Moreti et Farnes. *Idem.*

807 *Pro crimine vitam*] *Per crimina* scripti: et *adulter erit,* pro *ero,* mox meliores. *Idem.*

809 *Famulum*] Hoc terrore obstinatam pudicitiam vicit: quæ non precibus, non metu mortis movebatur, victa est metu dedecoris. *Paul. Cum quo deprensa fereris*] Nihil hic ποιητικόν: totum pura puta veritas. *Neapol. Cum quo deprensa fereris*] *Quocum*] liber optimus Læti. Puto *qui cum.* Heins.

816 *Et posita*] Forte, *ut posita venit uterque mora; Utque vident habitum.* Idem.

824 *Non oculos ideo sustulit*] *Ad eos sustulit* Zulich. Mazar. Voss. et alii septem: Ursini cum sex aliis *adeo.* Posset etiam *ab humo* legi. *Idem.*

825 *Hoc quoque Tarquinio*] Ad stuprum respicit: quasi exclamet Lucretia, Expugnatum mihi quoque muliebre decus Tarquinio debemus. *Neapol.*

829 *Dant veniam*] Et Livius: 'Consolantur ægram animi, avertendo noxam a coacta in auctorem delicti: mentem peccare, non corpus: et unde consilium abfuerit, culpam abesse,' &c. *Conjuxque coactæ*] *Coacto* meliores. *Heins.*

830 *Ipsa nego*] Hæc Phædra in casu pari Theseo conjugi dixit apud Senec. in Hippolyto, Act. III. 'Tentata precibus restiti: ferro ac minis Non cessit animus; vim tamen corpus tulit. Labem hanc pudoris eluet noster cruor.' *Neapol.*

831 *Fixit sua pectora ferro*] *Figit cultro* meliores. 'Culter' est etiam Livio, et D. Halicarnassæo ξιφίδιον. Val. Maximus lib. VI. 1. 'ferrum' vocat, ut vulgati apud nostrum codices: quod sequendum duco, cum 'cultrum' mox sit dicturus. *Heins.*

837 *Sua nomina fallit*] Ostendit se non esse 'brutum.' *P. Sua nomina*

fallit] Cognomen hoc L. Junii Græci interpretantur ἠλίθιον. *Neap.*

840 *Ore minante*] *Micante* unus Medic. Lege *minace.* Heins.

842 *Qui mihi numen erunt*] Manes sunt defunctorum genii, quos antiquitas venerata ut Deos. *Neap.*

844 *Virtus dissimulata*] Celata est. *Mihi*] A me; quia tyranni metu stultum se simulaverat.

845 *Illa jacens ad verba*] *Adversa* octo veteres; quod placet. *Heins.*

847 *Fertur in exequias*] Hoc distichon sequenti concinnius postponatur. *Idem.*

849 *Vulnus inane*] Erat ante curiam jacens Lucretiæ corpus, spectaculum populo crudele, patebat vulnus. Convenerant jam non modo qui in foro erant, sed in urbe tota. Congregato ergo populo omni, Brutus longam habuit orationem, quam Dionysius refert.

851 *Capit annua Consul Jura*] Nam creati fuere duo consules, qui summam in rempublicam potestatem haberent, L. Junius Brutus, et Tarquinius Collatinus.

852 *Dies illa fuit suprema*] Ultima. *Regnis*] Quia ex illo reges defecere. *Neap. Tarquinius cum prole fugit*] Anno ab urbe condita CCXLIV. Regno præfuit annos XXXVIII. seu verius XXXVII. *Capit annua Consul*] Abit prima ætas (sic vocarunt illam sub regibus), accedit secunda. Universa potestas datur Consulibus, sed duobus libertatis vindicibus, L. Junio Bruto, et L. Tarquinio Collatino. Vide Florum. *Neap. Dies regnis illa suprema*] Caligula primus speciem principatus convertisse videtur in regni formam; sed regis regnique nomen non usurpatum, nisi inclinato jam Romano Imperio, a Gothis, Francis, et Vandalis. *Idem.*

853 *Fallimur*] Incipiunt circa Februarii finem redire hirundines: 'Tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo.' Redeunt ergo his diebus: metuunt tamen ne revertatur hyems. *Prænuntia venit hirundo*] Videtur rejicere hirundinum adventum in diem XXII. sive XXI. die IV. post Solis ingressum in Pisces: in eadem sententia Eudoxus. *Neap.*

857 *Jamque duæ, &c.*] Tertio Kalendas Martias Equiria celebrabantur frequenti equorum cursu; quæ a Romulo Marti instituta ad instar Consualium. *Neapol.*

858 *Junctis curribus urget eques*] Nam singulis missibus quatuor aut plures quadrigæ laxato repagulo certatim sese effundebant ad palmam: inde 'æmuli currus' Jul. Solino in Polyhist. *Neapol.*

859 *Permansit Equiria nomen*] Varro lib. v. de L. L. 'Equiria, ab equorum cursu: eo enim die currunt equi in campo Martio.'

860 *Perspicit ipse suo*] *Prospicit* rectius veteres multi. *Heins.*

861 *Locum tua tempora poscunt*] Lego *sua:* nam *tuo nomine* mox sequitur. Sic supra, 'Poscunt sua tempora somnum.' *Idem.*

864 *Jam mihi linter*] *Mea linter* quatuor codices: sic in veteri exemplari Fast. VI. 'Ferte coronatæ juvenum convivia lintres.' Sic et *lembus* fœminini generis in antiquis codicibus Claudiani, ut *Phaselus.* Virgil. 'Centauro invehitur magna.' *Idem.*

FASTORUM LIB. III.

Bellice, depositis] Ordinem mensium per Romulum, et postea per Numam, primo libro exposuimus, multaque in secundo. Venimus nunc ad tertium et librum et mensem, quem primum Romulus instituit: et tanquam primum anni mensem Marti genitori suo dicavit. Hujus die prima ignem novum Vestæ aris accendebant, et in regia et curiis, et in flaminum domibus,laureæ veteres novis mutabantur. Eodem mense ad Annam Perennam sacrificatum itur, ut annare, perennare commode liceat. Mercedes evolvebant magistris, comitia auspicabantur, vectigalia locabant, &c.

2 *Mars, ades*] Invocat in ipso initio Martem, a quo nomen mensi inditum, sed inermem, exemplo Palladis, quæ vacat pacis et belli studiis. *Neapol.*

6 *Non minus*] *Num minus* meliores, ut monui ad Epist. XI. 19. atque ita Neapolis. *Heins.*

8 *Quid agas*] *Quod* cum melioribus; jam dixi Art. Am. II. 702. *Idem.*

9 *Romana sacerdos*] Amor. lib. III. 6. monui rectius videri legendum, *Trojana.* Sequenti versu pro *semina magna,* Ursini liber et unus Patav. *semina digna;* ut et Nauger. *Idem.*

11 *Silvia Vestalis*] *Ilia* Arondelianus: vide quæ supra observamus, ad lib. II. 383. Sic et infra paulo post vetus liber Moreti *Ilia fit mater.* Idem.

12 *Sacra lavaturas, &c.*] E more cotidiano Vestalium. Vide Plutarch. Silviam credibile e flumine Tiberino tunc undam hausisse. *Neapol. Mane petebat aquas*] Intellige non de Tyberi, quod volebat Neapolis, sed de Numicio: Servius ad illa Virgilii Æn. VII. 'Fontis stagna Numici.' 'Quod ait fontis stagna, verum est. Nam Numicius ingens ante fluvius fuit, in quo repertum est cadaver Æneæ et consecratum: post paulatim decrescens in fontem redactus, qui et ipse siccatus est, sacris interceptus. Vestæ enim libare non nisi de hoc fonte licebat.' *Heins.*

13 *Mollem declivo tramite ripam*] *Molli declivem* præstantiores omnes; unus Farnes. *molli declivam.* Sic 'per decliva' pro declive Met. II. 206. in optimis membranis. *Idem.*

14 *E summa coma*] E capitis summitate. *P. Ponitur e summa*] Mos gestandi quodcunque pondus, non magis veteri Latio receptus, quam aliis gentibus. Noster de Argivis, in Amatoriis: 'Cum premeret summi verticis urna comas.' *Neapolis.*

15 *Fessa resedit humo*] *Humi* meliores: quare frustra est Carrio, qui ad lib. I. Val. Flacci *sedere humo* passim apud auctores contendit legendum. *Heins.*

17 *Dum sedet*] 'Omnia sunt dulces hæc invitantia somnos, Aura, umbra et cantus, leneque murmur aquæ.'

19 *Furtim victis obrepsit ocellis*] *Subrepsit* scripti plerique: *victis furtim subrepsit* opt. Ambros. utrumque bene. Epist. Herus, 'Sed movet obrepens somnus anile caput.' Perperam alii *victos oppressit ocellos: subrepit* Voss. Maz. et quatuor alii; bene: nisi Nasonem contendimus scripsisse, *victos obrepsit ocellos;* quod verbum Lucanus quoque cum quarto casu conjungit. Vide quæ noto Met. VII. 155. *Heins.*

21 *Potiturque cupita*] *Cupitam* opt.

Ambros. Læti, et unus Farnes. quomodo etiam legit hoc loco Diomedes Grammaticus. *Idem.* *Potiturque cupita*] Ilia quam cupivit.

22 *Fefellit ope*] Ἐνεργητικῶς, pro abdidit, occultavit. *Neapol.*

24 *Conditor urbis erat*] *Eras* Mazar. pr. Med. et Politiani Excerpta; bene. Sequenti versu *nec scit* meliores, non *nescit.* Zulichemianus eleganter, *Languida cum surgat, nescit cur languida surgat.* Heins.

30 *Ante sacros lanea, &c.*] Ex se ipsa a Pontifice convictæ jam adimenda. Dionysius de Oppia seu Opimia ad supplicium damnata: Αὐτὴν μὲν τῆς κορυφῆς ἀφελόμενοι τὰ στέμματα, καὶ πομπεύοντες δι' ἀγορᾶς, ἐντὸς τείχους ζῶσαν κατώρυξαν. Insigne erat, quod ut Vestalibus proprium, ita aliis cuivis numini consecratis. *Neapol.* *Lanea vitta*] *Laurea vitta* multi ex scriptis: alii *vitta soluta,* pro voluta. Omnia bene. 'Laneam vittam' Virgilius quoque dixit. De 'laurea vitta' habes supra initio Trist. II. 4. 2. 'Et dabitur merito laurea vitta Jovi:' ita enim scripti meliores. *Heins.*

34 *Sua sidera summa coma*] *Nova coma* Maz. Zulich. Voss. Arondel. et quatuor alii. *Idem.*

36 *Corque timore micat*] 'Usque metu micuere sinus.' Redeas ad Not. Var. Epist. I. 45. ubi multa præclara Nobiliss. Heinsius. Et Epist. v. 37.

37 *Martia picus, &c.*] Portendebat hoc, educandos esse eos a lupa et pico. Unde Plutarchus, in vita Romuli, ait lupam quandam, ac volucrem picum, adeo summa cum benevolentia infantibus astitisse, ut et hæc ubera benigne, et ille alimenta plurima contulerit.

40 *Dum sua visa refert*] *Sata* pr. Med. an *rata?* Heins.

44 *Restabant nitido jam duo signa Deo*] Soli, qui nitidis orbem radiis illustrat. *Duo signa*] Duo menses. *Paul.*

45 *Vestæ simulacra, &c.*] Ficta hæc. Nec simulacrum ullum fuit unquam in æde Vestæ.

46 *Oculis opposuisse manus*] Simile evenit scelestæ illi Tulliæ, viso parentis signo in fano Fortunæ. *Neapol.*

47 *Ara Deæ certe tremuit*] Hanc in denariis videre licet cum carbonibus in medio accensis, et his litteris in ora, VESTA. SC.

48 *Et subiit cineres*] Fere extincta: quod super omnia gravia et timenda Romani habebant. *Neapol.*

54 *Expositis*] Τοῖς χαμαιρριφέσι. *Neap.*

55 *Nutrix Laurentia*] Alter Mazar. *Larentia* pro diversa lectione; quomodo et unus Mediceus. Sequenti versu *Larentalia* ex uno suo Neapolis; recte: ita enim in Kalendariis marmoreis id festum, ita a Varrone, Festo, Livio, Halicarnassæo, aliis appellatur. Sic certe in Livii et Halicarnassensis vetustis scribi exemplaribus monet Sigonius. Codex veterrimus Egmondanus Prudentii lib. II. contra Symmachum vs. 562. *Larentina* quoque agnoscit. *Heins.*

57 *Cum Laurentalia dicam*] In meo, *Larentalia.* Firmat Festus editionem in his: 'Larentalia, conjugis Fausti, nutricis Remi et Romuli, Larentiæ festa.' Sunt in veteri Kalendario mense Decembri x. Kal. quod et e Macrobio observa: 'Primo Satur. x. Kal. feriæ sunt Jovis, quæ appellantur Larentalia.' Sacra faciebat flamen Martialis, teste Plutarcho, in Romulo. *Acceptus geniis*] Ob Saturnalia. Iberus epigrammatarius ad Fuscum: 'Otia dum medius præbet tibi grata December.' Ad geniales hos dies alludit, cum fora clausa, et otium causidicis, studiis etiam intermissio. *Neapol.*

58 *December*] Dicimus ergo Decembrem acceptum geniis, ob Saturnalia, quæ eo mense fiebant, quo convivia voluptuosa celebrabantur. *P.*

60 *Jam nova, &c.*] Antiquo verbo utar, *pilabant.* Festi Abbreviator:

'Pilat, pilos habere incipit.' Novam barbam exponunt Glossæ. πρωθήβην, quæ Lucilio dicta, barbula prima. *Neap.*

62 *Iliadæ fratres*] Romulus Remusque Iliæ filii. *Armentorum ministris*] Hoc est, pastoribus.

64 *In sua jura boves*] *In sua rura* meliores. *Heins.*

65 *Ut genus audierant, animos pater editus auget*] *Audierunt* bene Patav. de quo Epist. VII. vs. 166. neque aliter Nauger. Deinde *pater agnitus* Ursin. duo Patav. duo Medicei: ut Epist. Parid. 'Regius agnoscor per rata signa puer.' Et Epist. Hypsipyles: 'Si quæris, cui sint similes, agnosceris illis.' *Idem.*

66 *In parvis casis*] *In paucis* Ursin. pri. Farnes. Zulich. Mazar. Nauger. Petav. et octo alii. *Idem.*

68 *Longævo avo*] Numitori jam seniori. *Paul.* *Restituuntur avo*] Cæso Amulio, Numitori regnum Albanum. *Neapol.*

71 *Quæ fuerant silvæ, pecorumque recessus*] *Qua* pr. Ambros. Læti, aliique complures: quomodo apud Propertium Eleg. IV. 1. 'Hoc quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est:' eam enim esse veram scripturam jam alii viderunt. Deinde, *nemorumque recessus* duo codices; ut apud Lucanum lib. V. 'Castalios circum latices nemorumque recessus.' Mazar. aliique duo *pecudumque recessus;* forte pro *specuumque*. Heins. *Pecorumque recessus*] Qui in palatio: ea propter ejusdem pars dicta 'pecuscum,' auctore Festo: cujus et meminit Varro de L. L. lib. IV. *Neapol.*

74 *Pignora multa*] Sarrav. et duo alii *pignora certa:* quod in suis quoque Naugerius invenerat. Sic Met. lib. II. 'Pignora certa petis, do pignora certa timendo.' Infra hoc libro, 'Imperii pignora certa dabo.' Et mox, 'Jupiter imperii pignora certa dabit.' Pont. lib. IV. 13. 'Qui dederint animi pignora certa sui.' Severus in Ætna, 'Certaque venturæ præmittit pignora flammæ.' *Heins.*

75 *A te principium Romano dicimus anno*] Repone *ducimus* ex potioribus scriptis: sic Germanicus Arateorum initio, 'Ab Jove principium magno deduxit Aratus.' *Idem.*

76 *Mensis erit*] *Eat* Zulich. Mazar. Voss. Arondel. et tres quatuorve alii; quomodo lib. II. initio, 'Alter ut it mensis, sic liber alter eat.' *Eris* Petav. cum aliis duobus. *Idem.*

81 *Pallada Cecropidæ, &c.*] Quæque externa regio suum habet numen. Latini tamen Martem præ cæteris colunt. Colunt Pallada Athenæ, Creta Dianam, Lemnos Vulcanum. *Cecropidæ*] Athenienses, a Cecrope rege, qui in Attica regnavit. *Minoia Creta*] A Minoë primo Jovis et Europæ filio. *Colit Dianam*] Cujus templum est in Dictæo monte Cretæ: unde et Dyctinna appellata est.

82 *Tellus Hypsipylæa*] Hoc est, Lemnos insula, ab Hypsipyle Thoantis filia, quæ in ea regnavit. *Paul.*

83 *Junonem Sparte, &c.*] Spartani et Mycenæi ante alios Deos Junonem colebant, et Arcadia Faunum. Sparta eadem quæ et Lacedæmon in Laconia. *Pelopeiadesque Mycenæ*] A Pelope: tum quod fuit in Peloponneso, tum quod ea regia Pelopidarum.

84 *Mænalis ora*] Arcadia, a Mænalo monte.

87 *Fastos*] Fastorum libros. *Peregrinos*] Non intelligas Græcos aut Barbaros, sed aliarum urbium in Italia. *P.* *Peregrinos inspice Fastos*] In his invenies etiam mensem hujus nominis. Vide Censorin. de die nat. 'Varro,' inquit, 'Romanos a Latinis nomina mensium accepisse arbitratur,' &c. *Neapol.*

88 *Nomine Martis*] Erit inscriptus Martius mensis. Albani cum annum decem mensium haberent, habent et ipsi mensem Marti dicatum, eumque tertio loco numerabant: Phalisci autem quinto, Hernici sexto, Aricini

vero et Tusculani eodem loco habebant, quo Albani.

90 *Sextus apud*] *Habet* Vossian. et prior Puteaneus. *Heins. Hernica terra, tuos, &c.*] Fuit sextus apud populos tuos. Hernici populi sexto loco Martium numerabant. Via Latina sunt Hernici, in quibus est Anagnia urbs, olim insignis, ut Strabo ait.

91 *Inter Aricinos Albanaque tempora constat*] *Constant* Ursin. et quatuor alii; ut constructio sit, 'inter Aricinos et Albana mœnia constant tempora.' *Restant* Mazarin. Zulich. *restat*. Heins. *Constat*] Convenit idem ordo mensis inter Albanos, Aricinos, et Tusculanos. *Paul.*

92 *Telegoni mœnia*] Telegonus Ulyssis ex Circe filius, a quo Tusculum conditum aiunt Laurentes quinto loco, et Æquiculi decimo loco Martium numerabant, Forenses vero quarto.

93 *Laurentes*] A Laurento oppido, ubi regia Latini fuit. *Bis quintum*] Nam decimo loco Martium mensem habebant. Æqui et Æquiculi sunt inter Marsos et Sabinos, utrisque finitimi. Et Alba erat Æquorum caput. *Æquiculus acer*] *Asper* præstantiores magno numero. Virgilius lib. VII. 'Horrida præcipue cui gens, assuetaque multo Venatu nemorum, duris Æquicola glebis.' Eidem paulo ante 'Saticulus asper:' et 'asper Acarman' Statio in Achilleide. *Heins.*

94 *Turba Forensis*] Forum Appii Politianus intelligebat. Hæret et Neapolis in hoc loco. Sed Ursin. Zulich. aliique decem ex melioribus nostris *turba Curensis*, cum veterrimo Naugerii libro; ut Cures Sabinorum intelligat. *Idem. Turba Ferensis*] Hoc est, Ferentini, a Ferentino oppido, quod Strabo via Latina ponit, et est in ipsis Hernicis. *Paul. Turba Forensis habet*] Pro Forensis turba vult intelligi Scaliger, Forulorum gentes: qui Foruli, Sabinorum oppidum. Strabo lib. V. Σαβίνων δ' εἰσι καὶ οἱ Φόρουλοι πέτραι, πρὸς ἀπόστασιν μᾶλλον ἢ κατοικίαν εὐφυεῖς. Doctiss. vero Geographus, 'Forum populi,' oppidum situm in Albano monte, cujus accolas vocat Plin. l. III. c. 5. Foro-populienses.

95 *Cum proavis Sabinis*] Peligni, ut vides, genus Italicum; sed Illyricum Festo Pompeio: tua tamen fides certa mihi, Naso, in rebus incertis. *Neapol.*

96 *Huic genti quartus utrique Deus*] *Hic* legendum ex Arondel. Voss. aliisque tribus: nonnulli, atque inter illos Zulich. et Mazarin. *hic uterque;* proxime verum. *Heins. Quartus Deus*] Martius quartus anni mensis. *Huic genti utrique*] Sabinis et Pelignis.

101 *Nondum tradiderat*] Unus Mediceus, *Nondum tradideras.* Heins. *Victoribus artes Græcia*] Intromissæ igitur post bella Punica; et Romanum illud robur ac severitas paululum mutata; vide Manut. lib. I. in Quæsitis: cui adde Strabonis locum lib. IX. ubi contrarium docet, et cunctas scriptor ille Imperii auctas opes his disciplinis refert acceptas. *Neapolin.*

103 *Qui bene pugnarat, Romanam noverat artem*] Virgil. VI. 'Excudent alii spirantia mollius æra: Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus: Orabunt causas melius, cælique meatus Describent radio, et surgentia sidera dicent: Tu regere imperio populos, Romane, memento. Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem, Parcere subjectis, et debellare superbos.' His nempe artibus Romana potentia crevit.

105 *Quis tunc, &c.*] Nondum Romæ habebatur ulla astrologicæ disciplinæ ratio, sic nec astrorum cursus observatus: quia nondum penetraverant in Græciam Latini, nec in Phœniciam aut in Ægyptum. *Aut Pleiadas Atlanteas*] Atlantis ex Pleione filias. Videtur hoc dicere: Quis observaverat sidera aut verna aut hyemalia? Hyades enim ortu hyemem referunt;

Pleiades vero oriuntur in vere, inde Vergiliæ.

107 *Esse duas Arctos*] Ursam majorem et minorem.

108 *Sidoniis*] Hoc est, a Phœnicibus, a Sidone urbe. *Cynosura petatur*] Hoc est, minor ursa, ad cujus observationem Phœnices navigant. *Helicen notet*] Majorem ursam, ad cujus observationem Græci navigant.

109 *Signaque quæ percenseat*] Duodecim illa signa, quæ sunt in zodiaco. *Longo anno*] Anno solari, qui constat ex duodecim mensibus, quibus duodecim illa signa sol permeat: nam in unoquoque signo mensem unum absumit.

111 *Non observata per annum*] *Et inobservata* Ursini, opt. Ambros. Mazar. Zulich. Voss. Arondel. et sex alii ex melioribus. Met. IV. 'At puer ut vacuis it inobservatus in herbis.' Martialis Epigr. VIII. 33. 'Aëra per vacuum delapsa sedentis in ipsos Fluxit Aretullæ blanda columba sinus. Fluxerat huc casu, nisi inobservata maneret, Permissaque sibi nollet abire fuga;' ita opinor scribendum: *Luserat hoc casus* nunc legitur. Crederes casu huc fluxisse, inquit. Posses et legere, *Lapsa erat huc casu.* Heins.

112 *Constabat sed tamen esse Deos*] De Diis hæc præter rem videntur. Censeo corrigendum, *Libera currebant et inobservata per annos Sidera, constabat sed tamen esse suos:* certe in præstantissimo Zulichemiano codice τὸ *Deos* a manu secunda erat, erasa veteri scriptura: *constabant sed tamen esse deo* veterrimus Petavianus. *Idem.*

113 *Signa tenebant*] *Movebant* Mazarin. Vossian. et quinque alii. Tum versu proximo *quæ magnum prodere crimen erat,* non *perdere,* alter Bononiensis. Sic 'signa movere:' et 'prodere signa' apud Lucanum. *Idem.*

114 *Perdere crimen erat*] Ob hoc legi, coërcitos milites pane hordeaceo, decimatione, discinctione, exercitu spectante. Legi, amictos veste muliebri, pœna morte graviori rata.

115 *Illa quidem fœno*] *Illaque de fœno* legendum; idque ex auctoritate unius Vaticani, et prioris Bononiensis: neque aliter editio Gryphiana; quomodo et Scaliger in ora codicis sui castigarat: ut mirer in contraria ivisse Ciofanum. Forte tamen verior scriptura, *Illa quidem e fœno;* quam alter Puteaneus confirmat. *Heins. Illa quidem fœno*] Donatus in Terent. Eunuch. Sibi sertum vel coronam ex manipulo herbæ vel hujusmodi conficiebant, quod pro signo sequebantur. *Sed erat reverentia fœno*] 'Quanta, inquit, tuis aquilis. *Neapol. Illa quidem fœno, &c.*] Prima Romanorum signa fuere fœni manipuli, unde 'manipulares milites' dicti. Verum postea signa Romanorum fuere aquilæ, lupi, leones, &c.

117 *Pertica longa*] Hasta rudis pertica, velut ex nemore erat avulsa. *Portabat maniplos*] Suspensos, manipulum fœni.

118 *Unde manuplaris*] A manipulo dictus manipularis. Vetus nomen et ante urbem conditam. Vegetius vocat manipulum, contubernium, unde et iidem contubernales. *Neap.*

120 *Lustra minora*] Nam ex quinis annis decimestribus, lustrum mensibus L. constabat.

122 *Hic numerus magno tunc in honore fuit*] *Hic nostris* Vossianus, et Mazarinianus. *Heins.*

123 *Per quos numerare solemus*] Plerumque enim digitis numeros computamus. *Seu quod*] Venimus usque ad decimum, numero crescente: cum numeramus, ascendimus usque ad decem; postea resumitur primus numerus decimo additus, ut decem, postea undecim, viginti, postea viginti unum: sic de reliquis. *Paul.*

127 *Inde patres centum*] *Pares centum* ex potioribus scriptis; quomodo et Scaliger castigarat in ora codicis sui, et Lipsius de Militia Romana l.

II. 2. Vide Livium libro primo cap. 8. et 17. *Heins.* *Inde pares centum*] Centuriam ætate et robore æqualem divisit in decurias. *Neapol.* *Spaciis novis*] Per quæ numeramus. *Inde pares*] Non modo in anni computatione servatus est denarius numerus, sed etiam in militia, cum centurias, hastatos principes, pilanos equites, et omnes ordines denario numero divisit.

128 *Hastatos instituitque decem*] Hi in acie primi pugnam capessebant, deinde principes, postea triarii: sed hoc, stante Repub. nam sub Cæsaribus principes hastatis et triariis antepositi. Vide Ald. Manut. in Quæsitis l. I. Epist. 3.

129 *Et totidem princeps*] Hinc primus, secundus, tertius princeps, usque ad decimum; qui caput erat istius ordinis. Peculiare etiam illis nomen, 'principales, et principia legionum.' *Totidem pilanus habebat*] Pilani iidem cum triariis, ut ex M. Varrone colligimus; et cum vexillariis, ut ex Livio, Tacito, &c. *Neap.*

130 *Legitimo quisque merebat*] Legitimum interpreteris publicum et legibus datum. Equo publico merere, dixere Græci, Δημοσίᾳ ἱππεύειν. *Merebat equo*] Non solum ergo peditum genera in decem quæque partes distributa, sed et equitum. Vide Varron. l. IV. de L. L. *Neap.*

131 *Quin etiam ille*] Romulus. *Partes totidem Titiensibus dedit, &c.*] Etiam denario numero divisit tribus, Titiensem, Ramnensem, et Lucerem: nam unaquæque tribus in decurias decem divisa est. Titienses a Tatio, Ramnenses a Romulo: Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Thusca. *Tatiensibus ille*] *Titiensibus* optimi codd. et recte: quomodo et apud alios scriptores in veterrimis membranis exaratum occurrit; ut apud Livium, Florum, Propertium, Festum in *Sex Vestæ*, Servium, Varronem de L. L. et sane cum Livius I. 13. 'Ramnenses a Romulo, ab Tito Tatio Titienses appellatos' affirmat, nihil necesse erat *Titi* prænomen addi, nisi eo *Titiensium* relatam voluisset originem. Mazarinianus tamen hoc loco *cupientibus*. *Heins.*

137 *Quæ toto perstitit*] En orditur a prima: cujus et meminit Solinus Polyhist. cap. 3. 'Romani,' inquit, 'initio annum decem mensibus computabant, a Martio auspicantes,' &c. *Neap.* *Laurea flaminibus*] Quæ pependit in flaminum domibus.

139 *Posita viret, &c.*] Macrob. Saturn. I. 'Eodem quoque ingrediente mense, tam in regia curiisque atque Flaminum domibus laureæ veteres novis laureis mutabantur.'

140 *Ante tuas itidem*] *Fit idem* Ursin. prim. Ambros. Zulich. Nauger. aliique complures. *Heinsius.* *Curia prisca fores*] Curiæ priscæ erant, Forensis, Veliensis, Rapta, Velitia, et reliquæ XXVI. In harum unaquaque et cœnaculum erat, et focus ad rem sacram, ex Romuli instituto. Auctor Dionys. l. II. Novæ totidem XXX. quæ postea exstructæ, in quas evocata sacra ab antiquis: sed illarum quattuor, quas supra retuli, et de quibus nunc Naso noster, exaugurari per religionem licitum haud fuit. Vide et Festum. *Neap.*

141 *Vesta quoque ut niteat folio*] *Folio niteat* plerique veteres. Mox pro *laurea cana* alter Petavianus *laurea vitta*. Heins.

143 *Arcana*] Dixit, quia non licebat ingredi maribus. *P.* *Fieri novus ignis in æde*] Habes id ex Solino; cui addo Macrob. in hæc verba: 'Hujus etiam prima die ignem novum Vestæ aris accendebant, ut, incipiente anno, cura denique servandi novati ignis inciperet.' Subdit deinde: 'Hoc mense mercedes exsolvebant magistris; comitia auspicabantur, vectigalia locabant.' *Neap.*

147 *Initi memorantur, &c.*] Usque

ad finem, inquit, belli Punici, imo usque ad annum DC. urbis conditæ, Q. Fulvio et T. Annio Coss. hi primi Kalendis Januariis suum magistratum inierunt: qui dies deinceps, stante Imperio Romano, solemnis ineundis Consulatibus est habitus. *Neap.*

150 *A numero nomina quisquis habet*] *In numero* decem codices antiqui. *Heins.* *A numero nomina habet*] Nam Sextilis a sex, September a septem, October ab octo, &c.

151 *Primus Pompilius*] Numa Pompilius. *Oliviferis Romam deductus ab arvis*] Accitus in regem ex Sabinis arvis olea abundantibus. *Paul.* *A numero nomina, &c.*] Vide Solin. loco citato vs. 143. *Neap.*

153 *A Samio*] A Pythagora Philosopho, qui Samius fuit.

153 *Sive hoc a Samio*] Σάμιος est absolute Sophus Pythagoras. *A Samio doctus*] Tu in hunc ἀντιχρονισμόν? Miror. interim audi Tullium lib. IV. Tuscul. ‘Pythagoras fuit in Italia temporibus eisdem, quibus L. Brutus patriam liberavit.’ Nec fallitur: calculum addit Strabo, Livius, &c. *Neap.*

154 *Egeria sua*] Quam suam conjugem esse fingebat. Egeriam enim (ut Dionysius inquit) fabulati sunt Nympham quandam fuisse, Numam docentem sapientiam regiam. *Paul.*

155 *Errabant tempora*] Quia annus ad solis cursum non perficiebatur: et menses verni, factum est eo errore, ut hyberni aliquando essent. *Etiam tunc*] *Etiam nunc* plerique veteres: unus Regius *etiam non.* Lege *etiamnum.* Mox pro *in multis* complures scripti *ut multis.* Heins.

156 *Cura fuit*] Quasi fuit inter cæteras præcipua, ut annum ad certiorem ordinem redigeret. Sed cum intercalationibus esset erratum, rem emendavit Augustus, sublato omni errore intercalari. *Hæc quoque cura fuit*] Vide Dion. Cassium l. XLVIII. ταῦτα τε ἐνομοθέτησε, καὶ τὰς ἡμέρας, &c. præter Merkedinum, quem ex more in Februarium inseruit: nam LXVII. illos dies distribuit inter Novembrem et Decembrem. ‘Fuit is annus,’ inquit Sueton. I. 40. ‘quo hæc constituebantur quindecim mensium, cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.’ *Neap.*

157 *Tantæ propaginis auctor*] Tantæ sobolis, pater Augusti, avus Tiberii, et proavus tuus, o Germanice. *P.*

161 *Moras solis*] Hoc est, tempora quæ eundo et redeundo sol absumit. Aut ipsa solstitia intellige, hybernum et æstivum. *In sua regna rediret*] Rediret sol e Cancro in Capricornum, et e Capricorno in Cancrum. *Paul.* *Quibus in sua signa rediret*] *Regna* Ursin. opt. Ambros. Zulich. Mazar. Voss. Arondel. et plures melioris notæ; ut Zodiacum regna Solis appellet: sed vulgatum placet. *Heinsius.* *Ille moras Solis*] Quæ Lunares excedunt diebus XI¼. Finitur autem Lunaris annus spatio dierum CCCLIV. hanc ob caussam mensis Lunaris dies habuit XXIX½. tempus vero bimestre LIX. unde cavus unus et plenus alter esse debet. Hoc anno usi olim Romani, et obscura intercalatione; sed nunquam fere notum illis certum aliquod anni tempus. Causam dat Galen. comment. in I. Epidem. *Neap.*

164 *Tempora quinta*] Dixit: Non quod quinis annis fiat intercalatio, sed quaternis, hoc est, in fine cujusque anni, sed quia de quinto in quintum numerando utrumque intercalatum.

165 *In lustrum accedere*] In quinquennium.

166 *Quæ consumatur*] *Consummatur* Ursin. Petav. et multi alii: sed ‘consumi dies’ Latine et eleganter dicitur; sic ‘diem apparando consumere’ Terent. Adelph. et Sulpicius ad Ciceronem Epist. Famil. IV. 12. Noster Trist. V. 5. ‘Consumatque annos, sed diuturna, suos.’ Paulo ante, pro *tempora quarta*, Petav. pr.

Ambros. Arondel. et plurimi alii cum primis editt. *quinta:* Maz. Ursin. et quinque alii *juncta*. Heins.

170 *Matronæ cur tua festa*] Quinque recenset caussas: cuique suus inerit locus. Solemnitas hæc Martiis erat Kalendis: dies dictus Matronalia; fuitque quondam primus anni festus: cœpta illa ex Sabino Romuleoque instituto. Vide Plutarch. in ejus vita. Hinc Juvenalis Kalendas Martias nuncupat 'femineas:' et Tertullianus, 'Matronales ferias.' Tunc solitæ munuscula illæ invicem missitare, ut auctor Plautus in Milite Glor. 'Da mihi vir Kalendis, quæ mittam quom Martia venerint.' *Neap.*

171 *Posita dixit mihi casside Mavors*] *Cuspide* pr. Ambros. Zulich. et quinque alii; bene. Sequens versus id comprobat: initio libri, 'Bellice, depositis clypeo paulisper et hasta, Mars, ades.' Et mox, 'Palladis exemplo ponendæ tempora sume Cuspidis.' *Heins.*

175 *Juvat hac quoque parte morari*] Uterque Mazar. Zulich. Gottorph. et alii quatuor *moveri:* ut supra, 'Ilia Vestalis, quid enim vetat inde moveri?' Et l. v. 'Sacra Palis suberant: inde movetur opus.' *Idem.*

178 *Memori pectore dicta nota*] *Tene* duo veteres. *Idem.*

181 *Mœnia jam stabant*] Et quadriennium excursum a condita urbe ad raptum et discordiam cum finitimis. Vide Dionys. l. II. *Neap.* *Populis angusta futuris*] Ita distingue. *Heins.*

185 *Capiebat munera somni*] Quidam ex melioribus *carpebat*, quos inter opt. Ambros. ut apud Virgil. 'placidam carpebant membra quietem:' et 'carpere noctem securam' Val. Flacco. *Idem.* *Munera somni*] Expressit Homericum illud, ὕπνου δῶρον ἕλοντο. *Neap.*

189 *Spernebat generos inopes vicinia dives*] Ursin. Petav. Arondel. et sex alii *Spernebant;* vere: supra lib. II. 'Conveniunt celebrantque dapes vicinia simplex.' Met. II. 'Senserat hoc furtum nemo, nisi notus in illo Rure senex: Battum vicinia tota vocabant;' ita optime vetustiores libri: et l. IV. ex optimo Florentino, 'et humum vicinia nulla premebant.' Lib. VIII. 'meritasque luent vicinia pœnas;' sic et ibi scribendum censeo. Fast. II. 'Quo ruitis, generosa domus? male creditur hosti.' Lib. III. ex veteri libro, 'Ergo ut tyronum celebrare frequentia possint.' 'Chorus clamant:' Fast. IV. 'At chorus æqualis cumulatis flore canistris, Persephone clamant.' Apud Prudentium Psychomachia ex vetustissimo codice Puteano, 'Auribus intentis expectant concio.' *Heins.*

191 *Et oves pavisse nocebat*] *Boves pavisse* rectius alter Ambros. et pro diversa lectione Farnes. optimus; quomodo et Mazar. a manu prima. *Idem.*

195 *Externis dantur connubia gentibus*] *Extremis* legendum, ut meliores libri. *Idem.*

199 *Festa para Conso*] Deo consiliorum. *P.* *Festa para Conso*] Antiquissima hæc in Italia, et ab Evandri adventu. Dionys. l. I. Romulus ergo omissa sacra iterat, inventa fortuito ala quadam subterranea: sed de ficta hac sive vera causa Historici non conveniunt; non ob quod ea tamen efficta. *Neap.*

200 *Illo festa die dum sua sacra canes*] Scripti præstantioris notæ non pauci *Illa* vel *Illo facta:* Mazar. *Illi facta:* *Ipso festa* pr. Med. Gottorph. et tres alii; quod placet. Sed versus est suspectus, ne quid dissimulem. *Heins.* *Dum sua sacra facis*] Intellige certamen equorum: ob quod Strabo l. v. Consualia vocat, Ἀγῶνα ἱππικὸν, et sacrificia quæ ad aram fiebant; de quibus Dionysius l. II. Alii pro *facis* legunt *canes*. Nec displiceret, si torqueri posset ad saltationes ad tibiam: nam de illismet ludis, in qui-

bus raptæ Sabinæ, scripsit Noster in Arte l. I.

201 *Et quos dolor attigit*] Hi sunt Cenninenses, Crustumerini et Antennates: isti primi impetum fecerunt, non Curites sive Sabini; sed felicibus præliis a Romulo fusi. *Neap.*

203 *Jamque fere raptæ*] Hæ quot fuerint dubium: XXX. aiunt quidam. Plutarch. CXXVII. Jubas apud eundem DCLXXXIII. Hunc vetustiss. scriptorem secutus Dionys. Halicarnass. *Matrum quoque nomen habebant*] Triennium enim exactum erat, ab initio solum belli Sabini ad amicitiam contractam raptarum precibus. *Neap.*

205 *Dictam*] Constitutam ab ipsis. *Paul. Dictam Junonis in ædem*] 'Dictam,' quasi condictam; Græcum *συντάσσειν*.

206 *Quas inter mea sic est nurus ausa loqui*] *Orsa* multi veterum; quod magis arridet Epist. Med. 'Orsus es infido sic prior ore loqui.' Cicero de Oratore, 'Dicere in foro orsus est Hortensius admodum adolescens.' *Quas inter medias est nurus*, vel *sic*, etiam nonnulli ex antiquioribus: et superiori versu pro *nuptæ* Junianus *Nymphæ*: sic Epist. prima pro nuptis ponitur. 'Grata ferunt Nymphæ pro salvis dona maritis.' *Heins. Mea sic est nurus*] Socer hæc narrat: ergo Hersilia Romuli uxor. Jam habes certum, quod in Scriptoribus plerumque dubium. *Neap.*

207 *Quoniam hoc commune tenemus*] Legebam aliquando *quod jam commune;* sed tres veteres, *namque hoc:* Mazar. et tres alii, *quæque hoc*. Lego, *quæque hoc commune tenetis*. Heins.

209 *Sed utra Di sint pro parte rogandi*] Τὸ *sint* abest a nonnullis. Mazar. *Dei pro parte:* alii *tres utraque Dei:* unus *utra Divi*. Forte *sed utra ne Dei pro parte*. At Strozz. *sed qua Di sint pro parte rogandi*. Idem.

210 *Pater arma tenet*] *Tenent* melius nonnulli ex præstantioribus: et *malimus*, pro *malitis*, versu proximo; et mox *Consilium nobis dabo*, non *vobis*. Idem.

215 *Jam steterant acies ferro mortique paratæ*] *Stabant* meliores. *Marti* etiam Gottorph. et quinque alii: sed vulgata scriptura ferri potest; quomodo apud Maronem, 'stat ferri acies mucrone corusco Stricta, parata neci.' *Idem.*

216 *Jam lituus pugnæ signa daturus erat*] *Jam lituos tubicen signa* Mazar. a manu prima: Zulichemianus, *Jam lituo tubicen*. Offendit haud dubie ex grammaticis non neminem, quod lituum det tubicini, ac improprie sit locutus noster. Idque haud immerito. Ut dicam quod res est, opinor Ovidium scripsisse, *Jam liticen pugnæ signa daturus erat*. Festus, 'Lituus appellatus est, quod litis sit testis. Est enim genus buccinæ incurvæ: quo qui cecinerit, dicitur liticen.' Nonius, 'Siticines, ut liticines a lituo, ut tubicines a tuba.' Sic et cornicines et tibicines dicti: 'cicuticines Panes' Sidonio Apollinari: 'Cornicines' habes apud Juvenalem plus uno loco. Vox parum nota loco Ovidiano corrumpendo occasionem dedit. *Idem.*

219 *Ut medium campi*] Campus hic locus in quo prælium committendum. Unde apud Cyprianum, 'Exercitum ad campum ducere.' *Neapol. Scissis tetigere capillis*] *Passis* Mazar. Zulich. Ursin. Voss. et Arondel. *sparsis* Læti codex et quinque alii: vide Notas lib. I. 646. *Medium campi tenuere*, pro *tetigere*, octo codices: quomodo etiam nonnulli lib. II. 205. 'Cremeram tenuere rapacem,' Amor. III. Eleg. ult. 'Mœnia, quæ campi jugera pauca tenent.' Fast. VI. ex antiquis libris, 'Hoc, ubi nunc fora sunt, udæ tenuere paludes.' Lib. II. 'Populus et cannæ riparum summa tenebant.' Met. VI. 'tenet ima lacunæ Lenta salix juncique leves cannæque palustres.' Trist. I. 9. 'Quæque tenent

Ponti Byzantia littora fauces.' Met. II. ex antiquis libris, 'Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat.' Libro IX. ex iisdem scriptis, 'frondes caput omne tenebant.' Adi Notas Met. XI. 257. Superiori versu meliores etiam *pignora ferunt*, non *tenent*. Calpurnius Eclog. V. 'natosque tepenti Ferte sinu tremulos.' Horatius, 'pellitur paternos in sinu ferens Deos Et uxor et vir, sordidosque natos.' Noster Met. IX. 'Inque sinu puerum, qui nondum impleverat annum, Dulce ferebat onus.' *Heins.*

220 *Procubuere genu*] Imo sic immotæ mansere, donec a circumstantibus erigerentur. *Neapol.*

224 *Posse coactus erat*] Exprimeret saltem primam litteram: per hanc infantes affectus suos præcipuos efferunt; et *a*, solum illis ad loquelam. *Neapol.*

225 *Animique cadunt*] *Animusque* Mazar. et unus Ambros. Et mox pro *scuti dulcior usus*, Mazar. Zulich. Arond. prim. Ambros. et quinque alii, *scutis*. Heins.

229 *Inde diem primasque meas*] *Diem quæ prima* meliores miro consensu; recte. Pro *Œbaliæ matres*, prim. Ambros. Læti et septem alii *Œbalides:* sex cum Arond. *Œbalidæ:* quatuor *Italides*. Vide quæ noto lib. superiori vs. 441. et Epist. VIII. 73. *Idem.*

230 *Œbalides matres*] Laconicæ, id est, Sabinæ. *Primas meas calendas*] Diem calendarum Martiarum, mihi dicatarum.

231 *Aut quia committit*] *An quia* Ursin. Mazar. Voss. Arondel. bene; sic sæpe Noster: supra lib. I. 'An quia prævisos in aqua timet hostia cultros?' Infra, 'An quia cum colerent prisci studiosius agros?' &c. Lib. V. 'An quia maturis albescit messis aristis?' Sequenti versu malim etiam *Finierunt:* de quo ad Epist. VII. *Heins.*

233 *Vel quod Ilia*] Virgo Vestalis, Numitoris filia. *Erat de me mater*] Pepererat ex me Romulum. *P. Vel quod erat de me*] Altera caussa: ut meis auspiciis eam felicitatem matronæ consequantur in filiis, quantam Iliæ meæ dedi, quæ tales Heroas peperit. *Neapol.*

235 *Quid? quod hiems*] Incertus adhuc hanc tertiam subjicit; quod mense Martio terra mater fœcunda sit; qualis et matrona fieri cupit. *Neapol.*

236 *Victæ sole tepente nives*] Ita Ursin. prim. Ambr. Voss. Arond. et pauci alii; reliqui *lapsæ:* Maz. *mæstæ*. Sed opinor scribendum *ictæ*. Auctor Elegiæ in mortem Drusi, 'Liquitur, ut quondam Zephyris et solibus ictæ Solvuntur teneræ vere tepente nives.' Vide Notas Met. V. 389. *Heins.*

237 *Detonsæ frigore frondes*] Alii ex vetustioribus *excussæ*, vel *excusso:* quomodo Art. Am. III. 'Ut Borea frondes excutiente cadunt.' Fast. V. ex veteribus libris, 'Et subita frondes excutiuntur aqua.' Fast. IV. 'Excussaque mora rubetis.' Lib. V. 'foliis excussa pruina est:' sed nil muta. Sic 'tondere brachia arborum' Virgil. dixit: hinc 'tondere prata' et similia passim apud Poëtas. *Idem. Detonsæ frigore frondes*] Quæ rigore frigoris deciderant ex arboribus.

238 *Uvidaque in gravido palmite gemma tumet*] Alii *Humidaque:* primæ edit. opt. Ambros. Mazar. et reliqui majori ex parte *Vividaque;* recte: Zulich. *Vivaque*. Lucretius l. I. 'vivida tellus Tuto res teneras effert in luminis oras.' Germanicus Arateis de Sirio, 'Discernitque ortu longe sata: vivida firmat, At quibus haud vegetæ frondes, aut languida radix, Exanimat:' ita scribo ac distinguo; nam duo veterrimi codices, quibus usus sum, *adsuetæ frondes*. Unde vir magnus, cui illum auctorem castigatum debemus, *adsutæ*. 'Haud vegetæ frondes,' sunt ægræ; ut Noster lo-

quitur supra, 'palleat ægra seges.' Si malis *adfectæ frondes*, vel *haud lætæ* nil repugno. Nam *ad* non raro pro *aut* vel *haud* in vetustissimo codice Vossiano scribebatur. 'Valles vivificare lympha' dicitur Avieno in Equo: sic et 'viva plantaria' Virgilius in Georgicis. Cæterum libri veteres plerique *in tenero palmite*, non *gravido*: *e tenero* etiam Mazar. pr. Ambros. et tres alii: tamen libro primo, 'Et nova de gravido palmite gemma tumet.' Sic 'pampineo gravidus autumno ager' apud Virgilium in Georgicis: et 'gravidus culmus aristis:' et 'gravidæ fruges.' Idem 'gravidam imperiis Italiam' quarto Æneidos; et decimo 'gravidam bello urbem' dixit eleganti translatione. Val. Flaccus l. II. 'sic fata querelas Abscidit, et curis gravidam lacrymisque reliquit:' ita scripserat Valerius; nam *pavidam* insulse nunc legitur. Lucanus libro v. 'Nocte sub extrema pulso torpore quietis, Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis Pectus.' *Heins.*

239 *Se tollat in auras*] Emergat in aëra, et attollat se.

240 *Occultas vias*] Subterraneas.

241 *Pecoris nunc hora creandi*] In Zulichemiano erasa vetus scriptura, in Mazariniano quoque ex parte: Ursini liber et unus Vatic. *pecori est nunc hora creandi*. Scribe *pecori nunc hora creando est;* sic loquebantur. Met. IV. 'at opi brevis hora ferendæ est:' quomodo et ibi scribendum. Statius Theb. I. 'quando hæc variis sermonibus hora est.' Virgil. initio Georg. 'qui cultus habendo sit pecori.' Georg. II. 'Principio arboribus varia est natura creandis.' Noster lib. XV. Met. 'Cum dedit huic ætas vires, onerique ferendo est.' Auson. Epist. XXIII. 'sed iniqua ferendo Conditio est oneri.' Martial. Epigr. XI. 78. 'Viribus hic oneri non est.' *Heins.*

242 *Larem*] Nidum.

243 *Tempora colunt fœcunda*] Celebrant principium veris. *Paul.*

245 *Adde, &c.*] Quarta ratio, quia Cal. Martiis in valle Exquilina nuptæ templum Junoni Lucinæ dedicarunt, pro assequenda fœcunditate. Cumque Juno præsit nuptis, et sit Martis mater, jure ob Martis reverentiam Marti mulieres Cal. Martiis sacrificant. *P.* *Excubias ubi Rex Romanus agebat*] *Habebat* multi ex melioribus: sic φυλακὰς ἔχειν apud Græcos. Voss. pr. Ambr. et octo alii, *ibi Rex.* At Ursin. et Mazar. *Regi Romanus habebat;* quod tamen minus arridet, cum 'habet' proximis versibus præcesserit ac sequatur. Pro *Esquilias nomina,* Mazar. *Esquiliæ nomine;* et sic tres alii. Zulich. pr. Ambros. Læti, et octo præterea, *Esquiliæ nomina.* Lego, *Adde quod excubias Regi Romanus agebat, Qua nunc Esquilias nomina collis habet:* posset et *Esquilius collis;* ut lib. II. 'Monte sub Esquilio.' Varro, 'Esquilias alii scripserunt ab excubiis Regis dictas, alii ab eo quod excultæ a Rege Tullio sunt.' *Heins.*

246 *Qui nunc nomina collis habet*] Vocantur nunc Exquiliæ, ab excubando, seu excolendo.

247 *Junoni templa Latinis*] Sed cognomento Lucinæ. Varro lib. IV. de Exquiliis quarum par Cispius mons in sacris appellatur. *Neapol.*

248 *Hac publica facta die*] Festus: 'Martias Kalendas matronæ celebrant; quod eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta sit.' *Neapol.*

249 *Quid moror*] Ultima caussa hæc: Juno, inquit Mars, nostra parens, et præest nuptiis, et mulcet tricas puerperiorum: unde Tertullianus: 'In partu Lucinæ et Dianæ ejulatur.' Quid mirum igitur, matronæ filium his Kalendis potissimum colant? *Neapol.*

251 *Matrum me turba frequentat*]

Frequentant sex scripti; unde conjiciebam olim, *matres me jure frequentant:* unus Farnes. *matres tua vota frequentant.* In Zulich. hæc omnia erant erasa. In Mazar. a manu prima: *matres me turba frequentant.* Scribe levi mutatione, *matris me turba frequentant.* Nihil certius: sic in Amorib. ad Cupidinem, 'Pieridum vates non tua turba sumus.' Sequenti etiam versu reponendum *nos,* pro *vos,* ex fide optimorum exemplarium. Omnia jam sunt perspicua. *Heins.*

253 *Gaudet florentibus herbis Hæc Dea*] *Arvis* duo Farnesii. Puto *florentibus aris.* Trist. III. 13. 'Fumida cingatur florentibus ara coronis.' Virgilius, 'Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.' Cæterum prim. Ambros. et Læti codex legunt, *Ferte Deæ flores: tenero de flore coronas Nectite: de tenero cingite flore caput.* Idem.

257 *Si qua tamen gravida est*] Malim, *Si qua tamen gravida es, resoluto crine preceris, Ut solvat partus molliter illa tuos:* ut infra, 'Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo, Differ.' *Idem.*

259 *Quis mihi nunc*] Hactenus cum Marte locutus est; nunc scripturus festum Saliorum, Egeriam nympham implorat. Accedit sermo de Saliis: ii instituti anno VIII. Numa regnante. Pestis urbem invaserat, lacrymæ passim ad Deos, cum divinitus scutum æneum e cælo excidit; quod in urbis salutem missum ab Egeria sua Numa tradidit; id servandum Rex ille Saliis dedit: neve furtum pati posset, XII. alia cælari curavit, a Mamurio quodam. Ad Saliorum collegium creati primitus XII. idque liquet ex Livii lib. I. Ii cognomento erant Collini et Agonenses seu Quirinales. Nam Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim Agonus appellabatur. Fuere et Salii cognomento Palatini: forte quia sacra in Palatio factitarent: ubi et eorum sacrarium refertur a Sexto Ruffo, et P. Victore. Magister Saliorum seu caput collegii et ἔξαρχος, habebat potestatem legendi et ejiciendi. Statim post Kalendas Martias, ante Piscis occasum, Ancilia mota dicit Ovid. *Neapol. Cælestia Arma ferant*] Ancilia ipsa.

260 *Mamuriumque canant*] Cantando Mamurii nomen repetunt. Voluit enim ipse Mamurius in mercedem clypeorum, quos fecit instar illius cælestis, cani carminibus Saliorum.

262 *Nympha*] Et Periphrasi Egeriam ostendit. *Numæ conjunx*] Cum qua Numa congressum se habere dicebat. *Ad tua facta veni*] Veteres *festa,* vel *sacra:* utrumque vulgatæ lectioni præferendum. *Heins.*

263 *Vallis Aricinæ sylva præcinctus*] Locum esse dicit in Aricina valle, ubi latet Hippolytus, et Dianæ simulacrum ex Taurica advectum, cui mitiore jam ritu fiunt sacra. Inde rivulus defluit. Aquas Egeria suggerit: quæ musis grata, Numæ uxor et consilium fuit. *Paul. Vallis Aricinæ*] Erat in sinistra viæ parte, qua Ariciam descenditur. Vide Strab. lib. v. *Silva præcinctus opaca*] Bene: nam fanum situm in luco. *Neap. Præcinctus*] Circundatus.

264 *Antiqua religione sacer*] Hoc ideo dictum, quod consecrata ibi ara Dianæ ante Albam condita.

265 *Hic latet Hippolytus loris direptus equorum*] Alii *jacet* cum Ursin. Voss. Arondeliano, frustra: ipse Virbius Met. xv. 'Numine sub dominæ lateo, atque accenseor illi.' *Furiis distractus* Voss. Arondel. Mazar. Zulich. pr. Ambr. et multi alii: Ursin. et Nauger. *furiis direptus;* utrumque bene. Fast. VI. 'Hippolyte infelix, velles coluisse Dionem, Cum consternatis deripereris equis.' Art. Am. 'Hippolytum pavidi diripuistis equi.' At Virgil. in hac narratione lib. VII. 'Turbatis distractus equis.' *Heins.*

Hippolytus direptus] Fabulam hanc floride transtulit Seneca ex Eurip. cui nocuit ἀτυχὲς κάλλος, *Infelix decor:* καὶ πῆμα δυσίμερον ἄτης. Argon. IV. 4.

266 *Nemus nullis illud aditur equis*] *Initur* rectius Mazar. Zulich. et duo alii: sic Artis Am. libro III. 'Ipsa nemus tacito clam pede fortis init.' *Heins. Unde nemus nullis illud initur equis*] Invenies aram Taraxippi in Pausan. Eliacor. 2.

267 *Licia dependent*] His suspensa dona votorum compotum. *Longas sepes*] Murum quo nemus septum.

268 *Meritæ Deæ*] Huc pertinent Strabonis illa lib. XIV. Καὶ ἡ Ἄρτεμις ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν. *Multa tabella*] Heus tu, etiam antiquis noster iste mos tabulas votivas in templo suspendendi; quid dubitas? Strab. lib. VIII. de Epidaurio templo Æsculapii. Addo Tibulli testimonium: 'Nunc Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi, Picta docet templis multa tabella tuis.' *Neapol.*

270 *Portat ab urbe faces*] Ad ritum spectans Statius in Hercule Surrentino: 'Fumat Aricinum Triviæ nemus.'

271 *Regna tenent manibus fortes*] *Fortesque manu* Voss. Arond. Mazar. Zulich. et tres alii: sequor. *Heins. Regna tenent fortes*] Hic 'regnum' idem ac sacerdotium: nam qui sacerdos, ibi dictus 'Rex Nemorensis;' inde sacerdotium 'regnum.' Luc. Pharsal. III. 'qua regna Dianæ.' *Fortes manibus*] Is igitur Sacerdos sacri illius nemoris, qui viribus excellens: hunc si tractu temporis præstantior alter vinceret, primo interemto, sacerdotium occupabat. De barbarico hoc more Strabo lib. V. *Pedibusque fugaces*] Quivis δραπέτης, non qui cursu velocior. *Paul. Regna tenent fortes*] 'Regnum' appellat poëta, eo quod sacerdos Triviæ illic rex vocabatur, et sicut dicimus 'Ariciam nemoralem,' ita et regem nemorensem, et regna Dianæ dicta. *Regna*] Ipsius Dianæ.

273 *Defluit*] Per lucum Cynthiæ. *Lapidosus rivus*] Inter lapides fluens. *Incerto murmure*] Quasi tam levi susurro, ut vix auribus percipiatur. *Paul. Incerto murmure*] Nam id ubi sit ambigitur. Sermo Nasoni est de fontibus, quibus lacus ille impletur. De his Strabo et pro ἱερεία, Scalig. legit Ἰυτέρνη. De Juturna locum audiens. Hic fons in eo tractu. *Neapol.*

274 *Inde bibi*] *Bibes* Mazar. et Zulich. *bibis* pr. Ambros. Læti, et quinque alii: *bibit* Ursini, Petavii, et cæteri majori ex parte. Malim *bibunt. Heins.*

275 *Egeria est*] Hæc τὶς δαίμων ἐπώνυμος cum Juturna. *Neapol.*

279 *Datæ leges*] Dedit enim populo leges, quas ab Egeria accepisse simulabat. *Ne fortior omnia posset*] *Firmior* plerique veteres; et recte: ut ad Livium jam monuit doctissimus Gronovius. Plinius lib. I. Epist. 12. 'Ego tamen tanquam et juvenis et firmissimi mortem doleo:' ita vetustissimus codex Mediceus. Noster Trist. 'Firma valent per se, nullumque Machaona quærunt:' et alibi, 'pectus firmius ære.' Silius lib. III. 'Inde ubi flore novo pubescet firmior ætas.' Lucanus libro II. 473. 'nudatam deseris arcem, Scipio, Luceriæ: quanquam firmissima pubes His sedeat castris:' ita vetusti codices, non *fortissima*. Pro *datæ leges* unus Vatican. *ratæ leges;* quomodo et forte scribendum Trist. V. 9. 'Sic mea lege rata vincta atque inclusa Thalia.' *Heins.*

283 *Visa jam vertitur ara*] Ex Numæ nova lege. Vide Plutarch. Solitum ergo antiquis in adorationis ritu corpus dextroversum circumagere: hoc adstricte significat τὸ *vertitur.* Manifeste Plautus in Curculione: 'PH. Quo me vertam nescio. PA. Si Deos salutas, dextroversum censeo.' Athen. lib. IV. Erat et apud

antiquos, in adoratione solemnis manus ad os admota; quod et Minutius Felix observat: inde hujusmodi oscula, 'labrata' dixerunt veteres; imo statuas ipsas Deorum, et imagines Imperatorias, quæ isto osculo adorabantur. Sic exponunt Græci λάβρατα. *Neapol.*

289 *Cui Dea, &c.*] Egeria territum Numam consolatur, monstratque Jovem posse placari. *Piabile fulmen*] Et monitorium (utor veteri verbo) nam latens fatum aperuit. *Neapol.*

291 *Ritum piandi Tradere*] *Prodere* Ursin. Voss. Mazar. Zulich. alii sex; bene. Est enim 'Prodere,' in lucem proferre. Quare et sequenti versu sit legendum *Nec sine vi prodent:* sic lib. v. ex optimis codicibus, 'Causam facundo prodidit ore Deus.' 'Prodere Ænigmata' Auson. Epist. v. ad Theonem. Vide quæ de eo verbo notavimus ad Claudianum initio libri primi de Raptu Proserpinæ. *Heins.*

292 *Romani numen utrumque soli*] Quasi uterque Deus Latium tuetur. Picus Saturni filius, quem in picum avem Martiam Circes veneficio versum dicunt. Sed Latini eum pro Deo coluerunt. *Faunus*] Hujus Pici filius, pater Latini.

293 *Adhibe tu vincula captis*] *Adhibeto* rectius Ursin. Mazar. Zulich. Voss. Arond. prim. Ambr. Læti et multi alii: quatuor tamen *adhibe tua.* Redde Ovidio suas elegantias et scribe, *adhibe sua vincula captis.* Trist. IV. 7. ex fide membranarum, 'Cur quoties alicui chartæ sua vincula demsi, Illam speravi nomen habere tuum?' Et Art. Am. III. 'Arida nec vinclis crura resolve suis.' *Heins.*

294 *Edidit arte capi*] *Erudit* venuste Voss. Arond. Ursin. pr. Ambros. Maz. Zulich. Nauger. cum tribus aliis. Infra hoc ipso libro, 'Illa etiam stantes radio percurrere telas Erudit.' Trist. II. 'Romanas erudiuntque nurus.' Art. Am. II. 'Erudit infirmas ut sua mater aves.' *Idem.*

295 *Lucus Aventino, &c.*] Erat in Aventino colle sylva, quæ solo aspectu inesse aliquid numinis indicabat: locusque erat herbidus, unde et aqua scatebat, de qua Picus et Faunus haurire consueverant. Ibi ove mactata, dispositisque circa poculis, Numa in insidiis latuit. *Lucus Aventino suberat*] Varro de hujusce collis Etymo: 'Olim,' inquit, 'paludibus mons erat ab reliquis disclusus,' &c. *Neapol.*

298 *Vena perennis aquæ*] Εὗρον ἀένναον κράναν ὑπὸ λισσάδι πέτρῃ, Ὕδατι πεπληθυῖαν ἀκηράτῳ, Theocrit. Idyll. XXII. 37. Et in Epigr. Δ. ἀέναον δὲ Ῥεῖθρον ἀπὸ σπιλάδων πάντοσε τηλεθάει, &c.

300 *Fonti Rex Numa mactat ovem*] Hædus victima proprior. *Neapol.*

301 *Disponit pocula Bacchi*] *Dis ponit* legendum esse jam monui Art. Am. I. 231. *Heins.*

302 *Cumque suis*] Hi numero bisseni. Vide Arnob. Advers. gentes. *Neap.*

303 *Sylvestria numina*] Picus et Faunus sylvarum præsides.

306 *Addit in arcta manus*] Ridet hos nexus Arnobius. *Neap.*

307 *Pugnando vincula tentant Rumpere*] *Tentando pugnant* prim. Ambros. Læti, et plurimi alii; probe: nisi quod malo, *luctando vincula pugnant Rumpere.* Met. lib. VII. 'jamdudum vincula pugnat Exuere ipse sibi, colloque morantia tendit.' Met. II. 'Ille tamen pugnat molles evincere somnos.' Fast. II. 'Et solida ramos figere pugnat humo.' Lib. VI. 'Injiciuntque manus, puerumque avellere pugnant.' Quibus locis multi veterum *tentat* vel *tentant* perperam. In Ibide, 'Naufragii tabulas pugnat habere mei.'

312 *Cornua Faunus ait*] Capripedem et cornutum hunc finxit antiquitas. *Neapol.*

314 *Habent fines numina nostra suos*] Quasi quia licet Dii simus, præfinita

tamen est nobis potestas, et velut circumscripta in agris et montibus. *Paul.*

315 *Et qui dominemur*] Belle in alio veteri, *et qui dignemur*. Neap.

316 *Arbitrium est in sua tecta Jovi*] *In sua tela* Mazar. Zulich. Voss. Arond. et sex alii, ut de fulmine agatur. Atque ita Janus quoque Vlitius noster legendum conjiciebat ingeniose, ut solet. *Heins.*

321 *Veniet valida perductus ab arte*] *Valida veniet deductus ab arte*, vel *arce*, Voss. Arond. pr. Ambr. Maz. et multi alii: plures, *summa deductus ab arce.* 'Deducere' verbum magicum: hinc 'carminibus deducere Lunam' passim apud Nostrum et alios Poëtas. Græcis scriptoribus κατάγειν τὴν σελήνην; sic κατάγειν τὸν Δία Plutarcho in Numa hac ipsa narratione. De eo verbo plura ad Propertium Passeratius, et nos suo loco. 'Summam arcem' cælum quoque vocat lib. I. Met. de Jove, 'Quæ pater ut summa vidit Saturnius arce.' Et lib. II. de eodem, 'summam petit arduus arcem.' *Idem.*

323 *Quæ carmina dicant*] Quasi quibus carminibus seu incantationibus utantur. Videntur mihi verba illa Pontificis cum fulmina condebat: de quibus veteres Glossæ Juvenalis. *Neap.*

328 *Elicium*] Sic dictus ab eliciendo; vel quod ara est ei consecrata in Aventino, ad elicienda consilia, quibus manes placarentur, et prodigia fulminibus facta purgarentur. *Paul.* *Eliciumque vocant*] Habuerunt quoque Græci τὸν Δία καταιβάτην, quod *Elicium* interpreteris: illius meminit Pollux lib. IX. hujus Varro lib. V. Sic Elicii Jovis ara in Aventino, ab eliciendo. *Neap.*

333 *Ut rediit animus*] Hæc vera lectio, quicquid turbant libri veteres. Diximus Notis ad Epist. VI, *Heinsius.*

337 *Ambage remota*] *Remissa* Strozæ codex. Vide Notas Epist. VII. 149. *Idem.*

340 *Eruta cepa meis*] Studet Numa tristius avertere. Plutarch. in eodem. *Neap.*

341 *Sumes, ait ille, capillos*] *Summos*, malo cum quatuor nostris, quod et in suis invenerat Naugerius. *Addidit hoc omen* Mazar. pro *Addidit hic, Hominis.* In Zulichemiano vetus scriptura erat erasa. *Heins.*

342 *Cui Numa ait, &c.*] Mactabo tibi piscem, et piscis animam tibi dabo. Et in his Numæ lenitas cognoscitur, cum non sit secutus Barbarorum morem, qui humana victima putabant Deos placare. *Paul.* *Piscis, ait*] Cur μαινὶς potius oblata, non alius, nescio. Dianæ olim immolabant, ob caussam quam citat Eustath. *Neap.*

343 *His*] Rebus: id est, cepa, capillis, pisce.

344 *Colloquio non abigende Deum*] *Meo* rectius pro diversa lectione Arondelianus; quomodo et duo alii. *Heins.*

346 *Imperii pignora certa*] Ancile: cui ad imperii tutelam eadem fides præstita ac Palladio, Diis Samothracum, et igni Vestali. *Neapol.*

347 *Super æthera notum*] *Motum* scribe cum Voss. Arond. pr. Ambr. Zulich. Maz. aliisque nonnullis. Lib. II. 'Cum subito motæ tremuere cacumina sylvæ.' Et post, 'Cum subito motu sepes tremuere sinistræ.' Silius lib. III. 'Te strages nemorum, te moto turbida cælo Tempestas, cædesque virum, magnæque ruinæ Idæi generis, lacrymosaque fata sequuntur:' sic scribe ex veteribus libris. Propertius Eleg. II. 16. 'Vidisti moto sonitus procurrere cælo:' ubi *toto percurrere cælo* nunc legitur, etiam in scriptis. 'Tonitru cælum omne ciere' Maroni. Idem Silius lib. XV. 'Addidit augurio fulmen pater, et vaga late Per subitum moto strepuere tonitrua mundo.' *Heins.*

351 *At certe credetis, ait*] *Credemus* scripti plerique. Sed vere Sarrav. et duo alii *credemur.* Mox *sequatur* meliores, pro *sequetur.* Idem.

352 *En audi crastina quisquis ades*] Puto scribendum, *crastine,* pro quisquis crastinus aderis. *Idem.*

356 *A veniente die*] *Adveniente* scripti plerique. *Idem.*

359 *Solio consedit acerno*] *Eburno* pr. Farnes. pr. Ambros. et tres alii. *Idem.*

360 *Stantque silentque viri*] *Sedentque* multi probæ notæ; sed male. Met. XIII. 'Consedere duces, at vulgi stante corona.' *Idem.*

363 *Caput velatus*] Ex ritu sacrorum, quæ nunquam interrumpenda. 'Salva res est, saltat senex:' qui, reliquis metu dilapsis, solus continuaverat exsultans. Quod et notatur ex Virgilio nostro: Æneid. III. 'Purpureo velare comas adopertus amictu, Ne qua inter sanctos igneis, in honore Deorum, Hostilis facies occurrat, et omina turbet.' *Niveo velatus amictu*] Galea sacerdotali. Veteres Glossæ Juvenalis: 'Tiara galea sacerdotis quæ per malas veniens mento subligatur.' Videtur pileus Judaici sacerdotis. *Neapol.*

364 *Jam bene Dis notas manus*] Quas bene Dii noverant, et ob ejus religionem, et quia Deorum alloquio fretus.

367 *Totum jam sol emoverat orbem*] *Evolverat* quinque veteres; quomodo apud Statium Achill. I. 'Jam premit astra dies, humilisque ex æquore Titan Rorantes evolvit equos.' Virgil. 'Interea magnum Sol circum volvitur annum.' Sic et 'evolvere pectore questus' Valerio Flacco lib. IV. At Vatic. unus, et Thuan. *emerserat.* Eleganter sane: sic contra 'demergere orbem' idem infra dicetur vs. 517. ut ex veteribus libris emendamus. Val. Cato in Diris, 'Monstra repentinis terrentia sæpe figuris Cum subito emersere furenti corpora ponto.' Manilius l. v. 'cum jam vicesima Cancri Septimaque ex undis pars sese emergit in astra.' *Heins.*

368 *Et gravis*] Malim *En gravis.* Pro *venit,* alter Puteaneus *vergit;* non male. Sic infra, 'Stella Lycaoniam vergit declinis ad Arcton.' *Idem.*

371 *A media cælum regione dehiscere cœpit*] *Visum est* quidam veteres. Mazarinian. *A media subito cælum discedere visum est;* neque aliter Vossianus: elegans sane et proprium discedendi verbum hoc loco; quod Nonius pro hiare, dividi, distendi interpretatur. Virgil. 'unde hæc tam clara repente Tempestas? video medium discedere cœlum, Palantesque polo stellas: sequor omina tanta.' Ubi Servius, 'In Auguralibus etiam libris, inter ostenta cœlum discessisse dicitur.' Cic. de Divinatione lib. I. 'Exponitque initio belli Marsici et Deorum simulacra sudavisse, et sanguinem fluxisse, et discessisse cœlum, et ex hoc occulto auditas esse voces.' Idem in Arato, 'pedibus subito percussa Dianæ Insula discessit:' hoc est, ut Aratus ipse, Νήσου ἀναῤῥήξασα μέσσας ἑκάτερθε κολῶνας. Neque aliter capiendum illud Lucretii initio lib. III. 'mœnia mundi Discedunt.' Idem Cicero Offic. lib. III. 'Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum.' *Idem.*

372 *Cum duce turba suo*] *Suos* meliores. *Idem.*

377 *Quod ab omni parte recisum*] Ancile igitur licet ex nostri sensu colligam fuisse rotundum, non tamen hujusmodi penitus credam; sed adeo oblongulum, ut in nummis vidisse memini. Festus vero dicit: 'Ancile appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque latus (vel *latius*) pateret.' Quæ si bene capio, non alia Festi mens, quam ancilis schema delineare. Etymon ergo ejus deduci posset ex eo, quod esset

ἄγκυλον τὸ σχῆμα, aut quod ἐπ' ἀγκώνων gestaretur: an quod averruncandæ pestilentiæ causa, ἀκέσεως significatio in omine sit? *Neapol.*

378 *Quemque notes oculis*] *Quaque* Nauger. Zulich. Mazar. Ursin. Petav. et quinque alii. Sed apud Isidorum lib. XVIII. 12. *Quemque* legitur; et superiori versu *Idque ancile vocat*, non *Atque;* quomodo etiam Ursin. Voss. Mazar. Zulich. Nauger. et octo alii. *Heins.*

381 *Plura*] Undecim alia. *Plura jubet fieri*] Non ab uno, sed a pluribus: ut inter tot aliquis ad verum cœleste σχῆμα exprimeret. *Neapol.*

383 *Mamurius*] Plutarchus inquit: Veturium Mamurium, unum e summis opificibus, usque adeo similitudinem effinxisse, ut neque Numa jam ipse dignosceret: qui præmii loco petiit, ut suum nomen inter carmina Salii canerent. *Paul.*

384 *Difficile est ulli dicere, clausit opus*] *Illi* in nonnullis: Ursini codex *illud*, ut refertur ad τὸ *opus;* quod sequor. *Heins.*

387 *Dederat nomina*] Jam delegerat Marti gradivo duodecim juvenes, quos a saltando *Salios* appellavit. *Paul.* *A saltu nomina*] Salii, inquit M. Varro, a saltando: quod facere in Comitio quotannis et solent et debent. Vide Plutarch. et Dionys. lib. II. Ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων ἀπὸ τῆς συντόνου κινήσεως, &c. et alibi: Κινοῦνται γὰρ πρὸς αὐλὸν ἐν ῥυθμῷ τὰς ἐνοπλίους κινήσεις, &c. *A saltu nomina ducta*] *Dicta* plerique veterum: *quæ saltu nomina ducunt*, Voss. *qui saltu nomina ducunt* Sarrav. Zulich. Maz. At idem Zulichemianus tamen manu prima, *a saltu nomina ducunt;* vere: quomodo et duo alii. Supra lib. I. 'Ipsa mone, quæ nomen habes a carmine ductum:' ubi etiam male scripti plurimi *dictum.* Horatius Od. III. 26. 'tua sectus orbis Nomina ducet:' et Sat. II. 1. 'et qui Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen:' et Sat. II. 2. 'Avidienus, Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret.' Silius lib. XI. 'Quos fugitis socios? quosve additis? ille ego sanguis Dardanius, cui sacra pater, cui nomina liquit A Jove ducta Capys:' ita ex optimo codice illa scribenda. 'Ducere notam,' Noster supra primo libro, 'Ille Numantina duxit ab urbe notam.' Cæterum 'a saltu nomina ducunt' brevis et elegans loquendi modus, ut τὸ *qui* subintelligatur; quomodo passim veteres historici, sed locis plerumque ab inscita manu interpolatis, ut ad Livium abunde docuit Cl. Gronovius. Virgil. lib. II. 'juvenisque Chorœbus Mygdonides: illis ad Trojam forte diebus Venerat:' ita recte omnium veterrimus Mediceus; vulgo *illis qui ad Trojam.* Idem Maro lib. I. 'Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni.' Propertius Eleg. IV. 4. 'Urbi festus erat: dixere Palilia patres.' *Heins.*

388 *Armaque*] Ea qui fuerint diximus. Unum addi potest et debet, quo habitu induti: hunc accurate descriptum invenio apud Dionysium lib. II. quem vide. *Neapol.*

390 *Nomina nostra sonent*] Dictum factum: ut addita non multo post Lucia Volumnia: nec hi solum, verum alii (sic postea receptum, grassante adulatione) in sacrum hoc carmen inserti, Germanico mortuo, auctore Tacito, inter alios honores decretum, 'ut nomen ejus Saliari carmine caneretur.'

392 *Mamuriumque vocant*] Fabrum quemdam hunc fuisse, fabulosum multis: M. Varroni, cui Veturius Mamurius nihil aliud quam vetus memoria. *Neapol.*

394 *Differ*] Ad condita usque ancilia eadem superstitione per id tempus nihil publice geri poterat, nullum iter alicui fas erat aggredi. Vide Sueton. lib. VIII. Mota dicebantur, dum illa Salii per urbem circumferebant. *Neap.* *Habent parvæ commoda*

magna moræ] Ex Æneid. IX. 'Rem magnam, pretiumque moræ fore.'

397 *His etiam Lucibus*] His tribus diebus. *Conjunx Dialis*] Uxor flaminis Dialis: hoc est, sacerdotis Jovis. *Paul.* *Apicem discincta Dialis*] Veteres: *apicati sancta Dialis.* Apicatus, qui gerit apicem. *Conjux apicati sancta Dialis*] Miras denuo turbas libri veteres hic excitant. Sed nos, omissis cæteris, ad fidos potissimum convertamur. Vulgatam tuetur Ursini codex et Nauger. *capitis distincta dialis* Petav. *apicatis cura* Mazar. prim. Ambr. et plurimi alii: *capitis distincta,* Arondel. aliique tres: *apicalis cincta* Voss. *apicali cincta* Zulich. Excerpta Politiani, et duo Medicei *apicati cincta*, recte. Vides etiam τὸ *cincta* in omnibus fere vetustioribus apparere. Festus: 'Cincta Flaminica veste velata.' Quare fortassis lib. VI. etiam scribendum, 'Tum mihi sic conjunx cincta Dialis ait:' ubi *sancta* nunc legitur. *Heins.*

398 *Debet habere comas*] Ut etiam per dies XIV. mense Junio, donec stercus ex æde Vestæ delatum: ut in VI. Fastor. dicturi sumus. *Neapol.*

399 *Tertia nox demissa suos ubi moverit ortus*] Et hic non leviter turbatum est. Ursin. Voss. Arond. Mazar. pr. Med. Naug. quinque alii *de mense:* Zulich. excerpta Polit. duo alii, *demensa:* tres cum opt. Ambros. et Læti codice, *dimensa:* Petav. cum aliis quatuor *dimersa:* nonnulli *demissa* vel *dimissa*, vel *immissa:* quatuor *demersa.* Probe unus Vatic. et editiones veteres *emersa.* Val. Flaccus lib. V. 'Altera lux haud læta viris emersit Olympo.' Noster Met. XV. ex antiquis codicibus, 'Cernis et emersas in lucem tendere noctes.' Statius Theb. I. 'quid si peteretur crimine tanto Limes uterque poli, quem sol emersus Eoo Cardine, quem porta vergens, prospectat Ibera?' ita vetus codex. Noster paulo ante ex antiquis libris, 'totum jam Sol emerserat orbem.' Cæterum pro *ortus* libri veteres multi *ignes*, cum Petav. et Voss. id est, stellas. Ita passim Noster in hoc opere. *Heins.* *Tertia nox*] Quinto Nonas Martias, hoc est, tertia die mensis noctu cosmico occasu alter e piscibus occulitur.

401 *Hic*] Qui nunc occulitur. *Paul.* *Austris hic est*] Ideo Νότιος appellatus. alter Βόρειος: sed hic et Χελιδονίας et Solitarius, et Ἰχθὺς ὁ μέγας. Vide Theonem. *Neap.*

402 *Aquilonibus Proximus*] Ipsi septentrioni. *A vento nomen uterque tenet*] Nam a noto notius; a borea boreus dicitur, sive aquilonaris.

403 *Cum croceis rorare genis*] *Rutilare* Zulich. Mazar. et unus Vatic. pro diversa lectione. Neque aliter Sarrav. et unus meus: duo *rorare comis.* Si quid mutem, *rutilare comis* libenter reponam. Vide quæ de 'coma rutila' noto ad Metamorph. lib. V. 440. *Heins.* *Cum croceis*] Tertio Nonas Martias, hoc est, quinta die ipsius mensis occidit Arctophylax.

404 *Quintæ tempora lucis aget*] III. Nonas occidit Arctophylax cosmice. *Neap.*

407 *At Vindemitor*] Vindemitoris stella. *Non effugiet*] Visus scilicet tuos, quemadmodum Bootes: quia non mergitur tunc, sed exurgit tertio Non. Martias. *P.* *At non effugiet Vindemitor*] Hac eadem Vindemiatoris ortus ἀκρόνυχος. *Neapol.*

408 *Causam trahat*] Ducat originem. *Parva docere mora est*] *Dicere parva* nonnulli: *parva referre* Maz. Zulich. Voss. et sex alii; quomodo sæpe noster. *Heins.*

409 *Ampelon intonsum*] Crinitum puerum.

410 *In Ismariis jugis*] In Ismario monte Thraciæ.

411 *Tradidit huic vitem*] Distichon hoc adulteram et nugatoriam manum sapit. *Heins.*

414 *Liber in astra tulit*] *Vehit* Voss. Arondel. Zulich. Mazar. et pr. Farnes.

nempe tigribus, ut et Ariadnam. Propertius, ‘Tigribus in cœlum vecta Ariadna tuis.’ *Idem.*

415 *Sextus ubi e terra*] *Ubi Oceano* Ursin. Voss. Arond. Zulich. Maz. Nauger. et tres alii; bene: sic apud Maronem, ‘Oceanum interea surgens Aurora reliquit.’ *Scandit* et *carpit* etiam libri meliores. Pro *alatis equis* pr. Ambros. Maz. Zulich. et tres alii *elatis:* hoc est, elatis e mari. Claudian. de Sole, ‘Blandius elato rubeant temone jugales:’ sic et alii sæpe. Sed et ‘alipedes’ eosdem equos alibi vocat in Metamorph. *Idem. Sextus ubi e terra, &c.*] Pridie Nonas Martias Augustus Pontifex Max. designatur, ut haberet omni ex parte jus *αὐτοκρατορίας.* Vide Sueton. in eodem. Liquidum hoc etiam ex Dione Cassio lib. LIV. Annus fuit ab urbe condita DCCXLI. diem vero, quem suggerit noster firmat vetus Kalendarium: in quo ante Nonas hæc legimus: PR. NA. HOC DIE CÆSAR. PONTIF. MAX. FACT. EST. Eodem mense, sed post dies quatuor (res mira) Tiberius filius dignitatem hanc adit. Lapis Rom. ‘Quem diem, quo frequentior quotannis sit, servabimus VI. Idus Martias, quia hac Tiberius Cæsar Pont. Max. felicissime creatus est.’ *N.*

417 *Castæque colis penetralia Vestæ*] *Canæque* Zulich. et a manu prima Mazar. bene. Virgil. V. ‘Pergameumque larem et canæ penetralia Vestæ Farre pio et plena supplex veneratur acerra.’ Lib. IX. ‘Assaracique larem et canæ penetralia Vestæ Obtestor.’ Et lib. I. ‘Cana Ceres et Vesta.’ Martial. lib. I. ‘vicinum Castora canæ Transibis Vestæ, virgineamque domum.’ Legitur quidem apud Propertium Eleg. II. 39. ‘Ibat et hinc castæ narratum somnia Vestæ:’ sed controversa est ea scriptura, cum in aliis libris sit *in casta veste;* quod Passeratius tuetur. Puto *caræ matri* legendum; vel *incanæ matri:* ut pluribus ad ipsum Propertium asseremus. Interim vide de similibus in Propertio nævis quæ notavi supra lib. I. vs. 287. Sic et ‘Cana Tethys’ Poëtis dicta, quomodo ‘Cana Vesta’ hoc loco. *Heins.*

418 *Gratare, Iliacis thuraque pone focis*] *Cratera* optime Ursini, Zulich. et Maz. codices; ut in illo Virgilii, ‘Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi;’ nam et crateres sacrificiis adhibiti. Hos cum acerra similiter conjungit in Robigalibus Fast. IV. ‘Cumque meri patera thuris acerra fuit.’ Et apud Horatium Od. I. 20. ‘Verbenas, pueri, ponite, thuraque Bimi cum patera meri.’ *Idem.*

419 *Quos maluit ille mereri*] *Quem* Mazar. Zulich. et Strozz. bene: quem honorem Pontificalem maluit mereri, quam alios innumeros titulos. Mox *honos* meliores, pro *honor.* Idem.

420 *Pontificalis honor*] Hujus exemplo, secuti Cæsares munus id sacrum non neglexere ad Gratianum usque: qui primus ex iis sancte respuit hunc morem. Vide Zozimum lib. V. *Neap.*

422 *Juncta vides*] Scripti vetustiores omnes *videt* aut *vident:* an *viden?* Heins. *Imperii pignora juncta vides*] Hoc est, Vestales ignes, et Pontificem Cæsarem, quæ sunt duo imperii pignora.

423 *Di veteris Trojæ dignissima præda ferenti*] Ursin. Nauger. Excerpta Polit. *De veteris Trojæ dignissima præda favilla;* optime: non enim de Dis omnibus e Troja ablatis, sed de una Vesta nunc agitur. Argute igitur ignem Vestalem vocat prædam e favilla Trojæ ablatam. Sic et Propertio Eleg. IV. 4. ‘Vesta Iliacæ felix tutela favillæ’ dicitur. Quare et pro *Numina* mox *Lumina* forte rectius legas. *Heins. Dignissima præda*] Æneæ, qui vos e mediis hostibus tanquam prædam eripuit.

425 *Ortus ab Ænea sacerdos*] Cæsar a Julio nepote progenitus. *Tangit cognata Numina*] Vestam et penates.

426 *Tuere*] Defendas et serves.

Cognatum caput] Cæsarem August. qui a Trojanis originem ducit.

427 *Ignes*] Vestales. *Bene vivitis*] Inextincti estis. *Bene*] Sub optimo Pontifice.

429 *Una nota est Martis Nonis*] Libri vetustiores, *Una nota est Marti: Nonis sacrata quod illis:* recte; *Marti* pro Martio. 'Una nota,' quia quæ superius narrat de Pontificali honore Cæsari delato, pridie Nonas Martias acta sunt, ut liquet ex antiquis Kalendariis, templum Vejovis ipsis Nonis dedicatum. 'Nonis illis,' ut lib. III. 'illis sacrata Kalendis Templa Deæ.' *Heins.* *Una nota est Martis Nonis*] Martiis, inquit, Nonis dicata Vejovis ædes: erat in regione VIII. P. Victor in eadem: 'Ædes Vejovis inter arcem et Capitolium.' Prope Asylum exædificavit hanc Romulus, ad augendam Asyli religionem. Vide Dionys. lib. II. *Neap.*

430 *Templa putant lucos Vejovis ante duos*] *Tuos* primæ editiones, et Politiani excerpta cum quatuor aliis: quo prim. Ambros. et tres præterea alludunt, in quibus *suos.* Sed nil mutandum. Livius, 'Locum, qui nunc septus densis sentibus, inter duos lucos Asylum aperit.' Sic et Dionys. Antiq. lib. II. Τὸ γὰρ μεταξὺ χωρίον τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τῆς ἄκρας, ὃ καλεῖται νῦν κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον, μεθόριον δυοῖν δρυμῶν, &c. ubi de Asylo agit. *Heins.*

432 *Huc dixit*] *Inquit* meliores: et pro *Quilibet* unus Moreti ac Junianus *Cuilibet.* Idem.

438 *Aspice deinde: manu fulmina nulla tenet*] Lege ex melioribus scriptis, *Aspice deinde manum: fulmina nulla tenet:* vel, *Aspice deinde manus: fulmina nulla tenent;* quomodo alii nonnulli cum primis editionibus. *Idem.*

439 *Gigantes*] *Gigantas* Ursin. Læti, Erfurt. et tres alii. Sic etiam lib. V. 37. scribendum et Trist. lib. II. 'domitos Jovis igne Gigantas:' et lib. IV. 7. 'serpentipedesque Gigantas:' et Pont. IV. 7. 'affectantes cœlestia regna Gigantas.' Apud Silium quoque non uno loco sic peccatur. Plura ad Metam. lib. I. 137. *Idem.*

443 *Stat quoque capra simul*] Extat etiam cum Jovis imagine effigies Amaltheæ capræ, quæ suo lacte Jovem pavit. *Stat quoque capra simul*] A. Gellius Noct. Atticar. V. 'Immolatur illi ritu humano capra; ejusque animalis figmentum juxta simulacrum est.'

445 *Vegrandia farra coloni*] *Colono* multi ex melioribus. At Ursin. Petav. Voss. octo alii *colone.* Lege *colonæ* cum Erfurtano; ut lib. II. 'Sumtum de tepidis ipsa colona focis:' et lib. IV. 'tenebat Rus breve cum duro parca colona viro.' *Heins.* *Vegrandia farra*] Dicta, ait, antiquitus, quæ male creverunt; id est, male grandia et minuta: nam veteres *ve* syllabam ad rei parvitatem præponebant: unde minutam fabam, vegrandem quoque dixerunt; minores flamines, veflamines. *Neapol.*

446 *Vesca parva vocant*] Hodie etiam in Marsis nostris, lingua vernacula, quæ parva sunt, *vesca* dicuntur. *Paul.* *Vescaque parva*] Hinc vescus pro imbecillo et exsucco. Plin. de Tritano refert: 'Vesco corpore, sed eximiis viribus fuisse.' Glossæ, *vescus,* ὀλιγόσιτος, ὀλιγοδεής. *Neapol.*

448 *Non magni Jovis*] Adulescentis sive pueri: forte malum numen; et cui nocendi potestas, non juvandi. Papias Vocabulista: 'Vedius Pluto, vel Orcus;' id est, malus Divus. *Neap.*

449 *Variabunt sidera cœlum*] *Vallabunt* quatuor Farnesiani et tres alii cum Zulichemiano. Nec audiendi Bersmannus et Gruterus, *vacuabunt* reponentes. Sic Epist. IV. de Sole, 'frontem radiis vallatus acutis.' *Heins.*

450 *Gorgonei colla videbis equi*] Iisdem Nonis Pegasus oritur Heliace. *Neapol.*

451 *Creditur hic*] Bene 'creditur,'

de re fabulosa. Pegasum alii e sanguine Medusæ natum volunt, cui Perseus caput dicitur abstulisse. Alii Neptuni et Medusæ filium dicunt, et alatum fuisse fabulantur. *Ant.*

452 *Prosiluisse comis*] *Jubis* Ursin. Naug. Maz. Zulich. et tres alii: Oxon. pro diversa lectione *jugis*. Val. Flaccus lib. II. de Furiis, 'ast illum nocte remensa Eumenidum canis et sparsæ juba reppulit hydræ.' *Heins.* *Prosiluisse comis, &c.*] Sic vulgus Poëtarum. Vera opinio est, Pegasum fuisse navis nomen, qua vectus Bellerophon appulsus est ad montem Telmissum temporibus Amisodari; monstraque ibi quædam evertit. *Neap.*

455 *Jamque nova frena receperat*] Jam apud Pyrenem sub Acrocorintho deprehensus a Bellerophonte, acceperat nova frena.

456 *Fodit aquas*] *Fudit* Maz. Zulich. prim. Ambros. Læti, Voss. et quatuor alii. Avienus in hac fabula, 'cornuque excita repente Lympha Camœnalem fudit procul Hippocrenen.' *Heins.* *Aonias fodit aquas*] Caballinum seu Pegaseum fontem in Helicone ab Aonia montana regione Bœotiæ. *Paul.* *Ungula fodit*] Unde fons ille dictus a Græcis ἵππου κρήνη, *fons caballinus.* Neapol.

458 *Quinque decemque micat*] Sunt Hygino XVIII.

459 *Venienti nocte Coronam*] VIII. Idus, die XXI. post Solis ingressum in pisces, ut placuit Eudoxo. *Neapol.*

461 *Perjuro conjuge*] 'Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris, Perfide, deserto liquisti in littore, Theseu?' &c. Ipsa Ariad. apud Catull. in Argon. ex Apollon.

462 *Fila regenda viro*] *Legenda* Nauger. Maz. Zulich. Arond. Ursin. et quinque alii; recte: ut jam monui ad Epist. x. 104. Vulgatam lectionem frustra ex Virgilio et Catullo Bersmannus tuetur: aliud enim est 'regere vestigia filo,' aliud 'regere fila.' Persius Sat. v. 'Quæ dederam supra, relego, funemque reduco:' ita enim in veterrimis codicibus extare viri eruditi monuerunt: et potest ad *funem* referri. In aliis, minus bene, *repeto.* Heins.

463 *Quid flebam rustica, dixit*] Codices septem, *quid fles ah rustica?* Lege *quid flebas rustica?* vide Notas Epist. x. 75. *Idem.*

465 *Depexis crinibus Indos*] *Depexos* in melioribus: et *venit*, pro *redit*, sequenti versu. *Idem.*

466 *Eoo victor ab orbe*] Adi Antholog. Gr. poëtar. lib. I. 38. Epigr. XI. Εἰς Βάκχον.

471 *En iterum fluctus*] *Eu*, id est, *Heu*, tam hic quam versu sequenti opinor legendum. *Heins.*

476 *Causa relata*] *Novata* Zulich. Adi Notas Remed. Amor. 729. *Idem.*

479 *Quid me in desertis*] Tolle τὸ *in* cum scriptis melioribus. *Perituram* etiam pr. Ambros. et Læti, pro *morituram.* Idem. *Morituram, Liber, &c.*] Non Chii, ut nugantur interpretes, sed Diæ insulæ, quæ sita juxta Theram Κυρηναίων μητρόπολιν. Ibi relictam a Theseo, et inventam a Baccho, scribit in Arte et Metam. *Neapol.*

483 *Ausus sollicitare*] Sollicitum et anxium reddere. *Ausus es ante oculos adducta pellice*] Similiter ille apud Plaut. in Trucul. v. vs. 33. 'Meosne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier?' Item in Mercat. v. 2. 102. 'Quia scortum sibi ob oculos adduxerat in ædes.' Hinc Terent. Heauton. v. 4. 'Non mihi per fallacias adducere ante oculos? Pudet dicere hac præsente verbum turpe.' Et in Eunuch. IV. 7. 'Quæ mi ante oculos coram amatorem adduxisti tuum? Quid cum illo ut agas?' Dicitur etiam 'obducere,' 'obductare.' Plaut. Mercat. Argument. vs. 7. Et Act. IV. 4. 46. et alibi.

486 *Hæc ego verba loquor*] *Queror* unus Patav. lege, *quoties hæc ego vera queror? verba loquar* Ursin. Petav. et alii nonnulli: 'loqui' pro queri sæpe

irrepsit apud Nostrum. Poterat et *sera queror* reponi. *Heins.*

489 *Nesciat hoc quisquam*] Scribe *Ne sciat;* ut et apud Lucanum, ubi similiter peccatur, 'Ne sciat hoc quisquam, nisi tu, quæ sola meorum Conscia votorum es.' *Idem.*

495 *Vitio tibi gratior ipso est*] Malim *si gratior* cum uno Ambros. Met. XIII. 'Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga Arma tulisse refert?' Epist. Paridis, 'Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?' Epist. VI. 'Quid refert, scelerata piam si vincit?' *Idem. Vitio tibi gratior ipsa est*] Duo veteres: *gratior ipso est*, ipsa nigredine. *Neapol.*

498 *Assueti semper amare virum*] Lego, *Conjugis assuetæ semper amare virum:* nam *assuetum* erat in uno Farnesiano. *Heins. Assuevi semper amare*] Nam prius Theseum, deinde te ardentissime amavi, servavique fidem inviolatam.

499 *Ceperunt matrem*] Pasiphaëm; nota fabula.

500 *Me tua: sed lædit ille pudendus amor*] Ursin. pr. Ambros. Læti, pr. Med. Voss. aliique plurimi, *Me juvat et lædit:* Petavianus, *Me viat et lædit: Me tua me lædit*, vel, *laudat* pro diversa lectione Sarrav. at Arond. Zulich. et Mazar. *Me tua me laudant.* Scribo: *Ceperunt matrem formosi cornua tauri, Me tua: at hic laudi est, ille pudendus amor.* Ita sensus et lex carminis postulant. *Heins. Me tua*] Sic probat et matri et filiæ placuisse caput cornigerum. *Neapol.*

507 *Dixerat, audierat*] *Audiebat* recte Ursin. Petav. Voss. Maz. Zulich. Epistola Hypermnestræ, ex optimo libro, 'Et tamen audibam, quodque verebar erat.' *Heins.*

511 *Sumes*] *Sumis* Voss. et Arond. *sume* alter Petav. bene: et sequenti versu *Jam*, pro *Nam*, sex libri. *Idem.*

512 *Libera nomen erit*] Nam ut ego Liber dicor, tu quoque Libera diceris.

513 *Monumenta coronæ*] Inde hanc cælestem quis dixit 'Gnossiam:' quis 'monumentum desertæ puellæ:' et hic Manilius in Sphæra: quis, signum ἀποιχομένης Ἀριάδνης. *Neap.*

517 *Sex ubi sustulerit, totidemque omiserit orbes*] *Totidem cum deseret* vel *deserit* libri multi; quos inter Ursin. et Petav. quidam *cum demserit*, vel *quot demserit;* alii aliter: Mazar. Zulich. Voss. *dimiserit:* pr. Ambros. Læti, aliique nonnulli, *demiserit:* Strozz. *totidemque remiserit: totidem dimerserit* Arond. Scribe, *Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes.* Sic lib. IV. 'Ensiger Orion æquore mersus erit.' Sic contra 'emergere' supra in notis ad vs. 367. 399. *Heins. Sex ubi sustulerit*] III. Idus Martias erant Equiria in Campo Martio.

519 *Altera gramineo*] Dixit 'altera,' quia prima acta, III. Kalendas mense Februarii hæc legimus: B. EQ. NP. Bulengerus priora fuisse scribit, ut equitatus lustraretur; altera, ut numerus integraretur: sed testem non adhibet. *Neapol.*

520 *Quem*] Campum. *Tybris in latus urget*] Quasi ambit ab uno latere, aquis curvis, flexis et sinuosis, Campus Martius juxta Tybrim, ubi sæpe fiebant ludi et certamina: circum erant porticus pulcherrimæ, et horti nemorosi. *P.*

521 *Qui tamen ejecta*] Qui exundatione Tiberina, si forte fit accessus, in campo quodam montis Cœli Equiria agebantur. Campus minor etiam vocatus ille Cœlii montis. Vide et Festum. *Neapol.*

522 *Cœlius accipiet*] *Accipiat* meliores. *Heins. Cœlius*] Est unus e septem urbis collibus; cui primum Tuscum fuit nomen. *Mastarna.*

523 *Idibus est Annæ*] Vide Macrob. I. Saturn. Tunc amnem populus auspicato transibat, et Annæ Perennæ re divina facta, omnibus licitum annare et perennare illud solitum precari. Hilaris olim fuit illa dies. Ludi Romæ etiam aliquando excitati,

an quotannis, non affirmo. Vide Appian. lib. II. bellor. *Neapol.*

524 *Non procul a ripis, &c.*] Qui aliunde advenis; nam ex Etruria. Ergo in campo Martio prope Tybrim fiebant sacra genialia a plebe. *Paul. Non procul a ripis*] Ubi nemus Annæ Perennæ, de quo Martial. Epigr. IV. 40. inter Anienis confluentem et Milvium pontem. *Neap.*

526 *Et accumbit*] Malim *et accumbunt cum pare quisque sua.* Heins.

527 *Pauci tentoria ponunt*] Usus verbo militari, nec male: animadverto ex Athenæo lib. IV. ubi quædam festa apud Lacedæmonios prorsus his paria, et cum iisdem tabernaculis, vocat imitamentum militaris disciplinæ. *Neap.*

528 *Sunt quibus e ramis*] Lege, *e ramo,* ut ambiguitas sermonis vitetur. Supra, ' Nunc avis in ramo tecta laremque parat.' *Heins. Frondea facta casa est*] Adludit ad trichilas et umbras, quæ et Neptunalibus excitari solitæ. Vide Sext. Pompeium. *Neap.*

529 *Pars sibi pro rigidis*] *Pars ibi* rectius veteres magna ex parte. Puto scribendum, *Pars, ubi pro Phrygiis calamos statuere columnis, Desuper extentas imposuere togas.* ' Phrygiæ columnæ,' ex marmore Phrygio factæ. Certe Bononiensis unus *rigibis* pro *rigidis.* Tibull. ' Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis? Tænare sive tuis, sive Chariste tuis.' Juvenalis Satyra XIV. ' vigilare cohortem Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro Electro, signisque suis, Phrygiaque columna.' Sic et ' Tænariæ columnæ ' Propertio libro III. Eleg. 2. ' Quod non Tænariis domus est mea fulta columnis.' ' Pariæ columnæ ' Prudentio περὶ στεφάν. hymno SS. Petri et Pauli, ' Subdidit et Parias fulvis laquearibus columnas.' Sic et ' Pœnæ columnæ ' Propertio II. Eleg. 31. ' Quæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi Porticus a magno Cæsare aperta fuit. Tota erat in spatium Pœnis digesta columnis:' ita scribendum; male nunc legitur *in speciem:* quod quid sibi vellet non sunt assecuti viri magni, et merito. Scaliger *in species* legebat, et picturas volebat intelligi. Æstuavit etiam in hoc loco Passeratius. ' Tota in spatium,' pro in totum spatium, per omne spatium. Noster Metamorph. lib. II. ' Porrigit in spatium signorum membra Deorum,' de porticu. Statius lib. I. Sylvarum de porticibus ad Claudiam uxorem, ' Templaque et innumeris spatia interstincta columnis.' Cicero pro Muræna, ' A quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicæ spatio honestamur, diligenter observari videmur et coli;' ubi *basilicæ spatium* habes: hinc et ' spatiari ' Noster quoties agit de ambulationibus in porticu aliqua. Hæc in transcursu. *Extentas* pro *extensas* vetustiores codices. *Heins.*

530 *Extentas imposuere comas*] Cameras his similes et in bellica necessitate reperio. *Neapol.*

532 *Quot sumunt cyathos*] *Sumant* veteres plerique. *Heins.*

533 *Ebibat annos*] De veterum compotandi ritu consules Athen. XV. 13. Etiam partes assis. Martial. Ep. I. 28. ' Quincunces, puto, post decem peractos.' Et Epigr. II. 36. ' Quincunces, et sex cyathos, bessemque bibamus.' Videntur etiam certos tenuisse numeros. Ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα. Athen. lib. X. 7. qui hoc accipit de aquæ κράσει. Horat. Od. III. 19. ' tribus aut novem Miscentur cyathis pocula commodis.'

535 *Quidquid didicere*] Præclarus ad hanc corruptelam locus Aristidis in Oratione, De non agendis comœdiis.

536 *Ad sua verba manus*] Jactare manus, pro saltare. Propert. ' Jactabat truncas ad cava buxa manus:' id est, saltabat ad tibiam. Sic et Græcis, βάλλειν χεῖρας, pro eodem. Sed illa, ' ad sua verba,' saltationis

motum ostendunt compositum ad cantilenam. Ex. gr. si lugubre quid canerent, lugubres quoque motus exprimerent; et sic in aliis. Has v. saltationes voci subservientes, 'hypochremata' appellarunt. Vide et Luciani libell. *περὶ ὀρχήσεως*. *Neapol.*

537 *Duras cratere choreas*] Multi veterum *longas;* alii *lætas* vel *lentus*, vel *junctas.* Meliores tamen pro vulgata scriptura pugnant; et recte. 'Duræ' enim choreæ sunt incompositæ, nullam artem præferentes, quibus 'molles' opponuntur: quomodo 'mollia membra movere' pro saltare apud Lucretium sæpe. Idem lib. v. apposite de incompositis choreis et arte carentibus, 'Atque extra numerum procedere membra moventes Duriter, et duro terram pede pellere matrem.' Sed et ipsi coloni Virgilio passim et nostro 'duri' dicti. *Heins.*

539 *Spectacula vulgi*] *Vulgo* pr. Ambros. et Læti codex: et *turba vocant* pr. Medic. bene. *Idem.*

541 *Occurrit nuper*] *Occurri* Zulich. et Mazar. probe; modo distinctio adhibeatur commoda. Metuo autem ne post hoc distichon versus nonnulli desint. *Idem.*

543 *Quoniam rumoribus errat*] *Errant* rectius sex scripti: et mox *tacenda* pro *tegenda* Zulich. et pr. Ambros. cum decem aliis: *timenda* Mazar. Metus tamen est, ne quid mendi hic lateat. Nam Mazar. *Quæ tamen hæc dixi:* in Zulichemiano vetus scriptura erat erasa. *Idem.*

546 *Arserat exstructis*] Malim *et structis:* quidam codices *instructis* vel *exstinctis.* Idem.

547 *Compositusque ignis*] Imo *cinis*, ut meliores magno numero; hoc est, conditus ac humatus cinis. Dixi Art. III. 736. *Idem.* *Compositusque cinis*] In amphoram, de more, aut vasculum missus. *Tumulique in marmore*] Tumulus, aggestus terræ super vasculum, *χῶμα* sive *τύμβος*: in hoc statuebatur cippus lapideus, Græcis *στήλη*. *Neap.*

548 *Hoc breve*] Ratio, cur pressa epitaphia cippis inscriberent, non alia, quam, ut ea cito viatores perlegerent, nec illis tædio esset longum carmen: ideo etiam grandi nota incidi solita. *Neap.*

552 *Maurus Iarba*] Pro Iarbas, ut Marsya et Marsyas: et Græci scribunt *Ἰάρβαν*. *Neap.*

555 *Diffugiunt Tyrii*] Elisæ in fuga comites. *Neap.*

557 *Tertia nudatas acceperat area messes*] *Mandatas* prim. Ambros. quod placet: ut Epist. v. 'quid arenæ semina mandas?' nisi quod non minus arridet *nudandas messes* cum Maz. et Zulich. ut *nudari messes* dicantur, quomodo Medic. Faciei: 'nec tu dubita nudare lupinos:' hoc est, ut ibidem loquitur, de palea sua eximere: si tamen ille locus est integer. *Heins.*

564 *Et est illis visa subesse soror*] *Et est illi* scripti fere omnes; nisi quod Petav. *illa.* Puto, *et his illi visa subesse soror.* Idem.

565 *Nacta ratem comitesque fugæ*] *Comitemque* sex libri. Seneca Medea, 'Profugere cogis? redde fugienti ratem, Vel redde comitem: fugere cur solam jubes? Non sola veni.' Sic Epist. Hypsip. 'Intrasses portus tuque comesque meos;' pro comites. Trist. I. 3. ex antiquis libris, 'Non mihi servorum, comitis non cura legendi.' *Idem.*

567 *Fertilis est Melite sterili vicina Cosyræ*] *Melitæ vicina Cosyre* Ursini codex: quomodo et Scaliger conjecerat legendum. Sed nil muto. *Κόσυρα* enim et *Κόσσυρα* Græcis est, non *Κοσύρη*· quæ vicina est Melitæ, non Epiroticæ, sed alteri in freto Libyco sitæ, ut ex Plinio, Strabone, aliis manifestum est: idque vidit curis ad Cratium secundis noster Vlitius. *Idem.* *Fertilis est Melite Insula*] Hæc insula est in Libyco mari, inter Siciliam et Africam, distans a Pachyno Siciliæ sexaginta millia passuum: ex ea portantur catelli, quos Melitæos voca-

bant. *Sterili vicina Cosyræ*] Insula est in eodem mari, quæ et olim et nunc *Gozus* dicitur. *Paul. Vicina Cosyræ*] Duplici σσ, scribunt Græci. Ptolemæus : Πελάγιαι δὲ νῆσοί εἰσι τῆς Ἀφρικῆς αἵδε· Κόσσυρα νῆσος, καὶ πόλις Μελίτη, &c. *Neapol.*

570 *Rex ibi Battus*] Hic ille, inquit Silius, qui Cyrenem condidit; imo in ea urbe scribit idem Annam a Batto receptam: sed hæc pugnant cum exacta temporum ratione. Carthago a Didone condita anno periodi Julianæ MMMDCCCXXVIII. Battus Cyrenem condidit MMMMLXXXIV. nondum ergo hic natus Didonis morte et Annæ fuga a Carthagine. *Neap.*

573 *Et tamen hospitii*] *Æternum* quidam. Forte, *Ne tamen hospitii servaret ad ultima munus, Extimuit magnas Pygmalionis opes.* Heins.

574 *Pygmalionis opes*] Hic Annæ et Elisæ frater, filius Pygmalii, si credimus Menandro Ephesio, qui conscripsit historiam Περὶ τῆς Τυρίων Βασιλείας. Plerique volunt Beli Regis etiam Tyrii, sed hic non numeratur in ea Dynastia.

575 *Signa recensebat*] *Recensuerat* meliores. Pro *exilio* sequenti versu *exulibus* Sarrav. et tres alii. Pro *paranda* Maz. Voss. Arond. et quinque alii *exilio petenda:* Zulich. *exulibus petenda ;* bene : refer non solum ad Annam, sed ejus quoque comitatum : supra dixerat, 'Nacta ratem comitesque fugæ.' *Heins. Signa recensebat*] Jam fluxerant duo anni, ex quo e Carthagine fugit, veneratque tertius, cum insequente Pygmalione magna classe, rex illam a se dimisit, rursusque illa miserrima se fugæ credidit. *Recensebat Sol*] Renumerabat. *Signa bis sua*] Duodecim illa quæ sunt in zodiaco, per quæ it et redit, annum conficiens.

581 *Lapidosi*] Quia ex Apenninis labens per saxa fluvii. *Lapidosi Crathidis*] Hunc Calabriæ fluvium quis nescit? De etymo ejus vide Strab. lib. VIII. Huic sane confinis est Sybaris, cum quo forte miscetur. *Neap.*

582 *Parvus ager: Cameren incola turba vocat*] *Purus ager* Voss. et Arond. quomodo lib. v. 'Purus ab arboribus spectabilis undique campus.' Livius quoque similiter 'purum et patentem campum' dixit lib. IV. Unus meus *turba vocant ;* ut sæpe alibi. *Heins.*

585 *Vela cadunt primo, et dubia librantur ab aura*] Duriores numeri. *In aura* Thuan. Τὸ *et* abest a Voss. Arond. Zulich. Mazar. et tribus aliis. Iidem *vibrantur*. Lego, *Vela cadunt : primo dubia librantur ut aura, Findite remigio, navita dixit, aquas.* Idem.

587 *Torto lino*] Nihil aliud sunt quam funes quibus vela laxantur, aut in altum panduntur. *Neap.*

594 *Utitur: at votis is quoque poscit opem*] *Aut votis Dis quoque* Ursin. *at votis Dis* Nauger. *aut votis* etiam Voss. Arondel. Petav. pr. Ambros. et multi alii : *a votis* Zulich. a manu prima : alii *ac* vel *et:* pro *is* sex libris *his:* Mazar. et unus Med. *hic.* Lege, *Utitur, at votis : hic quoque poscit opem :* vel, *vix quoque poscit opem.* De votis nautarum periclitantium alibi dicemus. *Heins.*

596 *Opposita lumina veste tegit*] *Apposita veste* libri quatuor. Sic lib. IV. ex scriptis, 'ante oculos apposuitque manum.' Initio tamen libri hujus, 'Vestæ simulacra feruntur Virgineas oculis opposuisse manus.' *Idem.*

599 *Ducitur ad Laurens*] *Figitur* Mazar. Zulich. pr. Ambros. Læti, Voss. Arond. et sex alii; bene: idque doctissimo Gronovio memini probatum ex illis Virgilii, 'scopuloque infixit acuto.' Ennius, 'Tonsillas rapiunt, configunt littus, aduncas.' Lucanus de classe Cæsaris tempestatibus jactata, 'Lassa Palæstinas uncis confixit arenas.' Claudianus bello Gildonico, 'Quassatis cupio tellurem figere rostris.' Seneca Hercule Furente Act. II. 'Deprensus hæsit Syr-

tium brevibus vadis, Et puppe fixa maria superavit pedes.' Et Agam. 'Hærent acutis rupibus fixæ rates.' Atque inde Noster in Ibide, 'Viscera sic aliquis scopulus tua figat, ut olim Fixa sub Euboico Graia fuere sinu.' Propertius III. Eleg. 6. 'Ah miser Alcyonum scopulis affigar acutis!' ubi *affligar* perperam reponunt. *Idem.*

602 *Miscueratque duos*] Trojanos et Latinos. *Neapol.*

607 *Anna est, exclamat Achates*] Malim, *Anna en.* Heins.

609 *Heu fugiat*] *Quo fugiat* pr. Ambros. Maz. Voss. Arondel. et multi alii; *Quid* Zulich. *Idem.*

612 *Admonitu mortis, Elissa, tuæ*] *Admonitus motus tui* Ursin. Petav. et tres alii; sed nihil mutandum. In Epist. Hyperm. 'Mens fugit admonitu.' Rem. Am. 'Admonitu revocatur amor:' et sic sæpe Noster. *Idem.*

619 *Corpore digna*] Quidam vetustiores *pectore* cum Maz. Zulich. Voss. Arondel. *Idem.*

627 *Tyrios induta paratus*] Vestes purpura et auro intextas. Vide et Virgil. Æneid. IV. *Neapol.*

633 *Falsumque Lavinia vulnus*] *Tacitumque* duo Medic. unus, *captumque.* Forte, *cautumque vulnus.* Sequenti versu *dissimulatque fremens*, non *metus*, Ursin. Mazar. Zulich. Nauger. et tres alii. *Heins.*

635 *Præter sua lumina mitti*] *Ferri* veteres fere omnes. Male præterea habitus erat a distinctione locus: et pro *cum videat* rectius Zulich. Maz. Polit. et tres alii, *vidit.* Pro *lumina* denique Læti codex et sex alii, *limina.* Idem.

637 *Non habet exactum*] *Non tamen* Mazar. pr. Ambros. et tres alii: bene, ut τὸ *est* subintelligatur. In Amoribus: 'Et non exactum est, corpus an umbra forem.' *Idem.*

638 *Et parat insidias*] *Præparat* Ursin. Zulich. Mazar. Vossian. Arondel. et alii quidam: præfero vulgatam. *Idem.*

641 *Effuge ne dubita mœstum, soror, effuge tectum*] *Mœstum fuge dicere tectum* Ursin. Mazar. Zulich. Petav. Arondel. et plurimi alii; *ducere* Vossianus: quidam *fuge desere* cum Læti codice; duo alii *fuge me duce:* prim. Med. *mœsto discedere tecto;* alius *mœstum tibi linquere tectum.* Locus fœde interpolatus, cui medicina nostra nunc vix succurrit. *Tectum* certe minus bene *mœstum* dicitur. *Et fuge ne dubita* Ursin. quidam τὸ *Et* omittunt. In Zulichemiano codice posterior hujus versus pars erat erasa. Forte, *Heu fuge, ne dubita, funestum, ait, heu fuge tectum:* quomodo umbra Hectoris ad Æneam, 'Heu fuge nata Dea, teque his, ait, eripe flammis:' et ipsa Dido ad Annam in hac ipsa narratione. Apud Silium lib. VIII. 'His, soror, in tectis longæ indulgere quieti Heu nimium secura potes?' *Idem.*

644 *Ille timor*] Quem conceperat ex crepitu januarum. *Audacem*] Ad fugam scilicet. *P.*

645 *Cumque metu rapitur*] *Quaque* Ursin. pr. Farnes. Voss. Nauger. Mazar. Zulich. et tres alii: rectius omnino. Puto tamen scripsisse Ovidium, *quaque metus rapuit:* ut Epist. Laod. 'huc illuc, quo furor egit, eo.' Epist. Med. 'Quo vocat ira, feror.' *Heins.*

647 *Tumidis rapuisse Numicius undis*] Atqui 'placidum' infra vocat; et undas ejus 'tacitas.' 'Serpere' quoque dicitur, et quidem 'cursu tacito.' Met. XIV. 'Littus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit In freta flumineis vicina Numicius undis: Hunc jubet Æneæ quæcunque obnoxia morti Abluere, et tacito deferre sub æquora cursu.' Silius lib. VIII. 'Haud procul hinc parvo descendens fonte Numicus Labitur, et leni per valles volvitur amne.' Pr. Ambros. *rapidis undis;* et Vossianus, qui pro diversa lectione *cupidis;* recte; quomodo etiam Arondel. Mazar.

Zulich. prim. Farnes. et tres alii. Epistola Acontii, 'Inque mei cupidos rapta ferere sinus :' et sic sæpe alibi. *Idem.* *Numicius*] Fluvius, qui labitur ex Aricina sylva per Laurentem agrum, ubi submersum Æneam dicunt.

650 *Signa notæque*] *Notata* Ursin. *Heins.*

652 *Tacitas aquas*] *Tenues* Zulich. Mazar. prim. Ambros. et duo alii; totidem *rapidas:* et sequenti versu pro *placidi Numici,* Zulich. Mazar. Arondel. prim. Ambr. Voss. Nauger. et tres alii, *rapidi;* sed male. Posset tamen *placiti* legi; quomodo Met. I. 702. 'placitum Ladonis ad amnem' pro *placidum* reposuimus. *Idem.*

658 *Themin putat*] Quæ in Parnasso oracula reddebat. *Inachiam bovem*] Hoc est, Isidem, quæ prius Io dicebatur, Inachi regis Argivorum filiam, a quo et Inachus fluvius. Quæ violata ab Jove, mutata deinde in vaccam, cum diu errasset, in Ægyptum tandem venit: ubi restituta Isis appellata est, et Osiridi Jovis filio nupsit. *P.*

659 *Nymphen Atlantida*] Unam e filiabus Atlantis, quam volunt Jovis fuisse nutricem. *Ant.*

661 *Hæc quoque, quam, &c.*] Hanc forte aniculam quandam fuisse Bovillanam: quæ cum plebi victum necessarium præbuisset eo tempore, quo indignans suam vicem a magistratu abiisse, a patribus secessit in Sacrum montem; ob id, inita pace, illi a grata plebe signum erectum, et festa annua constituta.

662 *A veri dissidet illa fide*] *A vera fide* Ursin. Zulich. Mazar. pr. Ambr. Læti, pr. Med. et septem alii; bene. Dixi Notis ad Epist. XVI. 60. *Heins.*

663 *Plebs vetus*] Contigit anno Urbis conditæ CCLX. *Neapol.* *Nullis etiam nunc tuta tribunis*] *Sat tuta* Maz. et sequenti versu pro *erat* codex Ursin. pr. Ambros. Maz. pr. Farnes. et alii nonnulli *abit;* quod præstat. *Heins.*

664 *Fugit; et in, &c.*] Consulibus invitis, L. Sicinio quodam auctore: nolebat jam ferre diutius Magistratus et Senatus superbiam, avaritiam nobilium fœneratorum, imo crudelitatem: sæviebant illi vinculis et verberibus in pauperum et civium corpora, ob debita. Legito fusius Historicos. *Sacri vertice montis*] Hic tumulus, qui trans Anienem primus occurrit via Nomentana: ibi plebs post reditum in urbem Jovi Fauno aram posuit. Vide Dionys. lib. VI. Exinde mons ille sacer appellatus: videtur ergo antea nomen aliud habuisse. *Neapol.*

665 *Defecerat illis*] *Illos* Ursin. Voss. Petav. Sarrav. et tres alii. Neque aliter loqui solere Nasonem jam monui Amor. lib. I. 8. 93. *Heins.*

667 *Suburbanis Bovillis*] Quæ erant in suburbano. Nam duæ fuerunt Bovillæ: alterum in Latio, oppidum prope Lavinium, de quo hic agitur: alterum in Campania, prope Sinuessam. *P.* *Suburbanis Bovillis*] Hoc etiam epitheto donavit Propertius oppidum istud vetus Latinorum. Gentes dicti Bovillani; Græcis Βοΐλλανοι: illud iisdem Βοΐλλαι. De nominis origine vide Non. Marcellum cap. 11. *Neapol.*

668 *Multæ sedulitatis anus*] *Mundæ sedulitatis* unus meus, cum Mazar. Neque aliter Zulichemianus a manu prima; de quo lib. IV. 108. dicetur; alii duo *miræ:* supra tamen habes, 'Consilium multæ calliditatis.' *Heins.*

669 *Mitra canos incincta capillos*] Quid mitra, explicat Servius ad illud de Paride in VI. 'Mæonia mentum mitra,' &c. Palliolum videtur fuisse muliebre, et capitis tegmen sive tænia: nam Græcis μίτρα, ταινία, διάδημα. Ergo eadem cum rica, quæ capitale. Glossæ *capitale*, κεφαλόδεσμος. *Neapol.* *Canos incincta capillos*] *Redimita* libri

meliores; parum refert. *Heins.*

673 *Pace domi facta*] Reconciliata est per Agrippam Menenium, miri eloquii virum; istac tamen lege, ut plebs haberet suos annuos Magistratus, quibus auxilio esset Latio adversus Consules et Nobilitatem, neve cui patrum ea munia capere liceret. Creati Tribuni pleb. primi L. Junius Brutus et L. Sicinius Bellutus. *Signum posuere*] Huic ergo putat aram et signum positum Ovidius, non Jovi Δειματίῳ, ut recensuit accuratissimus Dionysius. *Neap.* *Signum posuere perenne*] Lege *Perennæ* cum pr. Ambros. et quatuor aliis. *Heins.*

674 *Quod sibi defectis illa tulisset opem*] *Tulisset* meliores; recte: scribendum olim opinabar, *Quod dape defectis illa tulisset opem:* ut 'Casilinates alimentorum facultate defectos' dixit Val. Maximus lib. VII. 6. sed nihil est mutandum. 'Defectis' pro deficientibus: de quo passivi verbi usu nonnihil dixi ad Epistolam v. 150. sic 'defecta ætas,' et 'defecti anni.' In Epistola Penelopes Sabinianæ, 'Defectis Hecuben potius legisse sub annis.' Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'Viscera defecti mutavit in arietis agnum Æetis:' ita scribendum; nam vetus liber *disjecti;* vulgati *dissecti.* Eundem arietem Noster libro Metamorph. VII. 'innumeris effœtum annis' vocavit. Martialis, 'Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cantator Cycnus funeris ipse sui.' Lucanus libro II. 'licet ille solutum Defectumque vocet, ne vos mea terreat ætas. Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.' Libro IV. de Antæo, 'cum tetigere parentem, Jam defecta vigent renovato robore membra.' Et ibidem de equo, 'Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus.' Lib. v. 'Vos defecta senes exhaustaque sanguine turba.' Libro VI. de Scæva moribundo, 'labentem turba suorum Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet.' Val. Flaccus libro VII. 'solo mœret defecta cubili:' hoc est, languida, deficiens. Libro II. 'Truces manicas defectaque virginis ora Respicit.' Et mox, 'Annue: meque precor defectaque Pergama monstris Eripe.' *Idem.*

675 *Nunc mihi cur cantent*] Hujus rei etiam meminit Martialis Epigr. IV. 64. 'Et quod virgineo canore gaudet Annæ pomiferum nemus Perennæ;' ita enim scribo: legitur nunc, *Et quod virgineo cruore gaudet.* Nec interpretes quid sibi velit 'cruor iste virgineus' assequuntur. Noster infra de hoc nemore, 'Inde joci veteres obscœnaque dicta canuntur.' Si quis apud Martialem malit, *virgineo rubore gaudet*, ut ad obscœna illa carmina respiciatur, nil repugno. Pergamus bene mereri. De eadem Anna simul et Martiali. Is Epigr. VI. 47. 'Sive Numæ conjux Triviæ te misit ab Anna; Sive Camœnarum de grege nona venis:' ita viri eruditi jampridem emendarunt, cum ante legeretur *antro* vel *amne;* quomodo libri etiam nonnulli, quos inspeximus. Sed quid est 'Triviæ Anna?' certe nemus illud ad Tyberim non longe ab Urbe situm erat et ex Janiculo spectari poterat, ut Martialis nos docet. Alterum erat in agro Lavinio ad Numicum flumen. Sic et Egeria duplici loco colebatur: nam et Camœnarum nemus illi sacrum erat prope urbem, et Aricinæ quoque Dianæ sacris accensebatur. 'Triviæ' igitur Egeria potest dici, Anna non potest. Codex Thuaneus *Tribiæ antris:* Rottendorphii, *Tibiæ Annæ.* Lege meo periculo, *Sive Numæ conjux Tyria te misit ab Anna.* Intelligit aquæ ductibus fontem hunc derivatum fuisse ex Numicio, qui est in Laviniensi agro, per nemus Egeriæ. *Idem.* *Nunc mihi*] In his festis Annæ obscœni quidam lusus referebantur, cum verbis quoque obscœnis.

Eam Poëta causam affert, quod ubi Anna relata est in Deos, Mars ejus operam petiit ad Pallada conciliandam, cujus amore tenebatur. Quod cum illa se facturam promisisset, retulit postea, se illam tandem exorasse, et amatorem quodam joco delusit, de quo paulo post.

682 *Vulnus alo*] Redi ad Epist. IV. vs. 20.

683 *Coëamus in unum*] Alibi dicit, 'Non veniunt in idem.' Συναρθμῆσαι. Argon. IV. vs. 419. *Σύλλογον ποιησάμενοι. Συνάγειν πρὸς ἄλληλα.*

688 *Evicta est precibus*] Scripti multi *Et victa est.* Sed Regius Sarravianus recte, *Evictas precibus vix dedit illa manus.* 'Evincere' pro vincere sæpe apud Nostrum; sic Met. II. 'Ille tamen pugnat molles evincere somnos.' Trist. III. 1. 'Evictus longo tempore Cæsar erit.' 'Dare manum' etiam usitatissimum: sic Val. Flaccus libro I. 'Hanc mihi militiam, veterum quæ pulcrior actis, Annue, daque manum:' ubi *animum* male nunc legitur. *Heins.*

689 *Credit amans*] *Gaudet* Ursin. Mazar. Voss. Arondel. pr. Ambros. et duo alii; utrumque bene. *Idem.*

690 *Anna tegit vultus*] Flammeo. Plin. lib. II. 8. 'Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis.' 'Flammeum,' ait Nonius, 'est luteum tegmen, quo novæ nuptæ velabantur, vestis pudori similis, quam et propter pudorem accipiebant.' Et Juvenal. 'Lutea demissos velarunt flammea vultus.' Hinc et Græci vocant *φοινικίδα.* 'Notandum quoque boni ominis causa nubentes fuisse amictas ejusmodi flammeo, eo quod Flaminica, id est, uxor Flaminis dialis, cui divortium facere illicitum, assidue illo utebatur.' Scalig. ad Varron. *ἡ δὲ πτύχα πορφυρέοιο Προσχομένη πέπλοιο παρειάων ἑκάτερθε.* Argon. lib. IV. 1661.

693 *Ludis amatorem*] *Ridet* prim. Ambros. Voss. Arondel. Mazar. Zulich. et sex alii; bene: nam 'elusum Deum' præcesserat. Sic Fast. II. 'Ridet amatorem Lyda puella suum.' *Heins.*

695 *Obscœnaque verba*] *Dicta* meliores; recte, pro dicteriis. Met. XIV. 'Addidit obscœnis convitia rustica dictis:' Hinc 'dicta jocosa,' 'ridicula,' 'procacia,' 'vernilia,' 'amara,' 'salsa' passim apud auctores. *Heins.*

697 *Præteriturus eram*] Iisdem Martiis Idibus mors fuit C. Julii Cæsaris. Appian. lib. II. Annus ab U. C. DCCLX. ut auctor Eutropius lib. VII. Dies ille nominatus 'parricidium,' quod ex Suetonio liquet lib. I. 88. ac decretum, ne unquam eodem Senatus ageretur: atrum enim pronuntiarunt. Vide Dionem lib. XLVII. *Neapol.*

698 *Vesta locuta*] *Diva* Junian. cujus *Vesta* sit interpretamentum. *Heins.*

699 *Meus fuit ille Sacerdos*] Quia tunc erat Pontifex Maximus, ad quem sacrorum omnium suprema cura pertinebat. Vide Cassium et Plin. de Domitiano Epist. IV. 11. *Neap.*

700 *Petiere*] Quasi me ipsam vulnerarunt: nam qui Pontificem meum violarunt, mihi ipsi manus injecerunt.

701 *Ipsa virum rapui*] Eripui ego e manibus eorum Cæsarem, et in cœlum retuli. *Reliqui, &c.*] Umbram sine corpore.

704 *Templa dicatæ foro*] Sed hic honos cum aliis a triumviris decretus; ut Dio testatur lib. XLVII. et Appian. lib. II. de foro in quo excitata pompa funeris. Aram illam plebs eo in loco, quo rogus fuerat, exstruxit, ut Cæsari tanquam Deo sacra ibi fierent: sed Consulum jussu illico subversa; auctores etiam supplicio affecti, eodem Cassio teste. Templum ei erectum triennio ab obitu, cœpto Anno U. C. DCCXII. M. Lepido, et L. Blanco Coss.

705 *At quicunque nefas ausi*] Horum nomina vide in notis Casauboni ad lib. I. Suetonii. *Neapol.*

706 *Polluerant pontificale caput*] Lege *polluerunt*. Placet etiam *pontificale decus* cum Zulichemiano, aut *sacrum* ex uno Vatic. sic Propert. 'furto polluit ille Jovem.' 'Arcadiæ sacrum pontificale Deæ' dixit lib. I. *Heins.*

707 *Testes estote Philippi*] Campi ubi Brutus et Cassius principes conjuratorum, alter sua, alter servi manu confecti sunt, et Cæs. Octavio ultori victoria parata. *P.* *Testes estote Philippi*] Vix quisquam triennio supervixit: at hic de Cassio et Bruto loquitur, qui ad Philippos profligati. *Neap.*

709 *Hoc opus, hæc pietas*] Laudat Octavium Augustum a pietate, qui auspicatus rerum gestarum gloriam ab ultione paterna: hinc passim virtus illa in hoc Cæsare laudata; imo in nummis posteris relicta. *Neap.*

711 *Postera cum*] Scorpius ipse propter magnitudinem membrorum in duo signa dividitur, quorum priorem partem Libram dixerunt. *Postera cum teneras*] XVII. Kalendas Apriles Scorpius medius occidit, eadem fere die Euctemone, Geminus post Solis transitum in Pisces. *Neapol.*

712 *Scorpius*] *Scorpios* Petav. bene: sic idem infra lib. IV. 'Scorpios in virides præcipitatur aquas.' *Heins.* *A prima parte*] Post chelas.

713 *Tertia post Idus lux est*] Hoc est, decima septima die Martii festum erit Bacchi, quo die ab liba populus conveniebat in ejus honorem, et pueri relicta prætexta virilem togam sumebant. *P.* *Tertia post Idus*] XVI. Kalendas erant Liberalia Libero patri sacra. Sic cogor scribere, ut sequar vetus Kalendarium, quod ad unguem et noster sequitur; unde suspicor hic nolentem Ovidium lapsum; nam III. post Idus est XV. Kalendas. Quod si verum tempus Liberalium, non succedunt Quinquatria XIV. Kalendas: et hoc certissimum. *Neap.*

716 *Parvus inermis eras*] Quidam ex melioribus *erat*. Forte legendum *partus inermis eras*. *Refero* Zulich. superiori versu. *Heins.* *Parvus eras*] Parvi nominis: quia non creditus Jovis filius.

718 *Matris opus*] Rectius *onus* quatuor scripti; quomodo etiam infra legendum puto, 'Non pater in Baccho matris haberet onus:' sic sæpe Noster; ut Met. X. 'Jam matrem tendebat onus.' Supra, 'Maturumque utero molliter aufer onus.' Epist. IV. 'Enixa est utero crimen onusque suo.' Epist. XI. 'Et positum est uteri crimen onusque mei.' *Heins.*

719 *Sithonas et Scythios longum est narrare triumphos*] Multi *Bistonas;* quod tantundem: plures *τὸ est* non agnoscunt. Unus Moreti et Hamburgensis *longum enumerare;* ut lib. IV. ex veteri codice, 'Illa Deos omnes (longum enumerare) creavit.' Et apud Statium Theb. II. 'longum enumerare Pharæos.' Met. lib. I. 'Longa mora est, quantum noxæ sit ubique repertum, Enumerare.' *Idem.* *Bistonas longum est memorare*] Nolo nunc commemorare Thracas, qui Bistones dicuntur, a Bistone fluvio.

720 *Gentes thuris et Inde tuas*] Gesta hæc Bacchica vera, quidam ex antiquis credit, ut Megasthenes cum paucis: Eratosthenes vero de rebus Indicis bene meritus, ἄπιστα καὶ μυθώδη. Uterque apud Strabonem lib. XV. *Neap.*

721 *Tu quoque Thebanæ mala præda, &c.*] Nec dicam nunc de Pentheo Thebano, aut Lycurgo Thracio. Pentheum enim Thebis Bacchi sacra spernentem, atque prohibentem, Agave mater confecit: cujus fabula refertur in Metam. III. Et Lycurgum dicunt, dum Bacchi vites incideret, crus sibi abscidisse. *Mala præda matris*] Qui ab Agave matre tua Thebana discerptus es. *Mala præda tacebere matris*] Lege *male præda* cum primo Ambrosiano et Læti codice. Vide Notas libro II. 170. *Heins.*

722 *Acte Lycurge*] Vide Diod. Siculum lib. III. Bibliotheces. *Neap.*

723 *Tyrrhena monstra*] Tyrrhenos nautas, in delphinos subito conversos.

725 *Caussas exponere, quare Vilis anus populos ad sua liba vocet*] *Expromere* Voss. pr. Ambros. Mazar. et septem alii. Pro *vilis anus* Nauger. Mazar. Zulich. Ursin. et tres alii, *Vitisator;* quomodo Accio apud Macrobium aliisque Bacchus dictus. Sed pro vulgata scriptura pugnat Varro de Liberalibus, loco jam a Neapoli adducto. Pro *Tyrrhenaque monstra* paulo ante unus Med. *Tyrrhenia monstra,* eleganti appositione. *Heins.*

726 *Vilis anus populos ad sua liba vocet*] Vetula quæ liba finxerit, ad ea populum vocat: nam ab ea accipit populus in festo Bacchi. *Paul. Populos ad sua liba*] Illa, seu melius illæ, nam plures erant, quæ transeuntes quoslibet ad liborum emptionem invitabant, et pro emptore sacrificabant, libi empti parte foculo indita. Vide Varron. lib. v. de L. L. Fiebant et Liberalibus ludi Scenici; idque sub finem narratiunculæ noster adsignificat. *Neap.*

729 *Gange subacto, &c.*] Postquam domuisti et subegisti populos totius orientis, Indos præsertim, per quos Ganges fluvius septem alveis fluit in oceanum.

731 *Cinnama*] Quæ quidem nascuntur in Æthiopia Troglodytide, teste Plin. *Captivaque thura*] Captivorum Arabum, quos subegisti, tu primus ea Diis incendisti.

733 *Ducunt Libamina nomen*] Plutarch. Διατὶ τὸν Διόνυσον Λίβερουμ πάτρεμ καλοῦσιν, &c. Ab hoc etymo lux jam advenit illis paulo post: ‘Sive, quod es Liber, vestis quoque libera per te Sumitur, et vitæ liberioris iter.’ *Neap.*

735 *Succis quia dulcibus*] Vide Athenæum lib. III. Ἑξῆς ἐπεισηνέχθη πλακοῦς ἐκ γάλακτος ἰτρίων τε καὶ μέλιτος, ὃν Ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι. *Neap.*

737 *Arenoso ab Hebro*] Hebrus Thraciæ fluvius prope Ænon urbem in mare Ægeum influit. *P. Satyris comitatus*] Bene Noster hos alicubi vocat, ‘præviam Dei turbam.’ *Neap.*

739 *Jamque erat ventum*] Rhodope mons est Thraciæ. *Pangæaque flumina*] Ad fluvios e Pangæo scaturientes. Pangæum enim Thraciæ promontorium Bessis conterminum, et Macedoniæ junctum. *Pangæaque flumina ventum*] Non video quæ sint illa *flumina Pangæa.* Quare fuit, cum *culmina* censerem scribendum: at Zulich. Mazar. et tres alii, *Pangæa florida,* recte, propter apes: sic Trist. v. 6. ‘Florida quam multas Hybla tuetur apes.’ Hinc et ‘Hymettus semper florens’ Nostro dictus Met. VII. et ‘florilegæ apes.’ Met. xv. *Heins.*

740 *Cum crepuere manus*] *Concrepuere* meliores plerique: ut lib. v. ‘Temesæaque concrepat æra.’ Martialis, ‘Et Tartessiaca concrepat æra manu.’ Petronius, ‘Cum intrans cymbalistria et æra concrepans omnes excitavit.’ Apud Propert. ‘Cymbala Thebano concrepuere Deo.’ *Idem. Comitum manus*] Satyrorum et Mænadum. *Æriferæ manus*] Quæ cymbala ferebant: illa enim ex ære, et cava, unde Propert. ‘æra rotunda Cybeles.’ *N.*

741 *Ecce novæ volucres*] Apes, illic tunc ignotæ.

742 *Quosque movent*] Sex *quoque:* Læti liber *Quaque.* Heins. *Æra sequuntur apes*] Vide Plinium Hist. Naturalis lib. XI. c. 20. *Neapol.*

745 *Lævisque senex*] Qua vocula adspectat Sileni calvitiem. Glabro capite hunc depinxit vetustas, et ore deformi. *Neapol.*

746 *Quærebant flavos per nemus omne favos*] *Dulces* unus Vaticanus; forte rectius, ut κακοφωνία vitetur: nisi malis *niveos favos;* ut lib. I. 186.

'Et data sub niveo candida mella favo.' Medicamine quoque faciei legi malim, 'Adjice de niveis Attica mella favis:' ubi similiter *flavis* nunc legitur. In illo etiam Propertiano versu de Ulysse, 'In mare cui soli nil valuere doli,' *soliti doli* est scribendum; quod Lipsius jam vidit. *Heins.*

751 *Ramoso stipite nixus*] *Nexus* Petav. prim. Ambros. et Læti. Scribe, ut de asello nexo intelligatur, *Constitit ipse super ramoso stipite nexum.* Idem.

754 *Oraque prima notant*] *Summa* Ursin. pr. Ambros. Nauger. Mazar. Zulich. et sex alii. Lege, *oraque sima.* Quis nescit Silenos ac Satyros esse simos? Lucret. lib. IV. 'Simula, Silena, ac Satyra est:' vulgata tamen lectio ex istis Virgilianis defendi potest, 'Primaque ferratis innectunt ora capistris.' *Idem.*

757 *Concurrunt Satyri*] *Occurrunt* quatuor libri. Puto *Accurrunt:* vide Notas lib. II. 372. Sic et apud Silium libro X. optimæ membranæ, 'Transfixus gladio propere accurrentis Amorgi.' Et libro XV. 'Pulveris in clypeis vestigia visa movebant. Id properi signum accursus:' ita scribendum: vulgo mendose legitur, *Et propere signum ad cursus.* Idem.

759 *Ridet et ipse Deus*] Bacchus. Non sine artificio fabellas hujusmodi immiscet, quoniam sacra et festa Bacchi joco et risu absolvebant. *P. Limumque inducere*] Ad ictuum medelam. Optimum, aqua etiam ex raphani foliis faciem linire: habes e Plinio lib. XX. c. 4. *Neapol. Limumque inducere monstrat*] Malim *limoque;* ut *ora,* quod sequitur, subintelligas: 'inducere,' est linere: sic 'auro linere' et 'auro inducere' dicebant. Consule Notas Met. IV. 408. *Heins.*

762 *Splendida mella*] *Candida* meliores omnes: de quo dixi l. V. 186. Superiori versu pro *fruitur* liber Erfurtanus *potitur.* Idem.

763 *Fœmina cur præsit*] *Presset* Ursin. Petav. et unus Patavinus; bene: nam de libis agit. Reliqui magno numero *pressit* vel *præstat,* proxime verum. *Idem.*

764 *Fœmineos choros*] Mænadas.

765 *Cur anus hoc faciat*] *Hæc faciat* multi ex scriptis: sed refer ad *libum.* 'Libum facere,' ut Noster Fast. IV. 'et nos faciamus ad annum Pastorum dominæ grandia liba Pali.' *Heins.*

766 *Hæc erat*] *Hæc est* rectius Læti liber et alii nonnulli. Idem *amans* pro *amat;* ut et Nauger. Ursin. Mazar. Zulich. prim. Ambros. et alii nonnulli. *Idem.*

767 *Cur hedera hæc cincta est*] Has vetulas coronatas hedera sacrificasse, jam supra consuadet M. Varro. *Neap.*

769 *Nysiadas Nymphas*] A Nysa urbe Arabiæ, quibus ab Jove nutriendus est datus puer. *Quærente noverca*] Dum quæreret privignum Juno, quæ eum perdere volebat. *P.*

770 *Hanc frondem cunis opposuisse ferunt*] *Apposuisse* pr. Medic. et sex alii: *opposuere novis* Maz. Zulich. Voss. Arondel. pr. Ambros. et unus Vatic. Superiori quoque versu iidem *Nysiades Nymphæ* pro *Nysiadas Nymphas.* Lege *apposuisse novis;* et vide quæ notavi Epist. VII. 100. *Hanc frondem cistis* Hamburgensis. *Heins.*

771 *Toga libera, &c.*] Dicit, eos, qui jam ad XVI. pervenissent, Liberalia potissimum exspectasse, ad togam ejusdem fere nominis assumendam. Addam firmandæ totius rei hosce qui sequuntur: 'Ergo ut tyronum celebrare frequentia possit, Visa dies dandæ non aliena togæ.' 'Tyrones,' apud veteres erant, quibus deposita prætexta ob ætatem adultam, virili jam seu libera, seu pura, seu recta (συνώνυμα hæc hujus togæ) amiciri dabatur: unde tyrocinium ipsa actio. *Neap.*

772 *Luce geri pueris, candide Bacche, tua*] Valde turbant hoc loco libri veteres; plerique tamen, *Luci feris*

tuis, vel *tua*; vel *Luce feris pueris tua: Luciferi tua* Petav. alii aliter. At Ursin. Mazar. Zulich. pr. Ambros. et sex alii, *Lucifero pueris, candide Bacche, tuo*, eleganter et vere: hoc est, tuo die, tuo festo. Sic Propert. ‘memento Venturum paucis me tibi Luciferis,’ pro paucis diebus. Supra Fast. I. ‘Non habet officii Lucifer omnis idem.’ Lib. II. ‘Nec tamen hoc ultra, quam tot de mense supersint Luciferi, quot habent carmina nostra pedes:’ et alibi non raro. Tibullus Eleg. I. 3. ‘illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis.’ Sic et ‘Aurora’ et ‘Phœbus’ pro die, ‘Luna’ pro nocte. *Heins.*

773 *Juvenisque videris, &c.*] Hinc ille Euripidi θηλύμορφος. Fuit et apud antiquos Bacchus καταπώγονος. Græci suam innuunt causam, διὰ τὸ τοὺς ἀρχαίους πάντας πωγονοτροφεῖν. *Neap.*

774 *Et media est ætas inter utrumque tibi*] *Inter utramque* alter Mazar. sed frustra. Claudian. ‘Mista duplex ætas inter juvenemque senemque.’ Noster Met. XII. ‘Huic ætas inter juvenemque senemque; Vis juvenilis erat.’ *Heins.*

775 *Seu quia tu pater es*] Vel quia Liber pater diceris.

779 *An quia cum colerent*] Quartam ob caussam cogitur referre humilia initia Scenicorum ludorum: de quibus loquitur ex sententia Varronis de Vita popul. Rom. A rusticis scil. illa profecta. Vide et Tertull. lib. de Spectacul. *Prisci studiosius agros*] De more auctor Columella; de eodem etiam mutato, de quo conquestus initio operis. *Neap.*

783 *Rusticus populus*] Qui ruri erat. *Ad ludos veniebat in urbem*] Diebus festis urbem repetebat ex agris, ut ludis interesset.

786 *Cum tædifera Dea*] Qui hoc tempore sibi et Cereri simul eduntur. Prius enim soli Baccho fiebant, posteritas illos cum Cerealibus junxit, nec ab re, cum Dionysius secundus Cereris filius creditus sit. Ipsaque Ceres ‘tædifera’ dicitur, quod tæda accensa filiam Proserpinam quærebat. Sacerdotesque ejus tæda quoque sacra celebrabant; unde appellati sunt δᾳδοῦχοι. *Paul. Nunc habet illa Dea*] Forsan huc pertinent illa Cypriani: ‘Cæterum reliqui, dum urbem fames occupasset, ad vocationem populi acquisiti sunt ludi Scenici, et Cereri et Libero dicati postmodum.’ *Neap.*

787 *Tyronum celebrare frequentia possit*] *Possint* unus Mediceus, de qua locutione vide Notas supra, vs. 181. *Heins.*

791 *Itur ad Argeos*] Eodem die quo Bacchi sacra solennia fiunt, et die qui præcessit, itur cum pompa ad templum Castoris et Pollucis. *Ad Argeos*] Ad Argeorum, hoc est, Laconicorum Deorum templa. *Itur ad Argeos*] XV. et XVI. Kalendas Aprilis sacra in Argeis factitata: quid illi, Glossæ explicant, *Argi arra*, ἀφιδρύματα: emendat Scaliger, *Argei ara*: malim, *Argeæ aræ*, ut sit idem numerus; cum sint etiam plures urbici Argei. Varro lib. IV. de L.L. et Livius: ‘Multa alia sacrificia, locaque sacris faciundis, quæ Argeos Pontifices vocant, dedicavit.’ Hinc legimus passim in vetustate nunc quintum, nunc sextum Argeorum sacrarium. *Neap.*

792 *Hac si commemini præteritaque die*] Naugerius edidit, *sicut memini*; quod in plurimis scriptis occurrit, etiam pr. Ambrosiano: alii *si quid memini*: sed vulgata scriptura bene se habet; quomodo Plautus sæpe; Terentius etiam, Cicero, atque alii. *Heins.*

793 *Vergit declivis ad Arcton*] *Declinis* multi ex scriptis. At Ursin. Vossian. pr. Ambros. Læti, pr. Farnes. *proclivis*. Lege *proclinis* cum uno Mediceo et uno Farnesiano: sic et ‘acclinis,’ ‘declinis,’ ‘reclinis’ dice-

bant. *Idem.* *Ad Arcton, &c.*] Ad ursam Lycaonis filiam. *Paul.* *Vergit declivis ad Arcton*] Eodem XVI. est Milvii occasus vespertinus. Plinius facit uno die tardiorem, lib. XVIII. 26.

794 *Milvius*] *Miluus* libri meliores; ut et paulo post, de quo Amor. lib. II. 6. 34. *Heins.*

796 *A Jove*] *Ab Jove* meliores: dixi lib. I. 236. *Idem.*

797 *Validos Titanas*] Fratres suos.

798 *Quæque fuit fatis debita*] *Quæque sit in fatis* duo libri: in Zulich. vetus lectio erasa. Codex Læti et alii tres, *dedita.* Puto, *Quæque sibi fatis debita.* Pro *tentat opem* etiam *poscit* Mazar. Voss. Arondel. pr. Ambros. pr. Farnes. Posset et *fatis edita*: infra, 'Quam sterili terræ Delphicus edat opem.' *Heins.*

805 *Immolat hunc Briareus*] Hic ille gigas centimanus; a quo Κάρυστος dicta Αἰγαῖα: nam illi fuit nomen etiam Ægæon, teste Hesychio. *Neap.*

807 *Attulit illi Miluus*] *Illa* quidam; nonnulli etiam *abstulit illa* vel *illi.* Heins.

809 *Una dies media est*] Decimoquarto Calendas Apriles, hoc est, decimonono die Martii, incipiunt Quinquatria Minervæ, quinque diebus continuis celebrantur: qua quidem ratione multi putarunt, a quinario dierum numero Quinquatria dicta. Alii a Quinquatro die; de quo Pomp. Quinquatrus festivus dies dictus, quod post diem quintum iduum celebraretur; ut triatrus, et sexatrus, &c. Verum hæc Quinquatria festa Poëta ita dicta ostendit a quinque diebus junctis. Primo enim die fiebant sacrificia, tribus sequentibus gladiatores in theatro certabant, quinto die erat lustratio tubarum sonitu, et sacrificia quoque fiebant. *Paul.* *Una dies media est*] XIV. Kalendas festum erat Minervæ, cui nomen Quinquatrus, Quinquatres, et Quinquatria. *Neapol.*

810 *Nominaque ajunctis quinque diebus habent*] Multi ex scriptis *Nominaque adjunctis quinque diebus habet*, vel *habes.* Lege, *Nomina quæ junctis quinque diebus habent.* Alludit enim ad nomen Quinquatrium. Moreti codex, *Muneraque adjunctis q. d. habet.* Puto scribendum, *Una dies media est, ut fiant sacra Minervæ: Munera quæ junctis quinque diebus habet*: ut ad numera tam Circensia quam gladiatoria respiciat. *Heins.*

811 *Sanguine prima vacat*] Quia prima dies solemnitatis censebatur Minervæ γενέθλιος. Hujusce diei mentionem facit Athenæus lib. III. *Nec fas concurrere ferro*] Nec prælusionibus illis, quæ ensibus obtusis fieri solitæ, et integro etiam die perdurare.

813 *Altera tresque super*] Reliquis quatuor diebus gladiatores in circo nudis gladiis batuebant. Ludus hic gladiatorius in Panathenæis etiam observatus; sed post Athenas dominæ urbi subditas, adeo ut mos a Romana religione videatur tralatitius. Philostratus in vita Apollonii Tyanei lib. IV. 7. *Strata celebrantur arena*] Rectius veteres *rasa*, hoc est, æquata et de industria sic sparsa. Instravit quondam insania Principum pro illa minium et chrysocollam: non e solo usque ad superficiem, nam hæc dementia; sed post multam arenæ injectionem, minium aut aliud leviter sparsum. *Neapol.* *Rasa celebrantur arena*] Placet hæc lectio Illustrissimo Neapoli et Ciofano. At Nauger. Mazar. Zulich. Ursin. Voss. Arond. et XIV. alii *strata*: sic Trist. II. 'Martia cum durum sternet arena solum.' Am. II. 14. 'Sternetur pugnæ tristis arena tuæ.' Propertius IV. Eleg. 4. 'Nec cum lascivum sternet arena forum.' Prim. et sec. Ambros. Læti, et alii XII. *fusa arena*: Excerpta Polit. prim. Med. Sarrav. et Arond. pro diversa lectione etiam non male, *sparsa.* Art. Am. I. 'Sparsaque solli-

cito tristis arena foro.' Duo alii, *plana:* vide quæ Neapolis hic notat. *Heins.*

815 *Pallada nunc pueri*] Hi eloquentiam a Minerva totis Quinquatriis expetebant. Vide Juvenalem Sat. x. Hinc etiam illis festis certamina Oratorum et Poëtarum exhibita. *Neap.*

817 *Lanam mollire puellæ Discant*] *Discite jam,* Maz. duo Farnes. et totidem alii: Arondel. *Discite et plenas.* Scribe, *lanam mollite, puellæ: Discite jam plenas exonerare colos.* Cogitabam aliquando latere verbum parum obvium, ac scribi posse, *Discite et enetas exonerare colos:* hinc *pernere;* et, quod rarius verbum, *renere,* de quo Elegia in mortem Drusi diximus. *Idem. Lanam mollire*] Carminare, ἔρια ξαίνειν, a quo ξάνιον, instrumentum ad purgandas lanas rudes: hæc Græcis, ἀγρὰ ἔρια.

819 *Radio percurrere*] Stamini tramam interponere. *Neap.*

820 *Densat opus*] *Denset* vetustiores magno numero cum primis editionibus. Sic et in Metamorph. non semel: ut lib. XIV. 'Cantato densetur carmine cœlum;' ita codices veterrimi: de quo verbo pluribus ad Claudianum. Sic apud Horatium Od. I. 27. 'Mista senum ac juvenum densentur funera' libri veteres, quos ego aliique vidimus. Prudentius Cathemerin. 'Densetur cuneis turba pedestribus.' Idem Hamart. 'Surgit in auxilium Chananeus, atque agmina denset.' Et postea, 'quamvis denseta graventur Nubila:' ita illis locis codex Puteaneus vetustissimus et literis majoribus Romanis scriptus. Silius lib. IV. 'sociata examina densent Infandi Senones.' Et lib. XIV. 'Perculsi cuneo Pœni densentur in unum;' sic optimæ membranæ: et puto alibi quoque apud eundem sic scribi debere, quicquid obstant libri veteres. Virg. Ciri: 'Quem circa tristes densentur in omnia pœnæ.' Neque aliter apud alios auctores passim in optimis libris legitur: hinc *condenseri.* Utitur utroque verbo passim Lucretius. *Heins.*

821 *Maculas læsis de vestibus*] Infectis: id est, colite eam fullones, qui vestes et pannos omni macula expurgatis. *P.*

822 *Quisquis ahena paras*] Infector et affector: de quibus vocibus vide Festum. 'Ahena' vero 'parare,' nihil aliud, quam in iis apta quæque miscere ad lanas fucandas: unde 'Sidonium ahenum,' in quo purpureas tingebant. *Neapol.*

823 *Nec quisquam invita faciet*] *Faciat* quatuor libri. *Heins. Nec quisquam faciet bene vincula*] Calceos.

825 *Manibus collatus Epeo*] Hic opifex equi Duratei. *Neap. Epeo*] Ἵππου κόσμον ἄεισον Δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ. Homer. Odyss. Θ. vs. 492.

826 *Irata Pallade mancus erit*] *Invita* Mazar. Zulich. prim. Ambros. Læti, prim. Med. decem alii: quod placeret, nisi jam præcessisset. Notum adagium, quo Cicero non semel, Horatius, alii utuntur. *Mancus erit*] Quasi manuum ope carens, si illa irascatur. Ergo id agendum, ut placata sit.

827 *Vos quoque Phœbea*] Curæ quoque fuit Palladi Medicorum tutela: ea propter et ipsi Medicæ cognomentum. *Neapol.*

829 *Nec vos turba*] Scholasticorum scilicet. Pro his enim dictum est, qui sub feris magistris nihil profecerunt. *Pont. Censu fraudata magistri*] Hic mentio fit veteris Minervalis: quo non dato, Rhetoribus et Grammatistis fraus et dolus aperte fiebat; illud autem hoc mense solutum, patet ex Macrob. Saturn. I. 'Hoc mense mercedes,' inquit, 'exsolvebant magistris, quas completus annus deberi fecit.' Fraudum caussam si quæris, dabant feriæ per id tempus, cum a parentibus data pro magistris stipendia ludis et bellariis pueri destina-

bant: metu et pudore postea ad scholas accedere non audebant. Sic didascali sine mercede, sine discipulis assoliti remanere: ideo Noster ad hos: Vos quoque Minervam non spernite; nam attrahet illa novos discipulos. Vide Horatii epist. ultim. *Neapol.* *Turba feri sensu fraudata magistri*] Jam in Miscellaneis Politianus *censu* vidit esse scribendum, atque illum secuti Bersmannus et Neapolis. Neque aliter duo Ambros. et quinque alii ex nostris: quatuor *census* cum Mazariniano. Lege *census fraudata:* ut sit Græcismus, quales passim alibi apud nostrum occurrunt. 'Censum' magistrorum minerval vocat, quo alebantur: sic de piscatore Met. IV. 'Ars illi sua census erat: cum traderet artem, Accipe quas habeo, studii successor et hæres, Inquit, opes.' *Heins.*

831 *Quique moves*] Cœlum est γλύφανον: quo non unus, sed plures utuntur. *Tabulamque coloribus*] Quique estis ἐγκαυσταί. De encaustice loquitur et Auson. 'Ceris inurens januarum limina.'

832 *Mollia saxa manu*] Addit et marmorarios: sed hic Publio non mens, omnes vere opifices numerare; inde sic claudit hæc disticha: 'Mille Dea est operum:' quibus fax a Lactantio Firmiano lib. I. 18. *Neap.*

835 *Cœlius ex alto*] In Cœlio monte apud radices templum erat Palladis captæ: quod illi consecratum est suo natali, hoc est, primo quinquatr. die. Sed cur 'capta' dicatur disputant. Ego dicerem 'captam Minervam,' quod illi eo die, eo in loco legitime constituto, auctoritate senatus a pontificibus consecrato, potissimum sacrificetur. Nam Pompeio Festo teste, captum locum dicimus ad sacrificandum legitime constitutum.

837 *Captæ delubra Minervæ*] Alii *castæ*. Sarravii codex et quinque alii *capitæ*. In vulgatis P. Victorii de regionibus Urbis exemplaribus *capta* etiam dicitur. *Heins.* *Captæ delubra Minervæ*] Hæc numerantur a Topographis inter VIII. ædiculas regionis secundæ: situs, ut vides, erat ad radices Cœlii. *Neapol.*

838 *Quæ*] Templa. *Natali cœpit habere suo*] Non ab initio, ex quo nata est; sed ea die mensis Martii qua olim nata est, hoc est, ipso die quinquatro.

840 *Ingenium solers*] Tullius Epist. II. 2. Philisto nostro: 'Siculus ille capitalis, creber, acutus,' &c. Sic et apud membranas veteres Pollionis: 'capitalis jocus,' pro astuto et ingenioso: 'Capitali enim, inquiunt, joco regna promeruit.' De Regilliano agitur: quem locum vide. Vulgo legitur, *militaris*. Neap.

844 *Et hoc signo littora prima docet*] *Et hoc ipsum littera prisca*, bene Ursin. Arond. Mazar. et septem alii. *Heins.*

845 *Capitis quæ pendere pœnas Ex illo jubeat furta recepta loco*] *Furta reperta* Ursin. Mazar. pr. Ambros. Voss. Arond. XIII. alii; bene: id est, deprehensa. Plautus Mostellaria, 'Male facta vestra repperi radicitus.' Virgil. 'Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.' Amat id verbum Noster: sic Trist. II. 'Ingenio est pœna reperta meo.' Fast. IV. 'Si non turbassent signa reperta sues:' et initio lib. IV. 'Venerem repertam' dixit; ut habent codices vetusti. Initio lib. V. 'Tethys et extremo sæpe reperta loco est:' ita et illic priscum exemplar. Art. Am. I. 'Flammaque in arguto sæpe reperta foro est.' Supra hoc libro, 'in gelidis herba reperta focis.' Trist. IV. 5. 'Unica fortunis ara reperta meis.' *Idem.* *Quæ pendere pœnas*] Conveniunt his verba Festi: 'Capitalis locus, ubi si quid violatum est, capite violatoris expiatur.' *Neap.*

849 *Summa dies*] Et quintus Quinquatruum dies, qui X. Kalendas Apri-

lis, scribitur his notis Kalendario veteri, TUBILUS. N. P. et alter mense Maio, qui X. Kalendas Junias. Ergo Tubilustrium bis in anno Romano celebratum: Minervæ semel mense Martio, Vulcano semel mense Maio. Observa reconditum morem ex nostro, forsan in alio non leges: et sub finem lib. V. et nos ibi. *Neap.*

850 *Forti sacrificare Deæ*] *Deo* Ursin. Mazar. et a manu prima Zulich. ut Deum pro Dea dixerit Græcorum more. An 'fortem Deum' Martem innuit? cui sacra sint Tubilustria hæc mensis Martii, quemadmodum altera illa mensis Maii Vulcano. *Heins.*

851 *Nunc potes ad solem*] Undecimo Calendas April. Sol relictis Piscibus init Arietem, qui quidem aureum vellus habuisse dicitur. Eo Phryxus in Colchos delatus est. Vide Hyginum.

852 *Hic here*] Hoc est, XV. Kalendas Sol in Ariete. *Here* est χθές. *Neap.*

853 *Sceleratæ fraude novercæ*] Dolo Inus uxoris Athamantis, novercæ Phryxi et Helles. *Paul.* *Seminibus tostis*] Vide Hyginum lib. II. Poët. Astronomicon.

854 *Ut solet*] Surgere scilicet ex semine.

855 *Mittitur ad Tripodas*] Quid 'tripus,' notum: hoc idem dixere Antiqui tripodium. Gloss. Mss. 'Tripodia, id est, scabellum quod tres pedes habet, vel mensa in sacris Apollinis,' &c. Quicquid igitur tribus fulcris sustinebatur, sic dici potuit. *Neapol.*

857 *Hic quoque*] Qui missus ad oraculum fuerat. *Corruptus*] Ab ipsa noverca.

859 *Usque recusantem*] *Utque* duo veteres; rectius. Deinde *Compulerunt* sequenti versu, pro *Compulerant*, cum Petaviano: unus Puteaneus *Compulerint;* proxime verum. *Heins.* *Cives*] Thebani scilicet, propter annonæ caritatem. *Et tempus*] Ipsa sterilitas temporis, cum videretur provenire ex aëris intemperie. *Et Ino*] Noverca.

860 *Regem*] Athamantem.

861 *Velati tempora vittis*] *Ramis* Ursin. Nauger. Mazar. Zulich. Arond. pr. Ambros. et pr. Farnes. utrumque bene; sed sequor vetustiores codices: sic apud Virgil. lib. VII. 'induit albos Cum vitta crines, tum ramum innectit olivæ.' Nihil magis obvium apud Poëtas in descriptione victimarum aut sacrificiorum. *Heins.*

863 *Mater*] Nephele mater Phryxi et Helles. *Forte pependerat æthere*] Quæ conversa in nebulam, in aëre pendens: νεφέλη, nebula est.

865 *Inque draconigenam*] *Draconigeram* quidam ex vetustioribus; sed frustra. *Heins.* *In draconigenam urbem*] Thebas in Bœotia, quas Cadmus posuit, qui in eo loco draconem interemit: ex cujus satis dentibus nati sunt, qui Cadmum in ea urbe condenda juverunt: ideo draconigenæ dicti. *Draconigenam urbem*] 'In nostro olim Thebano genere plusquam mira memorant: Martigenam ille aggressus belluam magnus Europæ quæstor, anguineo Repente hostes peperit seminio,' &c. Plaut. in suppos. Amphitr. Κάδμος, ὁ διζήμενος Εὐρώπην. Apollon. Argonaut. III. 1177. ubi invenis totam hanc fabulam. 'Semine Cadmi Emicuit Dircæa cohors,' Lucan. lib. IV. 'Seges clypeata virorum,' Metamorph. III. Ammianus Marcellinus hoc refert ad improvisam multitudinem, subito ad arma prorumpentem.

868 *Per freta longa*] Quibus postea nomen fuit Hellespontus. *Neap.*

870 *Cum de se nomina fecit aquæ*] Pontus Helles, mare illud angustum inter Ægeum et Propontida.

875 *Littoribus tactis*] *Captis* Voss. Arond. Mazar. Zulich. pr. Ambros. Læti, et quatuor alii: et mox iidem majori ex parte *ad Colchas domos.* *Heins.*

876 *Pervenit in Colchas domos*] Ad Æeten regem Colchorum.

877 *Tres ubi Luciferos*] Si numeres a XIV. Kalendas, ut fieri debet, erit Ovidio Æquinoctium vernum XI. Kalendas: nec multum sane discrepat ab antiquis. Columellæ est die XXIII. et XXV. Plinio hac eadem, et Kalendario vet. in quo: DIES HOR. XII. NOX HOR. XII. ÆQUINOCTIUM VIII. KAL. APR. *Neap.*

878 *Æqua diurna feret*] *Feres* Mazar. Petav. pr. Ambros. Læti, et octo alii; et Ursin. et unus Vatic. cum Politiani excerptis *ferens:* ut hæc ad sequentia referantur; sed præstat alterum: sic infra, 'Templa feres, et me victore vocaberis ultor.' *Heins.*

879 *Inde quater pastor*] Post quatuor dies completos, id est, VI. Kalendas, Janus placandus, et terna hæc tranquilla numina, Pax, Salus, et Concordia. Bonum ergo aliquod urbi hoc die accessit: ita est; sicque notatur in Kalendario antiquo, HOC DIE CÆSAR ALEXANDRIAM RECEPIT. *Neapol.*

880 *Canuerint*] Albescent. Hac periphrasi, a reductione capellarum et rore, vespertinum et matutinum tempus significat.

882 *Romana Salus*] Dictane sic? non suspicor. Qui ergo? 'Publica.' Sed quid discriminis inter Publicam et Romanam? sacrificia tamen Publicæ facta repperi. Vetus fragmentum fratrum Arvalium; SALUTI PUBLICÆ VACCAS II. eidem et statuas erectas. Vide Dionem lib. LIV. Vocat hic autem δημοσίαν. *Salus*] Hæc Salutis ædes a C. Junio Bubulco Censore locata in colle Quirinali juxta portam Salutarem: voverat Consul bello Samnitico, sed dedicavit Dictator. Livium lib. X. vide: hoc fuit anno CDLII. Ex his elicias, falso aliquos arbitrari, Salutem ab Augusto consecratam. Sane Princeps ille ejusdem augurium tantum abolitum renovavit, ut scribit in Augusto Suetonius. *Neap.*

884 *Luna colenda*] Templum hoc et Lunæ et Dianæ dictum. Diana enim eadem cum Luna. Vide Tacitum de Servii Tullii Dianio, quod incensum Neronianis temporibus, Annal. lib. XV. *Neapol.*

FASTORUM LIB. IV.

1 *Alma, fave, dixi*] *Alma, fave vati* quatuor veteres: ut τὸ *dixi* subintelligatur; quod elegans. *Heins.*

5 *Scis, Dea, respondi*] Venustius videtur, si legas, *scin, Dea?* ut jam monui ad Epist. Medeæ: nam in Gottorph. ultima litera τοῦ *scis* erat erasa: Voss. et Arondel. *Sic.* Deinde *æther*, pro *aër*, meliores. *Idem.*

7 *Saucius aut sanus nunquam tua signa reliqui*] *An sanus* iidem; recte, ut jam monui lib. II. 394. Tum *nunquid* meliores quoque pro *nunquam*. Idem.

8 *Tu mihi semper opus*] Scripti plurimi *onus*. Lege *honos* cum uno Vatic. ex antiquioribus. *Idem.*

15 *Mota Cytherea*] *Cytheriaca* quatuor veteres cum Zulichemiano. Sic 'Cytheriacæ aquæ' Epist. Didus. *Idem.* *Mea tempora myrto*] Arbuscula eidem sacra. *Neap.*

19 *Si qua tamen*] O Germanice, si quid est in Fastis quod ad te pertineat, præcipuus est hic mensis: quoniam Veneri dicatus est, a qua quidem progenita est Julia domus, in quam tu adoptatus es.

20 *Cæsar, in Aprili, quod tuearis, habes*] *Quo tenearis* Ursin. Zulich. Nauger. et sex alii: at Mazar. *quo tenearis habe: quo tuearis* Voss. et Arond. Remed. Amor. 'Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.' Superiori versu 'pars te de fastis dicere debet,' non *tangere*, Mazar. Lege *ducere*, id est, oblectare, trahere. *Heins.* *Quo tenearis, habes*] Ob adoptionem in Juliam familiam. *Neap.*

21 *Descendit origine mensis*] Plurimi ex melioribus *imagine*. Heins.

23 *Pater Iliades*] Romulus, Iliæ filius, et urbis conditor. *Longum scriberet annum*] Quia revera non adeo breve spatium tempus decimestre: non ad discrimen anni lunaris, ut volunt magistelli. *Neapol.*

24 *Vidit, et auctores rettulit ipse suos*] *Tuos* Ursin. Petav. et quatuor alii. *Sensit* etiam pr. Ambros. et Læti codex. *Heins.*

26 *Quod sibi nascendi*] *Nascenti* plerique veteres: et sequenti versu *in gente repertam*, non *receptam*, meliores; recte: ut dictum supra lib. III. 845. *Idem.*

29 *Revolutaque quærens Sæcula*] *Revoluta requirens* Erfurtanus; ut sit appositio. *Idem.*

30 *Cognatos venit ad usque Deos*] Id est, usque ad Jovem et Venerem.

31 *Dardanon Electra*] Sumit sanguinis initium a Dardano, secundo Ilii Rege; cujus filius Erichthonius, hujus Tros ex Astioche, hujus Assaracus, hujus Capys, hujus Anchises: primi tres regnum tenuere; hos secuti Ilus, Assaraci frater, Laomedon, Priamus. *Neap.* *Quis nescit Atlantide natum*] Veteres codices *nesciret*, probe; ut per interrogationem hæc dicantur: quatuor etiam libri *cretum* pro *natum*. Heins.

33 *Erichthonius*] Fuit filius ex Bathea filia Teucri, quem fortunatissimum Homer. vocat. *Tros est generatus ab illo*] Ex Erichthonio et Callirhoë natus est Tros.

34 *Assaracum creat hic*] *Assaracon* Petav. et unus Vatican. et tum lego *Assaracosque Capyn:* sic et *Electran* superiori versu alter Petavii, Græcorum more; ut in Trist. libro II. 'Qui legis Electran et egentem mentis Oresten.' *Heins.*

35 *Proximus Anchises*] *Anchisen* Maz. et Voss. nempe creat. *Proximus*, Capys. *Idem.*

37 *Hinc satus Æneas*] *Hoc satus* bene unus Vatican. nisi *huic* malis: ut paulo post *Posthumus huic;* ita enim meliores libri, non *hinc:* sic supra, ‘Hujus Erichthonius.’ *Idem.*

41 *Qui quod sylvis fuit ortus in altis*] Ita meliores; cum ante legeretur *sylvis est natus:* quatuor alii, *fuit altus in altis.* Unus Med. *fuit actus:* pr. Ambr. *fuit artus:* alter Put. *sylvis nutritus.* Heins.

43 *Isque, Latine, tibi*] Ex hoc loco detracti sunt duo versus. Poëta enim primo loco meminit Sylvii Posthumi, deinde Latini. Verum medius horum fuit Æneas Sylvius, Sylvii primi filius, et hujus Latini pater. Virgilius quoque utriusque meminit, et Sylvii Posthumi et Æneæ Sylvii. Mansit postea *Sylvius* omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt. *Alba*] Sylvius Alba Latino patri successit, regnavitque uno et quadraginta annis.

44 *Epitus*] *Epitor* Ursin. Patav. *Epicos.* Lege *Epitos:* et sic Met. XIV. quidam codices. *Heins.*

45 *Ille dedit captæ repetita vocabula Trojæ*] *Capyi* emendat magnus Scaliger notis ad Eusebium, et Canonum Isagogicorum lib. III. Paulus Merula ad Annales Ennii, *Capyis.* Politianus in ora codicis sui *Capys*, incertum, an ex veteri libro: *Capetum* unus Vaticanus: alius *patriæ:* alter Petav. *cœptæ: Ille dedit Capis repetita* Servius ad lib. VII. Æn. citat: et certum est *Capyos* nomen hic latere. Pro *repetita* Mazar. et tres alii *recidiva;* nec dubito in pr. Ambrosiano ita fuisse: erat enim erasa vetus scriptura. In Vossiano quoque et primo Farnesiano aliisque duobus sic pro diversa lectione erat exaratum: de qua voce multis ad Claudianum Idyllio Phœnicis egi. Totum igitur versum lego hoc modo, *Edidit ille Capyn, recidiva vocabula Trojæ*, vel *Ille Capyn genuit.* Met. X. ex vestigiis veterum codicum, ‘recidivaque mortis imago Annua plangoris peraget simulamina nostri.’ *Idem. Ille dedit captæ*] Non semel monet me Josephus Scaliger, ut legam, *Ille dedit Capyi*, et in Animadversionibus ad Eusebium, et in Canonum Isagogicorum lib. III. Facio lubens: nam in hoc Albano Capye vult Ovidius repetitum esse nomen illius veteris Dardanidæ. *Neapol.*

47 *Cumque patris regnum post hunc Tyberinus haberet*] Non respondet Ovidiano nitori hic versus. Veteres plerique, *Accipiens regnum post hunc Tyberinus ab illo*, nihilo melius; nisi forte legas *Tyberinus avitum:* sed Met. XIV. ‘regnum Tiberinus ab illis Cepit.’ *Heins.*

49 *Jam tamen Agrippam natum Remulumque nepotem*] *Agrippam genitum* Zulich. pr. Ambros. et Læti. Pro *nepotem* veteres multi *nepotes;* quod est contra fidem Historiæ. Forte scribendum *Remulumque ferocem.* Nam Met. XIV. utrumque filium facit Tiberini: atque illic etiam ‘ferocis’ utitur vocabulo, ‘de quo [Tiberino] Remulusque feroxque Acrota sunt geniti. Remulus maturior annis Fulmineo periit imitator fulminis ictu:’ vides hominem stolide ferocem et alterum Salmonea describi. Mox addit, ‘Fratre suo sceptrum moderatior Acrota forti Tradit Aventino.’ Quid ni ergo ‘ferox’ Remulus, quo ‘moderatior’ sit Acrota seu Agrippa, quem ferocem et ipsum jam appellarit? *Idem.*

52 *Tradita regna Procæ*] Proca deinde post Aventinum annos tres et viginti regnavit.

53 *Sequitur diri Numitor germanus Amuli*] Livius inquit: Proca deinde regnat. Is Numitorem atque Amulium procreat. Numitori, qui stirpis maximus erat, regnum vetustum Sylviæ gentis legat. *Diri germanus Amuli*] Et ob id dirum imperium et crudele vocat, quia fratrem regno ejecit.

54 *De Numitore*] Numitor duos filios habuit: Lausum, quem Dionysius Ægestum vocat: et Iliam, quæ et Rhea. *P. Cum Lauso*] Halicarnassensis, τὸν υἱὸν τοῦ Νομίτωρος Αἴγεστον, appellat; Plutarchus in Parallelis, Αἴνιτον.

55 *Ense cadit patrui Lausus*] Petav. *patrio.* Lege *patruo:* quomodo codex Junianus. Vide omnino quæ notamus ad Amor. lib. III. 6. 49. Sic Homerus κασίγνητον φόνον pro fraterna cæde; et similia passim apud Græcos ac Latinos. Paulo ante pro *duri Amuli,* quinque veteres *diri* rectius: supra lib. II. 'Hoc ubi cognovit contemtor Amulius æqui, Nam raptas fratri victor habebat opes.' *Heins. Ilia*] Quæ Rhea Sylvia dicta est.

60 *Diis generis dedit*] Veneri et Marti, unde genus duceret. *Tempora continuata*] Continuatos menses, Martium et Aprilem.

61 *Graio sermone*] Macrobius primo Saturnalium: 'Secundum mensem nominavit Aprilem, quasi Aphrilem, a spuma, quam Græci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus creditur: et hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Æneæ matre Venere nominaret: et his potissimum anni principia servaret, a quibus esset Romani nominis origo.' *Neapol.*

63 *Græco rem nomine dici*] *Grato* Mazar. duo alii, *Graio;* rectius. Puto tamen scribendum *patrio nomine:* sic Seneca in Epigrammatis, 'Corsica Phocaio tellus habitata colono, Corsica quæ patrio nomine Cyrnus eras:' ita vetustissimus codex, non *Graio nomine.* Heins.

64 *Itala nam tellus Græcia major erat*] Non omnis tamen Italia, sed pars Italiæ magna Græcia vocata est. *Paul. Græcia major erat*] Legas omnino Isaaci Casauboni Castigationes in lib. VI. Strabonis sub initium, et Philippi Cluverii lib. IV. 16. Italiæ antiquæ.

65 *Venerat Evander*] De Evandri et Herculis adventu in Italiam non iterabo hic quæ notavimus in primo. *Neap.*

68 *Albula*] Tybris. Quia longe ante Albam conditam venit in Latium Hercules: et tum dicebatur fluvius Albula.

69 *Dux quoque Naritius*] *Neritius* meliores; et recte. Vide quæ noto Remed. Amor. vs. 264. *Heins. Dux Neritius*] Ulysses a Nerito. Neritos appellata est Leucate, quæ Laërtis fuit, patris Ulyssis. *Testes Læstrygones extant*] Testantur Ulyssem venisse in Italiam. Læstrygones fuere apud Caietam. Hi et Anthropophagi vocati, qui e sociis Ulyssis duos devorarunt. *Paul. Testes Læstrygones exstant*] Ipse Ulysses apud Homerum in Odysseæ x. 80. et ibid. vs. 133. *Neap.*

70 *Circes nomina littus habet*] 'Proxima Circææ raduntur littora terræ.' Virgil. VII.

71 *Udi*] Propter Anienem fluv. qui inde fluit. *Paul. Et jam Telegoni*] Tusculum ab hoc conditum, non opus ut probem. Hujus oppidi vix exstant hodie pauca rudera prope Frascatium.

72 *Argolicæ quæ posuere manus*] *Quod posuere* Mazar. Zulich. pr. Ambros. Petav. et decem alii; recte: et de solo Tibure intellige. Horat. Od. II. 6. 'Tibur Argeo positum colono:' hinc et 'Herculeum Tibur' dictum. Catillus quoque Coras et Tiburtius Tiburis conditores 'Argiva juventus' Virgilio appellantur. Sequenti etiam versu *Atrides Halesus* legendum, non *Atridæ,* cum Ursini libro et Naugerii aliisque multis. *Heins. Argolicæ quæ posuere manus*] Strabo lib. v. de Tybure et Præneste: Φασὶ δ' Ἑλληνίδας ἀμφοτέρας. *Neapol.*

73 *Venerat Halesus, &c.*] Alii dicunt Halesum fuisse Agamemnonis filium: quibus magis assentiendum puto.

74 *Terra Falisca putat*] Verissimum,

mutato *H* in *F*: cum Servio loquor. Urbi autem Falerii et Falisca fuit nomen.

75 *Suasorem Antenora pacis*] A quo Patavio sua origo. Cato in Originibus de Venetis: 'Mixta his nobilis stirps Trojana; a quibus Patavium suo conditore inclytum.' Quid hæc Trojana stirps nisi Antenor? Quare Poëta 'suasorem pacis' dixerit, lege, si lubet, Dictyn Cretensem lib. V. et in Homero Iliade E. vs. 348. *Neap.*

76 *Appule Daune*] Daunus filiam conjugem Diomedi dedit, qui urbem condidit, quæ appellata est Harpos, et Apuliam a soceri nomine Dauniam appellavit. *Paul.* *Et generum Œniden*] Testantur hujus adventum Diomedeæ insulæ contra littus Apulum. Festus: 'Diomedis campi in Apulia appellantur, qui ei in divisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt:' quæ non præteriit Strabo lib. VI. in Italiæ descriptione. In ea regione percussit Diomedes Colchicum draconem, qui per id tempus totam devastabat: quamobrem publicæ statuæ heroi erectæ.

77 *Serus ab Iliacis*] Adsignificat, diu post hos Æneam in Italiam venisse: quo igitur anno? clare ingerit, post Trojæ excidium. Ipsa condita anno orbis MMDXXIV. stetit CCXCIX. Id mihi satis bonæ fidei auctores probant: necessario capta anno MMDCCCXXIII. et bene. Sic Jos. Scaliger ad Eusebii annum MCCXLI. Capta Troja Trojani Ænea duce in Thraciam venere, ubi tota bruma hiemarunt: ineunte vere in Siciliam translati; morati sunt ibi ad finem anni incœpti. Anno secundo in Italiam iere: in qua, icto fœdere cum Latino Rege, acceptaque agri parte, Lavinium condiderunt. Adventus igitur Æneæ fuit anno ab orbe condito MMDCCCXXV. *Neap.*

79 *Hujus erat Solymus Phrygia comes unus ab Ida*] *Cujus* Mazar. et Voss. Deinde *comes exul* bene Oxoniensis liber. In Zulichemiano erasa hæc erant. In Hamburgensi τὸ *unus* erat omissum: sic lib. IV. 'Nuper ab Etrusca venerat exul humo.' Pro *Solymus* plurimi veteres *Solemus*: in veterrimo codice Silii Italici *Solimus* dicitur passim. *Heins.* *Hujus erat Solymus, &c.*] Venit etiam cum Ænea Solymus, qui in Pelignis Sulmonem Ovidii patriam condidit. *Phrygia comes unus ab Ida*] Unus ex illis qui Æneam comitati sunt ab Ida monte Phrygiæ.

80 *Sulmonis mœnia*] Nam ipse eam urbem Solymon a nomine suo dixit. Deinde Sulmo dicta est. *Paul.* *A quo Sulmonis*] Vix in hoc veri umbra: nam Virgilius Æneæ comites in uno sistit Latio. *Neapol.*

82 *Scythico quam procul illa solo est*] Quæ quidem verba indicant Ovidium in Scythia scripsisse hæc. Inchoavit tamen Romæ, sed in Ponto perfecit.

83 *Euge age tam longas sed supprime*] *Ergo age* veteres: et Ursin. cum quatuor aliis, *longas et supprime.* Primus vero Ambros. *Ergo ego? tam longas sed*, cum Glossa, 'ibo: subaudi in exilio.' Zulich. et Mazar. *Ergo ego tam longe?* eleganter: vide Notas ad Epist. XII. 207. *Heins.*

85 *Quo non Livor adit*] *Abit* Maz. Zulich. pr. Ambr. et quinque alii. *Idem.*

86 *Invideantque*] Cyngius et Varro.

88 *Fœtaque terra patet*] *Parit* tres veteres. Vide Notas Met. XV. 92. *Heins.*

89 *Ab aperto tempore dictum*] Macrobius primo Saturnalium: 'Sed Cincius in eo libro, quem de Fastis reliquit, ait imperite quosdam opinari, Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse,' &c. *Neap.*

91 *Dignissima temperat annum*] *Orbem* Mazar. Zulich. Petav. Ursin. Voss. Arond. aliique plurimi cum prim. Ambros. *Heins.*

93 *Juraque dat cœlo, terræ, et nata-*

libus undis] Ex Lucret. l. I. 'Alma Venus, cæli subter labentia signa, Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes Concelebras,' &c.

95 *Longum est numerare*] *Longum enumerare* rectius unus Vatican. ut jam monui supra lib. III. 719. Ursin. et sex alii *longum est narrare:* quatuor *memorare.* Heins.

101 *Et idem*] Lege *at idem* cum melioribus. Unus etiam Vaticanus *Cum mare mas aries* pro *trux aries.* Idem.

104 *Nemus omne tremit*] Vel *tremunt* Vossianus; quod amplector. *Idem.*

108 *Venerunt cultus multaque cura solo*] *Mundaque cura solo* Ursin. Petav. Arondel. Nauger. et plurimi præterea: alii octo cum Maz. Zulich. prim. Ambr. et Læti codice *mundaque cura sui;* optime: nam de solo nugæ sunt. Sic supra lib. III. 'Pauper sed mundæ sedulitatis anus:' ita veteres libri. Art. Am. 'munda verba.' Vide quæ noto Amor. I. 8. 39. *Idem.*

111 *Durum exorare puellam*] *Eloquiumque fuit dulce* Mazarin. *Idem.*

113 *Mille per hanc artes notæ*] Mazar. Zulich. Ursin. et duo alii *motæ;* bene. Sic supra lib. I. 268. 'Ipse meæ movi callidus artis opus.' Remed. Amor. 'Quin etiam quacumque caret tua fœmina dote, Hanc moveat blandis usque precare sonis.' *Artes initæ* prim. Ambros. etiam bene. *Idem.*

120 *Læsa manum*] Redibis ad Remed. Amor. vs. 5.

121 *Cælestes duas*] Pallada et Junonem. *Trojano judice*] Paride. *Neapol.*

122 *Ah nolim victas hoc meminisse Deas*] *Dictas hoc meruisse* Mazar. Zulich. et prim. Ambros. Pro *Ah* tres *Has;* unus *Hanc.* Forte *Quam nolim!* ut Met. IX. 'Quam nolim rata sint!' *Heins.*

126 *Vere nitent terræ*] 'Emicuere rosæ, violæque, et molle Cyperon, Albaque de viridi riserunt lilia prato,' &c. Petron. Et infra, vs. 430. 'Pictaque dissimili flore nitebat humus.'

132 *Hybernas jam timuisse minas*] *Meminisse* codex Ursini, prim. Ambros. et duo Patavini optimæ notæ. *Heins.*

134 *Vittæ longaque vestis abest*] Quæ vittatæ non estis, ut sunt Vestales virgines et pudicæ matronæ. *Paul. Longaque vestis adest*] Anceps: an e veteribus legam *abest?* nam hæc editio impudiculas tangit, illa matronas. *Neapol.*

135 *Aurea redimicula*] Aurea ornamenta. Verum 'redimicula' tæniæ sunt, sive vittæ pendentes a posteriore parte mitræ. *Paul. Redimicula demite collo*] Jubet amoveri monilia, et cætera ornamenta a Veneris simulacro: ut eo deterso, in ejus Festo exactius et suis redimiculis et rosis atque aliis floribus exornetur. *Ant. Redimicula demite collo*] *Solvite* libri meliores, quos sequor. *Heins.*

136 *Demite divitias: tota lavanda Dea est*] Hunc versum et sequentem addidi ex Ursini, utroque Mazar. Zulich. Arondel. et multis aliis: quorum tamen plerique *juvanda Dea est,* vel *videnda.* Idem. *Tota lavanda Dea est*] Huc pertinent fictores, unctores, vestitores Deorum; quorum meminit Senecæ quoddam fragmentum, Firmicus, &c.

138 *Nunc alii flores*] His ipsis Kalendis Aprilis: idque factum in templo Veneris Verticordiæ, de qua sermo paulo post. Eo etiam die erat lavatio matronarum prope templum Fortunæ virilis. *Neapol.*

139 *Vos quoque sub viridi*] Calendis Aprilis nuptæ Veneri sacrificant, et apud templum Fortunæ virilis, quod erat in ripa Tiberina, myrto coronatæ lavantur. Eam rationem huic rei affert poëta, ut si quid vitii notaretur in corpore, præstaret Fortuna virilis, ut viros lateret. Sed cur sub myrto? quoniam sub ea latuit arbore, cum

caveret sibi a satyris: et quod ea arbor sub tutela Veneris esse putetur.

141 *Sudantes rore capillos*] *Rorantes nuda* meliores omnes; recte: sic Met. v. 'Rorantesque comas a fronte removit ad aures.' *Heins.*

143 *Opposita texit sua tempora myrto*] Lege *apposita myrto*, ut pr. Ambros. Læti, et novem alii: ac vide notas Epist. VII. 110. Deinde reponendum *corpora* cum melioribus omnibus. *Heins.*

144 *Tuta fuit facto*] Eo modo se ipsam tutata est a satyris. *Vosque referre jubet*] Puto *libet*, vel *juvat.* 'Referre' pro imitari. *Heins.*

145 *Fortunæ thura virili*] Sita hujus ædes ad Tiberim: in hac erat statua illa lignea Servii Tullii. De auctore, ne iterem scriptionem, dicam in VI. quarto Idus Junias, ubi locus ad hæc aptior. *Neapol.*

146 *Gelida qui locus humet aqua*] *Calida* Ursin. Mazar. prim. Farnes. et duodecim alii; quod sequor: etsi non satis constat ubi hoc factum sit. Vide Notas lib. I. 271. *Heins.*

148 *Corporis omne videt*] *Patet* Voss. Arondel. plurimique alii: quod si sequamur, superiori versu pro *Accipit* cum nonnullis legam *Aspicit;* ne bis idem dicat. *Idem.*

149 *Ut tegat hoc, celetque viros*] *Viris* Ursini codex et quatuor alii melioris notæ: sic et Terentius Phormione, 'si hoc celetur patri, in metu sum.' *Idem.*

151 *Tritum papaver Sumere*] Libare contusum papaver, aut papaveris succum lacte et melle mixtum, quod et dulce est gustu, et dulcem somnum provocat: hæc a multis die nuptiali dabantur, in omen futurum, et diuturnæ voluptatis cum nupta. *Paul.*

152 *Mella liquata favis*] Forsan his exprimit cocetum antiquorum, de quo Plinius XIX. 8. *Neap.*

156 *Bona fama manet*] *Manent* Voss. bene. *Heins.*

158 *Cumæam consuluistis anum*] Aditi sunt libri Sibyllini. Convenit in hoc Plutarchus ibidem, et Valerius Maximus lib. VIII. 15. ubi habes, quæ fuerit electa ad sacrandum numinis simulacrum: et adi Plinium lib. VIII. 35. *Neapol.*

159 *Templa jubet Veneri fieri*] Posita ædes in via Salaria extra portam Collinam regione V. Panvinius, et alii in summaria Urbis descriptione.

160 *Inde Venus verso nomina corde tenet*] *Numine corda* veteres plerique, vel *nomine corda.* Sed scripturæ vulgatæ controversiam movere noli. Pausanias in Atticis Ἀφροδίτην ἐπιστροφίαν describit. *Heins. Verso nomina corde tenet*] Dicta Verticordia: hæc Græcis est Ἀφροδίτης ἀποστροφία. *Neap.*

164 *Scorpius*] *Scorpia* Petav. lege *Scorpios:* de quo supra lib. III. 712. *Heins. Scorpius in virides*] Kalendis Aprilis Scorpii occasus matutinus: idem sentit Columella.

165 *Nox ubi transierit*] IV. Nonas Pleiadum occasus heliacus. Nec aliud quod sequitur, 'humeros relevare paternos,' quam, cœlo decedere. Vide Petavium, in suo Uranologio variarum dissertationum lib. VII. 6. *Neap. Nox ubi transierit*] Secunda die Aprilis, erit ortus Pleiadum: quæ, quia in Vere oriuntur, Vergiliæ dictæ sunt.

167 *Semustamque facem*] Hanc faciebant rustici e pluribus virgulis: quarum fasciculus hodie etiam laternæ pauperum. De laternarum usu antiquissimo vide Athen. lib. XV. 18. *Neapol.*

169 *Incipient humeros relevare paternos*] Humeros patris Atlantis, qui cœlum sustinere dicitur. *Paul.*

171 *Seu quod in amplexus*] *Amplexum* meliores: et *incipiunt* paulo ante. *Heins.*

174 *Maian et Electram Taygetamque*] Scripti meliores *Electran*, ut supra diximus: iidem *Taygetenque.* *Idem. Maiam*] Ex qua Mercurius. *Et Elec-*

tram] Ex qua Dardanus. *Taygetemque*] Ex qua Lacedæmon, et mons Taygetus ab ea denominatur in Laconia.

176 *Et facti sola pudore latet*] Hyginus lib. II. Poët. Ast. ‘ Hæ numero septem dicuntur,’ &c. *Neapol.*

178 *Ante oculos opposuitque manum*] *Apposuitque* tres calamo exarati. *Heins. Ante oculos opposuitque manum*] Ne videret eversionem Trojanæ gentis : idcirco latet ea stella.

179 *Ter sine perpetuo*] Pridie Nonas Apriles erant Megalesia festa Magnæ Matris Idææ. Livius l. XXIX. *Neap.*

181 *Inflexo cornu*] De hoc ipso Athenæus lib. XV. Τὸ κέρας αὐτῷ προσάπτουσιν ἀνάλογον τῷ τῶν σαλπίγγων κώδωνι. *N. Berecynthia tibia*] Phrygia, a Berecyntho monte Phrygiæ: tum quod hæc sacra e Phrygia advecta, tum etiam, quod obliquam tibiam Midas in Phrygia adinvenit. *Berecynthia tibia*] Quod Remulus opprobrat Trojanis, Æneid. IX. ‘ ite per alta Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum. Tympana vos buxusque vocat Berecynthia Matris Idææ.’

182 *Et festa parentis erunt*] Idææ Cybelis, Magnæ Matris Deorum, quæ e Phrygia Romam advecta est: ideo *Idææ*, ab Ida Trojana.

183 *Ibunt semimares*] Velut anteambulones: igitur quidam e sacerdotibus ante statuam Matris Idææ ibunt, quidam humeris superimpositam ferent, Herodianus lib. I. Sed sis, exprimam quid sentiam: Megalesia et Hilaria eadem suspicor; et sic audaculus legerem et expungerem aliqua in Macrobio primo Saturnalium: ‘ Præcipuam autem Solis in his cærimoniis verti rationem hinc etiam potest intelligi, quod ritu eorum καταβάσει finita, simulationeque luctus peracta, celebratur lætitiæ exordium pridie Nonas Aprilis, quo tempore Sol diem longiorem nocte protendit.’ *Neap. Semimares*] ‘ Cum semiviro comitatu,’ Virgil. ‘ Ferro mollita juventus,’ Lucan. x. Hinc Cæsar: ‘ Ex viris Gallos fieri, ex Gallis nunquam viros.’ Hinc et Atys nova mulier vocatur. Catull. de Berecynth. Et vir sterilis. ibid.

185 *Ipsa sedens*] Simulacrum ipsius. *Feretur*] In ipsa pompa. *Molli comitum cervice*] Cervice mollium et effœminatorum comitum.

186 *Exululata*] Ululatu celebrata.

188 *Marte suo vacent*] Per translationem a bello, vacent a litibus.

190 *Lotos adunca sono*] Λωτὸς antiquis pro tibia: nam eorum aliquæ e loto arbore. *Neapol.*

191 *Da, Dea, quam sciter*] Ita Politianus et Naugerius conjecerunt. Nam veteres plerique *quam scite;* tres *quem sciter;* Zulich. *quæ scitor;* alii aliter. Scribo, *quas sciter:* Musas innuit: atque ita unus Patavinus ex melioribus: vide notas lib. I. 165. Deinde proximo versu idem Patavinus pro diversa lectione *Audit:* quod confirmant unus Vatican. unus Moreti, et Regius: atque ita diu est quod scribendum conjeci. Vulgo *Vidit* perperam legebatur. *Heins. Da, Dea*] Dic tu, Dea, causam hujus sonitus. *Cybeleia*] Ipsa Deorum Mater. *Nepotes, &c.*] Musas Jovis et Memoriæ filias.

192 *Et has jussit*] Musas. *Curæ adesse meæ*] Et respondere, et docere, si quid esset in quo dubitarem.

196 *Quod teneri nomen amoris habet*] Nam ἔρως, ἔρωτος, *amor;* unde et ipsa Erato dicta.

201 *Rhea*] Quæ et Ops, Jovis mater, Saturni uxor.

203 *Pro magno teste vetustas*] *Magna teste* rectius unus Patavinus. *Heins.*

205 *Veste latens saxum*] Lapis hic *abadir* a Grammaticis dictus: iidem ‘ Græci,’ inquiunt, ‘ βαίτυλον vocant:’ ni ‘ veste latens’ explices ἐν σπαργάνοις εἰλημένον πέτρον. *Neap. Cœlesti gutture sedit*] *Viscere* Zulichem. probe: sic sæpe Noster. *Heins.*

207 *Ardua Ide*] Mons Idæus in Creta altus, et ascensu difficilis. *Jamdudum resonat*] Ex quo natus erat Jupiter, resonat mons tinnitibus æris, ne vagiens puer audiatur. *P. Tinnitibus Ide*] Quodam armorum strepitu tunc a Curetibus invento; de quo Diomedes lib. III. Vide Athenæum lib. IX.

208 *Tutus ut infanti*] Hinc in Cretensi historia apud Geographum lib. IX. Οἱ Κουρῆτες Διὸς τροφεῖς λέγονται, καὶ φύλακες, εἰς Κρήτην ἐκ Φρυγίας μεταπεμφθέντες ὑπὸ τῆς Ῥέας. *Neap.*

209 *Pars manibus clypeos*] *Clypeos manibus* veteres; nisi quod pr. Ambros. Læti codex et unus Vatic. *clypeos sudibus:* quomodo et Lactantius agnoscit lib. I. Divinar. Instit. Mazar. et Zulich. *rudibus;* proxime verum. Hyginus fab. 139. 'hastas' vocat: 'Ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes convocavit, eisque clypeola ænea et hastas dedit, et jussit eos circum arborem euntes crepare, qui Græce Curetes sunt appellati.' Ἐγχειρίδια sunt Halicarnasseo lib. II. *Pars tundit inanes*] *Pulsat inanes* Ursin. liber, et unus Patav. et unus Vatican. sed aliter Lactantius qui et *habent* cum vulgatis sequenti versu; licet *agunt* Voss. et quatuor alii agnoscant. *Heins. Pars clypeos manibus*] In Lactantio Firmiano lib. primo legitur, *Pars clypeos sudibus*, similior vero lectio: nam ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων sonitum in clypeolis excitabant. *Galeas, &c.*] Ex hoc tempore in hujus rei memoriam isti ἐνόπλιον ὄρχησιν instituere; et primum, ut vides, in Creta: unde Κρητικὴν nuncupata. Vetus Commentator Sophoclis ad Ajacem: Τῶν δὲ ὀρχήσεων ἡ μὲν Βερεκυνθιακὴ λέγεται, ἡ δὲ Κρητικὴ, ἡ καὶ Πυῤῥίχη. Quæ hæc Pyrricha? eadem cum armata illa Curetica; vero verius. Vide in Joannis Meursii Orchestra. Unum addo, quod addi debet, πρύλιν hanc Κουριτικὴν a Callimacho dici Hymno in Jovem, quam ἐνόπλιον Scholiastes exponit: inde πρύλιν eamdem faciunt cum Pyrricha, quia ἐνόπλιος. *Neapol. Galeas inanes*] Item Virg. IX. 'galeam ante pedes projecit inanem.'

211 *Res latuit patrem*] Pr. Ambros. Læti, Excerpta Politian. Vossian. Arondel. Mazar. Zulich. et sex alii cum Lactantio, *Res latuit, priscique manent imitamina facti:* sed vulgata lectio longe elegantior. *Heins.*

212 *Deæ comites*] Ipsi ministri Cybeles, qui eam in pompa comitantur. *Raucaque terga*] Tympana ipsa ex tergis, hoc est, ex coriis, rauce sonantia.

214 *Phrygios modos*] Flebiles et effœminatos. Consule Eurip. fab. XIII.

215 *Cur huic genus acre leonum*] *Leones* Ursini codex et unus Vatic. cum Naugeriano; quod Bersmanni quoque editionem occupavit: elegans et vera lectio. Sic et apud Virgilium in optimo Mediceo legitur, Georg. 'At rapidæ tigres absunt et sæva leones Semina.' Lucretio tamen 'genus acre leonum sævaque sæcla.' *Heins.*

217 *Feritas mollita per illam*] Hinc Hierapoli in septis templi Deæ Syriæ ursi et leones erant mansueti, qui neminem læderent. *Neapol.*

219 *Caput est onerata*] *Ornata* Læti codex et multi. Nonnulli etiam *turrita corona:* ut apud Claudian. 'turrita Cybele Me quoque Saturno genuit.' Propertius, 'Claudia turritæ rara ministra Deæ:' ubi *cara* malim; alii *turrigera:* sed *turrita* præstat; cum alterum mox sequatur. *Heins.*

220 *An primis turres urbibus*] *Phrygiis urbibus* bene Ursini liber et unus Vatic. *Idem.*

223 *Phryx puer*] Facetus est Ciophanus, qui hunc putat Æneam, cum sit ille Attis Matris Idææ amasius: fuit sane domo Phryx. Plin. l. v. 29. *In sylvis*] Nam pastor et agrestis. Arnobius lib. IV. de Saltatione, qua Cybele repræsentabatur.

224 *Turrigeram casto junxit amore Deam*] *Vinxit* Ursin. Petav. Nauger. et quinque alii: sic supra lib. II. 'Jupiter immodico Juturnæ vinctus amore;' libri veteres: et idem Trist. I. 7. 'Temporis et longi vinctus amore tibi.' Epistola Acontii, 'Sed neque compedibus, nec me compesce catenis: Servabor firmo vinctus amore tibi.' Statius Theb. VIII. 'devinctus amore pudico.' Hinc 'nodi Veneris' Lucretio; et Nostro Epist. IV. 'Imposuit nodos cui Venus ipsa suos;' et 'vincula Veneris.' Virg. 'Veneris dic vincula necto:' nam apud Lucretium lib. I. rectius legas 'in gremium qui sæpe tuum se Rejicit æterno devictus vulnere amoris' cum tribus veterrimis libris, quam *devinctus*, et *Reficit: Rejicit*, etiam agnoscit Scholiastes Statii Theb. III. Idem Lucretius 'Veneris compagem' appellat, et 'nexum.' *Heins.*

225 *Templa tueri*] Tutelam, custodiam gerere. 'Templi tutela fuere,' Metam. VIII. 'Quis tutelam gerit harum ædium?' Plaut.

228 *Ultima, qua fallam, sit Venus*] Pr. Ambros. et sex alii cum Erfurtano *quam fallam;* bene: sic Epist. Paridis, 'metuis Venerem temerare maritam, Castaque legitimi fallere jura thori.' Vide Notas Epist. II. 37. *Idem.*

229 *Et in Nympha Sagaritide*] Finxit hujus nominis Naiadem a Sagaro Phrygiæ flumine. *Neapol.*

230 *Hinc pœnas exigit ira Deæ*] *Huic* Ursin. pr. Ambros. Mazar. et tres alii: de quo ad Claudianum jam monui, VI. Cons. Honorii. *Heins.*

231 *Succidit*] Ipsa Cybele. *Naiada*] Nympham ipsam Sagaritida. Ostendit illam Poëta Nympham fluminis, cum dicat Naiada. Et ostendit Hamadryada: cum Hamadryades sunt Deæ arborum, quæ cum his nascuntur et moriuntur. Sic nunc illam succisam, inquit, in arbore, tanquam Hamadryada: quia succidit arborem in qua illa vivebat, vivente arbore: moriente arbore mortua est ipsa.

232 *Fatum Naiadis erat*] Nam quamdiu servata est arbor incolumis, servata est et Nympha.

233 *Credens thalami procumbere tectum*] Vel *tegnam* Zulichemianus; Maz. *tecta;* quomodo etiam pr. Ambr. Læti, et tres alii. Scribe *tigna:* ut Metam. lib. IV. 'Summo quo pendet aranea tigno:' et lib. VIII. 'Sordida terga suis nigro pendentia tigno.' 'Tigna' pro Tabulatis Propert. Eleg. IV. 3. 'Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno.' Vide Met. XIV. 534. ubi plura. Prudentius lib. II. contra Symmachum, 'Adscribunt saxis Lachesis male fortia fila, Tectorumque trabes fusis pendere rotatis Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis.' *Heins.*

234 *Dindyma*] Dindyma enim montes sunt in Phrygia: unde et Cybele Dindymene dicta.

235 *Remove modo verbera clamat*] In Voss. et Arond. *modo verbera summove clamat:* Mazar. *metu verbera summove.* In Zulichemiano omnia erasa: latet nescio quid mendi. *Heins. Et clamat, Modo tolle faces*] Videbatur videre Furias ipsum insectantes facibus et verberibus. Ideo, 'Tolle faces:' Remove verbera: noli, Dea, cruciare me facibus et verberibus. *P. Remove modo verbera*] Ex his fortassis postea mos ille mansit verberandi Cybeles ministros, si deliquissent in sacris: ultimum eruo ex Plutarcho adversus Colotem. *Neapol.*

236 *Sæpe Palæstinas jurat adesse Deas*] Palæste locus est in ora Epiri, apud Oricon, quo e navibus descendit Cæsar, cum iret cum exercitu adversus Pomp. Lucan. in V. Pharsaliæ: 'Lapsa Palæstinas uncis confixit arenas.' Furias adesse jurabat Atys, cum furore percitus esset.

239 *Meritas do sanguine pœnas*] *Meritas de* Arond. et octo alii: unus Medic. *dum.* Lege *meritas dem san-*

guine pœnas. Dixi Epist. XIX. vs. 31. *Heins.*

242 *Subito signa relicta viri*] Malim *subito viro.* Vide Notas Epist. XVIII. 160. *Idem.* *Signa relicta viri*] Non solum in corpore, sed etiam nulla in cultu. Lucianus περὶ τῆς Συρίης Θεοῦ· Ὡς γάρ μιν ἡ Ῥέη ἔτεμε, βίου μὲν ἀνδρηΐου ἀπεπαύσατο, μορφὴν δὲ θηλέην ἠμείψατο, καὶ ἐσθῆτα γυναικηΐην ἐνεδύσατο. Ad hujus imitationem Hierapoli quotannis veris initio se castrabant, et muliebri vestitu in posterum incedebant. *Neapol.*

244 *Cædunt jactatis vilia membra comis*] *Lævia* putabam legendum: quomodo supra lib. III. 'Ut Satyri lævisque senex tetigere saporem.' Sed et 'viles Galli' Arnobio dicuntur. Superiori versu *furor hinc*, pro *hic*, bene Ursini codex: malim etiam *Ivit in exemplum* quam *venit.* Heins. *Jactatis comis*] Capitis jactatio peculiare Gallis. *Neap.* *Jactatis comis*] 'Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.' Τρυφερὸν πλόκαμον εἰς αἰθέρα ῥίπτων Ξανθὰν χαίταν σείων.

249 *Dindymon*] Apollonii Scholiastes: Δίνδυμον ὄρος Κυζίκου ἱερὸν τῆς Ῥέας. In eo enim et templum habuit. Ammianus lib. XXII. *Et amœnam fontibus Idan*] *Iden* meliores: sic supra iidem, 'Ardua jamdudum resonat tinnitibus Ide.' *Heins.*

250 *Iliacas opes*] Nam omnis Phrygia illi sacra. Ilium in Troade, Troas in Phrygia minore. Stephanus: Ἴλιον, πόλις Τρωάδος. *Neapol.*

252 *Sacriferas sequuta rates*] Naves Æneæ sacra ferentes.

253 *Nondum Latio sua numina posci*] Nondum advenisse tempus, quo in Italiam transferretur.

254 *Assuetis substiteratque locis*] *Consstiteratque* multi: ut alibi, 'Mater et Æneæ constat in urbe sui.' *Heins.* *Assuetis substiterat*] Substitit tunc in Phrygia, ubi esse consueverat.

255 *Jam sæcula quinque*] Et insuper annos 48. *Neapol.*

257 *Fatalia verba sacerdos*] Curæ fuit hoc per id tempus Decemviris. Invenies Duumviros inspexisse libros Sibyllinos, invenies XV. viros; sed Duumviri antiquiores Decemviris: unde colligas, paulatim auctum hoc sacerdotium. *Neapol.*

258 *Inspicit*] Causam inspectionis Appianus suggerit in Annibalicis. *Inspectum tale fuisse ferunt*] *Refert*, Erfurtanus; ut de sacerdote intelligatur. *Heins.*

259 *Mater abest*] Μητὴρ passim apud Græcos est Cybeles, non addito τῶν θεῶν. *Neapol.*

260 *Casta est accipienda manu*] Respexit Poëta ad oraculum, quod fuit, ut ab optimo viro exciperetur.

261 *Patres ambagibus errant*] Malim *hærent*, tam hic quam infra hoc libro, 'Expedit errantem nemori gratissima conjux.' Sic et 'pendere in re dubia' dicebant. *Heins.*

263 *Consulitur Pæan*] Apollo. *Consulitur Pæan*] Mutavit rerum ordinem: nam prius missi Legati, postea Oraculum consultum. Livius lib. XXIX. *Neapol.* *Accersite*] Bene vetustiores *arcessite.* Heins.

265 *Mittuntur proceres*] Ex his unus M. Valerius Lævinus, qui bis Consul fuerat, ac res in Græcia gesserat; alter M. Cæcilius Metellus Prætorius: additus Sulpitius Galba Ædilitius; duo Quæstorii, C. Tremelius Flaccus, et M. Valerius Falco. *Tenebat Attalus*] Sed ille (nam plures Asiæ Reges Attali) qui Romanos in bello Galatensi contra Philippum juvit. Livius lib. XXXIX. et Strabo lib. XIII. *Neapol.*

266 *Attalus*] Rex Pergamensium. *Rem negat ille viris*] Ah, mi Naso, parum φιλαλήθης· clamat id falsum historia. 'Is Legatos,' inquit Livius, 'comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit: sacrumque iis lapidem, quem matrem Deum esse dicebant, tradidit.' *Neapol.*

272 *In Phrygios avos*] Herodianus

libro primo de Cybeles simulacro: *Ἔτυχον δὲ ῥᾳδίως, συγγένειαν προβαλλόμενοι καὶ τὴν ἀπ' Αἰνείου τοῦ Φρυγὸς εἰς αὐτοὺς διαδοχὴν καταλέγοντες.* Ob hanc forte consanguinitatem ultimus Attalus cognomento Philometor, nullo relicto ex suis superstite, heredes nominavit Romanos. *Neapol.*

276 *Cœlestum Matrem*] Alii *Cœlestem:* sed frustra: Sic ‘cœlestum matres’ infra hoc ipso libro. Gratius de Gigantibus, ‘Nonne vides veterum quos prodit fabula rerum Semideos? illi aggeribus tentare superbis Æthera, tum matres ausi tractare Deorum:’ sic locus mendosissimus scribendus. *Heins.*

277 *Fertur tutissima nati*] *Justissima* Mazar. Zulich. Voss. Arondel. et duo alii; *cultissima* totidem; quod placet: hoc vult a Dis Marinis fuisse cultam. *Idem.*

279 *Rhœteumque capax*] Pri. Ambr. Læti, et multi alii *rapax:* bene. Vide infra notas vs. 568. *Idem.* *Rhœteum capax transit*] Apud Rhœteum promontorium, in faucibus Hellesponti, apud Trojam, ubi Achivorum portus et Achaia castra. Ideo *capax* dixit; ubi tam magnæ classis fuit statio. *Sigeaque littora*] A Sigeo promontorio, itidem Hellesponto imminenti. *Paul.* *Rhœteumque capax Sigeaque littora*] Utrosque illos *ἀγκῶνας*, qui in mare protenduntur; de quibus Strabo lib. XIII. His convallibus certe nomen inditum ab iisdemmet urbibus Sigeo et Rhœteo ibidem sitis.

280 *Et Tenedum et veteres Eetionis opes*] *Tenedon veteres* libri nonnulli; atqui Thebis is imperavit. Politianus *Emathionis* legebat, Samothraciam intelligens; aut *Œnopionis,* Chion: sed frustra. Scribe, *Et Theben veteres Eetionis opes.* ‘Eetioneas Thebas’ Noster dixit Met. XII. Homerus lib. Iliad. A. *Θήβην ἱερὴν πόλιν* Ἠετίωνος; ut et Iliad. X. at Il. Z. Ἀνδρομάχη, *θυγάτηρ μεγαλήτορος* Ἠετίωνος, Ἠετίων *ὃς ἔναιεν* Ὑποπλάκῳ *ὑλήεσσῃ, Θήβῃ* Ὑποπλακίῃ, Κιλίκεσσ' ἄνδρεσσιν ἀνάσσων. Q. Calaber lib. III. *Λῆμνόν τε ζαθέην,* Κιλίκων *τ' αἰπὺ πτολιέθρον,* Θήβην Ἠετίωνος *ἑλών.* *Heins.* *Et Tenedum*] Hæc jacet extra Hellespontum, opposita Sigeo littori. *Neapol.*

281 *Cyclades*] Quæ sunt in Ægæo insulæ, quæ Delum circumstant. *Paul.* *Lesbo post terga relicta*] Illis scilicet insulis, ex his una Lesbos, quæ sitæ sunt ante Cariam, Ioniam, Æolidem, usque ad Troaden: item illis, quæ ante Græciam usque ad Macedoniam et confinem Thraciam; Eubœa, in qua urbs Carystus, Scyro, Peparetho, Lemno, Thaso, Imbro, et aliis. *Neap.*

282 *Quaque Carysteis*] *Carystois* Vossianus: sic ‘Naupactous’ libro primo ex codicibus scriptis. *Heins.*

283 *Transit et Icarium*] Mare scilicet: quod est inter Samum et Miconum. Sed hoc a læva relinquit.

286 *Et Veneri sacra Cythera petit*] Cytheram insulam, quæ est inter Maleam et Cretam. Insula est Veneri sacra.

287 *Petit mare*] Siculum. Quia Trinacria dicta est a tribus eminentibus promontoriis, Pachyno, Lilybæo, Peloro. *Ubi tingere ferrum*] *Fingere* unus Bononiensis et unus Vatican. Silius libro VIII. ‘Non totidem Ilva viros, sed lætos fingere ferrum Armarat patrio, quo nutrit bella, metallo:’ sic scribo; vulgati *lectos tingere:* vetus codex *lætos gignere;* non male. Sed apud Virgilium de Cyclopibus lib. VIII. ‘alii stridentia tingunt Æra lacu.’ Et lib. XII. ‘Ensem quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti Fecerat, et Stygia candentem tinxerat unda.’ Noster Met. IX. ‘ceu lamina candens Tincta lacu stridit.’ Unde fit, ut in hoc Nasonis loco nihil opiner mutandum. *Heins.*

288 *Æmonidesque solent*] Scripti fere omnes *Acmonides* aut *Agmonides;* bene: idem, qui Virgilio, Pyracmon. Arpes est Apollodoro, *μετὰ τούτους δὲ αὐτῷ τεκνοῖ Γῆ Κύκλωπας* Ἄρπην, Στε-

ρόπην, Βρόντην, ὧν ἕκαστος εἶχεν ἕνα ὀφθαλμὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου. Sed lege Ἄργην. Callimacho hymno Dianæ, Μήτηρ μὲν Κύκλωπας ἑῇ ἐπὶ παιδὶ καλιστρεῖ Ἄργην ἢ Στερόπην. Hesiodus Theogon. Βρόντην τε Στερόπην τε καὶ Ἄργην ὀβριμόθυμον. Ita et Eustathius in Homerum. Steropes aliis est Asteropes: sic et Sterope una Pleiadum, nonnullis Asterope. *Idem.*

289 *Æquoraque Afra legit*] Duo libri *Littora.* 'Littora legere' passim obvium apud Poëtas, et 'saxa legere.' Pro *Respicit a remis* alii veteres *Despicit* vel *Prospicit.* Idem. *Æquora*] Mare Libycum. *Sardoa regna*] E mari Libyco flectenti in oram Latinorum et ostia Tiberina, est Sardinia, magna insula, a sinistra: ideo, 'a sinistris remis' dixit.

292 *In altum Dividit*] Qua in mare influit. *Et campo liberiore natat*] Per latiora spacia: nam illuc fertur per alveum, postea exit in mare Tyrrhenum.

295 *Natique virique*] Junianus *natæque,* et tres alii: Ursini liber et Patav. optimus *natique nurusque:* lege *natæque, nurusque.* Metam. xv. ex veteribus libris, 'Huc omnis populus passim, matresque, nurusque, Obvia turba ruit, quæque ignes, Troia, servant Vesta tuos.' *Heins.*

296 *Sanctos focos*] *Castos* alter Petavii, quod placet: sic et Vesta passim 'casta:' ut et de Cerere infra, 'Parva bona Cereri, sint modo casta, placent.' Trist. iv. 2. de Vestalibus, 'quæ sine crimine castos Perpetua servant virginitate focos.' *Idem.*

300 *Sedit limoso pressa carina vado*] *Arenoso* alter Put. quomodo libro primo, 'Radit arenosi Tibridis unda latus.' Pro *pressa* priscæ editiones et scripti tres *fessa;* etiam bene: posset et *prensa* pro deprensa legi; ut apud Horatium, 'Otium Divos rogat in patenti Prensus Ægæo.' *Idem.* *Limoso vado*] Naso tribuit siccitati, quod Historici defectui ostii Tiberini. Huc omnino adscribendus Strabonis locus, lib. v. *Neap.*

305 *Clauso referebat ab alto*] *Ab alto,* ab antiquo. Nihil ergo *Atta* legi necesse, cum Neapoli: sic in Pont. lib. iv. 7. 'At tibi progenies alti fortissima Dauni.' Virgil. 'Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri.' Et apud eundem lib. ix. 'Thebana de matre nothum Sarpedonis alti Conjecto sternit jaculo.' Juvenalis Satyr. vi. 'Quædam de numero Lamiarum et nominis alti:' ita scripti. Sat. viii. 'Tunc licet a Pico numeres genus, altaque si te Nomina delectant.' Et, 'Plaute, tumes alto Drusorum stemmate, tanquam Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses.' Noster Trist. iv. 4. 'In quo pars altæ nobilitatis erat.' Pont. ii. 3. 'Quique dolor pectus tetigisset Cæsaris alti.' Auctor elegiæ in obitum Mæcenatis, 'Regis eras genus Etrusci: tu Cæsaris alti Gloria:' sic scribo, non *almi.* Epicedio Drusi, 'Hoc domus ista docet per te mea Cæsaris alti.' Horatius Od. iii. 4. 'Vos Cæsarem altum, militia simul Fessas cohortes urbibus abdidit, Finire quærentem labores, Pierio recreatis antro.' Silius libro viii. 'Tullius æratas raptabat in agmina turmas Regia progenies, et Tullo sanguis ab alto.' 'Clausum' igitur 'altum' pro antiquo et veteri posuit. Silius lib. xiii. oratione Scipionis ad Appium, 'Gens o veteris pulcherrima Clausi;' ubi *Claudi* perperam legitur. Idem lib. xvii. 'Hic prisca ducens Clausorum ab origine nomen Claudia.' Claudiam quoque gentem a Clauso deducit Virgilius lib. vii. Æneidos. *Heins.* *Claudia Quinta*] Cum viri frustra conarentur, ex clarissima Claudiorum familia virgo Claudia processit: quæ cum casta non crederetur, Deam ipsam obtestata, ut suæ testimonium pudicitiæ perhiberet, exiguo deinde conamine funem trahentem navis sequuta est. *Clauso*

ab alto] A quo emanavit domus Claudia. *P. Referebat ab alto*] Hæc vulgaris editio: forte legendum, *ab Atta.* Claudius ille princeps Patritiæ hujus familiæ recens a Sabinis Atta Clausus appellatus, priusquam Appius Claudius diceretur. Livius lib. III. *Neap.*

307 *Casta quidem, sed non est credita*] Lege *sed non et credita* cum melioribus: dixi Met. IV. 273. *Heins.*

309 *Cultus et ornatos varie prodisse capillos*] Ursin. alii quidam, *Cultus et ornatus variis prodisse capillis:* at Mazar. Zulich. Nauger. prim. Ambr. et alii nonnulli, *ornatis varie prodisse capillis;* recte: nisi mavis, *ornato capillo.* Pro *prodisse* male quidam *fudisse* aut *posuisse.* Sæpius enim in publicum prodire suspectum in fœmina; quod et *procedere* dicebant. Propert. El. I. 2. 'Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?' Tibullus lib. IV. 'Urit, si Tyria voluit procedere palla.' Noster Art. Am. 'Nec prodite graves insuto vestibus auro.' Idem Propertius Eleg. II. 25. 'Vidistis quandam Argiva prodire figura.' Tibullus Eleg. I. 9. 'auroque lacertos Vinciat, et Tyrio prodeat apta sinu.' *Idem. Et ornatis*] Calamistris inustis: hoc est, ornatus capillus; item gemmis distinctus. *Cultus Obfuit*] Ut quæ non ornantur sibi. 'Tibi me exorno ut placeam,' Plaut. Mostell. I. 3. 135. 'Dudum exissem, nisi me ornassem vobis,' idem in Stich. V. 5. 3.

310 *Ad rigidos promtaque lingua sonos*] *Ad rigidos senes* scribendum cum Petaviano, Mazar. Ursin. Læti, aliisque plurimis ac primis editionibus: *rigidi senes;* bene: 'ad' pro apud. Trist. II. de alea, 'Hæc est ad nostros non leve crimen avos.' Pont. lib. I. 6. ut scribendum puto, 'Omnis an ad magnos culpa Deos scelus est?' P. Syrus, 'Bonum ad virum cito moritur iracundia.' Idem, 'Casta ad virum matrona parendo imperat.' Sequenti versu pro *recti* quidam ex melioribus *veri.* Pro *ridet* plerique *risit.* Heins.

315 *Ter tollit ad æthera*] *In æthera* multi veterum: et paulo ante *ad agmina* Ursin. et Petav. *Idem.*

325 *Exiguo conamine*] Ita ut luctamen abesset.

326 *Mira, sed in scena*] *Sed et scena* meliores: et *loquar* pro *loquor:* et mox *in astra* pro *ad astra.* Heins. *Sed in scena testificata*] Ut adhiberi fides debeat.

329 *Tiberina priores Atria dixerunt*] Nemo ex antiquis atriorum Tiberinorum meminit. Ursin. Læti, Nauger. pr. Ambros. et sex alii, *Hostia:* de Tiberinis ostiis passim veteres. *Heins.*

330 *Inde sinister abit*] Vertit se in sinistram, ubi est reflexus fluminis: putavere antiqui esse regiam numinis Tiberini. *Tiberina Ostia*] 'Heic mihi magna domus, Celsis caput urbibus exit.' Virg. VIII.

331 *Religant in stipite funem*] *A stipite* Arond. Vossian. Mazarin. Zulichem. et quinque alii: ut apud Virgilium, 'Gramineo ripæ religarat ab aggere funem.' *Heins.*

335 *Ante coronarunt puppem*] *Puppim* multi ex melioribus. Alter Ambros. *coronarum;* quinque alii *coronatam.* Scribe, *Ante coronata puppi sine labe juvencam Mactarunt.* Idem.

336 *Operum conjugiique rudem*] Quæ nec arasset, nec taurum sustinuisset.

337 *In Tiberim qua lubricus influit Almo*] Almo parvus est fluvius, qui intersecans Hostiensem viam, non longe ab illo flexu init Tiberim. Aliqui putant esse illum qui est inter portam urbis Hostiensem et templum divi Pauli. *Almo*] *Almon* sex veteres: vide notas libro II. 601. Sequenti versu *ab amne* plerique meliores, non *in amne.* Heins.

338 *Nomen perdit ab, &c.*] Almo parvus fluvius amittit suum nomen, cum influit in Tiberim.

339 *Purpurea canus cum veste sacerdos*] Haud dubie ἀρχιερεὺς, qui nostris proprio nomine Archigallus. Sed quare purpurea illa vestis in hoc sacrificio? an quia bacchantibus, quorum hic unus, assolitum ἐν πορφύρᾳ ἐσθῆτι incedere? an quod uni Archigallo hujusmodi color in usu? ut Hierapoli observatum in sacrificiis Deæ Syriæ. Vide et Lucianum. Reliquis ergo Gallis alba erat vestis, sed in ea urbe: nam Pessinunte versicoloriam gestabant. *Neapol.*

340 *Dominam sacraque lavit aquis*] Domina, et sacra, nihil aliud quam parvus lapis, et hunc facit Arnobius coloris furvi atque atri, angulis prominentibus inæqualem; unde magnes vere creditus. Causam lotionis non video: scio quotannis postea repetitam; scio simile quid apud Argivos factitatum cum simulacro Minervæ. *Neapol.*

341 *Exululant comites*] In ululationibus hæ voces illis frequentes, εὖα, σαβοῖ, ὕης, ἄττης, καὶ ἄττης ὕης. *Neap.*

342 *Taurea terga manus*] De tympano Antipater: Ἀήθεα γὰρ τότε βύρσης Ταυρείου κενεὸν δοῦπον ἔδεισε λέων. Asinum etiam ad tympanum excoriarunt Galli apud Phædrum. *Neapol.* *Feriunt taurea terga*] Tympana ex taurorum corio.

345 *Porta Capena*] Qua exitur in viam Appiam.

347 *Nasica accepit: templi non perstitit auctor*] *Tunc extitit* pr. Ambr. Læti, Zulich. Erfurt. et tres alii; quod probo. Quanquam a M. Livio et C. Claudio censoribus primo structum, si Livio credimus. Falsum ergo non perstitisse auctorem templi. Duo *non extitit.* Heins. *Nasica accepit*] P. Scipio Nasica, qui vir optimus a senatu judicatus est, Deam excepit in ingressu urbis. *Templi non perstitit auctor*] Hic ipse Nasica templum Deæ non construxit, sed Q. Cæcilius Metellus, ex donis Deæ collatis templum in regione portæ Capenæ Matri Deorum erexit, instauravitque illud postea Augustus, et ludos constituit.

348 *Ante Metellus erat*] Sed hic et Augustus templi refectores. Primi ex S. C. erexere e fundamentis M. Livius et C. Claudius Censores. Lege Patavinum lib. XXXVI. *Neapol.*

349 *Mora fit: sic cætera quæro*] *Si cætera quæram* Ursin. pr. Ambros. Mazar. Zulichem. Voss. et tres alii; bene: multi *si quæro:* legebam olim, *dic cætera quæso.* Heins.

350 *Parva cur*] Hanc 'exiguam' dixit in libris Ponticis. Hanc vicatim colligebant Phrygii generis vir et mulier per eos dies quibus Diva per urbem ferebatur. Et erogatio illa annua fuit, non menstrua. Μητραγυρτεῖν, inquit Eustathius esse, τὸ μετὰ τυμπάνων καὶ τινῶν τοιούτων περιϊέναι, καὶ ἐπὶ τῇ μητρὶ ἀγείρειν τροφάς. Inde Μητραγύρται, qui stipem cogebant Matri Deorum cum tabella, ut ait Comicus ἐν Ἡνιόχῳ. His mendicantibus solitus olim dicere Antisthenes, Οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν. Observandum tamen, hujusmodi munus nunquam ut civis Romanus exerceret Senatum permisisse. *Neapol.*

353 *Cur vicibus factis ineant convivia*] Rationem paullo post reddit, quod ipsa Dea sedem bene mutarit ex Phrygia in augustius domicilium: inde vicissim hoc tempore inibant Romani convivia, quod prisco verbo dictum *mutitare.* Unde quæstio illa apud A. Gellium lib. XVIII. 2. 'Quam ob caussam Patritii Megalensibus mutitare soliti sint, plebs Cerealibus?' *Neap.* *Ineunt convivia quæro.* *Tunc magis indictas*] *Ineant convivia quædam,* et *concelebrent* sequenti versu veteres plerique. Sed et illud *Tum magis* habui aliquando mendosum. Nec dubitabam sub iis verbis nomen aliquod latere peculiare, quo istiusmodi convivia ludis Megalensibus instituta designarentur. Gellius autem nos de-

cet lib. II. 24. et lib. XVIII. 2. *mutitare* sive *mutuitare* (nam de lectione non satis constat) dixisse veteres, pro convivia inire Megalensibus: atque huc alludere Ovidium ex sequenti versu colligebam. *Mutuitare* autem veram esse lectionem apud Gellium opinor, ut *mutuitare* sit dictum pro *mutuare:* unde *mutuiter* pro *mutuo* apud Varronem, teste Nonio. Quare et ‘ mutuita ’ hæc convivia censebam fuisse dicta: ac proinde in nostro scribendum (nam libri meliores *Tum magis*) *Cur vicibus factis ineunt convivia, quæso, Mutuita, indictas concelebrantque dapes?* Pro *vicibus factis* etiam *pactis* legendum suspicabar. *Heins.*

354 *Concelebrant*] Cum celebritate frequentant. *Indictas dapes*] Nam indicebantur ab ipsis sacerdotibus.

356 *Captant omen idem*] Prosperæ mutationis. *Mutatis sedibus*] Cum e convivio in convivium se recipiant.

358 *Cum Dea*] Erato.

359 *Illa*] Cybele. *Deos peperit*] Jovem, Junonem, Neptunum, Plutonem. *Illa Deos*] En caussam. *Neapol.*

360 *Principium dati honoris*] Hoc est, primum ludorum honorem: nam cum ludi Diis exhibeantur, primus honos Matri Deorum debetur: ideo ipsi primi et magni dicuntur ludi.

361 *Qui se excidere*] A Gallo Phrygiæ flumine: auctor Stephanus, et Herodianus libro primo.

362 *Cum tantum a Phrygia Gallica distet humus*] *Cum tanto* Ursin. Petav. et alius. In Mazar. Voss. et Arond. et duobus aliis τὸ *a* non apparet; alter Puteaneus *Gallia humus:* sic ‘ Galliæ mulieres’ apud Salustium pro Gallicis, teste Nonio. *Heins.*

363 *Inter, ait, viridem Cybelem*] Musa causam appellationis ad Gallum fluvium refert, cujus aqua epota furorem gignit. Is labitur per ea loca Phrygiæ, ubi Matris Deum erant templa. *P. Altasque Celænas*] Et mons et urbs vetus in eodem sita est hujus nominis. Strabo lib. XII. de Mæandro. Dixi *vetus;* nam desiit, civesque in Apamæam novam urbem translati, haud procul a veteribus Celænis: cujus migrationis auctor olim fuit Antiochus Soter. *Neapol. Altasque Celænas*] Celænæ in Phrygia collis quidam est, ut Strabo inquit, in quo urbs fuit ejusdem nominis.

367 *Herbosum moretum*] Græci vocant μυσωτόν. Omne tritum fere ‘ moretum’ dixere veteres. Glossæ, *moretum,* τρίμμα, quod ἀπὸ τοῦ τρίβειν, id est, *conterere.* Aliæ, *intritum,* ἐμβροχὴ, quod ἀπὸ τοῦ βρέχειν, id est, *madefacere.* Ergo ἐμβροχὴν, et *moretum,* et *intritum* unius facio significatus. Sed quod Galatis ἔμβρεκτον, Gr. ἐμβροχή· quæ vox pure respondet Latinis *perfusio:* hæc in moreto conficiendo necessaria. Erat enim ex oleo et aceto, quod in allia, apium, rutam, coriandrum, bulbum, et caseum infundebatur. *Neapol.*

369 *Usi narrantur*] *Memorantur* meliores. *Heins.*

371 *Elixæ miscetur caseus herbæ*] Imo *elisæ* cum pr. Ambros. Petav. Zulich. Maz. aliisque multis: atque ita in Apophoretis Adrianus Behotius. Varro de R. R. lib. I. 47. ‘ Ea summa integenda binis tabellis dextra et sinistra deligatis, herbæque elidendæ, et dum teneræ sunt, vellendæ.’ Reddendum id verbum quoque Horatio opinor Od. III. 26. ‘ Quid mori cessas? potes hac ab orno Pendulum zona bene te secuta Elidere collum :’ ubi nunc *lædere collum* circumfertur. Naso Met. XI. ‘ Atque onus infelix elisa fauce pependit.’ Lucanus libro II. ‘ Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit.’ *Idem.*

372 *Cognoscat primos cibos*] Qualibus Saturni tempore vesci consueverunt.

373 *Postera cum cælo*] Octavo Idus April. hoc est, sexta die mensis, erit festum publicæ Fortunæ: cujus templum a Cæsare consecratum est in

colle Quirinali, post Africanam victoriam, de Scipione et rege Juba. *Pallantias*] Pallantis ex Titanum genere filia. *Motis astris*] Pulsis sideribus, quæ adventu majoris luminis obscurantur. *Paul.* *Primos cibos*] Caseus certe ex antiquissimis est. Athenæus lib. IV. *Neapol.*

374 *Luna levarit equos*] *Lavarit* sex scripti; quomodo Passeratius etiam ad Propertium: sed frustra; ut jam monui ad Claudianum. 'Tollere' dixit lib. V. de Aurora, 'In matutinis lampada tollit equis.' *Heins.*

375 *Sacrata est colle Quirini*] *Valle* multi ex melioribus; male. Vetus Kalendarium, FORTUN. PUBLIC. PR. IN COLL. Festus Rufus de Regionibus Urbis, 'Ædes Fortunæ Publicæ in colle.' Cæterum opinor legendum *colle Quirino;* ut Metam. XIV. 'lucum pete, colle Quirino Qui viret:' ita enim meliores libri. Horat. Epist. II. 2. 'cubat hic in colle Quirino:' sic et ibi scripserim libens. Vetusta exemplaria apud eundem Od. I. 2. 'populo Quirino.' Apud Nostrum supra lib. II. et III. 'collis Esquilius' et 'Esquilius mons,' 'Caprea palus,' 'penetralia Collatina,' 'Carmens porta,' et similia. *Idem.*

376 *Hac Fortuna die publica*] Duo sunt templa in Fastis Ovidianis Fortunæ Publicæ dedicata, unum hic Nonis Aprilis, alterum VIII. Kalendas Junias. Unum vero Romæ fuit a Latinis Græcisque (τύχην δημοσίαν hi nuncuparunt) sic dictum in monte Quirinali. Merito ergo argutantur multa interpretes, sed nemo sane eorum sanæ mentis. In fragmento Kalendarii antiqui inscriptio veterum pagina CXXXV. in quo, post notas illas, Q. R. C. F. id est, Quando Rex comitiavit fas, qui dies est IX. Kalendas Junias, statim sequebantur hæ, FORTUN. PUBLIC. PR. IN COLL. hoc est, Fortuna Publica primigenia in colle. Sequitur ergo, quod versus mense Maio loquatur de Fortuna Primigenia; quæ etiam, ut vides, Publica dicta; mense vero Aprili de ea quæ tantum Publica cognominata: utraque templum habuit in colle Quirinali.

377 *Tertia lux (memini) ludis erit*] *Erat* Ursin. pr. Ambros. multique alii: unus *eat.* Mazar. et Zulich. ac octo aut novem præterea, *Tertia lux memini ludis erat: at mihi quidam;* optime; quomodo et Gruterus in schedis suis conjecerat. Mox pro *contiguus* plerique veteres *continuus.* Heins. *Tertia lux, memini*] Hoc est, tertia post Nonas, quæ VI. Idus Aprilis, ludi fiebant: idque etiam monet vetus Kalendarium. Dubium, an hoc fecerint Romani in Julianæ victoriæ æviternam memoriam, sitque ludus aliquis continuatus ex tot quos tunc edidit summus ille Princeps. *Hac mihi quidam*] Malo, *quondam,* ut inest Mss. Scribebat in exsilio. *Neapol.*

379 *Hæc, ait, illa dies*] Habes diem: annus vero fuit DCCVII. ab U. C. triumphus Cæsaris IV. *Neapol.*

381 *Dux mihi Cæsar erat*] Eo tempore ergo sub Cæsare militabam. *Meruisse Tribunus*] *Tribunal* Mazar. Zulich. Voss. et tres alii; ut stipendium sit militare Tribunal: sed nil mutandum censeo. *Heins.*

382 *Meruisse Glorior*] Ad gloriam mihi ascribo sub Cæsare militasse. *Officiis præfuit meis*] Quia ille imperator, et ego sub eo tribunus.

384 *Inter bis quinos*] Ergo juxta Tribunum sedit Ovidius; non quia ex equestri familia, sed quia Decemvir. Hoc munus exercuit Noster pauculos annos, opinor, antequam Urbe discederet, et ad hunc magistratum pertinebat Centumviros congregare, ad judicia reorum peragenda: cui rei initium ex Augusti institutione.

385 *Subducimur imbre*] *Seducimur* Arond. et septem alii, cum Mazar. Zulich. et Erfurtano: hoc est, separamur; bene. Quomodo Epist. Leandri, 'Seducit terras hæc brevis unda

duas.' Mox *Ensiger Orion* meliores pro *Ensifer;* quomodo etiam Art. lib. II. 'comesque Bootæ Ensiger Orion aspiciendus erit.' *Heins. Subito subducimur imbre*] Eodemmet die. Plinius lib. XVIII. 26. 'Cæsari VI. Idus significatur imber Libræ occasu.' *Neapol.*

387 *Ante tamen quam summa dies*] Erit Orionis occasus heliacus. Sed heus quam mensis dices hanc ultimam spectaculorum? Kalendarium Constantini Magni ludos Megalesiacos terminat IV. Idus: nam III. Idus facit natalem Severi. *Neapol.*

389 *Proxima victricem*] Quinto Idus April. hoc est, nono die mensis, ludi fiunt ad honorem Cereris in Circo maximo: primum tamen fiunt Equiria. *Proxima victricem*] Pridie Idus Apriles erant Cerealia: quæ non ex Festis antiquis Urbis. *Neapol.*

391 *Circus*] Maximus, scil. quem Tarquinius Priscus extruxit inter Aventinum et Palatium. *Numeroque Deorum*] Quasi multis Deorum imaginibus. *P. Pompa celeber*] Expressim de hac Cereali M. Varro de R. R. *Pompa*] Dii Romæ quotannis Circensium diebus solenni pompa in carpentis traducebantur: idque proprie pompam vocari affirmat Lips. lib. II. Antiqu. Sic Prudent. de Vesta: 'Fertur per medias ut publica pompa plateas, Pilento insidens molli.' Θείῃ πομπῇ, Herod. III. Et noster Amor. III. 'Ore favent populi tum, cum venit aurea pompa, Ipsa sacerdotes subsequiturque suas.'

392 *Palma petetur equis*] Ludi constabant ex pluribus equitum cursibus, teste Tacito. Prodigii loco olim habitum, pro hisce gladiatorios exhibitos. Vide Dionem lib. XLVII. anno DCCXII. *N.*

393 *Hinc Cereris ludi*] *Hic* Ursin. et tres alii. Lege *Hi Cereris ludi.* Pro *indice causæ* præstantiores omnes *indice caussa;* et bene: sic supra, 'Index lætitiæ fertur ad astra sonus:' et apud Lucretium lib. II. 'indice mente.' Apud Livium lib. VII. 'clamor omnium assensus index:' et lib. XXIII. 'clamor favoris index:' lib. XXXVI. 'clamor capti oppidi index.' Plinius lib. VIII. 16. 'Leonum animi index cauda, sicut et equorum aures.' Pont. IV. 13. 'Unde saluteris, color hic tibi protinus index.' Met. IX. 'Esse quidem læsi poterat tibi pectoris index Et color et macies.' Rutilius Itinerario, 'Index semiruti porta vetusta soli.' Avienus Phænom. 'vero sollers mox indice discat.' Sic et 'Index cura Deum' Statio Epicedio in Patrem. *Heins. Hinc Cereris ludi*] Hoc est a duodecima mensis die incipiunt Cereales. *Neapol.*

395 *Panis erant primis*] *Messis erat* Zulich. et Mazar. a manu prima. Patavinus quoque unus melioris notæ *Messis erant;* probe: messem pro pane ponit. Superiori versu *patent* pro *patet* unus Mediceus; et id placet. *Heins.*

397 *Vivax e cespite gramen*] *Vivaci cespite* Ursin. Nauger. et alii nonnulli: *vivo de cespite* Bononiensis. *Idem.*

399 *Postmodo glans nata est*] *Orta est* quatuor libri. *Idem.*

401 *Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato*] Versus paulo durior: *homini* Mazar. Zulichem. Voss. pri. Ambros. et tres alii: τὸ *alimenta* abest a tribus. Forte, *Prima Ceres hominum victu ad meliora vocato.* Idem.

405 *Chalybis jam massa placebat*] *Chalybe jam* Petav. *chalybeia* Nauger. bene. Sed nondum sanatus est locus. Ursin. Mazar. Zulich. unus Vatic. et unus Patav. *chalybeia massa latebat;* optime: quo et alludunt prim. Ambros. et Læti, in quibus, *chalybeaque massa latebat. Latebat* etiam in Erfurtano aliisque nonnullis. *Idem.*

406 *Heu heu perpetuo*] Alii *Heu* vel *Eheu.* At Læti Codex, pr. Bonon. et tres alii, *Heu quam perpetuo:* ut in Amoribus, 'Heu quam, quod studeas ponere, ferre grave est!' Trist. III.

4. 'Heu quam vicina est ultima terra mihi!' *Idem.*

407 *Et vos orate coloni Perpetuam pacem pacificumque ducem*] *Optate* meliores; bene. Deinde *at vos* Arondel. Vossii, et tres alii; etiam rectius. Mazar. Zulich. et multi alii *perpetuumque ducem;* quod et in suis invenerat Naugerius. Lib. I. 'Jane, face æternos pacem pacisque sequestrem, Neve suum præsta deserat auctor opus.' Et eodem libro, 'Utque domus, quæ præstat eam, cum Pace perennet, Ad pia propensos vota rogate Deos.' Et de Vesta lib. III. 'Quos sancta fovet ille manu bene vivitis ignes: Vivite inextincti, flammaque duxque, precor.' *Idem.*

409 *Farra licet*] Ceres non exigit opulentum sacrificium, sed farre et sale contenta est, et thure, et succensis tædis. *Micæque salientis honorem*] Micæ salis.

411 *Unctas accendite tædas*] In ludis enim Cereris tædæ accensæ feruntur, quod raptam filiam accensa quæsierit.

412 *Sint modo casta*] Modo pia et casta mente offerantur.

413 *Succincti ministri*] Vos qui succincta veste sacra ministratis: qui mos succingendi a Gabinis emanavit. *Paul.* *Cultros removete*] Antiquissima lex fuit inter primævos Italiæ populos, qua pari pœna homicida et bovicida damnabatur: ratio apud Ælianum Ποικίλης lib. v.

414 *Ignavam sacrificate suem*] *Ignavum* pr. Med. pr. Farnes. Gottorph. et multi alii. *Heins.* *Ignavam sacrificate suem*] Forsan ad illud Platonis Comici adlusit ἐν ταῖς Ἑορταῖς τῷ δράματι· quem dixisse refert Clemens Alexandrinus Stromatων lib. VII. non oportere nos ex omni quadrupede occidere quam suem; nam et caro habetur in deliciis, et nihil ex porco redit præter setas, grunnitum, et lutum. *Neapol.*

418 *Plura recognosces*] Malim *recognoscis.* Mox pro *ea possidet*, Zulich. et alter Ambros. *ibi.* Heins.

420 *Trinacris; a positu nomen adepta loci*] Quæ a situ et forma triangulari Trinacris est appellata. *Paul.*

421 *Grata domus Cereri*] Imo non habuit Diva gratiorem, tum ob frumentationem, tum ob cultum: de illius religione mira Cicero Verrina IV. Et post subdit, fanum illud habuisse bina Cereris simulacra, unum marmoreum, alterum æreum modicum cum facibus, sed excellens et perantiquum. Si templi auctorem quæris, is Gelon fuit Syracusanus; Diodorus Siculus lib. II.

422 *Culto solo*] Meo veteri est, *celso*, ex situ, qui arduus et acclivis. *Neapol.* *Est Enna*] Enna quæ feracem habet agrum: quod oppidum est in media fere insula. *Enna*] *Henna* meliores tam hic, quam infra; de quo ad Claudianum Raptu Proserpinæ. *Heins.*

423 *Frigida, &c.*] Nympha Syracusii fontis, quam Arethusam vocant, Deas ad convivium vocarat. Accesserat et Ceres: quod ideo fictum esse a Poëtis constat, ut occasio daretur amanti rapiendæ virginis, absente custodia matris. *Frigida*] Ob aquæ frigiditatem.

427 *Locus est*] Vasta illa specus celebris hoc raptu apud veteres, et soli fertilitate. *Neapol.*

429 *Tot fuerant illic*] Ursini liber *florent;* quod placeret, nisi *flore* sequeretur. Scribo *Tot vernant illic:* et sequenti versu *flore renidet humus*, pro *nitebat.* Nam unus Patavinus melioris notæ, *ridebat*, alius *virebat.* Exaratum fuerat *flore nidet*, aut *nitet* pro renidet: et *verant* pro *vernant* superiori versu; hinc natus error. 'Vernæ rosæ' Fast. v. 192. 'Vernantia lilia' Columella, 'Cum Cereris proles vestris intenta choreis Æquoris Hennæi vernantia lilia carpsit.' Sic Met. xv. 'florumque coloribus almus Ridet ager:' ita enim vetusti codices; ubi plura. Apposite Prudentius περὶ στε-

φάν. Hymno S. S. Petri et Pauli Apostolorum, 'Sic prata vernis floribus renitent.' *Heins.*

432 *Plenos flore referte sinus*] *Vestros referte* multi ex scriptis: *vestros replete* alii nonnulli; bene. *Idem.*

433 *Animos oblectat inanis*] Alii *delectat* ex melioribus. Sed vere Petav. et Ursin. *prolectat;* quo spectant etiam primus Med. et Politiani Excerpta, cum quatuor aliis, qui *projectat* agnoscunt. Sic 'prolicere,' de quo dixi Art. Am. II. 718. Prudentius Amartig. 'Ast aliæ, quas nullus amor prolectat edendi.' Ausonius Epist. XIV. 'editionis alienæ prolectat audaciam.' Cyprianus sub finem epist. I. 'prolectet aures religiosa mulcedo.' Apuleius Met. XI. 'Canoræ etiam aviculæ prolectante verno vapore concentus suaves adsonant.' Usus etiam est eo verbo Cicero, ut et Ammianus Marcellinus: sic et 'electare' Plautus dixit: et 'allectare' Cicero Catone: 'inlectare' Val. Flaccus l. IV. 'Haud procul inlectans Argum, languentia cantu Lumina cuncta notat:' sic scribo; *insectans* perperam vulgo; de Mercurio Argum cantibus demulcente est sermo: hinc et 'illex cantus.' *Prolicere* restituimus apud Nostrum l. II. Artis, vs. 718. ubi adeantur notæ. *Idem.*

434 *Et non sentitur sedulitate labor*] Alibi dicit, Studio 'fallente,' minuente, 'laborem.'

435 *Calathos e vimine nexos*] *Textos* Voss. pr. Ambros. Zulich. Mazar. Læti, pr. Farnes. et multi alii; quod sequor. Claudianus lib. II. Rapt. 'nunc vimine texto Ridentes calathos spoliis agrestibus implet.' Martial. Epigr. IX. 74. 'Clausa mihi texto cum prandia vimine mittas.' Nemesianus Eclog. II. de luscinia, 'Quæ licet interdum contexto vimine clausa.' Virgil. 'Seu lento fuerint alvearia vimine texta.' Statius Theb. I. 'Gramineos dedit herba toros et vimine querno Texta domus.' Sic passim veteres. Noster l. VI. 'Et paries lento vimine textus erat.' *Heins.*

437 *Illa legit calthas*] Caltham Glossæ exponunt βούφθαλμον. At Plinius hanc a buphthalmo, et bene, discriminat: nam licet sint flores fere colore similes, non tamen iidem. Caltham ille facit violæ marinæ concolorem, sed amplioribus foliis. *Neap.*

440 *Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant*] *Pars casiam* bene optimus Ursini liber et Naugerianus: tres alii *parsque rosas:* multi *pars rores:* Strozzæ codex *pars crorem:* alius *pars violas.* Virgil. 'Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis.' In Ciri, 'Narcissum casiamque herbas incendit olentes.' Elegia in obitum Mæcenatis, 'Hic tibi corycium, casias hic donat olentes.' Cum nardo conjunxit Noster Met. XV. De casia vide Plinium. *Heins.*

441 *Sunt et sine nomine flores*] *Et sunt* scripti potiores. Puto scribendum, *Plurima lecta rosa est, lecti sine nomine flores.* Idem.

442 *Liliaque alba legit*] Claudianus in raptu de eadem: 'Et aut violas aut candida lilia carpit.' *Neap.*

445 *Patruus*] Pluto: nam frater Jovis et Cereris.

448 *Absciderat que sinus*] *Exsciderat que* multi veterum. Virgil. lib. V. 'Tum pius Æneas humeris exscindere vestes Auxilioque vocare Deos:' ita vetustissimus Mediceus. *Heins.*

449 *Diti*] Patefacta est Plutoni via: hoc est, antrum illud apertum, per quod ad inferos descendebatur. *Namque diurnum*] Lege *jamque* cum uno meo. *Heins.*

451 *At chorus æqualis*] Facit Proserpinæ comites ejusdem fere ætatis. *Neap.* *Cumulatæ flore ministræ*] *Cumulatis canistris*, primæ editiones, codex Naugerii, et ex nostris quatuor; bene. Corippus, 'Qualia fœcundi convectant munera campi Agricolæ, cum prata virent, plenisque canistris Lilia cana ferunt.' Noster lib. II. 'Stat puer, et manibus lata canistra

tenet.' Utitur eadem voce Met. II. et VIII. etiam Virgilius, Statius, alii. Calathos vocavit supra; et l. VI. ubi Flora, 'Inque leves calathos munera nostra ferunt.' *Heins.*

452 *Ad tua dona veni*] Venuste pr. Ambros. *ad tua vota:* hoc est, ad tua gaudia. Sequenti versu lege cum melioribus *Ut clamata silet;* vulgo perperam *Et.* Idem.

454 *Feriunt mœsta pectora nuda manu*] *Mœstæ* Ursin. Nauger. et unus Patav. lege *mœstæ manus.* Repetit hunc versum Trist. l. I. 3. Vide Notas l. II. 100. Supra, 'Et feriunt molles taurea terga manus.' *Idem.*

456 *Filia, clamat, ubi es*] *Dixit* præstantiores. *Idem.*

457 *Ut quas audire solemus*] *Quales audire* iidem; et *passis comis* pro *fusis* sequenti versu. De quo ad l. I. 646. *Idem.*

458 *Mænadas ire comis*] Dionysianas illas: quibus nomen hoc ab insania. *Neap.*

460 *Et quærit fœtus*] *Queritur* unus Vatican. ut Rem. Am. 'Et queritur vitulum mater abesse suum.' *Heins.*

465 *Erroris summa fuisset*] *Errori* elegantius Zulichemianus: Nauger. *errorum.* Idem.

466 *Non turbassent*] Rostro terram evertendo. *Signa reperta*] Ipsa vestigia.

467 *Leontinos*] Qui fuere in Sicilia, inter Lilybæum et Peloridem mediterranei, prope Centuripinos. *Anisena*] Plinio teste, Anises in Sicilia fluvius est. *Anisenaque flumina cursu*] *Amenenaque* Petav. *Amenaque* Zulich. Mazar. et multi alii: quidam *Antenaque,* vel *Amasenaque;* et similia. Sed *Amenanaque* tam hic, quam l. XV. Met. scribendum esse ex Strabone primus monuit Fulvius Ursinus; et post illum, in Sicilia Philippus Cluverius. Ursino eam emendationem Ciofanus sublegit. Neque aliter Muretus in codice suo castigarat, adscripto insuper Strabonis loco: pr. Ambros. *Armenaque.* Malim etiam *cursim,* quia 'cursu' paulo ante præcessit. *Heins.*

469 *Præterit et Cyanen*] Cyane fons est in agro Syracusano. *Præterit et fontes lenis Anapi*] Leni fluxu labentis. Anapus Cyanæ commiscetur.

470 *Non adeunde Gela*] Quasi qui facile pertransiri non potes. *Vorticibus*] Propter aquas vorticosas. Nam Gelas fluvius magnus prope Camerinam.

471 *Ortygiam*] *Ortygien* meliores: sic et in Metamorphosi. *Heins.* *Ortygiam*] Insulam ante Syracusas. *Liquerat Megarea*] Hoc est, Megaram ipsam in Sicilia, cujus Strabo meminit. *Pantagiamque*] Qui fluvius est prope Megaram. *Paul.*

472 *Simetheas*] Catoni risum excuteret Bersmannus cum sua nota, 'Simæthos insula;' cum Σίμαιθος sit flumen prope Catanam, et Cyclopum scopulos: accolæ dicunt, *la Jaretta.* Neap.

474 *Nomina falcis*] Licet hæc nescias, de Messana an Drepano intelligas: nam utraque habet a falce nomen: ex chorographia tamen, et ex eo quod multo post nominet Erycem, ad cujus pedes sita civitas Drepanitana, Messanam præfatis verbis describi non ambigo. *Neap.*

475 *Himera*] Est oppidum inter Pelorum ac Lilybæum, quod Zanclæi condiderunt. Himera quoque nomen est fluvii ejus insulæ non incelebris. *Didymen*] Ex insulis Lipareorum, quas et Æolias dicimus, Siciliæ adjacentibus, una est. *Agrigentaque*] Veteres *Arcacantaque* aut *Agragantaque.* Lege *Acragantaque:* ὁ Ἀκράγας Græcis, Latinis *Agrigentum.* Gratius 'Cantatus Graiis Acragas.' Virgil. l. III. ubi Siciliam describit, 'Arduus inde Acragas ostentat maxima longe Mœnia:' ubi Mediceus veterrimus *Agragans;* et sic plerique omnes, nisi quod in uno vetustissimo Vaticano *Acragas.* 'Acragantinus Empedocles' apud Lucretium l. I. Ἀκραγαν-

τῖνος, nam *Agragantinus* tres vetustissimi codices, quos inspexi, non *Agrigentinus:* et sic apud Plin. l. xxxv. 15. Etiam apud Silium scribunt antiqua exemplaria. Pro *Tauromenonque* unus Patavinus *Tauromenenque;* recte: atque ita apud veterem poëtam Græcum nescio quem legisse me sum certus: locus tamen nunc non succurrit. Ταυρομένια Straboni est: aliis Ταυρομένιον. *Melan* etiam pro *Melam* meliores paulo post, quomodo et *Camerinan* mox dicet. *Sacrorum* etiam *boum* non *sacrarum* aliquot scripti. *Heins.*

477 *Camerinam*] Oppidum prope Gelam fluvium. *Thapsum*] Quæ parva est insula juxta Syracusas, par pœne fluctui. *Heloria*] Græci: Ἕλωρος, πόλις Σικελίας, ἀπὸ Ἑλώρου ποταμοῦ. *Neap.*

478 *Quaque jacet Zephyro*] *Patet* meliores; et recte. Rutilius Itinerario, ' Inque omnes ventos littora nuda patent.' Rufus Festus Ora Maritima, ' Pœtanion autem est insula, ad Zephyrum jacet, Patulusque portus,' ubi male legitur, *ad se fumum latet.* Heins. *Semper apertus Eryx*] Hic mons Siciliæ dictus est ab Eryce Veneris et Butæ filio, qui ab Hercule cæsus dicitur. Imminet autem Eryx mari ea parte, quæ ad Italiam spectat, inter Drepanum et Panormum. In ejus vertice planicies est, ubi fuit Erycinæ Veneris templum, omnium Siciliæ templorum ornatissimum.

479 *Jamque Lustrarat*] Circuierat. *Peloriadem*] Arcem Pelori. *Lilybæa*] Lilybæum, seu Lilybæi montis juga. *Pachynum*] Promontorium.

480 *Terræ cornua prima suæ*] Ingeniosissimo Jano Vlitio videbatur legendum *cornua trina;* ut ad etymon Trinacriæ alludat; nec dissentio: vide Notas Met. xiii. 724. *Heins.* *Cornua prima*] Promontoria, in tribus Siciliæ angulis, Pelorus ad septentrionem, Pachynus ad ortum, Lilybæus ad austrum.

482 *Ut amissum cum gemit ales Ityn*] Ut Tereus in upupam conversus gemit filium Ityn nomine, jam in avem quoque conversum. Vide Metam.

484 *Nomen utrumque*] Et Persephones et filiæ.

489 *Jam color unus inest rebus*] ' Cum rebus nox abstulit atra colorem.' Virg. Cui contrarium: ' rebus jam luce retectis.'

491 *Typhoëos Ætna*] *Ætne* meliores: sic sæpe alibi. *Heins.*

496 *Non homini facilis*] *Regio* Ursin. Voss. pr. Ambros. Læti, Mazar. Zulich. Nauger. et multi alii: et sequenti versu meliores magna ex parte *Quo simul advenit* pro *simul ac venit.* Tamen l. ii. ' Quæ simul ac tetigit Juturnæ stagna sororis.' *Idem.*

498 *Junxit*] Meliores *Jungit.* Id.

499 *Effugit ad Syrtes*] *Et Syrtes* iidem. Lege etiam *Charybdi* ex uno Mediceo pro *Charybdis.* Idem.

500 *Nisei canes*] Male alii *Scyllæi,* et *Phorcei* unus Ambros. de quo ad Sabini Epist. i. est dictum. Pro *naufraga monstra* quidam *turba* ex melioribus. *Idem.*

501 *Bimaremque Corinthum*] *Corinthon* alii. *Idem.*

502 *Sic venit*] Ceres. *In portus tuos*] Nam exeuntibus Peloponneso per Isthmum statim occurrit Attica.

504 *Nunc quoque triste vocant*] Materna lingua Ἀγέλαστον πέτραν. Vide Aristophanis Scholiastem, et Hesychium in Ἀγέλαστος. Hoc saxum fuit prope puteum Καλλίχορον dictum: ibi primum aliquid in honorem Cereris celebratum. *Neap.*

507 *Qui nunc Cerealis Eleusis Dicitur, hic Celei rura fuere senis*] *Eleusin* meliores: de quo ad Epist. iv. Deinde, *quo nunc* Ursin. et unus Patav. *quod* Petav. et tres alii. Et sequenti versu *hoc:* Ursin. et unus Patav. *hæc fuisse:* alius *hoc fuisse.* Lege, *quo nunc Cerealis Eleusin, Dicitur hoc Celei rura fuisse senis;* nempe, loco. *Dicitur* pro dicuntur: sic Commodianus in Instructionibus de Jove, ' Dicitur et fulmen Cyclopas illi fecisse,'

Fragmentum vetus de nominibus, quod Val. Maximo attexitur: 'Fertur enim Caiam Cæciliam Tarquinii Prisci uxorem optimam lanificam fuisse.' *Heins.*

508 *Hæc Celei rura fuere senis*] Videtur adsignificare, post Cereris adventum Eleusim conditam, et in loco ubi erant Celei rura. Quod immanis anachronismus, sive τὴν ἁρπάγην conferas in tempora Lyncei cum Eusebio, quod et indicat Tatianus Assyrius in Oratione contra Græcos; sive certius, ad Thesei seculum; cum Eleusis in Attica condita CCCC. et aliquot annis antea ab Ogyge. Hunc facit urbis auctorem Africanus ἐν τρίτῃ Χρονογραφιῶν.

509 *Excussaque mora rubetis*] Mora etiam dicuntur, quæ rubi ferunt. *Neap.* *Excussa mora rubetis*] Mora agrestia, a rubis excerpta aut decussa.

511 *Redigebat monte capellas*] *Rupe* Ursin. et unus Patav. bene: sic Remed. Amor. 'Ecce petunt rupes præruptaque saxa capellæ.' Pont. l. I. 9. 'Ipse ego pendentes (liceat modo) rupe capellas, Ipse velim baculo pascere nixus oves.' Virgil. Eclog. I. 'Ite mea felix quondam pecus, ite capellæ. Non ego vos posthac viridi projectus in antro Dumosa pendere procul de rupe videbo.' Martial. l. XIII. 'Pendentem summa capream de rupe videbis: Casuram speres: despicit illa canes.' Avienus Fab. XXVI. 'Viderat excelsa pascentem rupe capellam, Cominus esuriens cum leo ferret iter.' *Heins.*

514 *In solis locis*] *Jugis* Voss. et novem aut decem alii. *Idem.*

515 *Perstitit et senior*] *Restitit* Zulich. Mazar. pr. Ambros. Arondel. et alii nonnulli; etiam rectius. *Idem.*

517 *Mitra capillos Presserat*] Ferebat in capite mitram, more gentis Phrygiæ et Mæoniæ.

522 *Decidit in sinus*] 'Sinum lacrymis implevit obortis.' Æneid. IV. Quod ex Homer. Iliad. IX. 566. δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι. *Lucida gutta*] Emicuit ex oculis gutta in ipsos oculorum sinus, ad lacrymæ similitudinem. *Lucida gutta*] *Lucida* pr. Ambros. *liquida* Medic. alius, *livida.* Heins.

523 *Flent pariter molles animis*] *Molles animi* rectius Zulich. pr. Ambros. Læti, et tres alii: sic 'Felices animi' Fast. I. 'indociles animi' l. II. *Idem.*

524 *Justi senis*] *Lassi* Zulich. pr. Ambros. et duo alii. *Idem.*

525 *Sic tibi quam raptam quæris*] *Quereris* Zulich. Mazar. et multi alii; etiam probe. *Idem.*

527 *Cui Dea, sic, inquit*] *Duc, inquit,* Ursin. Nauger. Voss. Arond. Mazar. Zulich. et quatuor alii: sic Trist. III. 1. 'Duc, age, namquè sequar.' Seneca Troad. 'Duc, duc, Ulysse: nil moror: dominum sequor.' *Idem.* *Scisti qua cogere posses*] Quasi scisti uti ea oratione qua facile me ad obsequendum impelleres, cum sospitem mihi filiam optaveris. *Neap.*

528 *Seque levat saxo*] Surgit e tristi lapide. *Neap.*

529 *Dux*] Ipse Celeus senex. *Comiti*] Cereri.

534 *Exsoluisse famem*] Nam vires reficere non decreverat, nisi Proserpina inventa. At gustati papaveris hanc causam rettulit Servius: 'Cereale papaver; vel, quod est esui, sicut frumentum; vel, quo Ceres usa est, ad oblivionem doloris.'

536 *Tempus habent mensæ sidera visa sibi*] Non ero nunc multus in annotandis diversis codicum scripturis. Optime Zulich. Mazar. Vossian. Læti, et sex alii, *Tempus habent mystæ sidera visa cibi:* multi alii *mistæ sibi;* proxime verum. Genuinam lectionem ex vestigiis veterum librorum jam est odoratus doctissimus Gronovius Observ. l. IV. 15. Mystæ proprie sacerdotes Cereris aut Epoptæ: ipsa sacra μυστήρια per excellentiam dicta, aut ἐποπτικά. Noster Epistola Phyllidis, 'tædiferæ mystica sacra Deæ.' *Heins.*

535 *Posuit jejunia*] Hinc in Mysteriis Eleusiniis illa: 'Ενήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης. *Neap.*

539 *Mater Menalina vocatur*] *Menalia* Petav. et pr. Ambros. *Materna* Mazar. *Melanira* Ursin. et duo alii: Zulich. et unus Vatic. *Metania*. Scribe *Metanira*. Μετάνειρα est Nicandro in Theriacis, ejusque Scholiastæ, Nonno Dionys. l. XXVII. et XLVII. cui ἀρχαίη dicitur κατ' ἐξοχὴν, ut et Nicandro. Μετάνειραν vocat etiam Apollodorus libro primo bis, Aristides in Eleusinia Oratione, Athenagoras Legatione pro Christianis, et Joannes Tzetzes in Hesiodum. Μεγάνειρα Pausaniæ in Atticis, et Scholiastæ Nicandri Alexipharmacis mendose dicitur. Male etiam *Meganira* Diomedi Grammatico. Apud auctorem Argumentorum in Fabulas Nasonianæ Met. l. v. 'Torrida ad casam cujusdam anus nomine Misme, aut, ut alii volunt, Megnira, devenit.' Lege *Metaniræ*. Hephæstionis Scholiastes, de Cerere, καὶ πλανωμένη παρεξενήθη τινὶ ὀνόματι Κελεῷ, καὶ τῇ αὐτοῦ γαμετῇ νῆρι. Scribe, καὶ τῇ αὐτοῦ γαμετῇ Μετανείρῃ. Hujus nominis scortum etiam nobile fuit Athenis, cujus meminit Athenæus l. III. et XIII. non semel, a Lysia atque Isocrate amatum: nisi diversæ fuerunt et cognomines. *Heins.*

546 *Et in ceris aurea mella suis*] *Teneris favis* Ursin. Zulich. et duo alii. Forte *cereis favis*; de quo Metam. lib. VII. ubi similiter *creteis regionibus*: pro quo codices plerique *cretis*. Idem.

550 *Sustulit illa suo*] Apollodorus loco citato: 'Celeo tum ex Melanira conjuge filius erat; hunc in sinu suo absumptum Ceres alebat,' &c. *Neap.*

554 *Obruit*] Involvit. *Humanum onus*] Corpus quod hominis erat.

555 *Pia et amens*] Pia, quoad curam filii; amens, quia sua imprudentia abstulit divinitatem a filio, quam erat illi Ceres concessura.

559 *Sed primus arabit*] Non desunt, qui Osiridi aratri inventionem tribuant, qui Buzygi; et his subscribit Hesychius: erudite omnium Maro nomen hujus subticuit in principio Georgicωn. *Neap.*

561 *In dracones Transit*] In currum, quem dracones agunt. *Inque dracones Transit*] Forte *inde dracones Scandit*: sic contra Art. Am. l. III. 'cygnis descendere tempus, Portarunt collo qui juga nostra suo.' Mox *aligero axe* meliores. *Heins.*

563 *Piræaque tuta recessu*] Πειροὺς, portus Atheniensium tutissimus, catena claudi solitus, et aliis accuratæ custodiæ generibus. Vide Thucydidem l. II. *Neap.*

564 *In dextrum quæ jacet ora latus*] *Qua jacet ora* quidam: nonnulli *qua jacet Ossa*. Heins. *Et in dextrum quæ jacet ora latus*] Reliquit Atticam totam, quam quidem e summo per Ægæum in Cycladas abeuntes ad dextram relinquunt.

566 *Ioniumque capax*] *Rapax* meliores omnes. Sic 'Rhætæumque rapax' supra; ubi similis diversitas lectionum. Apud Senecam Thyeste, 'rapax æstus Siculi maris.' Sic et Elegia in obitum Mæcenatis 'Danubiusque rapax;' ut quidem illic scribendum. Similiter 'rapidum mare,' 'rapidi fluvii.' *Heins.* *Legit*] Transit. *Ionium rapax*] Magnum mare Ionium, quod inter Ægæum et Adriaticum sinum est.

567 *Longum petit Hellespontum*] Protenditur enim ab Ægæo in Propontida.

568 *Alta*] Sublimis ipsa Ceres. *Diversum locis pererrat iter*] Quasi per diversa loca filiam quærens errabat.

570 *Subest*] Cereri per aëra devectæ. *Libs*] Libyæ populus. *Meroë*] Insula Nili est. Civitates in ea sunt plures: sed cæteris nobilior Meroë. *Siccaque terra*] Subest etiam Æthiopia, et plaga torrida. *Paul.*

571 *Nunc adit Hesperios*] Reflec-

tens in occidentem cursum; occidentis quoque populos perlustravit. *Hesperios*] Italos, et Hispanos. *Rhenum*] Fluvium ex Alpibus profluentem. *Rhodanum*] Fluvium Galliæ. *Padum*] Per Cisalpinam Galliam labens.

575 *Liquidique immunia ponti*] Maro de iisdem bene: 'Metuentes æquore tingi.' *Neap.* *Immunia*] Quæ aquis occiduis non immerguntur.

576 *Proxima signa polo*] Stellas Arctico polo propinquas.

577 *Namque omnia nosse potestis*] Quia in sublimi parte cæli estis, et inde nunquam disceditis, omnia prospicere et cognoscere vobis datur. *Paul.* *Parrhasides stellæ*] Alloquitur utramque Arcton, sive ursam, Helicen videlicet et Cynosuram, quas a Parrhasia, id est, Arcadia, Parrhasides vocat. *Ant.*

580 *Helice*] Ursa major.

581 *Crimine nox vacua est*] Noctu, inquit, non contigit raptus. *Neap.*

588 *Dimidium curæ debet habere tuæ*] Quasi cum ex te genita sit, et mihi et tibi communis filia, communis quoque filiæ cura tibi esse deberet.

593 *Victore Gyge*] Ita libri: Scaliger *Gye:* vide Notas Amor. lib. II. 1. 12. *Heins.* *Gyge*] Quid tristius evenire mihi poterat, in gigantomachia, te victo et prostrato? *Neap.*

598 *Ille pudendus, ait*] Paullum aliter in Metamorphosi: 'Neque erit nobis gener ille pudori.' *Neap.*

599 *Non ego nobilior*] Non sum præstantior nobilitate: nam ex iisdem parentibus nati sumus. *Posita est mihi regia cælo*] *Cessit mihi regia cæli* Gottorph. *Heins.*

600 *Alter*] E fratribus Neptunus. *Alter*] Pluto. *Possidet inane chaos*] Vacua Erebi regna.

605 *Caducifer*] Mercurius virgam serpentibus nexam ferens, quem 'caduceum' vocant.

607 *Solvit jejunia granis*] Sic filia reddi ab inferis non potuit: inde malo punico abstinuerunt Thesmophoriazusæ, quæ Cereri τῇ Θεσμοφόρῳ a sacris erant. *Neapol.*

608 *Punica quæ in lento*] Tolle τὸ *in* cum scriptis. *Heins.*

612 *Tartarea valle*] *Tænaria* Mazar. Zulich. Ursin. Petav. Vossian. et multi alii: bene. Tænara pro Tartaro passim apud Poëtas. Prudentius Apotheosi, 'ubi Tænara tristia vasto In præceps dejecta chao.' *Idem.*

615 *Tum demum vultumque*] *Vultusque* Mazar. Zulich. Voss. et Arond. Mox pro *Larguque* iidem, pr. Ambros. et sex alii, *Longaque*. *Heins.*

617 *Cessatis messis*] Adludit ad ea quæ finxit in Metamorphosi, de mœsta et irata Cerere: 'Nescit adhuc ubi sit; terras tamen increpat omnes, Ingratasque vocat, nec frugum munere dignas,' &c. *Neap.*

619 *Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas*] Quidam *decet:* nec minus arridet, quod nonnulli præferunt, *Alba decet Cererem; vestem Cerealibus albam.* Heins. *Alba decent Cererem*] Tertullianus in suo de Pallio, ubi et distinctos colores in antiqua superstitione cuique numini proprios annumerat: 'Cur istas,' inquit, 'non spectas, vel illos item habitus, qui novitate vestitus religionem mentiuntur,' &c.

620 *Pulli velleris*] Tenebricæ vestis, et tetrici supra caput velleris. *Neap.*

621 *Cognomine victor Jupiter*] Hujus ædem statuunt antiqui Urbis Topographi in regione X. P. Victor in eadem: 'Ara Palatina, ædes Jovis Victoris, domus Dionysii.' Vovit illam Q. Fabius Maximus Rullianus Consul contra Samnites anno Urbis conditæ CDLVIII. Livius lib. X. *Neap.*

623 *Hac quoque, ni fallor*] Iisdem Idibus atrium Libertatis exstructum; melius dixerim refectum, si nulla mens Nasoni ad Gracchum: nam hic nomine Tiberius primus Romæ dedicavit. Fidus testis Plutarchus. Instauravit postea Senator ille nobilis Asinius Pollio. Suetonius lib. II.

Hic Asinius atrium, puto, de novo polivit: certum est addidisse bibliothecam, quæ omnibus pateret, et hanc Scriptorum iconibus adornasse. Ad calcem moneo, in hoc atrio publica acta signata, etiam antequam illud augeretur bibliotheca; cum anno DLXXXV. id usui fuisse certum sit ex Livio lib. XLIII. Ceterum ubi atrii situs fuerit, video consentire omnes in regione XIII. *Neap.*

624 *Atria sua*] Ab Asinio Pollione in Palatio extructa.

625 *Luce secutura*] XVIII. Kalendas Maias. *Tutos pete, navita, portus*] Ob grandinem imminentem: hanc etiam eadem luce minatur Columella lib. II. 2.

627 *Sit licet et fuerit*] *Scilicet* Ursin. Petavinus et sex alii: *Sit licet ut fuerit* Mazar. Zulich. prim. Ambros. Voss. Arondel. et quinque præterea. Lego *Scilicet ut fuerit;* quamvis fuerit. Pro *tamen hæc* meliores *hac.* Heins. *Mutinensia Cæsar*] Præcipue vero C. Pansa et A. Hirtius. Vide apud Historicos annum quo contigit horum Consulatus, qui DCCX. *Neapol.*

628 *Hac Grandine*] Hac die grandinosa. *Contudit*] Concussit et fudit. *Mutinensia arma*] Arma Antonii ad Mutinam. *Militia sua*] Suis militibus. *Contudit arma*] *Perculit* Voss. Ambros. Mazar. Zulich. Ursin. Petav. allique multi; nisi quod *pertulit* in nonnullis: pr. Ambros. *pertudit;* optime: plus est enim *pertundere* quam *contundere:* quomodo supra de Divo Julio, ‘ Perfida magnanimi contudit arma Jubæ.’ Lib. VI. ‘ Jamque suburbanos Etruscaque contudit arma :’ sed et *perculit* bene se habet; ut ad τὸ *grandine* alludat hoc verbo: quare et vulgata lectio ferri potest. Sic ‘ grando contudisse vites’ dicitur Horatio Epist. I. 8. Vide Nonium in *Percello.* Heins.

629 *Tertia post Veneris*] Hoc est, XV. die April. immolantur terræ gravidæ fordæ boves in curiis: quod sacrificium a Numa institutum ferunt in agrorum et pecorum sterilitate. *Post Veneris surrexerit idus*] Post Idus April. *P. Tertia post Veneris*] XVII. Kalendas erant Fordicidia. *Neap.*

631 *Forda ferens bos est, fecundaque*] Glossæ, *fordas,* ἐγκυμονούσας. Varro de R. R. lib. II. *hordæ,* ἀρχαϊκῶς pro *fordæ.* Pari modo antiqui dixere, herctum et ferctum, fostia et hostia. *Neap.*

633 *Gravidæ quoque semine terræ*] *Gravidæ nunc* pr. Ambros. Voss. Arondel. Mazar. Zulich. concinnius. Et paulo ante *ferundo* pro *ferendo* Zulichemianus ἀρχαϊκῶς. *Heins.*

635 *Ter denas curia vaccas*] Una ergo in unaquaque curia cæsa. Triginta numero curiæ erant, teste Livio, et Dionysio. Varro lib. V. de L. L. *Neap.*

637 *Ministri*] Sacrorum. *Visceribus vitulos rapuere*] Qui concepti intra viscera vaccæ adhuc retinentur, dum immolantur matres: sic e mactatæ victimæ visceribus rapiuntur.

639 *Quæ natu est maxima*] Prima Vestalium. *Igne cremat vitulos*] Eos qui e visceribus rapti erant cremat et redigit in cinerem. *Paul. Quæ natu maxima virgo est*] Vestalium virginum vetustisima hæc Tacito nominatur, Dioni ἡ πρεσβεύουσα. *Neapol.*

646 *Obsesso stabat solo*] Tellure, quam obsidebat, ubi surgere fructiferas fruges non patiebatur.

647 *Edebat*] Emittebat. *Partus acerbos*] Immaturos.

650 *Mænalio relicta Deo*] Fauno seu Pani Arcadi, a Mænalis Arcadiæ montibus.

652 *Hic geminas Rex Numa mactat oves*] *Huic mactat* plerique veteres; sed frustra: ‘ hic,’ in hac sylva. Superiori versu pro *Ille,* Ursin. Mazar. Voss. quatuor alii *Illa.* Puto, *Inde dabat.* Heins.

654 *Sternitur in duro vellus utrumque*] Quibus incumbendum. Hac voce usi veteres. Servius ad illa, ‘ Pellibus incubuit stratis,’ &c. ‘ Incubare pro-

prie dicuntur ii, qui dormiunt ad accipienda responsa.' *Neapol.*

656 *Tempora fronde tegit*] *Premit* Voss. Mazar. et sex alii: placet. *Heins.*

659 *Vesper ubi est, tectum*] *Veste rudi tectus* Mazar. Zulich. Ursin. prim. Ambros. Læti, multique alii: quidam *Vesper ubi est tectus.* Lege *Veste rudi tectum;* corpus videlicet. *Idem. Supra nova vellera*] In his omnino quiescendum, consilium a numine petenti. Strab. lib. VI. *Neap.*

661 *Interea*] Cum Numa nocte concubia quieti se dedisset, venit Faunus, et monuit placandam esse tellurem duum boum morte, ita ut una juvenca cæsa duas exhiberet. Mœstum regem hujus oraculi ambage docuit Egeria mactandam esse bovem gravidam: quo facto, reddita est agris et pecoribus fœcunditas.

662 *Somnia nigra trahit*] Recte Euripides: Ὦ πότνια χθὼν, μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων. *Neap.*

664 *A dextro talia verba toro*] *Talia dicta* Mazar. Zulich. Voss. Arond. sex alii: ut lib. I. 'Talia non tacito dicta dolore dedit.' *Heins.*

666 *Dat sacris animas una necata duas*] *Det una juvenca* plurimi ex scriptis; nonnulli *Det una necata*, vel *Detque:* unus Mediceus ex melioribus *Detque satis*, hoc est, frugibus; non male. Nam supra dixerat, 'Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis.' Vetustiores libros secuti sumus. *Idem.*

667 *Numa visa resolvit*] Zulich. Erfurt. et decem alii *revolvit*, recte; quomodo etiam Neapolis. Sequenti versu legendum *cæcaque jussa* cum libro Ursin. Maz. Voss. prim. Ambros. Læti, aliisque multis, non *visa*, quod præcesserat. *Idem.*

669 *Expedit errantem*] Malim *hærentem;* ut monui supra vs. 261. *Idem. Conjunx*] Egeria. *Nemori gratissima*] Aricino. *Expedit errantem nemori*] Solvit ambiguitatem, et regem errore liberavit.

670 *Bovis gravidæ*] Hæc est juvenca, quæ duas habet animas. *Neapol.*

671 *Fœcundior annus Provenit*] *Felicior* Zulich et quatuor Vaticani: felix enim pro fœcundo passim sumitur apud veteres. *Heins.*

673 *Hanc quondam Cytherea*] Venus, quæ præest Aprili mensi, post Mutinensem victoriam, præcipitem hanc Fordiciorum diem impulit, ut acceleraret dies sequens, qui est decimus sextus calendarum Maiarum, quo die Octavius Cæsar adolescens creatus est a militibus imperator.

674 *Admissos præcipitavit equos*] *Æthereos* Arond. et multi alii; hoc est, solares. *Heins. Et præcipitavit*] Præcipites et celeres egit. *Paul.*

675 *Quam primum luce sequenti*] XVI. Kalendas Cæsar Augustus Imperatoris nomen adeptus, prænomen illud solitum secutorum Principum: nam pro gestis bellicis vicies reportavit. Dio Cassius de anno quem Cæsar quinto Consulatu auspicatus, lib. LII. *Neapol.*

676 *Prospera signa*] Victores milites sub fœlicibus signis. *Augusto juveni darent*] Octavio adolescenti.

677 *Sed jam præteritas ubi quartus Lucifer Idus*] *Quartus ubi* plerique veteres; sed sequor quod primæ editiones, Mazar. Petav. aliique nonnulli agnoscunt, *quartas tibi:* ut apud Virgil. 'tibi deserit Hesperus Œten.' Pro *Hyades Dorida nocte tenent*, malim *petunt* cum Voss. Arondel. Mazar. Zulich. et sex aliis. *Heins. Sed jam præteritas*] XV. Kalendas Suculæ se vesperi celant; eodem die Cæsari apud Plin. lib. XVIII. 26. *Neapol.*

678 *Hac Dorida nocte tenent*] Occidunt, et tenent mare. Dorida Hesiodus inquit Oceani ex Tethi uxore filiam esse, ex qua magnus nympharum numerus natus est.

679 *Tertia post Hyadas*] XIII. Kalendas ludi iterum in Circo fiebant: sed eis a Cerealibus in hunc usque diem nulla fuit Romæ pausa. *Neapol.*

680 *Carcere*] In ipso repagulo, unde ad cursum emittuntur.

681 *Junctis ardentia tædis*] *Victis* Petav. Lege *vinctis* cum Ursini libro. *Ferat vulpes* Strozzæ codex. *Heins.*

683 *Frigida Carseolis nec olivis apta ferendis Terra*] *Carseoli* malim, si per libros veteres liceat; ut per appositionem hæc dicantur, *frigida Carseoli Terra.* Nam Zulichemianus *pars coli.* Idem. *Frigida Carseolis Terra*] Carseoli numero multitudinis urbs erat. Carseolani dicuntur coloni. In via Valeria sunt, medio quidem spacio inter urbem et Marsorum municipium. Erantque Carseoli una ex claris Æquorum urbibus. *Ad segetes ingeniosus*] A natura felix ferendis frugibus.

684 *Ingeniosus ager*] 'Ad cœli mores, solique ingenia.' Plin. lib. XIV. 1.

686 *Sed assiduis humida semper aquis*] *Obvia* veteres magna ex parte. Scribe *uvida;* atque ita Oxoniensis pro diversa lectione: vide Notas Amor. III. 5. 6. *Heins.*

687 *Solitas intravimus ædes*] *Fidas* Zulich. Voss. Arondel. et octo aut novem alii: lib. VI. 'Hospita Carmentis fidos intrasse penates Diceris.' *Idem.*

690 *Unde meum præsens*] Malo *mihi.* Idem.

694 *Seu curvæ falcis*] *Sive cavæ falcis* pr. Mazar. Læti, pr. Ambros. Farnes. et v. alii: alter Maz. *sive citruæ: sive cavæ* pr. Ambros. Læti, pr. Farnes. et sex alii; quomodo a manu prima Mazar. et Zulich. *Idem.*

695 *Hæc modo verrebat stantem tibicine villam*] Ita Ursin. Mazar. Zulich. Nauger. Voss. et tres alii; bene: quatuor *stanti tibicine villam:* quidam *telam,* male; nam de tela mox aget. Nonnulli *raro tibicine pratum:* Zulich. pro diversa lectione *stanti tibicine cellam.* Alii aliter: nos veram lectionem expressimus. *Idem. Tibicines*] Structuræ quibus ædificia sustinentur. *Neapol.*

700 *Adversusque*] *Adversumque* Sarrav. Gottorph. et duo alii, ἀρχαϊκῶς. *Heins. Frigoris arma parat*] Sibi indumenta texit ad arcendas hiemes. *Neapol.*

703 *Vulpem convalle salicti*] Quidam ex melioribus *de valle:* Ursini codex et unus Patav. *sub valle.* Heins.

704 *Illa cohortis aves*] Sic usus etiam hac vocula Varro de R. R. lib. III. 3. Cohors est Græcorum χόρτος, sive clarius περίβολος. Inde nos atrium dicimus cortile; et cortillos vocamus casulas quasdam in rotundum conjunctas, quas multa habitat vicinia. *Neap.*

709 *Monumenta manent*] *Patent* unus Moreti, non male: vide Notas lib. II. 265. Mox pro *dicere certam,* lege cum Ursin. Voss. Nauger. et tribus aliis *vivere captam: dicere curtam* Mazar. *dicere cautam* Zulich. *cernere cunctam* unus Vatic. *ducere certam* Bonon. Forte *ducere captam.* Heins. *Monumenta manent*] Remansit apud posteros memoria.

710 *Carseolana vetat*] Carseolis igitur lege prohibitum nominare vulpem; a qua ruinam olim segetes passæ. *Neap.*

711 *Utque luat pœnas genus hoc*] *Gens hæc* Ursin. Arondel. Petav. Mazar. ac multi alii. Sic de cane Met. III. 'Spartana gente Melampus.' Gens et natio idem quod genus. Vide locos Controversos Roberti Titii lib. VIII. 18. *Heins.*

713 *Postera cum veniet terras*] Decimotertio calendas Maias sol, Ariete relicto, Taurum init: qui inter astra constitutus dicitur, quod Europam incolumem transvexit in Cretam. *Paul.*

714 *Cum Memnonis mater*] Aurora.

715 *De duce lanigeri pecoris, qui perdidit Hellen*] *Prodidit* optime Petav. Mazar. Ursin. Arondel. excerpta Politiani, ac septem alii. Germanicus Cæsar, 'Nobilis hic Aries aurato vellere, quondam Qui tulit in Colchos

Phryxum, qui prodidit Hellen.' Hinc idem 'proditor Helles' dictus Martial. Epigr. IX. 71. 'Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles.' Lucan. IV. 'Sed postquam vernus calidum Titana recepit Sidera respiciens delapsæ proditor Helles :' quibus locis libri etiam nonnulli veterrimi *portitor:* quomodo et apud Columellam in Horto, 'Mox ubi Nubigenæ Phryxi nec portitor Helles Signorum et pecorum princeps caput efferet undis :' ita scribitur locus ille, tam in vulgatis libris quam in veterrimo codice S. Germani : cui medicinam nunc non adhibeo. In Catalectis, 'Proditor est Helles et proditor Europæus :' ubi etiam *portitor* nonnulli codices. Sic equi aut aurigæ vectorem prodere dicebantur. Virgil. 'Leucage nulla tuos currus fuga segnis equorum Prodidit.' Claudian. laude Serenæ, 'Prodidit Œnomai deceptum Myrtilus axem.' Apud Hyginum lemma cap. 250. 'Quæ quadrigæ rectores suos prodiderunt.' Silius lib. XVII. 'Corruit asper equus, confixaque cuspide membra Huc illuc jactans rectorem prodidit hosti.' Seneca Œdipo, 'Segnior cursu sonipes in ipso Concidit gyro, dominumque prono Prodidit armo.' Lege præterea hoc loco, *E duce lanigeri pecoris ...sol abit:* lib. VI. 'Sol abit e Geminis, et Cancri signa rubescunt.' *Heins.*

716 *Egresso victima major adest*] XII. ergo Kalendas Maias Sol in Tauro. *Neapol.*

718 *Posteriora latent*] Nam ex eo non videtur nisi ἡμιτόμιον. Hallucinatur Hyginus, cum scribit, 'reliquum hujus corpus obscurius videri;' nam non aliter quam semisectus pingitur in schedographia. *Neapol.*

720 *Junone invita munus amoris habet*] Quasi locata est in cœlo ea imago ab Jove, in præmium amoris, repugnante etiam Junone. Nam aut est imago tauri, quo transvecta est Europa in Cretam, aut est imago vaccæ, in quam Io conversa fuit.

721 *Palilia*] *Parilia* Petav. et Mazar. sic et lib. VI. 257. Ursini codex. et Met. XIV. 774. plerique veteres. *Heins.* *Palilia poscor*] XI. Kalendas Maias erant Palilia. Convenit et veteri Kalendario : in eo Constantini Magni eadem dies notatur, N. URBIS, id est, Romæ natalis, ante Urbem conditam pastorale hoc sacrum extitisse. Tibullus II. Eleg. 5. et Plutarchus in Romulo : qui sane testes gravissimi. *Neapol.*

724 *Officio si tua facta meo*] *Tua festa pro* meliores. *Heins.* *Officio pio*] Redi ad Not. Epist. VI. vs. 17.

725 *Certe ego de vitulo cinerem*] Is erat e triginta bubus, quas maxima Vestalis cremarat Festis Fordicidiis. Hunc vero et stipulam fabalem, quam paullo post vocat 'culmen inane' (demtis enim fabis sola et arida incensa) Februa appellat ; quia sic dictum, ut nosti, quodvis purgamentum. *Neap.*

726 *Februa tosta*] Sic initio lib. II. ubi agit de februis, habes 'Torrida farra.' Hic tamen libri veteres multi, quos inter prim. Ambros. Læti, Mazar. Zulich. *februa casta:* sic alibi, 'Casta placent superis ;' et supra hoc libro, 'Parva bonæ Cereri, sint modo casta, placent.' Hinc et 'mola casta' in sacris, de qua Servius Eclog. VIII. 82. Vide quæ noto Pont. II. 1. 33. Ursini liber et unus Patav. *fercula tosta.* Superiori versu alii *stipulasque fabales ;* alii *stipulamque fabalem.* Forte *stipulaque fabali:* nam Patav. *stipulamque fabalis.* Sequenti versu rectius veteres *transilui* quam *transilii :* ita enim optimos auctores locutos notant Grammatici. *Heins.*

728 *Udaque rorales laurea misit aquas*] *Virgaque* rectius : sic 'pinea virga' lib. II. Pro *rorales aquas* meliores plerique *roratas :* ut Epist. Herus, 'Mersaque roratis nata fleatur aquis.'

Met. IV. 'Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris.' Fast. III. 'Mollis erat tellus rorata mane pruina.' Tres alii *rorantes:* vulgatum alibi non legi. *Idem.*

730 *Jam mea vela*] *Tua vela* Mazar. et Zulich. et pro diversa lectione Voss. Lege, *navalibus exi Puppis, habent ventos jam tua vela suos.* Idem. *Habent ventos vela suos*] Κάλλιμος οὖρος, Hom. Odyss. Λ. vs. 639. πόμπιμοι πνοαὶ, Eurip. Helen. ἐσθλὸς ἑταῖρος, idem in Electra.

732 *Vestæ munere purus eris*] *Mundus* unus: *purus abis* pr. Ambros. Læti, et unus Moreti. Forte, *abi.* *Heins.*

733 *Sanguis equi, &c.*] Ad lustrationem in Palilibus immiscebatur sanguis equinus, cum adusti nondum nati vituli, sed e mactatæ matris utero exerti, cinere, et fabarum culmis, et ex his super prunas impositis fiebat suffitio. *Sanguis equi suffimen erit*] Bene Plutarchus in Romulo: Ἐν ἀρχῇ δ' (ὥς φασιν) οὐδὲν ἔμψυχον ἔθυον. Mutatum, ut vides postea. Vide Festum in *Caviares hostiæ;* et eumdem in *Equus October.* Neapol.

735 *Crepuscula lustret*] Vetus Kalendarium rurestre mense Aprili: Oves lustrantur.

736 *Unda prius spargat virgaque verrat humum*] Janus Vlitius noster *Uda;* quomodo et Læti codex: sic libro V. in simili purgatione, 'Uda fit hinc laurus, lauro sparguntur ab uda Omnia, quæ dominos sunt habitura novos.' Pro *verrat* unus Patavinus optimæ notæ *vergat;* quomodo et in Zulichemiano a manu prima. Forte *tergat:* de quo lib. II. 23. Superiori versu pro *lustret,* multi ex melioribus scriptis *lustrat:* Petav. Voss. Arond. plurimique præterea *lustra;* ut pastorem alloquatur. *Heins.* *Virgaque verrat humum*] Præcipuum hoc in sacro quovis lustrali. Et fuit apud antiquos purgatio, quæ dicta exuerræ, ab everriatione, certo scoparum genere. Non ignorant ista docti. *Neap.*

738 *Longa corona fores*] De more Juvenalis, 'Necte coronam Postibus, et densos per limina tende corymbos.' *Neap.*

739 *Cærulei fiant puro de sulphure fumi*] Voss. Arond. Mazar. Zulich. prim. Ambros. Læti, et octo alii *vivo sulphure,* quod verum est. Remed. Amor. 'Nec fugiet vivo sulphure victus amor.' Sic passim auctores. *Heins.* *Vivo de sulphure*] Θεῖον πῦρ. Et in Metam. III. vocat 'vivacia sulphura.' Tibul. Eleg. I. 5. 'Ipseque ter circum lustravi sulphure puro.' 'Cœleste sulphur,' Stat. in Theb. XI. Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ. Eurip. Helen. Θεῖον δὲ σεμνοῦ θεσμὸν αἰθέρος μυχῶν Ὡς πνεῦμα καθαρὸν οὐρανοῦ.

740 *Tectaque fumanti sulphure balet ovis*] Primo *tactaque* legendum cum Ursini, Naugerii, Zulich. Mazar. et sex aliis: sic Remedio Amoris, 'Ut pœne exstinctum cinerem si sulphure tangas.' Propertius Eleg. IV. 9. 'Terque meum tetigit sulphuris igne caput.' Et lib. V. ex veteri codice Noster, 'Rursus aqua tangit, Temesæaque concrepat æra.' Et Met. XI. Mare dicitur 'summas aspergine tangere nubes:' postea hoc ipso libro ex antiquis codicibus, 'Ignibus et sparsa tangere corpus aqua.' De eadem lustratione 'tangere oculos olivo' apud Persium Satyr. III. quomodo in optimis membranis exaratum illic offendi. Lib. VI. 'Tactaque erit posito rore bis uda seges:' ut et ibi legendum censeo. Sic et 'contingere' dicebant: vide Indicem Lucretianum Gifanii in eo verbo. Propertius Eleg. IV. 3. 'Seu voluit tangi parca lucerna mero.' Præterea *fumaci sulphure* unus Moreti; de quo dixi Amor. lib. II. 6. 23. *Heins.*

741 *Ure mares oleas*] *Maris rores* Mazar. Zulich. et decem alii: *Maris rorem* notat ex suis Naugerius. *Idem.* *Ure mares oleas*] Nec abest a priscis libris vulgata lectio, *Ure maris rores.*

φύλλα τῆς λιβανώτιδος. Et hanc legi pro thure usui fuisse veteribus. *Tedamque herbasque Sabinas*] Sulphur et tedam adhibitam in tribus purgationibus, auctor Servius lib. VI. *Neap.*

743 *Libaque de milio*] Constabant, ni fallor, ex milio et faba. Tale quid Diis rusticis dabatur etiam Autumno. Vide Festum.

744 *Rustica præcipue est hoc Dea læta cibo*] *Cibo est* Mazar. ut τὸ *est* geminetur. Lege, *Rustica præcipue quo Dea læta cibo est.* Idem. *Dea rustica*] Pales.

745 *Adde dapes in utrumque suas, dapibusque refectus*] *In utramque* Petav. Arondel. Vossian. Ursin. et plures alii: *multramque* codices plurimi præterea: duo *in utraque.* Lego *Adde dapi mulctramque suæ.* De dape enim jam egit superiori versu: nisi *mulctrumque* malis, ut Horatio, 'injussæ veniunt ad mulctra capellæ.' Pro *refectus* Petav. Arondel. prim. Ambros. plurimique alii *resectis:* Voss. Polit. et plures, *refectis:* Ursin. aliique nonnulli *relictis:* quinque *remotis:* duo *refertis:* placet *resectis.* Heins. *Adde dapes mulctramque suas*] Dapes hic sume antiqua significatione. Vide Festum. *Dapibusque refectus*] Alii habent, *dapibusque paratis,* alii, *relictis;* Vaticani, *resectis.* Neap.

749 *Sive sacro pavi*] *Sacra* alii; ut ad arborem referatur. *Heins.*

750 *Pabulaque e bustis*] Bustum hic locus, in quo aliquis sepultus. *Neap.*

751 *Si nemus intravi*] *Seu* bene unus Vatic. quomodo mox etiam legendum *Seu mea falx.* Heins.

753 *Lucum spoliavit opaco*] Vetus superstitio, qua quivis sacer lucus erat incæduus, nec ramum aut folium fas erat inde conlucare, nisi sacrificium præcessisset. Ea super re ex Catone Plinius nos admonet lib. XVII. cap. ultimo. *Neap.*

754 *Unde data est ægræ*] Sic plerumque vetus scriptura; in alia, *teneræ.* Utraque ad verum: nam agnis, aut ægris ovibus, pastorum est frondium aut herbarum fiscinam in stabula ferre. *Neapol.*

756 *Agresti fano*] Perperam *Fauno* plerique veteres. Ursini codex veram lectionem refert. *Heins.*

758 *Mota quod obscuras ungula fecit aquas*] Arond. *Nota.* Lege *Lota.* Kalendarium Rusticum Mense Maio, OVES TUNDUNT. LANA LAVATUR. Et superiori versu cum melioribus *Nec noceat,* pro *Ne,* reponendum. Propertius Eleg. IV. 1. 'Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua.' *Idem. Mota ungula*] Pecus gradiens turbavit aquas limpidas. *Neapol.*

759 *Fontanaque placa*] Maz. Zulich. et duo alii *præsta;* forsan recte. *Heins.*

761 *Videamus labra Dianæ*] Ἀσαμίνθους, λουτρά. *Neap.*

763 *Pelle procul morbos*] Petita jam venia incipit precatio pastoralis: quam, quæso, conferas cum Lustrico Catonis carmine. *Neap.*

765 *Neve minus multas redigam*] Oves intelligit: sed Ursin. Voss. Arondel. Nauger. pluresque alii *multo;* nec pauciores cum Mazar. Zulich. prim. Ambros. Petav. *multos.* Τὸ *minus multo* arridet. Sic Val. Max. lib. IV. 4. 'Unus in agro Veiente fundus, minus multo cultores desiderans, quam dominos habebat.' Ubi nihil necesse *multos* reponi cum Lipsio. *Heins. Neve multas redigam*] Ne reducam vesperi minorem ovium numerum, quam mane in pascua eduxi.

770 *Vimina rara*] Fiscellarum. *Dent viam liquido sero*] Ut bene excoletur caseus.

772 *Stabulis meis*] *Stabulo meo* meliores. *Heins.*

775 *Quæ precor, eveniant: et nos faciamus ad annum*] Lege *evenient: at nos faciamus.* Pont. II. 1. 'Quod precor, eveniet.' Epicedio Drusi, 'Eventura precor.' Vide Notas Met. III. 524. *Heins.*

778 *Dic quater, et vivo perlue rore manus*] Læti codex et primus Ambrosianus, *Dic ter, et in vivo.* Scribe,

Dic ter, et i vivo perlue rore manus: ut jam monui ad Epistolam XIV. 126. Vide Notas lib. II. 638. Lib. VI. ‘ Protinus arbutea postes ter in ordine tangit Fronde : ter arbutea limina fronde notat.’ *Idem.*

779 *Dum licet*] *Tum* scribendum cum Zulich. Mazar. pr. Ambros. aliisque nonnullis : quidam etiam *Tunc.* Pro *lac niveum* Zulich. *lac mistum;* probe. Vide Festum in *Burannica potio.* Idem. *Cratere camella*] Camella vas erat ligneum, cui hæc potio infundenda. Hoc vasis genus Polluci est σκάμιλλα. *Neapol.*

780 *Lac niveum potes, purpureamque sapam*] Hæc potio dicebatur burrhanica, a colore burrho. Festus : ‘ Burrhanica potio, lac commistum sapa, a rufo colore, quem burrhum vocant.’ Unde eleganter, homines a vino rubentes ‘ burrhos’ apud eundem dictos inveni. Ille color πύῤῥος est Græcis : unde πυῤῥίας ejusmodi cutis homines Comici dixere. De hac ita Nonnius : ‘ Sapa, quod nunc mellaceum dicimus, mustum ad mediam partem decoctum.’ *Neapol.*

781 *Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede*] *Trajiciat strenua turba* Ursini liber : et *Moxque fac* superiori versu. Lege *Moxque face. Trajicias strenua turba* alius Vatican. Propertius Eleg. IV. 4. de hoc eodem festo, ‘ Cumque super raros fœni flammantis acervos Trajicit immundos ebria turba pedes ;’ ita scribo : vulgati legunt *immundas dapes;* quod contra fidem sacri : idque jam a Passeratio occupatum serus animadverti : unus Patav. et Gottorph. *Transilias.* Ut forte sit scribendum, *Moxque ter ardentes stipulæ crepitantis acervos Transilias celeri strenua turba pede :* ut supra, ‘ Certe ego transilui positas ter in ordine flammas :’ nisi *Trajicias* malis ; quomodo Virgil. lib. VI. ‘ Jam medium ætherio cursu trajecerat axem.’ Sic ‘ transferre’ Catullus, ‘ Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes :’ aut *Trajicias strenua membra,* ut D. Brutus apud Ciceronem Epist. Famil. II. ‘ Si se Alpes Antonius trajecerit.’ Val. Maximus lib. V. cap. 1. ex antiquis codicibus, ‘ Quibus se bene ac tuto cum suis in Africam trajiceret.’ *Heins.*

783 *Moris mihi restat origo*] In multis est prima, quod sibi suaserint inesse igni vim quamdam abstersivam, et malorum medelam : et hæc fuit antiqua opinio Judaica et Græcanica, inde immista in Romanam religionem : et stetit, ut mireris, usque ad tempora Justiniani τοῦ ῥινοτμήτου. Tunc congregata 6. Synodus Trullensis, et ineptiæ hæ cum aliis abolitæ. *Neapol.*

785 *Vitiumque metalli Excoquit*] *Metallis* meliores ; ut apud Virgil. Georg. I. ‘ ast ollis omne per ignem Excoquitur vitium.’ Idem Æneid. I. ‘ Ac primum silici scintillam excudit Achates :’ ita veterrima exemplaria. *Heins.*

788 *Discordes ignis et unda Dei*] Forte *dissortes:* de quo ad Epist. primam Sabini. *Idem.*

790 *Ignibus et sparsa tingere corpus aqua*] *Tangere* meliores plerique : ut supra vs. 740. jam monuimus. *Idem.*

791 *An quod in his vitæ causa est*] Quod duo hæc humanam et animantium vitam contineant, quod ex his nascendi initium sit. *Hæc perdidit exul*] Nam hæc exilio damnatis interdicta sunt. *Hæc perdidit exul*] Malim *perdit et.* Heins.

792 *His nova fit conjunx*] Quia hæc nuptiali die in limine ponebantur. Redeuntes autem ab exilio ignem supergrediebantur, aqua aspersi ; quod purgationis genus vocabant ‘ suffitionem.’ *Hæc duo magna*] Ignem et aquam.

794 *Nimias Deucalionis aquas*] *Vivas* pr. Ambros. Læti, et quatuor alii ; unus *multas ;* alius *veras.* Forte *veteres:* certe latet mendum. Pro *Cre-*

dant lego *Edant*, vel *Prodant*, vel *Tradant*: nam præcesserat 'vix equidem credo.' *Heins.*

795 *Pars quoque cum saxis pastores saxa feribant*] *Ferebant* plerique scripti. Lege *terebant*. Lucretius lib. I. 'Cum lapidem lapidi terimus.' Plautus Asinaria I. 1. 'Num me illuc ducis ubi lapis lapidem terit?' Idem Lucretius lib. V. 'Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.' Val. Flaccus lib. II. 'tracto pars frangit adorea saxo Farra, citum tritis alius de cotibus ignem Excudit, foliisque et sulphure pascit amico:' ita scribendus locus mendosissimus: vulgati pessime, *strictis alius de cautibus ignem Ostendit foliis:* Virgiliana mimesis, 'Ac primum silici scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis:' et quæ ibi porro sequuntur. Idem in Georgicis, 'Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.' *Extundit* primo exaratum fuit: hinc *Ostendit* factum in Valerio. Forte etiam *pistores* legendum in hoc Nasonis loco; agit enim de mola manuali. *Idem.* *Saxis saxa*] Hoc fuisse puto primo adinventum ad scintillas eliciendas; postea venit usus petræ focariæ a ferro percussæ; postea τοῦ λίθου πυρίτου, et misti coloris: cujus generis et εὐπυρώτους vidi plurimos. *Neapol.*

798 *Hoc argumentum*] Alter Petav. *argumentis*. Sed Junianus recte *argumenti*. Vide Notas Epist. VIII. 104. *Heins.*

800 *Victo cui dedit ignis iter*] Malim *cum dedit*. Sequenti versu pro *Hoc tamen* multi ex melioribus *Nunc tamen*; unus Patavin. *Num tamen*. Idem. *Innocuum dedit iter*] Sine ulla corporis læsione. Ut in Æneid. II. 'flammæque recedunt.' *Paul.*

801 *Hoc tamen est vero propius, &c.*] En Noster etiam initium Palilium non facit antiquius Urbis natali, nec dissentit a Tibullo et Plutarcho: nam agit de sacro Palis sic celebrari cœpto, et cum his stipularum acervis; quod originem duxisse putat ab incensis antiquis tuguriolis, cum rustici in nova novæ Urbis migrarent. Addita igitur sub Romulo transitio per flammas, suffimenta illa; sed equus victima multo post. *Neapol.*

805 *Saliisse pecus, saliisse colonos*] *Saluisse* ex auctoritate Prisciani et meliorum codicum reponatur. *Heins.*

806 *Natali nunc quoque, Roma, tuo*] Nam eodem II. Kalendas illa condita. *Neap.*

807 *Ipse locum vati casus facit*] *Casus vati* plerique veteres. Ursini liber et unus Vatican. et Petav. cum Naugeriano, *Ipse locus causas vati*. Scribo, *Ipse locus casu vati facit:* et adi quæ de hac locutione notamus ad Epist. II. 39. *Heins.*

808 *Ades factis, magne Quirine, tuis*] Lege *fastis*, vel *festis*, vel *sacris*; quicquid obnituntur libri veteres: qui error et alibi in hisce libris occurrit. *Idem.*

809 *Luerat pœnas frater, &c.*] Numitorem ab Amulio fratre regno dejectum, et Numitoris filium per insidias obtruncatum, Sylviam filiam Vestæ relegatam, conceptos natos, expositos, educatos, adultos Romulum et Remum, interfectum Amulium, superius diximus. Regnum deinde Numitori restitutum.

810 *Pastorum vulgus erat*] *Pastoris* Zulich. Puto scribendum, *Pastores gemino sub duce vulgus erant*. Heins.

812 *Ambigitur nomina ponat uter*] Ursin. Petav. et multi alii, *mœnia:* sequentia confirmant, 'Arbitrium Romulus urbis habet;' quanquam et de nomine verum: unde Ennius, 'Certabant urbem Romam Remumne vocarent.' *Idem.* *Ambigitur nomina ponat uter*] 'Romamne Remamne vocarent.' *Enn.*

815 *Alter init nemorosi saxa Palati*] *Adit* Voss. et sex alii; ne bis eodem verbo utatur. *Heins.*

817 *Pacto Statur*] Hæc vera lectio, quicquid turbant codicum nonnulli.

Met. II. 'Stemus ait, pacto velox Cyllenius isto.' *Idem.*

819 *Apta dies legitur*] Hanc jam habes. Hora fuit post secundam ante tertiam plenam: ut ex Tarruntio insigni Mathematico scribit Julius Solinus. Annus fuit secundus Olympiadis VII. si Eratostheni credimus. *Neap.* *Mœnia signet aratro*] Infra 825. 'designat mœnia sulco.' Ex Æneid. V. 'Interea Æneas urbem designat aratro.'

821 *Fossa fit ad solidum*] *Ad solitum* plurimi scriptorum; sed frustra. Val. Maximus lib. II. 4. 'Is quod eo loci nullam aram viderat, desiderari credens ut a se construeretur, aram empturus in Urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent.' Virgil. Georg. II. 'Ante locum capies oculis, alteque jubebis In solido puteum demitti, omnemque repones Rursus humum, et pedibus summas æquabis arenas.' *Heins.*

822 *Et de vicino terra petita solo*] De alieno et finitimo agro, in omen propugnandi agri et imperii. *Paul.* *Terra petita solo*] Vide Plutarchum in Romulo. *Neapol.*

823 *Plenæ imponitur ara*] Ne tanta res fieret sine re divina.

824 *Fungitur igne focus*] *Finditur* vetustiores plerique; alii *funditur* vel *fingitur:* an *fungitur igne*, ut 'oculi lacrymis funguntur' Epistola Hermiones? et Fast. I. 'Functus erat dapibus?' *Heins.*

825 *Inde premens stivam*] Ut sulcus terræ imprimeretur. *Designat mœnia sulco*] Ex ritu finitimo. Vide et Varronem de L.L. lib. IV. Obiter moneo, ritum hunc, et alios servatos in libris, quos vocabant Rituales: de his Festus: 'Rituales nominantur Etruscorum libri, in quibus perscriptum est, quo ritu condantur urbes, aræ, ædes sacrentur,' &c. Res ipsa suadet, me silente, Romulum præcepta hæc prælegisse. *Neap.*

833 *Tonitru dedit omina lævo*] Cur lævum dextro felicius, fiet palam ex his Plinii: 'Fulmina læva prospera, quia sacrificantis vel precantis latus lævum, dextrum est ejus qui postulata largitur.' *Neap.*

839 *Factam vomere fossam*] *Factos sulcos* Gottorph. *tactam fossam* Zulich. Maz. et duo alii: *versam terram* Læti: *tactam terram* unus Moreti: *factam terram* pr. Med. *pressam terram* pr. Ambros. *fractam terram* unus Patavinus. Vulgatum non mutem temere. Paulo ante habuimus, 'Fossa fit ad solidum.' *Heins.*

843 *Retro Celer occupat ausum*] Pro *retro* nonnulli *rastro;* sex *ultro;* unus *ristro:* in Maz. et Zulich. erasa erat vetus lectio. Scribe *rutro:* de quo rustico instrumento vide Nonium, Festum, et Varronem de L. L. Auctor de Viris illustribus in vita Procæ, de Romulo Romam condente, 'edixit, ne quis vallum transiliret: quod Remus irridens transilivit, et a Celere Centurione rutro fertur occisus:' ita libri veteres; nam vulgati perperam *rastro:* quæ totidem quoque verbis exhibet vetus Fragmentum de Origine gentis Romanæ P. Victori subnexum: nisi quod ibi 'rutro vel rastro fertur occisus;' cum posterius illud *vel rastro* sit delendum. Similis etiam diversitas in Chronico Eusebiano, 'Romæ Palilibus, qui nunc dies festus est, Remus rutro pastorali a Fabio Romuli duce occisus est ob transmissum saltu vallum.' Halicarnassæus in hac de morte Remi historia *σκάφιον* hoc instrumentum rusticum appellat: Πλῆξαι *τῷ σκαφίῳ κατὰ τῆς κεφαλῆς καὶ αὐτίκα ἀποκτεῖναι.* Huc etiam respiciunt ista Varronis *περὶ ἀρχῆς* apud Nonium, 'Cui, ceu Celer, *δι' ἑνὸς λήμματος λόγος* Antipatri Stoici filius rutro caput displanat:' ita legendus iste locus, qui mendosissimus circumfertur: *λόγος Antipatri filius* tantundem est, ac si Antipatrum Patrem *τοῦ λόγου* diceret; quomodo Epi-

curus pater veri dictus. Sic *μετάμελος inconstantiæ filius* eidem Varroni lege Mævia apud Nonium in *Bivira:* atque ita sæpe veteres de rebus inanimatis. Noster in Ibide ‘ tela rustica’ vocat rutrum, quo Remus obtruncatus est, ‘ Utque Remo muros auso transire recentes, Noxia sint capiti rustica tela tuo.’ *Heins. Celer occupat ausum*] Rastro, seu rutro pastorali. Antiquæ membranæ Chronici Eusebiani : ‘ Remus rutro pastorali de Fabio Romuli duce occiditur.’ *Neap.*

845 *Lacrymas Devorat*] ‘Fletumque resorbent,’ Silius lib. XII. Et Noster, Heroid. Epist. XI. ‘ Et cogor lacrymas combibere ipse meas.’

848 *Sic meos muros*] Ipsa verba Titi Livii. *Neap.*

852 *Invito frater ademte*] Verius *volenti* dixisses; nec aliud mihi umquam suadebis. Cicero Officiorum IV. ‘Species enim utilitatis animum pepulit ejus; cui cum visum esset utilius, solum quam cum altero regnare, fratrem interemit.’ *Neap.*

855 *Tunc juvenes*] Imo *juvenem* cum scriptis: et mox *ulli credere* rectius quam *illi* ex antiquorum nonnullis lego; quod et Naugerius vidit. *Heins.*

856 *Subdita flamma rogo est*] Inde sepultus in Remuria: qui locus in summo Aventino: ubi ille de condenda urbe fuerat auspicatus. *Neap.*

858 *Victorem terris impositura pedem*] ‘Omnia sub pedibus vertique regique videbant.’ Virg.

863 *Idem Vinalia, &c.*] IX. Kalend. erant sacra Vinalia: quæ duplicia; et quæ celebrata hoc mense, Plutarcho dicta ’Αφροδίσια; et quæ mense Sextili XIV. Kalendas Septembres, auctore Festo, et veteri Kalendario. Priora putarunt viri docti Veneri sacra, posteriora Jovi. *N.*

865 *Numina vulgares*] Hoc festo meretriculæ Veneris Erycinæ templa adibant; et oblatis floreis munusculis cuncta expetebant, quibus populo placerent. *Neap.*

866 *Multa professarum*] Sic dictæ famosæ hæ mulierculæ: nam se vulgare non poterant, nisi præcederet apud Ædiles professio. *Multa Venus*] Non damno hanc lectionem; præferam tamen *Culta*, si per libros veteres liceat. Vulgatam tamen lectionem si tuemur, *τὸ Multa* non cum *professis*, ut ad Arnobium doctissimus Heraldus opinatur, sed cum *Venere* erit construendum. *Heins.*

868 *Dignaque verba loco*] *Joco* scripti potiores; probe: ‘jocum’ ponit alibi quoque pro lusu Venereo; ut lib. II. Artis Amor. ‘ Accedant questus, accedat amabile murmur, Et dulces gemitus, aptaque verba joco.’ Epistola Sapphus, ‘ Crebraque mobilitas, aptaque verba joco.’ Supra Fast. I. ut quidem legendum, ‘Di quoque cultores gelidi venere Lycæi, Et quicunque joci non alienus erat. Panes, et in Venerem Satyrorum prona juventus.’ Sic et sæpe aliis locis. *Idem.*

871 *Collinæ proxima portæ*] Strabo lib. VI. Dedicata Romæ hæc ædes anno DLXXII. de quo agens Livius lib. XL. ‘ Ædes,’ inquit, ‘ duæ eo anno dedicatæ sunt, una Veneris Ericinæ ad portam Collinam, altera in foro Olitorio Pietatis.’ *Neap.*

872 *A Siculo nomina colle tenet*] *Tenent*, templa videlicet, multi ex scriptis. Remed. Amor. ‘ Est prope Collinam templum venerabile portam: Imposuit templo nomina celsus Eryx.’ *Heins. A Siculo nomina colle tenet*] Ubi et templum habuit ditissimum: de quo etiam Strabo libro VI. Vide et Diodorum lib. IV. *Neapol.*

873 *Syracusas Arethusidas*] Oppidum Siciliæ nobilissimum. Accipiendus enim hic M. Claudius Marcellus, qui fuit Syracusarum gloriosissimus expugnator, plurimaque inde signa in urbem intulit, primusque Hannibalem docuit vinci posse. *Ant. Arethusidas*] Ab Arethusa, Syracusii

fontis Nympha.

874 *Bello Eryx*] Etiam Erycem montem armis cepit.

875 *Est translata*] E Sicilia in urbem. *Carmina vivacis*] Pace tua dicam, mi Ovidi, hallucinaris: nam hæc Veneris ædes prope portam Collinam non dedicata monitu carminis Sibyllini, sed vovit sponte L. Porcius Ligustino bello, dedicavit Porcius L. F. Licinius, ut ex Livio vidimus, anno DLXXII. Fateor aliam eidem Veneri vovisse Q. Fabium Maximum jussu libri fatalis, sed ante hanc positam annis XXXIV. Servilio Geminio et C. Flaminio Coss. Vide et Livium lib. XXII. Hoc igitur anno vota, sed dicata DXXXVIII. L. Postumio Albino et T. Sempronio Coss. et lib. XXIII. *Neapol.*

878 *Sic Jovis ista dies*] M. Varro de L. L. lib. V. 'Vinalia a vino: hic dies Jovis, non Veneris.' *Neapol.*

880 *Etruscas Turnus adorat opes*] *Adoptat* Zulichemianus; optime: hoc est, adsciscit: externas et auxiliares copias suis adjungit. Vatinius apud Ciceronem Epist. Famil. lib. V. 9. 'Ego autem quem potius adoptem aut invocem, quam illum, quo defendente vincere didici?' *Heins.*

885 *Vulnera testor*] *Testes* a manu prima optimus Mazarinianus et tres alii; elegantius utique: sic Met. lib. XIII. 'sunt et mihi vulnera testes:' ut duo vetusti codices illic exhibent. Curtius lib. IV. 'Nec duces quidem copiarum sua laude fraudandi sunt: quippe vulnera, quæ quisque excipit, virtutis indicia sunt.' Apud Virgilium, 'vos coryli testes et flumina Nymphis.' Et apud Propertium II. Eleg. 9. 'sunt nobis sidera testes.' Horat. 'Testis Metaurum flumen:' atque ita passim veteres. *Idem.*

893 *Hostica vindemia*] Fructus vindemiæ hostilis: hoc est, musta Rutulorum. *Vota est*] Promissa. *Tyrrheno Regi*] Mezentio regi Etruscorum.

894 *Musta feres*] *Feras* Petavianus: est enim voventis. *Heins.*

895 *Vota valent meliora*] Vota Æneæ, quæ magis pia fuere, cum Jovi vinum voverit.

898 *Redduntur merito Jovi*] Pro victoria Æneæ.

899 *Jupiter illa Vindicat*] *Illam* Ursini, primus Ambrosianus, Mazar. Zulich. aliique multi: nempe, diem. Mox *quæ restant* non *restent* meliores. *Heins.*

901 *Sex ubi quæ*] Et est sensus: Cum Aprili sex tantum dies superfuerint, hoc est, septimo calendas, in medio cursu ver erit. Tunc enim et Rubigalia celebrantur, ut Plinius docet. *Ant.* *Sex ubi quæ restent*] VII. Kalendas ver meo Publio bipartitur; quod Columellæ ipso die Palilium, XI. Kalendas. *Neapol.*

903 *Et frustra pecudem quæres Helles Athamantidos*] Frustra requires arietem Phryxi et Helles, Athamantis Thebani f. *Et frustra pecudem quæres*] Eodem VII. Aries occidit acronycho occasu. *Neap.*

904 *Exoriturque Canis*] Mira et nova fateor. Numquam audivi a nata Astrologia, post Arietis occasum, imo post Tauri ortum, Canem exoriri. Quidam mallet, *exoriturque capra.* Sed ad quid? sequuntur Rubigalia, quæ ad occasum Canis instituta et celebrata. Vide Plin. lib. XVIII. 29. Suspicio hinc mihi de menda venit; et adlubet scribere: *Signa dabunt imbres, effugietque Canis.* Hic enim moto Tauro statim cedit navi Argoæ. Virg. primo Georg. 'Taurus, et averso cedens Canis occidit astro.' Firmat etiam nostram emendationem; quod ille in occasu vehemens, gelidus, pluvius. *Neap.*

905 *Hac mihi Nomento, &c.*] Cum Poëta ex suburbano Romam rediret, ut ipse inquit, occurrentem turbam habuit, Rubigini sacrificaturam, cui sacerdos canem et ovem immolat. *Nomento Romam*] Nomentum in via

qua in Sabinos itur, ad decimumquintum ab urbe lapidem. *Paul.*

906 *In media candida turba via*] Candida turba sunt Flamines, qui ad Rubiginem placandam properabant, albo induti vestimento: color is erat sacrificantium. *Media via*] De hac Servius: 'Ab hoc oppido via Nomentana dicta, qua incipiebat a Viminali porta:' et priscus lapis: VIÆ NOMENTANÆ PATRONUS. *Neap. Candida turba*] Rectius *pompa* primus Ambros. Mazar. et septem vel octo alii: sic 'pompam' vocat comitatum illum Prudentius, qui Martyres ad supplicium ductos sequebatur, περὶ στεφ. Hymno primo, 'Quo viros dolore tortor, quave pompa ornaverit:' ita enim ex vetustissimis libris scribendum; non *pœna*. Heins.

907 *In antiquæ lucum*] Displicet lectio; sed sic plerique, præter duos optimos, qui habent *antiquum*. Quanto melius ad lucum, quam ad Rubiginem epithetum referre? Antiqua sane Rubigalia non diffiteor: instituit Numa Pompilius anno regni sui XI. vide Varronem lib. I. de R. R. *Lucum Rubiginis*] Panvinius in Topographia Urbis, lucum et ædem ponit in regione V. sed ædem expressim via Nomentana extra portam Catulariam. *Rubiginis ibat*] Libri duo e meis, *Robiginis*; et certe verius: nam ei venit etymon, ut suspicor, a colore robo; qui Græcis ξανθός. Hinc 'robos' boves a rusticis vocatos, auctor est Festus in vocula *robum*. Expresse vetus Senatus Consultum apud Gellium lib. IV. 6. SI QUID SUCCIDANEIS OPUS ESSET ROBUS SUCCIDERET. Vulgo male legitur, ROBIGUS ACCEDERET. *Neap. Rubiginis*] *Robiginis* duo codices ex iis quos inspexit Neapolis; atque ita ex nostris veterrimus Petavianus; et mox *Robigo:* sic idem codex libro primo supra, 'scabræ Robiginis expers.' Pro Robigine Dea Deus Robigus est Varroni et Festo: hinc Robigalia apud eosdem, et in Veteri Kalendario. 'Robigus' etiam Gellio lib. V. 12. Apud Virgilium quoque libro primo Georg. codex Mediceus longe vetustissimus, aliique, quos Pierius Valerianus consuluit, 'ut mala culmos Esset Robigo;' ubi Servius: 'Inde et Robigus Deus, et sacra ejus septimo Kal. Maias Robigalia appellantur:' ita scribe; vulgo *Rubigus Deus* et *decimo Kal. Maias Rubiginalia:* sed Festus bene *septimo Kalendas* habet: nam et eo die Kalendarium in marmore antiquo *ROB.* hoc est, Robigalia agnoscit. Idem Virgilius eodem libro, 'Exesa inveniet scabra robigine pila.' Georg. II. 'Nec scabie et salsa lædit robigine ferrum:' quomodo et illic iidem vetustissimi codices. Apud Columellam quoque lib. X. scribendum censeo, 'Hinc mala Robigo virides ne torreat herbas.' Et apud Prudentium contra Symmachum: 'Nunc consumit edax segetem Robigo maligni Aëris ex vitio.' Neque aliter vetusti codices apud Horatium Od. III. 23. 'Nec pestilentem sentiet Africum Fœcunda vitis, nec sterilem seges Robiginem.' *Heins.*

908 *Exta canis flammis*] Rufus esse debebat; imo catulus, et lactens. Columella.

912 *Et tremat in summa lene cacumen humo*] *Læve cacumen* omnino scribendum cum nonnullis membranis; quod codex unus Moreti recte interpretatur *sine rubigine:* læve enim scabro opponitur. *Heins.*

915 *Frumenta in amissis habet*] Quia jam amissa existimat.

919 *Culmos Titan incalfacit udos*] Quod et principio Georgicωn Poëta notavit in hisce, 'ut mala culmos Esset Rubigo.' Bene *esset:* nam penitus rodit et occidit segetes. Rubigo autem tunc sævit in sata, cum illis udis soles magni superveniunt. *Neap.*

923 *Durum amplectere ferrum*] *Contere* primus Ambrosianus et Læti co-

dex: et mox *otia mundus agit*, non *agat*, meliores. *Heins.*

927 *Vomer aduncus*] *Vomis* Læti exemplar: ut apud Virgilium Georg. primo in veterrimis membranis, 'sulco attritus splendescere vomis.' Et mox, 'Vomis et inflexi primum grave robur aratri.' Deinde perperam *Ruris opus* quidam ex præstantioribus. Tristium lib. III. 'Ruris opes parvæ, pecus, et stridentia plaustra.' *Idem.*

930 *Astrictum sentiat esse*] Cognoscat in vagina hærentem.

933 *Dixerat*] Flamen. *Villis solutis*] Non implicitis, non ut apud Virgil. 'Tonsisque ferunt mantilia villis:' sed solutis. *Paul.* *A dextra villis mantele solutis*] Manu dextra sacerdos ille Quirinalis cum patera et acerra gestabat linteum mappa longiusculum, tergendis manibus peracto sacrificio. *Mantele*, Græcis *χειρόμακτρον*. Confunditur tamen apud omnes mappa cum manteli. Vide Martialem in Epigrammate, cui lemma, 'Gausapa, vel mantele.' *Villis solutis*] His contrarium, tonsis villis. Nec 'villosa lintea' apud Martialem ea sunt, quibus villus per omnia insurgit; tonsa, quibus derasus; sed quibus subtemen de industria relictum; tonsa, quibus nullum. *Villos* igitur *solutos* explico, subtemen e linteo pendens. *Neapol.* *A dextra*] *Ad dextram* agnoscit Priscianus, lib. VI. *at dextra* Ursini et duo alii. *Mantele* etiam vetusti; ut apud Virgil. 'tonsis mantelia villis,' Mediceus codex longe veterrimus, aliique omnes vetusti. Sic 'mantella' apud Lucilium, et 'mantellum' apud Plautum. *Heins.*

935 *Thura focis vinumque dedit*] Imo *dari*, quicquid libri veteres dissentiunt, ut ad *τὸ vidimus* referatur: nisi malis *τὸ vidimus* parenthesi includi. *Heins.*

939 *Est canis, Icarium*] Immolari canem, pro Caniculæ sidere: cujus exortu accendi solis vaporem quis ignorat? igitur canis immolatur, ne nimio æstu noceat frugibus. *Quo sidere moto*] Cum movetur in ipso ortu. *Paul.* *Quo sidere moto*] Quo exorto: sic postulat hic sensus; nam moveri sidus proprie est, quod *ἀπὸ τοῦ ἀφανοῦς εἰς τὸ φανερὸν* procedit; et contra, quod *ἀπὸ τοῦ φανεροῦ εἰς τὸ ἀφανές*. *Neap.*

941 *Canis hic imponitur aræ*] Huic parissimum festum fuit apud Græcos, si bene memini: *Κυνοφόντιν* illi dixere. Athenæus lib. III. *Neapol.*

942 *Et quare fiat*] *Quare pereat* Zulich. Maz. Voss. Arond. et octo vel decem alii; quod verum est. *Heins.*

943 *Cum Phrygis Assaraci Tithonia fratre relicto*] *Tithonia conjux* recte Virgilio ac Silio Italico Aurora dicitur; ut et Nostro infra initio lib. V. sed *Tithoniam*, ut hoc loco, *πατρονυμικῶς* recte dici non opinor: et tamen sic locuti quoque alii. Statius inprimis Sylvar. lib. I. Epithalamio Stellæ, 'Nec si alma per auras Te potius prensa veheret Tithonia biga.' Et libro I. Thebaidos, 'Clara laboriferos cœlo Tithonia currus Extulerat.' Et lib. XII. 'trepidas subito Tithonia nubes Discutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.' Et apud Valerium Flaccum initio lib. III. 'Tertia jam gelidas Tithonia solverat umbras.' Et libro V. 'Alma novo crispans pelagus Tithonia Phœbo.' Sed iis omnibus locis, et si qui alii apud poëtas veteres occurrunt, *Titania* reponendum censeo. Fuit enim Hyperionis Titanum unius filia, soror Phœbi et Lunæ: hinc et Luna pari modo Titania est dicta. *Heins.* *Cum Phrygis Assaraci*] IV. Kalendas Maias incipiebant Floralia. Vide Plin. lib. XVIII. 29. 'Itaque iidem Floralia IV. Kalendas ejusdem Maii instituerunt, Urbis anno DXVI.' scribe, *anno Urbis* DXIII. nam L. et M. Publicio plebis Ædilibus, ut dicemus, instituta. *Neap.*

944 *Sustulit immenso ter jubar orbe suum*] *Immenso ore* sex libri: *emerso*

orbe Puteani codex. Lege *emerso ore;* ut Amor. lib. I. 13. 'Jam super Oceanum venit seniore relicto, Flava pruinosum quæ vehit axe diem.' De *emergendi* verbo vide quæ notamus lib. III. 399. *Heins.*

947 *Festum Florale*] *Sacrum* vetustiores. *Idem.* *Exit Festum Florale*] Differtur in sequentem diem: nam propter consecrata ab Augusto sacella, Apollini et Vestæ sacrificatur. *Paul.* *Exit et in Maias*] Scribit igitur solemnitatis partem sub finem mensis Aprilis agitari; quod reliquum, mense Maio. Diem ille libro sequenti facit VI. Nonas Maias. In Kalendario Constantini Magni prima Floralia invenio pridie Kalendas Maias, altera V. Nonas. *Neap.* *Sacrum Florale*] 'Honoribus [Galba] ante legitimum tempus initis, præter commissiones ludorum Floralium, novum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit.' Sueton. 'Aprici videre senes Floralia nostra.' Juven.

949 *Aufert Vesta diem: cognati Vesta recepta est Limine*] *Aufer* Ursini, primus Petavii, Mazar. et decem alii: *Aufers* alter Petavii; et tum *recepta es* sit legendum. Præterea *cognato limine* Arondelianus, et quatuor; venuste: sic 'cognatæ aquæ' Fast. III. 'cognata lumina,' et 'cognatum caput' Fast. IV. atque ita passim. *Heins.* *Aufert Vesta diem*] Ne fallaris: in hunc Vestalia non incidunt, sed in VI. Idus Junias. Nunc translatio celebratur sacri ignis in domum Palatinam. Mos fuit, Pontificem Maximum ædes publicas juxta Vestam incolere: cumque Augustus Pontifex jam designatus Palatium vellet inhabitare, Vestam ad se transtulit, id est, a regione VIII. in X. ubi situm: cujus partem tunc publicavit. Vide Dionem Cassium. *Neap.*

951 *Phœbus habet partem*] In altero Palatii angulo templum erat Apollinis Palatini: unde illa nostri Nasonis in extrema Metamorphosi: 'Vestaque Cæsareos inter sacrata penates, Et cum Cæsarea tu, Phœbe domestice, Vesta.' Vides duo numina in una domo dicata. Sueton. 'Additæ porticus cum bibliotheca Latina Græcaque.' De hac initio lib. LIII. Dio Cassius, et Horatius, Epistola 2. ad Florum, libro primo: 'Tangere vitet Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.' Latina, scilicet, Græcaque, quæ divisim in Palatio locata. Hinc colligo, quod unaquæque bibliotheca suos custodes habuerit. *Neap.*

953 *Laurus prætextaque quercu*] Ornata et cincta hinc inde lauris, aut prætexta coronis. Erat enim quercus illa Palatina cum lauris ante fores Augusti. In Metamorph. 'Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.'

954 *Tres æternos Deos*] Augustum, Apollinem, Vestam. *Paul.*

FASTORUM LIB. V.

1 *Quæritis unde putem, &c.*] Maium Romulus tertium posuit, de cujus nomine inter auctores dissensio est. Nam Fulvius Nobilior in Fastis, Romulum dicit, postquam populum in majores junioresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis rempubl. tueretur, in honorem utriusque partis, hunc Maium, sequentem Junium vocasse. Poëta autem de origine mensis dubium se esse fatetur; quare a Musis petit ut certior causa referatur. *Neapol.*

2 *Non satis est liquido cognita causa*] Ea propter tria adducit ἔτυμα, mensem hunc aut a Majestate, Honoris et Reverentiæ filia dictum, aut a Majoribus, aut a Maia Mercurii matre. Primi nemo meminit nisi noster, secundum est ex sententia Fulvii Nobilioris. Vide Macrobium primo Saturnalium. Tertium ex opinione Cincii; licet hic Maiam Vulcani dicat uxorem. *Neap.*

3 *Ut stat, et incertus*] Theognis: Ἐν τριόδῳ δ' ἕστηκα. *Idem.*

8 *Grata Medusæi signa tenetis equi*] Ita libri veteres constanter. Malim nihilominus *Graia:* sic Noster sæpenumero. Met. IV. 'Si tamen in tumido quondam concreta profundo Spuma fui; Graiumque manet mihi nomen ab illa:' ubi simili errore erat peccatum. Infra, 'Ora micant Tauri septem radiantia flammis, Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.' Lib. VI. 'vi stando Vesta vocatur, Causaque par Graii nominis esse potest.' Plura loca possent congeri, si hoc ageretur. *Heins.*

9 *Dissensere Deæ*] *Dissedere* primus Farnesianus, eleganter: sic Met. XV. 'Dissidet et variat sententia.' Sed si silent, quod sequitur, cur dissentire dicuntur? rectius igitur forsan Junianus *Assensere:* ut sub finem libri VI. 'Sic cecinit Clio: doctæ assensere sorores.' Sed puto *Desedere* reponendum esse pro *Consedere.* Idem.

18 *Sidera*] Ceteræ stellæ soli cedere nolebant. *Par erat*] Quia nulla erat discretio personarum, et dignitatis. *Paul. Omnis honor*] *Honos* vetustiores: quomodo et mox vs. 23. Junianus. *Heins.*

20 *De media plebe*] Τὸν τυχόντα Græci dicerent. *Sedere Deus*] Ac si postea sedes unicuique pro meritis assignatæ. Hanc distinctionem mihi visus Homerus adsignificasse in Iliad. A. *Neapol.*

21 *Et latus Oceano quisquam Deus advena junxit*] Metuo, ut ab Ovidii manu sit hic versus. In Zulichemiano vetus lectio penitus erat erasa. Mazar. *Nec latus Oceano quis quando leve tegebat:* alii etiam multi *Nec.* Lege, *Nec latus Oceano, quamvis grandæva tegebat Tethys:* ea enim Oceani uxor. 'Tegere latus,' ut apud Horat. Sat. II. 5. 'Utne tegam spurco Damæ latus?' *Heins. Et quisquam Deus advena*] Aliunde adveniens. *Latus Oceano junxit*] Ausus est sedere prope Oceanum, Deorum omnium parentem.

22 *Themis*] Quæ fuit soror Saturni. *Extremo sæpe recepta loco*] Cum nemo esset qui eam revereretur, et cederet.

24 *Corpora*] Deorum ipsorum, et heroum. *Legitimis toris*] Qui essent illis lege constituti.

25 *Hinc sata Majestas quæ mundum*

temperat omnem] *Hinc sata Majestas, hos est Dea censa parentes*, Mazarinianus et unus Farnesianus ac Mediceus. Venuste, et, si quid judico, vere. Vide omnino quæ notamus ad Epist. VII. 47. Neque aliter fuisse videtur in Zulichemiano; nam vetus scriptura erat illic deleta: quidam etiam *His sata*. Heins.

26 *Magna fuit*] Semper una, et eadem. *Neapol.*

29 *Pudor et Metus*] Majestatis individui comites. *Neap.*

30 *Vultus composuisse suos*] *Cultus* Ursini codex: et placet. *Heins.*

31 *Intravit mentes suspectus honoris*] Cum prius nulla ratio haberetur honoris. *Paul.* *Suspectus honorum*] Cultus et admiratio digniorum. *Neap.*

37 *Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues*] Non agnosco hic numeros Ovidianos, etsi minime nescius hanc agnosci a Scholiaste Statii lectionem ad Theb. lib. v. Opinor scribendum, *Mille manus et mille dedit pro cruribus angues.* Nisi distichon totum ab interpolatoris manu est, quod parum abest quin persuadear ut credam. Paulo ante pro *Terra feros partus*, quidam *ferox;* alii *ferax:* ut 'ferax partus terra' dicatur, quomodo in Amoribus lib. II. 16. 'Terra ferax Cereris.' *Gigantas* quoque Ursini et Læti codex; ut alibi non semel. Vide supra lib. III. 439. *Heins.*

44 *Culta manet*] Multi ex melioribus *firma*, quatuor *tuta*. Sequenti versu *illa* pro *inde;* et *conjux* pro *custos* nonnulli. Forte *consors:* ut Claudiano Justitia, 'consors adjuncta Tonanti.' *Idem.*

46 *Et præstat sine vi sceptra tenenda Jovi*] *Timenda* multi ex melioribus: pri. Ambros. et Læti, *tremenda:* quatuor *tenere.* Idem.

47 *Coluerunt Romulus illam*] Hinc Principi majestas in jure tribuitur. Vide Julium Paulum lib. IV. Sentent. tit. 5. et leg. 7. §. Hoc ceterum. D. Ad legem Juliam majest. et Legem ultimam C. De legib. *Neap.*

49 *In honore suo*] *Pio* meliores magno numero. *Heins.*

51 *Ebur curule*] Eburneam et conspicuam signis curulem sellam, pro ipsis ædilibus. *Paul.* *Illa datos fasces*] Dignitates Consulares, Æditlitias, Prætorias, omnem denique Magistratum. *Neapol.*

62 *Sæpe ferebat opem*] Ita veteres constanter. Pro *sæpe* tamen *turba* reponendum videtur, vel quid simile; ut sit ad quod referatur *τὸ illa* in superiori versu. *Heins.*

63 *Patuit tunc curia seros*] Adludit ad Leges illas annarias. *Neapol.*

64 *Nomen et ætatis mite senatus habet*] *Erat* longe venustius decem ex melioribus. *Heins.*

66 *Unde petatur honor*] Vide Latinum Pacatum in Panegyrico Theodosii.

67 *Et medius juvenum*] Loco digniori. *Neap.*

68 *Et interior*] Si duo vero erant, prælatus senex in itione, aut sessione, et ad dextram positus. *Neap.*

69 *Verba quis auderet coram sene Dicere*] Τελευταῖοι δὲ οἱ νεώτατοι, λόγον μὲν οὐδένα λέγοντες, ἔτι γὰρ ἦν δι' αἰσχύνης τό τε Ῥωμαίοις τοῦτο, καὶ νέος οὐδεὶς ἑαυτὸν σοφώτερον εἶναι ἠξίου πρεσβύτου. Dionys. Halicarn. VII. Ab U. C. ann. 263.

70 *Censuram longa senecta dabat*] Senibus, inquit, habita reverentia, æque ac morum magistris. *Neapol.*

71 *Selectaque corpora patres*] Iidem *pectora;* utique et hoc melius: de consilii enim non de virium præstantia agitur. Propertius Eleg. IV. 1. 'Pellitos habuit rustica corda patres.' Sic apud Maronem, 'juvenes, fortissima frustra Pectora.' Et alibi, 'lectos juvenes, fortissima corda, Defer in Italiam.' Silius libro VI. 'Juvenes parat aspera bello Pectora captivos.' Mox, pro *tribuisse vocabula*, iidem *posuisse*, etiam recte. 'Nomina ponere' Nostro usitatum. Virgilius

lib. VIII. 'Sæpius et nomen posuit Saturnia tellus.' Silius libro VIII. 'Sed populis nomen posuit metuentior hospes.' Horatius Epist. I. 7. 'Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen:' quæ illic genuina est præstantissimorum codicum scriptura. Virgilius libro VII. 'Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis.' *Heins.* *Selectaque pectora Patres Dixit*] Patres conscriptos. Sic eleganter Liv. dec. 1. lib. II. 'Traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent. Conscriptos videlicet in novum senatum appellabant lectos.'

72 *Summa relata*] Τὸ σύμπαν. Terentius Phormione: 'Ad te summa rerum redit.' *Neapol.* *Urbis summa*] Sic Cæsar, 'belli summæ præficere aliquem:' 'Summam belli committere fortunæ:' et quasi sub uno ictu exponere.

76 *Avum sustinuisse nepos*] *Avo* pr. Ambros. Læti, Maz. Zulich. pr. Farnes. et quatuor alii probæ notæ; quod non est de nihilo; ut *negare* vel quid simile subintelligatur. Libro tamen XIV. Met. 'Has rogat auxilium; nec Nymphæ justa petentem Sustinuere Deam.' *Heins.*

77 *Nec leve propositi pignus successit honoris: Junius a juvenum nomine dictus adest*] *Proposito honori* Læti codex, et primus Ambrosianus, et tres alii: quidam *propositum;* quinque *præpositi;* quod sequor. Deinde in Zulich. et Mazar. *successor* a manu prima, et *habet* pro *adest.* *Successor* etiam est in uno Farnes. et Mediceo: et *habet* in Ursini optimo, primo Farnesiano et uno Patavino. Scribe, *Nec leve præpositi pignus successor honoris Junius a juvenum nomine dictus habet:* nisi *præposito honori* mavis. *Heins.*

82 *Qui terram*] Malim *Quæ;* aliter tamen libri vetusti. *Idem.*

83 *Cum cælifero Atlante*] Nonnulli *stellifero.* Sed Virgilius quoque 'cæliferum' Atlantem dixit; et summus Virgilii imitator cum Silio Italico Valerius Flaccus, si per correctores ignavos et inscitos licuisset. Is ergo Valerius lib. v. 411. 'stat cælifer Atlas Oceano, genibusque tumens infringitur unda:' nunc in vulgatis libris *stat ferreus Atlas;* quod sciolorum commentum est: cum enim syllaba una aut altera librariorum supinitate excidisset ipso vocis initio, pro *fer* reposuerunt *ferreus,* metro magis consulentes, quam auctori nihil absonum aut ineptum molito: nam si respiciebat ad materiam, ex qua statua illa Atlantis facta, *æneus* potius dicendum erat, quam *ferreus:* atque ita forte scribendum. Idem Atlantem *cani* epitheto donarat, recte atque erudite. Sed ne hoc quidem illi licuit per librarios. Locus est lib. II. 621. 'stupuitque fragore Canus, et occiduis regnator montibus Atlas:' ubi *Janum,* si Dis placet, inculcarunt satis importune, et præter rem. Nota sunt illa Virgiliana de Atlante, 'Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento Præcipitant senis, et glacie riget horrida barba.' Silius Italicus libro primo de Atlante apposite, 'Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris Pinea silva premit: quassant cava tempora venti, Nimbosoque ruunt spumantia flumina rictu. Tum geminæ laterum cautes maria alta fatigant.' Secundo versu *quassant* pro *vastant* reposuimus ex conjectura. Quarto pro *fauces* ex fide optimi codicis *cautes.* Recte igitur *canus,* qui et senex sit, et glacie ac nive obsitus. *Idem.*

89 *Ladonque rapax*] *Ladoque* multi ex scriptis: et *Mænalos* pro *Mænalus* Zulich. et optimus Patavinus. Mazar. et duo Medicei, *Mænalon;* recte forsan: quanquam enim Grammatici veteres Mænalus et Mænala in plurali agnoscant, Stephanus tamen περὶ πόλεων ita videtur distinguere, ut Μαίναλος urbs sit Arcadiæ, τὸ Μαίναλον mons. *Idem.* *Ladon rapax*] Fluvius

Arcadiæ. *Et Mænalus ingens*] Mons est Mænalus. *P.*

90 *Condita prior*] Nam Arcades se ante lunam natos putabant.

91 *Exul ab Arcadia*] *Arcadiis* prim. Ambros. opt. Patav. Maz. Zulich. agris nimirum. *Heins.*

94 *Casa rara fuit*] 'Rara domorum Tecta vident.' Æneid. VIII.

97 *Nonacrius heros*] Evander a Nonacri Arcadiæ monte. *Et matri paret*] Ut debet filius matri parere. *Et vati*] Et illi quæ futurorum præscia.

100 *Alipedis Dei*] Mercurii.

101 *Succinctis Faune Lupercis*] Quia currebant cum subligaculis circa pudenda, ut notavimus in II. *Neap.*

102 *Cum lustrant celebres vellera secta vias*] *Verbera* veteres plerique. Sed frustra; nisi *tergora* cum duobus amplectendum censes: *celeres* etiam iidem veteres. Et pro *vias* Læti, pr. Ambros. et multi alii, *manus.* Puto, *Cum lustrant steriles tergora secta manus;* vel *vellera secta:* tergora nempe caprina. Lib. II. in hac de Lupercis narratione, 'Ille caprum mactat: jussæ sua terga puellæ Pellibus exsectis percutienda dabant.' Et ibidem de Lupercis, 'Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis, Nec prece, nec magico carmine mater eris. Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ. Jam socer optatum nomen habebit avi.' Juvenal. Sat. II. 'steriles moriuntur, et illis Turgida non prodest condita pyxide Lyde, Nec prodest agili palmas præbere Luperco.' Ubi Scholiastes, 'Steriles mulieres februantibus Lupercis se offerebant, et ferula verberabantur:' et mox, 'palmas ideo dicit, quia aut catomis cædebantur, aut manibus vapulabant.' Ergo tam manus quam terga cædebantur. Plutarchus in Cæsare, de Lupercis, *πολλαὶ δὲ καὶ τῶν ἐν τέλει γυναικῶν ἐπίτηδες ὑπαντῶσαι παρέχουσιν, ὥσπερ ἐν διδασκάλου, τῷ χεῖρε ταῖς πληγαῖς, πεπεισμέναι πρὸς εὐτοκίαν κυούσαις, ἀγόνοις δὲ πρὸς κύησιν ἀγαθὸν εἶναι.* Plura de Lupercalibus idem in Romulo et in Romanis Quæstionibus. Ex his itaque Plutarchi ac Juvenalis locis jam liquet, cur *steriles manus* in Nasone censeam reponendas. Servius Æn. VIII. ubi de Lupercali sacro: 'Nonnulli propter sterilitatem hoc sacrum dicunt a Romulo institutum, ideoque et puellæ de loro capri cæduntur, ut careant sterilitate et fœcundæ sint.' Pro *cinctutis lupercis* male *succinctos* quidam codices agnoscunt. Puto et eandem vocem Statio reddendam esse Sylvar. lib. V. Epicedio patris, 'et tua multum Verbera cinctuti formidavere Luperci;' cum *succincti* in vulgatis libris dicuntur. *Heins.*

106 *Pleiadum numero fila*] *Numerum* Ursini codex multique alii; qui loquendi modus Ovidio familiaris. Mox pro *laudata est*, quatuor scripti *laudataque:* scribe *laudataque voce sororum est.* Idem. *Pleiadum numero*] Quæ septem fuere. Aliqui ad septem planetas referunt, aliqui ad vocum discrimina. *Septena Pleiadum numerum fila lyræ*] Καὶ κιθαρισταὶ λύρας ἑπταχόρδους ἐλεφαντίνας κρέκοντες. Dionys. Halic. lib. VII. ἑπτὰ δ' εἰσιν σύμπαντες κιθαρῳδίας νόμοι. Tzetz. Chiliad. Hist. I. 17. Consule Athenæum lib. IV. 23. et seqq.

111 *Prima mihi nocte videnda*] Kalendis Maiis Capella oritur heliace; post hasce Ptolemæo: *β.* inquit, Ὥρᾳ ιδ' ς'. ὁ καλούμενος αἲξ ἑῷος ἀνατέλλει. Columellæ eadem die qua nostro Fastographo. *Neapol.*

113 *Sidus pluviale*] Scripti, duobus aut tribus exceptis, *signum.* Mox pro *Cretæa* Ursini et optimus Patavinus *Cretæa, &c.* Moreti codex *Cretæaque.* Puto *Creteide nobilis Ida;* vel *Curetide:* de quo dixi ad Met. VIII. ubi 'Curetida terram' pro Creta habes. *Heins.* *Oleniæ Capellæ*] Capræ, Helices Nymphæ, Oleni filiæ: vel ab Oleno oppido in Bœotia.

123 *Cinxitque decentibus herbis*]

Cinctumque rectius unus Vaticanus: *decoribus herbis* Ursini, Arondel. prim. Med. plurimique alii. Sed *recentibus* cum opt. Patav. Mazar. Zulich. prim. Ambros. Læti, et duodecim aliis scribendum: tres *virentibus.* Virgil. 'Thure calent aræ sertisque recentibus halant.' Hinc apud Theocritum Idyll. XXVI. *νεόδρεπτοι βωμοὶ*, aræ herbis floribusve recentibus vinctæ. Propertius IV. Eleg. 6. 'Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris Tibia Mygdoniis libet eburna modis.' Noster Met. VIII. 'pendentia vidi Serta super ramos, ponensque recentia, dixi, Cura Deum Di sunt.' Fast. III. 'Vesta quoque ut folio niteat velata recenti.' Lib. IV. 'Sparguntur juncti flore recente boves.' Sic 'flore recenti vincire comam' Senecæ Thyeste Act. V. ubi perperam *decente* reponunt. In Priapeis, 'At o Priape sæpe floribus novis Tuas sine arte deligavimus comas.' *Heins.*

125 *Res cœli*] Imperium. Æn. III. 'Res Asiæ.'

127 *Sydera nutricem Fecit*] Capram in sydera transmutavit. *Nutricis fertile cornu Fecit*] Fecit illud cornu copiæ.

128 *Quæ dominæ nunc quoque nomen habent*] *Quod habet* meliores plerique: cornu Amalthæum intelligit. *Heins.*

132 *Longa vetustas*] *Multa vetustas* Mazar. Zulich. Voss. pr. Ambros. Læti, et quatuor alii; recte: nam 'longa senecta' mox sequitur: vide quæ notamus Remed. Amor. vs. 632. *Idem. Saxo nocet*] Quod vetustate exesum.

133 *Quod præstant oculis*] Hoc primum notes, Lares etiam antiquis creditos, quos nunc vocamus genios tutelares. Nunc ad etymon deveniam. Plutarchus: 'An Præstites sunt qui præsunt?' Hac etiam de causa JOVEM PRÆSTITEM reperio legi.

135 *Stant quoque pro nobis*] Hi speciales Capellæ genii cuique ad custodiam præfecti. Græci dixere, *ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων. Et præsunt mœnibus urbis*] Hos vocarunt Generales, qui regna, urbes, populos curant. *Neapol.*

137 *Et canis*] *At* veteres plerique. *Heins.*

139 *Servat uterque domum*] Glossæ: *Lares, θεοὶ κατοικίδιοι.* Domi vero nulla fuit illis certa sedes: nam eos in foco positos reperio, in cubiculo, et in compluvio, et in porticu huic annexa. *Domino quoque fidus uterque*] Canum *φιλοδεσποτείαν* indies experimur, et non custodiam? custodes ipsos, ut mireris, *κύνας* veteres dixere. *Neapol.*

140 *Compita grata Deo*] Compita *αἱ συντρέχειαι.* Glossæ, *Competit, συντρέχει.* Persii vetus interpres ad illud Sat. IV. 28. 'Pertusa compita,' 'Sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia pro finita agricultura rustici celebrant. Merito *pertusa*, quia per omnes quatuor partes pateant.' Patentes, vel compita dicuntur, ad quæ plura itinera competunt. Hinc Lares Compitales, et Compitalia festa, quæ Laribus in Compitis fiebant. Varro de L. L. lib. V. *Neapol.*

141 *Et turba Diania*] Canes Dianæ dicati.

145 *Mille Lares habet*] Mille Larium simulacra. *Genium ducis*] Mercurii. *Qui tradidit illos*] Qui genuit Lares, cum Laram Nympham jussu Jovis ad inferos ducens gravem redderet. *Qui tradidit illos*] Ne mireris venalem hanc *κολακείαν* in exsule ad suum Principem. Moneo, ne eruat ex his aliquis, ab Augusto primo Larum cultum Romæ traditum. Quid ille novi addiderit, vide apud Sueton. lib. II. 31. *Neapol.*

146 *Urbs habet*] In quovis enim compito, in quovis larario domestico duo aderant, et cum his Augusti Genius, qui inter eos apud veteres cultus: hoc a nostris multis in locis adnotatum. *Neapol. Et vici numina trina colunt*] In urbibus et compitis vicorum colebantur duo Lares, et ipse genius.

148 *Jus habet*] *Dabit* aliquanto rectius Læti, primus Ambros. Arondel. Maz. et sex alii. *Heins.* *Interea Diva canenda Bona est*] Agendum est de Dea Bona, cujus festum Kal. Maias celebratur. Hanc etiam Faunam, Opem, et Fatuam pontificum libris indigitari: Bonam, quod omnium nobis ad victum bonorum causa est: Faunam, quod omni usui animantium favet: Opem, quod ipsius auxilio vita constet: Fatuam, a fando. Infantes partu editi, non prius vocem edunt, quam terram attigerint. *P.* *Diva canenda Bona est*] Iisdem Kalendis Maiis sacra erant Bonæ Deæ, ut auctor etiam vetus scriptor Cincius primo Saturnalium. Hanc Græci Γυναικείαν dixere: Latinis est sane Dea polynominis. Victima in ejusdem sacrificio sus erat prægnans: illud vero *Damium* appellatum. Vide caussam in Festo. *Neapol.*

149 *Est moles nativa loco res nomina*] Poëta templum Bonæ Deæ in Aventino describit, quod Claudia virgo consecravit: postea vetustate collapsum Livia Augusta restituit.

152 *Regna dedistis aves*] *Signa* Ursini codex et unus Patavinus, cum Naugerii libro. Superiori versu *Hunc remus institerat* Zulichemianus a manu prima, non *Huic.* Sic 'insistere limen,' 'insistere vestigia' dixit Virgilius: 'insistere viam' et 'iter' Plautus Terentiusque. *Heins.*

153 *Oculos exosa viriles*] Adeundus Tullius de Aruspicum responsis.

154 *Leniter acclivi jugo*] Vide ut explicat ædem Bonæ Deæ subsaxanæ, de qua cum antiquis Publius Victor regione XII. *Neapol.*

155 *Veteris Clausorum nominis hæres*] Hæc Appia illa Claudia probatæ pudicitiæ femina. *Neapol.*

156 *Corpore passa virum*] *Nefas* primus Farnesianus pro diversa lectione; forte rectius: quia 'secuta virum' mox sequitur; nisi illic *suum* malis, ut ad *τὸ maritum* referatur. *Heins.* *Virgineo nullum corpore passa virum*] Fuit enim virgo Vestalis, et spectatæ pudicitiæ testimonio quoque Matris Deum.

157 *Livia*] Conjunx Augusti. *Restituit*] Templum illud, cum esset vetustate collapsum. *P.*

160 *Tollet equis*] *Tollit* meliores: et *inducunt* pro *inducent* paulo post. *Heins.*

163 *At simul inducunt*] Hic Noster, sui oblitus, posuit statim post solis occasum Hyadum ortum: scribere debuisset, matutinum. *Neapol.*

165 *Septem radiantia flammis*] Septem flammeis stellis, quæ sunt in fronte Tauri.

166 *Hyadas Græcus ab imbre vocat*] Nostri *Suculas*, Græci a pluvia appellant. Tyro Libertus apud Noctes Atticas lib. XIII. 9. in quo A. Gellius ἀναστρολογητὸν se vel puero ostendit. *Neapol.*

167 *Pars Bacchum nutrisse putat*] *Putant* veteres nonnulli; venustius. Mox *nisibus* pro *nixibus* pr. Farnes. pr. Ambros. et sex alii. Vide notas ad Epist. IV. 126. Et deinde *τὸ est* pro *lanugo* meliores non agnoscunt. *Heins.* *Pars Bacchum nutrisse putat*] Ex Pherecyde et aliis vide quod restat mythici apud Hyginum Fabularum cap. 192. illum nostri Ovidii intimum. *Neapol.* *Tethyos neptes*] Filias Æthræ Nymphæ, filiæ Oceani et Tethyos.

169 *Nondum stabat Atlas*] Nondum Atlas conversus erat in montem sui nominis, ut sustineret humeris cœlum.

171 *Stirps Oceani Æthra*] Filia Oceani.

172 *Et Nymphas*] Peperit etiam Hyadas sorores. *Sed prior ortus Hyas*] Natus est Hyas, antequam nascerentur sorores.

178 *Fuit præda*] A leæna Libyca laceratus est. *P.* *Præda cruenta leæ*] Glossæ, *lea*, λέαινα. *Neapol.* *Præda cruenta leæ*] *Feræ* Zulich. Mazar. Voss.

Arond. Læti, opt. Patav. et quatuor alii ; probe : nam 'leæ' et 'leænæ' jam præcesserant. *Heins.*

182 *Illa*] Pietas. *Dedit cœlum*] Nam propter pietatem in cœlum relatæ sunt. *Hyas*] Ab Hya fratre Hyades dictæ sunt.

183 *Mater ades florum*] Eadem die celebratur festum Floræ, quod ex Aprili in Maium translatum est. Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum Roman. scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ejus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit : eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereque florescerent. Eum colorem sequutus in Fastis Poëta, non ignobilem Nympham narravit, quæ sit Chloris vocitata : eamque, Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem.

188 *Ille vel ille*] *Vel iste* meliores : et mox *Ipsa doce quæ sis* non *scis :* et *respondit Diva* pro *respondet*, et *efflat* pro *adflat.* Heins. *Ille vel ille, &c.*] Et Aprilis et Maius convenit tuæ celebritati.

189 *Circus in hunc exit*] Ludi qui in circo, seu theatro fiunt, transferuntur in hunc mensem. *Clamata verba theatris*] Verba jocosa, quæ in theatro cum clamore proferuntur. *P. Circus in hunc exit*] Plures Romæ Circi ; notum : sed unus Floræ dictus in regione VI. Hic igitur ludi per id tempus editi : quis addubitet ? erant vero venatorii, et mansuetorum animalium. Horum congressio voluptatis fuit, et incruenta. Sæpe tibi occurret in Valerii Martialis Epigrammat. Alias etiam ludos iisdem festis datos reperio. *Neap. Clamataque verba theatris*] Ex his collige, et in circo lusum, et scena lasciviente. Ad hanc pertinet theatrum, in quo vulgi licentia, et a piissimis toties detestata impudicitia. Arnobius lib. VII. 'Existimat tractari se honorifice Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi, et migratum a lupanaribus in Theatra.' Πορνεῖον locum diceres, in quo editi ludi Scenici : nec fallor. *Neap.*

190 *Hoc quoque carmen*] Nostrum. *Cum Circi munere eat*] Cum ludis theatralibus.

196 *Littera Græca sono*] X. mutatum in F. a Χλωρὶς factum Flora, ut a χλόος *flos :* utraque tamen vox recepta Latinis. *Neapol.*

200 *Repperit illa Deum*] Nupsit enim Zephyro. Vide Turnebum lib. I. Adversariorum cap. 7. *Neap.*

203 *Jus omne rapinæ*] Concessit illi omnem mei rapiendi potestatem. Boreas enim ex septentrione flat.

204 *Præmia ferre domo*] Rapere ex Athenis Orithyiam regis Erechthei filiam.

205 *Dando mihi nomina nuptæ*] Alii *nymphæ ;* et tum *numina* malim cum uno Patavino. *Heins.*

207 *Semper nitidissimus annus*] *Tepidissimus* opt. Patav. prim. Farnes. Maz. et a manu prima Zulich. et duo alii : sed infra mox habebis, 'Si bene floruerint oleæ, nitidissimus annus.' Pro *semper* Zulich. et duo alii *per me ;* unus Moreti *vere est ;* liber Strozzæ *vere :* lege, *veri nitidissimus annus ;* nempe *est.* Idem.

217 *Conveniunt Horæ*] Quæ cœli portas servare dicuntur. *Pictis vestibus*] Varii coloris. *Munera nostra legunt*] Colligunt nostros flores. *Pictis incinctæ vestibus Horæ*] *Pictis floribus* tres veteres ; quomodo 'incingi mitra' alibi dixit : certe Horæ στεφανηφόροι Alcæo dicuntur : et πολυάνθεμοι Pindaro Olymp. Od. XIII. sed nil temere mutandum : nam et pictis ves-

tibus flores subintelligi possunt. Sic et Sileni theatris veste floribus contexta inducebantur, teste Halicarnasseo lib. VII. Orpheus in Hymnis, Ὧραι θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος, Εὐνομίη τε, Δίκη τε, καὶ Εἰρήνη πολύολβε, Πέπλους ἐννύμεναι δροσεροὺς ἀνθῶν πολυθρέπτων. *Idem.*

219 *Protinus accedunt*] *Accipiunt* Mazar. Zulich. *arripiunt*, quod placet: *accidunt* optimus Patav. *Idem.*

223 *Theramnæo de sanguine*] Prima converti Hyacinthi pueri sanguinem in purpureas violas. *Theramnæo*] A Theramne vico Laconiæ. *Paul. Prima Therapnæo*] Θεράπναι oppidum Laconiæ.

224 *Scripta querela suo*] Aî aî lugentibus aptæ syllabæ in foliis inscriptæ, ob interitum amasii Apollinis: sive sint illæ τοῦ Αἴαντος, si verum ex Ajacis sanguine editum, ut scribit Columella. Inde de hoc flore duplex fabula Plinio lib. XXI. 11. *Neapol.*

226 *Quod non alter et alter eras*] Quod non eratis duo, quod non eras alter a tertio quem amabas, sed idem eras: nam imagine tua captus interiisti.

227 *Quid Crocon aut Acin referam*] Acis non in florem, sed in amnem, mutatus apud Poëtas, si quid memini. *Attin* Pomponii Læti codex, et unus Mediceus melioris notæ exhibent; quod et in suis invenerat Ciofanus. Plurimi ex antiquis *Athim* vel *Atym* vel *Astim. Athin* Zulichemianus. Vossianus *Atyn. Actyn* Ursini codex. Lege *Attyn;* cujus cruor in violam mutatus, ut ex Arnobii lib. V. apparet, qui multis fabulam hanc persequitur. Sequenti versu pro *sanguine*, quod paulo ante præcesserat, veterrimi maxima ex parte *vulnere* agnoscunt. *Heins. Quid Crocon referam*] Juvenem Crocum in florem quoque conversum. *Aut Acin*] Puerum a Nymphis amatum, et in flores sui nominis conversum. *Cinyraque creatum*] Adonin Cinyræ regis ex Myrrha filia natum, quem Venus amavit, de quo in Met. X. ab apro interemptum in florem demutavit.

229 *Per nostras editus artes*] Flora fuit, quæ mœstæ Junoni, ob natam Minervam ex mariti vertice sine ope conjugis, florem ostendit in Achaia: quo tacto, Juno sine viro fecunda Martem peperit. Id tetigit Festus in Gradivi etymo. *Neapol.*

233 *Facta mariti*] Ita libri veteres; malim nihilominus *furta:* qui frequens error est in antiquis libris; neque aliter alter Petavianus. *Heins.*

241 *Cur ego desperem*] *Desierim* octo ex melioribus: tres *despicerem.* Forte *despuerim* vel *respuerim*, quod præstat. Mox *lætis terris* pro *latis* Maz. et Zulich. hoc est fertilibus: dixi supra lib. I. 545. *Latiis* perperam Ursini codex et Patavinus unus. Infra vs. 280. *lætam dives habebat humum* cum Patavino. *Idem.*

245 *Vox erat in cursu*] Adhuc Juno loquebatur: cum nescio quid volentis aliqua proferre notavit in Floræ vultu: ac ne tum quidem hæc verbum adjecit. *Neapol.*

250 *Testificabor aquæ*] *Testificatur* magis arridet cum optimo Patavino, Maz. Zulich. et tribus aut quatuor aliis. *Heins.*

251 *Mihi missus Flos*] Dabit quod petis flos advectus ab agris Oleni urbis.

253 *Qui dabat, Hoc, dixit*] Ita distingue. Sequenti versu aliud agebat Illustrissimus Neapolis, dum legit, *Tangit et intacto concipit illa sinu:* agitur enim de Junone, non de sterili juvenca. *Heins.*

257 *Læva Propontidos*] Ad sinistram Propontidis; quod mare illud est inter Hellespontum et pontum Euxinum.

259 *Habeto, dixit, in urbe locum*] Ac si Martis opera Floralia instituta. Res ridicula. *Neapol. Qui memor*] *Cum* vel *Tum* veteres plerique. *Heins.*

261 *Forsitan in teneris, &c.*] Non

modo est mihi data potestas in flores, unde serta et coronæ fiant: sed in arbores quoque et in segetes: quæ si bene floruerint, fertilitatem pollicentur.

262 *Tangit numen et arva meum*] *Tangunt* prætulerim cum Erfurtano et uno Patavino. *Heins.*

265 *Nitidissimus annus*] 'Nitidissimus' dixit, respectu eorum, quæ oleo perunguntur.

266 *Poma quoque eventum*] *Pomaque proventum* Naugerii, Ursini, et unus Patavinus codex; recte: sic 'proventus anni,' et similia, apud Rei rusticæ scriptores. *Heins.*

268 *Advena Nile*] Qui aliunde advenis in Ægyptum. *Lentes, advena Nile*] Quas Poëta Peleusiacas vocat in Georgicis.

269 *Condita cellis*] Ἐν τοῖς οἰνῶσι. *Neapol.*

272 *Et cytisos*] Fruticem esse cytisum inquit Plinius; summis laudibus prædicatum, pabulo ovium.

274 *Corporaque ipsa vigent*] *Virent* Mazar. et Zulich. a manu prima; eleganter: 'viridis ætas,' 'virides anni,' et similia, passim apud Poëtas: sic et Græci, unde γόνυ χλωρὸν apud Theocritum; quod Horatius est imitatus. *Heins.*

276 *Jus tibi dicendi est*] *Discendi* meliores plerique, omisso *est:* vidit jam ex suis Ciofanus. *Idem.*

277 *Ludorum quæ sit*] Scribit, Ædiles Plebis, qui dicti L. Publicius Malleolus et M. Lucius Malleolus, cum plurimos locupletes agros Populi Romani occupasse animadvertissent, ad populum reos adduxisse; ex quo factum ut peculatus damnarentur. Multatitia illa pecunia ad clivum sternendum et Florales ludos, quos numquam Roma viderat, deputata. *Neapol.*

283 *Populi depascere saltus*] Ex quibus tantum olim ille vectigal emungebat: quia novi vectigalis nomen semper odio fuit. 'Saltus' vero vocabant, ubi erant pastiones, auctore Festo Pompeio. Unde 'saltuarii pastores' Jurisconsulto in L. D. VIII. De fundo instruct. et instr. legat. Scias etiam, eundem esse, populi saltum, et scriptuarium agrum. *Neapol.*

285 *Servabat sua publica vulgus*] *Servabant* optim. Patav. Putabam aliquando scribendum, *Vindice versabant nullo sola publica vulgus:* hoc est, vertebant. Noster Pont. II. 7. 'Tempus in arvorum cultu consumere dulce est: Non patitur verti barbarus hostis humum:' quidam legunt *pascua;* quos inter Demsterus in Rosinum: quomodo unus Mediceus: alii duodecim *pabula.* Mox *delata licentia* pro *perducta* notat ex suis Naugerius; quod placet. *Heins.*

287 *Perducta*] Relata est. *Ad ædiles Publicios*] Qui publica procurabant.

289 *Mulctam subiere nocentes*] Ad id promulgata postea lex Thoria. *Neapol.*

291 *Mulcta data est ex parte mihi*] Ex ea tunc tibi ædes extructa juxta Circum maximum, et instituti proprii ludi. De æde Tacitus Annal. II. 'Iisdem temporibus,' id est, anno Urbis DCCLXIX. 'Deum ædes vetustate aut igni abolitas, cæptasque ab Augusto, dedicavit: eodemque in loco ædem Floræ,' &c. *Neapol.*

292 *Victores*] Illi qui exegerant a delinquentibus mulctam: aut victores Romani.

293 *Parte locant clivi*] Omnino *clivum* cum vetustioris notæ plerisque reponatur; quod Neapolis jam vidit. *Qua tunc* etiam, non *qui,* Zulichemianus. *Heins. Parte locant clivi*] Locarunt circum aut theatrum pro meis ludis in parte clivi, Capitolini scilicet.

294 *Publiciumque vocant*] Marc. Varro de L. L. lib. IV. 'Clivus Publicius, ab Ædilibus plebeis Publiciis, qui eum publice ædificarunt.'

295 *Negavit*] Eo igitur tantum anno illi exhibita. Sed florum damnis

iram ostendit, et longa oblivia: nam per LXVI. annos solidos iterum Floralia sua non vidit: diuturna sane pausa. *Neapol.*

297 *Honor*] *Honos* præstantiores. *Heins.*

305 *Flammis ardentibus arsit*] Nota est fabula apri Calydonii, Ætoliæ a Diana immissi, quod ei Œneus rex Meleagri pater non sacrificaverat. Aper a Meleagro occisus est, et datum amicæ spolium, cum ab avunculis illi ereptum esset, avunculos et ipse interemit. Althea mater pronior animo in fratres, quam in filium, stipitem diu servatum, in quo erat filii fatum, flammis injecit: et eo ardente, arsit infœlix Meleager. *Paul.* *Respice Thestiaden*] Meleagrum Thestii ex Althæa matre nepotem. *Neapol.*

307 *Respice Tantaliden*] Niobem Tantali filiam. *Eadem Dea vela tenebat*] Idoneum sensum non elicies, ni legas, *eadem Dea tela tenebat.* Neapol. *Respice Tantalidem*] Agamemnonem, qui dictus est Atrei filius ex Merope. Atrei autem pater est Pelops, Pelopis Tantalus. *Eadem Dea vela tenebat*] In Aulide retenta sunt vela Græcorum. *Virgo, &c.*] Sensus est: Diana quidem est virgo, et clemens esse debuit: bis tamen ultra modum ulta est acceptam injuriam, morte Meleagri, et Iphigeniæ sacrificio. *A.* *Tela tenebat*] Imo *vela*, ex fide historiæ; neque aliter scripti: de Agamemnone ad Trojam profecturo, et in Aulidis portu cum adversis ventis luctante agitur: dormitavit hic Neapolis. *Heins.*

308 *Et spretos bis tamen ulta focos*] Bis vindictam sumpsit de his qui suas spernebant aras: nam de Calydonia domo, et de Niobe.

309 *Hippolyte infelix, velles coluisse Dionem*] Quam contemnebat semper, et pro Venere Dianam colebat. Sic ipse apud Eurip. vs. 102. Πρόσωθεν αὐτὴν ἁγνὸς ὢν ἀσπάζομαι. Et deinde ad ancillam, vs. 113. Τὴν σὴν δὲ Κύπριν πολλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω.

310 *Diripereris equis*] Vide quam supra mortale ingenium depingat hanc mortem Annæus Seneca Actu v. in Tragœdia cui nomen Extincti. *Neapol.*

311 *Collecta oblivia damnis*] *Correcta* tres scripti; totidem *collata: collecta* optimus Patav. *Heins.*

313 *Fierem manifesta*] Ut populo ostenderem, qua pœna affecta ob ludorum præteritionem. *Neapol.*

314 *Exigerent*] *Exigerem* plurimi ex scriptis. *Heins.*

320 *Dos mihi vilis erat*] Viles erant horti et flores.

322 *Grandine læsa seges*] *Ceres* pr. Ambros. et sex alii: ut Amor. lib. III. 7. 'Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam.' Mox pro *frondes decutiuntur* pr. Farnes. et quinque alii *excutiuntur.* Vide notas lib. III. 237. *Flores* etiam alter Puteaneus; sic supra: 'Si bene floruerit vinea, Bacchus erit.' *Heins.*

327 *Convenere patres*] Anno Urbis DXXC. L. Postumio Albino et M. Popilio Læna Consulibus: horum jussu quotannis incœpta exhiberi Floralia; cumque cura ludorum pertineret ad Ædiles plebeios, spectaculum edidit Ædilis unus ejusdem anni C. Servilius C. filius Casca. *Neapol.*

329 *Annuimus votis*] *Voto* libri veteres. *Heins.*

330 *Persoluere mihi*] *Rite vovere* Pigius emendat in Annalibus ex scripto codice p. 361. quod leges prosodiæ non ferunt. *Idem.*

331 *Quare lascivia major*] Nudatæ tunc in scena mimæ. Et quid non actum impudentius sub Floræ clypeo? Adegere ea festa, ut e theatro semel aufugeret Cato, nec denuo exinde viseret. Valerius Maximus lib. II. 10. *Neapol.*

335 *Tempora sutilibus cinguntur tota coronis*] Censeo scribendum, quicquid scripti codices dissentiunt, *tempora*

pota; hoc est, potu madida: *tecta* est in editione Gryphii et quinque manu exaratis: τὸ *pota* confirmatur a sequentibus. *Heins.*

337 *Ebrius incinctis*] Scribe, *incinctus philyra conviva capillos. Philyra*] Delirant qui philyram dicunt hic esse feminæ corollariæ nomen; Philyris antiqui utebantur pro lemniscis in coronarum plexione. *Neapol.*

339 *Ad durum limen amicæ*] 'Durum limen' alibi dixit 'inimica claustra;' quæ pessulo clausa noctu amatores excludebant: ipsi tunc ea soliti unguentis ungere.

340 *Cantat*] Ejusmodi cantilena Latinis occentatio: unde, 'ostium occentare.' *Neapol. Habent unctæ mollia serta comæ*] Jam de sertis comarum supra dixerat. Opinor itaque scribendum *habent unctæ mollia serta fores:* amicarum enim foribus serta appendebant, et illinebant unguentum; de quo ritu multi. Lucret. lib. IV. 'At lacrymans exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis operit, postesque superbos Unguit amaracino.' Apud Persium quoque Sat. v. illo loco, 'dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto,' videtur reponendum, *Chrysidis unctas ante fores.* Heins.

342 *Vinctis bibuntur*] Ab his qui caput habent floribus coronatum. *Paul.*

349 *Turba quidem cur hos celebret*] *Celebrent* pr. Bononiensis. *Heins.*

350 *Non ex difficili cognita causa fuit*] Plurimi ex vetustioribus *causa petita fuit:* sex *petita mihi est: petita subest* Zulich. Maz. Voss. pr. Farnes. opt. Patav. aliique quatuor: duo *petenda subest.* Lib. II. 'Parva quidem causa, sed apta, subest.' Lib. IV. 'Causaque, cur jubeat, (discite) certa subest.' Et postea, 'an sua causa subest:' et infra hoc libro, 'huic signo fabula nota subest.' *Idem.*

353 *Dum floreat, uti*] Hoc idem pluribus eleganter, ut solet, expressit primo Amorum Eleg. 6. *Neapol.*

354 *Contemnunt spinam*] *Contemni* bene Mazar. Zulich. prim. Farnes. opt. Patav. et quatuor alii. *Heins.*

355 *Cur tamen*] In Cerealibus ludis albæ vestes adhibentur, ab aristarum colore: sic in Floralibus pictæ et variæ, ab ipsa florum varietate. *Paul.*

356 *Sic est hæc cultu versicolore decens*] Glossis *versicoloria* sunt ποικιλόχροα. Vestis versicolor Græcis ἀνθίνη ἐσθὴς, ut et ποικίλη. Sed cur in Floralibus hæc gestari solita? quia flores varii etiam coloris. Luxuriosis olim proprius hic habitus. Unde forte in his festis receptum puto, quia ad meretrices celebritas pertinebat. *Neap.*

358 *Et color*] *At color* pr. Ambros. Læti, Mazar. Zulich. et duo alii; placet. Et mox *Accidere in mensas,* pro *Decidere,* veterum plerique; etiam probe: sic Lucretius lib. IV. 'Ætheris ex oris in terrarum accidere oras,' pro cadere dixit: ita enim rectius libri veteres quos vidi, quam *ad oras.* Varro Parmenone apud Nonium in *Trabs,* 'Alia trabs pronis in humum accidens proximæ frangit ramos cadens.' Seneca Hippol. Act. II. 'Terræ repente corpus exanimum accidit:' ita optimus Mediceus, non *cadit.* Idem Troasin 'accidere ad genua' dixit. Lucretius 'res nova miraque menti Accidit:' et idem sic passim. Livius Andronicus apud Nonium in *Struices,* 'Quæ Castalia per struices saxeas lapsu accidit.' *Heins.*

360 *Ut rosa missa solet*] Mensas olim floribus ornatas, in deliciis fuisse, notum. Sed mentiar, ni Noster adludit ad sparsionem, quæ de tecto et desuper fiebat. *Neapol.*

361 *Lumina restabant*] Hoc monitum vult sub finem, ludos diurnos etiam per noctem continuasse veteres, et facibus accensis: quod voluptatum illecebris aptissima videatur licentia nocturna. *Neapol.*

371 *Cur tibi pro Libycis clauduntur*] *Claudantur* pr. Ambros. Læti, et quatuor alii: ut superiora illa 'dixit et

illa, Licet,' vel *dixerat illa*, ut est in Erfurtano, per Parenthesin legantur. *Heins.*

379 *Nocte minus quarta*] Tertia nocte post Kal. Mai. oritur Chiron Centaurus Saturni et Philyræ filius. Qui Æsculapium et Achillem nutrisse existimatur. Pietate igitur et diligentia effecit, ut inter Deos annumeraretur. *Nocte minus quarta*] v. Nonas Centaurus fertur in ortum. *Neap.*

381 *Pelion Æmoniæ*] Describit ubi, et quales erant Chironis ædes. *Neap.*

382 *Summa virent pinu*] *Viret* codex unus ex meis, alius itidem ex Mediceis; eleganti Græcismo. Met. lib. IV. 'Imminet æquoribus scopulus; pars ima cavatur Fluctibus, et tectas defendit ab imbribus undas; Summa viret:' ubi perperam a nonnullis *virent* reponitur. Eodem libro, ex fide optimorum codicum, 'Quaque patet nunc terga cavis superobsita conchis, Nunc laterum costas ferit ense.' *Heins.*

383 *Phillyrides*] Chiron: a Philyra Nympha, Oceani et Tethyos filia: ex qua Saturnus in equum versus, Chironem genuit, a qua Philyrides nominatus est.

385 *Ille manus in lyricis modis*] 'Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem.' Ovid. I. de Arte. Senec. in Troad. vs. 832. 'Jam trucis Chiron pueri magister, Tinnulas plectro feriente chordas, Tunc quoque ingentes acuebat iras Bella canendo.' Deinde læsus Achilles ab Agamemnone ad alios transtulit usus, quod et Pyrrho exprobratur, 'Interque cædes Græciæ, atque ustas rates, Segnis jacebat, belli et armorum immemor, Levi canoram verberans plectro chelym.' Ibid. vs. 19. Ὅμηρος τὸν Ἀχιλλέα πεποίηκε τὴν ὀργὴν πέπτοντα τὴν πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα διὰ Μουσικῆς, ἧς ἔμαθε παρὰ τοῦ σοφωτάτου Χίρωνος. Ælian. l. VIII.

387 *Venerat*] Ad Chironem. *Jussa ultima*] Ultima quæ ab Eurystheo essent nutu Junonis imposita: volunt ultimum laborem fuisse Cerberum, quem ab inferis traxit. *Paul. Venerat Alcides*] Vide Hyginum lib. II. Poët. Astronomicon. *Neap. Exhausta parte laborum*] *Exacta* quidam veteres cum primo Ambrosiano. *Heins.*

389 *Stare simul Trojæ duo fata*] Duos viros, qui diversis temporibus Trojam exciderunt: Herculem, qui sub Laomedonte Trojam diruit: et Achillem, qui postea Hectorem interemit.

393 *Respicit interea clavam*] *Perspicit* Zulich. et quatuor alii: sic Met. II. 'Dumque ea magnanimus Phaëthon miratur, opusque Perspicit.' *Heins.*

399 *Ingemuit Chiron*] Cum esset saucius. *Paul. Traxitque e vulnere ferrum*] *E corpore* rectius vetustiores plerique: nam *vulnera* mox sequitur. *Heins.*

400 *Et gemit Alcides*] *Ingemit* Zulich. Mazar. alter Petavianus: tres *Adgemit;* ut Trist. I. 2. 'Adgemit et nostris ipsa carina malis.' Statius Theb. II. 'Flent mœsti retro comites, et uterque gementi Adgemit.' Sic Horatius Arte Poëtica, 'Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent:' ita jam pridem Theodorus Marcilius in notis ad Poëtam illum suis monuit scribendum. *Idem.*

401 *Lectas Pagasæis collibus herbas Temperat*] Jam notasti supra, hunc Medicinæ etiam operam dedisse; imo fertur magni illius Archiatri præceptor. *Neapol. Pagasæis montibus*] Thessalicis, a Pagasis. Pagasæ in Thessalia sunt, Pherarum emporium.

402 *Vana vulnera mulcet ope*] Naugerii, Ursini, et octo alii, *varia;* ne bis idem dicat: nam vanam fuisse opem proximis versibus est designaturus. *Heins.*

406 *Tempora nulla dabat*] *Dabant* optimus Patav. et sex alii; quæ locutio est imprimis elegans; atque ita vitabitur κακοφωνία omnis, cum 'Stabat' proxime sequatur. *Idem.*

407 *Stabat ut ante patrem*] Hæc, et quæ sequuntur, edocent quantus debeatur magistris amor et honor. *Neapol.*

408 *Flendus Peleus erat*] Pater a filio: quasi dicat, Non aliter ille flevisset morientem patrem.

410 *Morum, quos fecit, præmia doctor habet*] Valde metuo, ne hic versus grammatici aut pædagogi alicujus commentum sit, cum oscitantia librarii genuinus Ovidii esset omissus, adeo nihil spirat præter merum frigus et Latinitatem semibarbaram. *Heins.*

414 *Bis septem stellis*] Hygino sunt 24. præter stellas hostiæ, quam supra Aram tenens immolare videtur. *Neap.* *Corpora cinctus eras*] *Tempora* Naugerii, Ursini, et unus Patavinus. In toto Chironis corpore stellas XX. recenset Scholiastes Germanici, XXIV. Hyginus. *Heins.*

416 *Nox aptum tertia tempus erit*] III. Nonas Lyra oritur ortu acronicho. *Neapol.*

417 *Scorpius*] *Scorpion* duo veteres. Lego, *Scorpios:* et mox *notandus erit* cum melioribus, non *videndus.* Heins.

418 *Media parte videndus erit*] Pridie Nonas altera pars Scorpii occidit cosmice. Columella: 'Pridie Nonas Maias Nepa medius occidit.' Nepam pro Scorpione usurpat. *Neapol.*

419 *Hinc ubi protulerit*] VII. Idus Maias sacris Lemuralibus triduum impendebatur. *Neapol.*

421 *Nocturna Lemuria*] Glossæ, *Lemuralia,* ἑορταὶ τῆς Ἑστίας. Vide Zosim. lib. IV. de Valentiniano: Cui Larum, nisi Lemuralibus nocturna sacra factitata? sane hoc nomine certum est comprehendi et bonos et noxios genios. *Neapol.* *Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri*] Puto scribendum *Ritus eunt.* Pro *nocturna* quidam veteres *celebrare;* unus *celebrate:* ut sit, *Ritus eunt veteris* (*celebrate*) *Lemuria sacri.* Sic lib. II. 'Fauni sacra bicornis eunt.' Vide notas lib. II. 146. *Heins.*

423 *Pia Februa*] Lustrationes postea Februario mense institutas. *Februa norant*] *Norat,* scil. annus, prim. Ambros. Mazar. Zulich. et duo alii. *Heins.* *Annus erat brevior*] Proponit hic veterem hunc ritum a Romulo institutum nunquam omissum; licet Numa additum anno Februarium, totum placandis defunctis et lustrationibus addixerit. *Neapol.*

424 *Dux mensum eras*] Pro, mensium. Non erat adhuc tibi dicatus primus anni mensis. *Paul.*

425 *Sua dona ferebant*] Unde Feralia dicta illa mense Februario. *Neap.*

429 *Nox ubi jam media est*] Addit qua noctis hora hæc ἐναγίσματα fiebant. Μέσσην quoque νύκτα lib. III. Apollonius observat ad Magica; sed quartam suspicatur aptissimam Auctor anonymus, nec temere: invenio tamen passim apud veteres, quovis tempore noctis magos similia sacra operatos; de die etiam, dummodo locus, in quo illa agenda, fuisset tenebris obsitus. *Neap.* *Somnosque silentia præbet*] *Somnoque silentia præbet* meliores magno numero. *Heins.*

432 *Vincula nulla pedes*] Forte, ne hypodema quidem in tacitis sacris vel tantillum rumoris excitaret; an quia, quod verius, moris erat magis nudo pede sacra sua peragere, ut apud Senecam Medea, 'Secreta nudo nemora lustravi pede.' *Neapol.*

433 *Signaque dat digitis*] Sed cum strepitu; non enim vult, qui sacra facit, ut umbra sibi penitus tacito occurrat: clare hoc sensus inquit. *Neap.* *Medio cum pollice junctis*] Est crepitus ille, qui fit manibus nostro ævo in quavis saltatione, sive comica sive rustica, digito scilicet medio adeo presse juncto cum pollice, ut lapsus in palmam strepitum edat. Hunc vero superstitiosum ritum, ne umbra accedat ante jactum fabarum, præter nostrum, non habeo qui mihi astruat. *Neapol.*

435 *Cumque manus pure fontana perluit unda*] *Manus puras* multi ex antiquis: ut Met. IX. 'purasque ad sidera supplex Cressa manus tollens.' *Terque manus* pr. Ambros. unus Farnes. et Læti liber. Puto, *Terque manus puras fontana ubi perluit unda*, vel *proluit*, ut est in aliis. Sequenti versu *accipit ante*, non *ore*, multi ex antiquis; sed male. Lib. II. 'Et septem nigras versat in ore fabas.' *Heins.* *Fontana perluit unda*] Ante quodvis sacrum præcedebat χέρνιψ. Quem hæc latent? *Neapol.*

436 *Nigras fabas*] Quia nigris Lemuribus sacra fiunt. Assumebatur autem hoc legumen parentando, quia mortuorum animas in fabis esse quidam tradiderunt: in quarum floribus, auctore Festo, luctus literæ apparere videntur. *Accipit ore fabas*] Fallor, an purior e Vaticanis petita lectio? *accipit ante fabas.* Neapol.

439 *Hæc novies dicit*] Forte quia hic numerus in magico isto sacro necessarius. *Neapol.*

441 *Rursus aquam tangit*] *Aqua* Mazarinianus; recte, ut puto: 'aqua tangere,' lustrare; ut ad æra concrepata respiciat: dixi lib. IV. 740. *Heins.* *Temesæa æra*] A Temase urbe Brutiorum, quam Ausonii condiderunt. Erat ibi ærarium, et ærifodinarum locus. *Paul.* *Temesæa æra*] Non quod hæc vis insita huic Tempseo metallo, sed quia nobile illud Tempsæ apud scriptores. Dixit vero 'Temesæa' Græcatius: Latinis est Tempsa, quæ Græcis, Τεμέσῃ. Strabo lib. VI. *Concrepat æra*] Æris tinnitum aptum ad spectra solvenda credidit vetustas. Vide Theocriti Scholiastem. *Neapol.*

447 *Pleiade nate*] Mercurius, ex Maia una Pleiadum natus. *Virga potenti*] Caduceo. *P.* *Pleiade nate, mone*] 'Αποστροφὴ ad Mercurium, ut sibi pandat Lemuralii nominis originem. *Neapol.*

448 *Sæpe tibi Stygii regia visa Jovis*] Sæpe tu ad inferos in Plutonis regiam descendisti, cum nuncius sis utrorumque Deorum, supernorum et inferorum.

450 *Ex ipso cognita causa Deo est*] Ita meliores. *Heins.*

451 *Romulus ut, &c.*] Remum extinctum frater magnificentissime humavit in Remoria. Noctu per quietem visa est imago Remi astare lecto Faustuli et Laurentiæ nutricis, querique de miseranda sua morte, et crudelitate Celeris, qui eum interemerat; orareque, ut a Romulo illud precibus impetrarent, quo suo nomine diem signaret. Romulus ea causa instituit diem illi festum, appellavitque *Remuria.* Mutata deinde est prima litera, et Lemuria dicta: postea ab illo, umbræ Lemures appellatæ sunt.

457 *Visa est assistere lecto*] Ut indicet, non quidem apparuisse Remi umbram, sed visam ex somni elusione: licet vere vivis mortalibus apparere animæ possint. His paria illa Maronis: 'In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector Visus adesse mihi.' *Neap.*

460 *Qui modo talis eram*] *Qualis eram* Zulich. Mazar. Ursin. pr. Ambros. Arond. aliique multi ex melioribus. Sic apud Plautum Mostellaria: 'Hem vide quæ sim, at quæ fui ante!' *qualis* pro quantus, ut *talis* pro tantus. Plautus Captivis, 'Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas?' Sallustius de Marco, 'Tamen ad id locorum talis vir consulatum appetere non audebat.' Phædrus, 'Quæso tam angustam talis vir ponis domum?' *Heins.*

463 *Nunc sum elapsa*] Quidam ex scriptis τὸ *sum* non agnoscunt. *Idem.*

468 *Perdidit*] Mitior nempe fuit ferinus animus humano. Huic par dictum Bianoris, quo conclusit celebre Epigramma super Arionis fabula: Κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἴχθυσι σωζόμεθα. *Neap.*

469 *Animam per vulnera reddas*] Precatur interfectori simile mortis genus. Fuit ethnicorum sententia, animæ a corpore sejunctæ remanere potestates sensitivas. *Neap.*

471 *Pietas æqualis in illo est*] Putabam aliquando *aqualis;* hoc est, *ah qualis,* vel *at qualis,* vel *Di, qualis;* ut dixi Epist. XVIII. 102. Mox pro *manibus ille* multi ex melioribus *in mea fata:* et pro *nostro honore,* pr. Ambros. et Læti codex *festo.* Heins.

476 *Lubrica prensantes effugit umbra manus*] Ex Virgil. VI. 'Ter conatus ibi collo dare brachia circum; Ter frustra comprensa manus effugit imago, Par levibus ventis, volucrique simillima somno.' Ex Hom. Od. Λ. vs. 205. Τρὶς μὲν ἐφωρμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἄνωγε, Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον, ἢ καὶ ὀνείρῳ, Ἔπτατ'· ἐμοὶ δ' ἄχος ὀξὺ γενέσκετο κηρόθι μᾶλλον.

481 *Aspera mutata est in lenem*] *R.* in *L.* a Remuria pronuntiatum Lemuria. *Neap.*

483 *Animas dixere silentum*] Glossæ, *Lemures,* νυκτερινοὶ δαίμονες. *Neap.*

486 *Ferali tempore*] In Feralibus mense Februario.

490 *Mense malum*] *Malas* in melioribus. *Heins.*

491 *Sed tamen hæc tria festa*] Lemuria, et continentia a nuptiis, et templa clausa. *Sub eodem tempore*] Quia iisdem diebus.

492 *Inter se nullo continuata die*] Nam hi sex continuis diebus. Primus, tertius, quintus sacri sunt Lemuralibus: hinc capies vetus Kalendarium, in quo sic illa notantur:

A. LEM. N.
B C.
C. LEM. N.
D. NP. LUDMARTIN CIRC.
ELEM. N.

493 *Quorum si mediis, &c.*] Incidebant media Lemuralia in v. Idus Maias; ergo in idem tempus occasus Orionis. *Bœoton Oriona*] Ex patria. *Neap.* *Bœoton Oriona quæris*] A Bœotia: si vis videre stellas Orionis.

494 *Signi est causa canenda mihi*] Canam quis fuerit Orion, et qua causa cœlo locatus sit. Poëta fabulam hanc refert: Jovem, Mercurium hospitio receptos ab Hyreo, qui cognitis Diis bovem immolat. Cum ab his, sobolem concedi peteret, minxisse in corium bovis, et jussisse humari. Decimo mense natum puerum: Uriona ab urina appellatum, deinde Oriona.

496 *Mercuriusque vias*] Tres etiam Varino sunt; sed hic pro Mercurio ponit Ἀπόλλωνα Palæphatus. Servius, Homeri Scholiastes, ut Naso. *Neap.*

498 *Et pronus*] Mazar. et Zulich. *pronum* optime; unus Moreti *promtum.* Heins.

499 *Forte senex Hyreus*] *Hyrtheus* Mazar. *Hirteus* Zulich. unus Moreti *Hyereus;* unus Puteani *Hereus:* alii aliter. Scaliger *Iereus;* optimus Ursini liber tam hic quam infra *Hyrieus:* vere omnino, ne dubita: sic et lib. VI. 'proles Hyriea' scribendum. Ὑριεὺς Græcis est, quem Orionis patrem faciunt Parthenius Eroticis cap. 20. Antoninus Liberalis Metamorphosi xxv. Palæphatus περὶ μυθῶν. Scholia antiqua in Homeri Iliados lib. B. et Σ. et in Nicandrum: ubi tamen perperam ὠριεὺς pro ὑριεὺς nunc legitur. Narrat quoque fabulam ex Aristomacho Scholiastes Germanici et Hyginus duobus locis poëtico Astronomico: sed utrique pro *Hyrieo* est *Erythreus;* nescio an mendose. Hunc Neptuni et Halcyones filium facit Homeri Scholiastes, et Palæphatus, ut et Hyginus poëtico Astronomico fabula Tauri: ubi tamen *Hyrea* pro *Hyriea* solenni errore scribitur. In Mythologia Hygini fab. 157. inter Neptuni filios 'Rias ex Alcyone Atlantis filia' memoratur; etiam corrupte, pro *Hyrieus.* Scholiastes Statii Theb. IX. ubi agit de Driante Orionis filio, 'Avus enim

Drias Neptuni filius fuit,' lege *Hyrieus.* Apud Hyginum quoque fab. 194. in hac narratione male omnino legitur, ' Jovis, Neptunus, Mercurius in Thraciam ad Byrseum regem in hospitium venerunt;' cum reponendum sit *ad Hyrieum regem.* Cætera hujus fabulæ fœdis etiamnum modis illic corrupta sunt. Scholiastes Statii Theb. III. ' Neptunus cum ad Œnopionem regem in hospitium venisset:' ubi, cum vetustus codex *ad Oriem regem* exhibeat, *ad Hyrieum regem* non dubito esse reponendum. Notetur autem in transcursu Hyrieum quibusdam regem dici, quem Ovidius angusti agelli cultorem facit. Similiter variant auctores de Celeo Triptolemi patre. Quidam Œnopionis filium faciunt Orionem, quos inter Servius ad l. I. et X. Æneidos, ac Scholiastes Statii Theb. III. sed de loco Statii mendoso vidimus ut fortasse Servius pari etiam modo sit castigandus: alii enim rectius Œnopionis generum dicunt, cujus filiam Meropen duxerit uxorem; quam Apollodorus Sidenæi uxorem adsignet ante Meropes nuptias. Apud Parrhenium de Orionis et Hærus Amoribus fabula minus nota occurrit. Noster ei Lyricen amicam dat l. II. Art. Amat. si sana illic lectio est, ' Pallidus in Lyrice sylvis errabat Orion:' sed *Dirces sylvis* scribendum videri suo loco monui. Cæterum Scholiastes Statii ad Theb. l. VII. *Pelasgum* dat Orioni patrem: ubi vetus liber *Pelargum* agnoscit. Apollodorus e terra natum asserit, vel etiam ex Neptuno et Euryale, idque Pherecyde teste. Hesiodus apud Nicandri Scholiasten ex Neptuno et Gelone Minois filia. Atque hæc de Hyrieo et Orione. *Idem.*

506 *In hesterno stipite parvus erat*] Sic explicat; quod Græci uno verbo Ζώπυρον. *Neap.*

507 *Ipse genu nixus flammas excussit ab aura*] *Genu posito* Læti, unus Farnes. et pr. Ambros. utrumque rectum est. Deinde probe Zulich. Mazar. optimus Patav. pr. Farnes. et quatuor alii, *flammas exsuscitat aura:* cui verbo frequens apud Tullium usus est. Sic ' sopitos suscitare ignes ' Virgilio duobus locis: ' excitare foculum bucca ' Juvenalis Satyra III. Noster l. VIII. Met. de Philemoni, ' ignes suscitat hesternos.' Male ergo Neapol. amplectitur *extremo stipite*, quod est in quibusdam scriptis. Adi Notas Met. IV. 662. Amor. III. 7. ' hesterna languidiore rota.' Trist. I. 3. ex vestigiis veterum librorum, ' Contigit hesternos ore tremente focos.' *Heins.*

508 *Et promit quassas*] *Profert* multi ex melioribus: nam ' promit ' mox sequitur, ' Promit fumoso condita vina cado;' ubi tamen Mazar. *Prodit* eleganti locutione, cum uno Patav. et Gottorphiano. Met. IV. ex optimo codice, ' lævaque a parte Medusæ Ipse retro versus squallentia prodidit ora.' Æneid. II. ' illos patefactus ad auras Reddit equus, lætique cavo se robore produnt:' ita monet in vetustissimo codice Longobardico legi Pierius Valerianus, non *promunt.* Idem.

509 *Minor inde fabas*] Quid ponat præter legumina? Hæc apud veteres invenies in victu pauperum, aut Philosophorum. *Neap.* *Olus alter habebat*] *Habebant* Strozzæ liber: et paulo post, pro *spumat uterque*, multi *spumant;* Læti, pr. Ambros. et quinque alii *fumat:* lege *fumant:* sic apud Juvenalem Satyra XIV. ' grandes fumabant pultibus ollæ.' Pro *testu* plurimi veteres *testo;* alii *testa* minus bene: dixi l. II. 645. *Heins.*

515 *Ut rediit animus*] Hæc vera lectio, quicquid turbant libri veteres. Vide Notas Epist. VI. 31. *Idem.*

517 *Primis diffuderat annis*] Juvenalis: ' Capillato diffusum Consule potat.' Vinum veteres ætate æstimabant; quis ignorat? hinc optimi,

amariores calices. Seneca Epistola 64. 'Quomodo in vino nimis vetere ipsa nos amaritudo delectat.' *Diffuderat annis*] Diffusum vinum est *κατεσταμνισμένον*. *Neap.*

519 *Flumineam ulvam*] Fluvialem aut palustrem herbam.

520 *Incubuere thoris*] *Discubuere* duo veteres: ut Met. VIII. 'Discubuere thoris Theseus comitesque laborum.' *Heins.*

522 *Terra rubens crater*] Forte *Testa rubens:* nam crateres ex ære solebant confici. Sic et 'Testa rubens,' Sedulio in præfatione carminis Paschalis, 'At nos exiguum de paupere carpsimus horto, Rubra quod appositum testa ministrat olus.' *Idem. Terra rubens*] Erat crater fictilis ex creta rubra. *Paul. Pocula fagus erant*] Ex poculo ostendit curtam etiam Hyrei suppellectilem. *Neap.*

525 *Cara fuit conjux prima mihi cura juventa*] *Primæ mihi cura juventæ* Maz. Zulich. prim. Farnes. et quinque alii. Lege, *Cara fuit conjux primæ mihi cura juventæ:* vel *prima juventa*, ut Strozzæ liber et unus Moreti: multi alii, *prima mihi cara juventa.* Ursini codex, *Cara fuit conjux caræ mihi prima juventæ.* Pro *Cognita* Mazar. Zulich. pr. Farnes. et quatuor alii *Condita;* ut ad urnam referatur. *Heins.*

530 *Sed pater*] *Et pater* bene Zulich. Mazar. et alii quatuor. *Idem.*

532 *Constiterant*] Unus Farnes. *Constiterunt:* et tum *Annuerunt* quoque legendum. Scribe etiam *juvencæ:* vaccam ab iis initam describit. *Idem. Pudor est ulteriora loqui*] Corium juvenci perminxere. *Neap.*

533 *Tum texere madentia*] Terga scilicet: hoc est, corium madidum urina.

536 *Littera prima sonum*] Ου scilicet verterunt in *o*· diverse tamen sentit Strabo, qui de Oreo monte scribit l. x. *Δοκεῖ δὲ καὶ ὁ Ὠρίων ἐνταῦθα τραφεὶς, οὕτως ὀνομασθῆναι.* *Neap.*

541 *Scorpion immisit Tellus*] Peperit Terra scorpionem, et in Orionem misit.

545 *Sed quid et Orion*] Post occasum Orionis, et Urialem, festum Martis Ultoris: quod Poëta videtur statim subdere occasui Orionis. *Sed quid et Orion*] Fictio poëtica de cita Orionis et siderum immersione, ut dies illa illucescat, qua Cæsar Octavianus in foro a se structo templum Martis Ultoris consecravit. Hanc esse suspicor, quæ notatur in veteri Kalendario IV. Idus Maias: NP. LUDI MARTI IN CIRC. *Neap.*

547 *Liquido jubar æquore tollit*] *Vitreo* pro diversa lectione alter Mazarinianus; ut 'vitreus pontus' Horatio: multi alii *nitido.* Mox pro *arma sonabant* malim *sonarunt;* ut in Ibide, 'læva sonavit avis,' non *volavit*, ex antiquis libris. *Heins.*

548 *Lucifero præveniente*] Stella Veneris, quæ prænunciat diem.

552 *In Augusto conspicienda foro*] Ipsemet Princeps in ipso monumento Ancyrano: ULTORUM TEMPLUM, FORUM AUGUSTUM, ET TEMPLUM APOLLINIS, &C. FECI. Suetonius in eodem: ubi et votum, et quæ in caussa, et annum etiam habes, cap. 29.

553 *Et opus*] Docta sane sequens causa. Sed forsan et adeo magnifice struxit, ut parentis etiam mortui desiderium aliqua in parte adimpleret: de quo Suetonius Jul. cap. 44. *Neap.*

556 *Bella movere decet*] Et quid nisi hoc illa superius præfati Historici adsignificant, 'ut de bellis triumphisque hic consuleretur Senatus?' Idem antea in Capitolio agi solitum.

559 *Perspicit*] Libri meliores, tam hic quam paulo post, *Prospicit.* Heins. *Operis fastigia summi*] Ergo Martis signum positum etiam in templi trichoro. Vitruvius: 'Ornantque signis fictilibus aut æreis inauratis earum fastigia:' imo hodiernis statuam illius, cui templum consecratum, in ipso fastigio conlocare. Hinc, inquit, videt operis summi fastigia, fo-

res cum spoliis hosticis, statuas, quæ in utraque fori porticu erant. Fastigium Græcis ἀετὸς, ἀέτωμα, τρίχωρον, πτερὸν, πτερύγιον. Inde δίπτερος ναὸς, ædes, quæ uno et altero erat fastigio. *Neap.*

560 *Et probat invictos illa tenere Deos*] *Invictas summa tenere Deas* Ursini, prim. Ambros. Zulich. et tres alii: Mazar. Voss. Arondel. Læti, plurimique præterea *invictos summa tenere Deos:* quidam etiam *sola tenere;* infra l. II. 'Aurea possedit socio Capitolia templo Mater, et, ut debet, cum Jove summa tenet.' *Heins.*

563 *Hinc videt Æneam*] Idem auctor imaginum nomina non recenset: 'Statuas,' inquit, 'omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dicavit.' Adde his insignes Apellis tabulas, de quibus Plinius. *Neap.* *Oneratum pondere caro*] *Sacro* prim. Medic. et Thuaneus; placet: ut ad patrem simul et Deos penates respiciat. Met. XIII. 'sacra et sacra altera patrem Fert humeris venerabile onus Cythereius heros.' Fast. I. 'Jam pius Æneas sacra et sacra altera patrem Afferet.' Lib. IV. 'Hinc satus Æneas (pietas spectata per ignes) Sacra patremque humeris altera sacra tulit.' Dido Æneæ, 'nec quæ mihi, perfide, jactas, Presserunt humeros sacra paterque tuos.' *Heins.*

565 *Hinc videt Iliaden*] Romulum ex Ilia natum. *Humeris ducis arma ferentem*] Arma Acronis ducis Ceninensium, quem Romulus obtruncaverat et spoliaverat. *Paul.* *Hinc videt Iliaden*] Describit qualis erat Romuli statua, gerens scilicet super humeros Acronis spolia, Ceninensium ducis.

566 *Acta subesse viris*] Ostendit quamque imaginem suum ἔλεγχον habuisse rerum gestarum; indicem vocat Tibullus Historici plerumque titulum. *Neap.*

567 *Prætextum nomine*] Id est, insignitum; et bene: nam templo etiam ornamento erat inscriptum nomen tanti Principis. Prætextum est Latinis quidquid adsutum ad ornamentum: unde sic dicti vestium limbi, clavi, fasciæ. *Neap.*

569 *Voverat hæc juvenis*] Octavius princeps cum juvenis esset, hoc templum bello Philippensi vovit.

571 *Instanti milite justo In conjuratos*] Hæc sunt nihili. Scribe cum optimis maxima ex parte libris, *hinc stanti milite justo, Hinc conjuratis.* Heins.

574 *Ulcisci nomen utrumque*] Et patris et pontificis. *Paul.* *Nomen utrumque paro*] Patris et Pontificis maximi. *Neapol.* *Nomen utrumque paro*] *Numen utrumque* Ursini, Naugerii, pr. Farnes. Voss. Arond. plurimique alii; et placet. Vestam et Divum Julium innuit. Sic supra l. III. 'Ignibus æternis æterni numina præsunt Cæsaris.' *Heins.*

577 *Templa feres*] Voveo ego tibi templum. *Vocaberis Ultor*] Nam statuam tibi templum sub titulo Martis Ultoris. *Paul.*

579 *Nec satis est meruisse semel cognomina Martis*] Ita meliores: nempe *Marti* scribendum; nam unus Patav. *sui cognomina Marti:* alius *sui Martem:* Zulich. et Mazar. *meminisse mei;* mendose: alii *meruisse sibi*, vel *sui*, vel *satis*, vel *quidem*, vel *viro:* male omnia. *Heins.* *Nec satis est meruisse*] Ex prædictis sumit ansam dicendi de alio templo ejusdem cognominis ab Augusto in Capitolio extructo, ob recepta signa Romana a Parthis jam cum dedecore Imperii retenta. Nec dubium, duo Romæ fuisse templa Martis Ultoris, cum et in nummis totidem diversæ ichnographiæ appareant.

580 *Parthi manu*] *Parthis* Voss. Ursin. Mazar. pr. Medic. et quinque alii. Lege *Partha manu.* Remed. Amor. 'Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas.' Sic et 'Partha tropæa' Propertio: et 'Partha tellus' et 'Parthi foci:' sic 'Maura ja-

cula' Horatio Od. I. 22. 'Non eget Mauris jaculis;' ita enim meliores scripti: quomodo alibi 'Mauram undam' et 'Mauros angues' dixit. Silius libro III. 'juga Pyrenes venatibus acer Metiri, jaculove extendere prælia Mauro.' *Heins.* *Signa retenta manu*] Quæ M. Crasso ademerant. *Neap.*

581 *Quid tibi nunc solitæ sagittæ*] *Solitas sagittas* Erfurt. quare legebam, *Quo tibi nunc solitas mitti post terga sagittas?* ut jam monui ad Epist. IV. *Heins.* *Et campis, et equis*] Nolo ad hæc alium habeas interpretem præter Dionem Cassium lib. XL. *Neap.*

583 *Crassorum funera*] M. Crassi patris, et Publii Crassi filii, et legionum quæ cum his fuere. *Paul.* *Crassorum funera genti*] Hoc etiam Noster tetigit peregregie in Arte: 'Parthe dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti; Signaque barbaricas non bene passa manus,' &c. *Neap.*

588 *Armis Cæsaris*] Nisi Cæsar Augustus Romanum imperium tueretur.

589 *Ille notas veteres*] Nam per 32. annos solidos poliri nón valuit hæc macula in armis Romanis. *Neap.*

590 *Agnorunt suos*] Romanos scilicet milites. Aut per hypallagen intelligas, Romani agnorunt sua signa recuperata.

595 *Nomen Bisulto*] Merito quoque bis est Ultor cognominatus: nam Augustum juvit in ultione paterna, et Parthorum injuria ulciscenda. *Nomenque Bisultor*] Lege *Bisulto* cum Zulich. Mazar. plurimisque aliis: nonnulli *Bisultum* minus bene: Ursini liber, *numenque bisultum.* Sequenti etiam versu *Et meritus* meliores, pro *Emeritus.* Heins.

597 *Solemnes Ludos Circi*] *Circum* Vossian. Arondel. et plurimi alii; ut sit appositio; in qua assiduus Noster. Sic apud Livium lib. XXX. 40. libri meliores, 'Cerealia ludos Dictator et Magister Equitum ex Senatus consulto fecerunt:' et lib. XXXIX. 22. 'Ludi Taurilia facti sunt.' Nec pauciores *Circo.* Sed ne quid dissimulem, placet impense cum Mazar. Zulich. et Hamburgensi legi *Solenni ludos Circo.* Idem. *Solemnes ludis Circi*] Ergo eodem die ludi in Circo Marti fiebant: nec aliud sibi volunt notæ illæ, quas supra citavi e Kalendario veteri. Jurarim Jovem lapidem, illos quos olim vovere Consules in bello contra Cæsaris percussores, quotannis postea exhibitos. Dio lib. XLVIII. sub finem anni DCCLXXIV. *Neap.*

598 *Non visa est fortem scena decere Deum*] Scena, ubi levia referuntur, non convenit rebus Martiis: sed in Circo opus est nunc et equorum cursu certare, et Martios ludos exhibere.

601 *Non dubiis auctoribus*] Agit de his quos ipsemet videt: nam Columellæ incipit æstas die nona mensis, Ptolemæo decimaquinta.

603 *Idibus ora prior*] Pridie Idus Tauri caput oritur ante solis ortum. *Neap.*

605 *Tyriæ puellæ*] Europæ; a Tyro Phœniciæ: nam filia regis Agenoris. *P.* *Præbuit, ut taurus*] Festus: 'Alii eam a prædonibus raptam, et nave, quæ Jovis tutelam, effigiem tauri, habuerit.' 'Tutela' est pictura aliqua numinis in puppe, a qua nomen naves accipiebant: 'tauri effigies' parasemon; quod in prora. *Neap.*

607 *Læva retinebat amictus*] Iisdem pæne verbis Lucianus in Dialogo Ζεφύρου καὶ Νότου. Apud Græcos πέπλος et usum præbuit pallii, et tunicæ. Varro de L. L. lib. IV. *Neap.*

610 *Sidoni*] O Europa, a Sidone urbe Phœniciæ. *Aspicienda Jovi*] *Accipienda* prim. Ambros. et duo alii: hoc est, Jovis tergo. Mox lege *tergum demittit* cum Mazar. Zulich. et multis aliis. Plures *dimittit;* proxime verum. Vulgati *dimisit.* Heins.

617 *Sidoni*] Europa. *Te Jupiter*

implet] Gravidam fecit, et de te Minoëm genuit.

619 *Phariam dixere juvencam*] Isidem, illam Inachi filiam. *Neapol.*

621 *Tunc quoque priscorum*] Iisdem Idibus scirpea simulacra in Tiberim e ponte jacta. Vide Dionysium. *Virgo simulacra virorum*] Intellige Vestalem: non tamen una aderat, sed omnes, et cum his Pontifices, et Prætores aliique mystæ. *Neap.* *Virgo simulacra Deorum Mittere roboreo scirpea ponte solet*] *Vulgo simulacra Deorum Mitti solent* codex Politiani et Ursini, nisi quod in illo posteriori *solet;* et pro *vulgo, virgo* cum vulgatis: optimus Patav. *Tu quoque prisc. virgo s. virorum Mit. rob. scir. pon. soles:* eo et septem alii alludunt, in quibus *Tu solet.* 'Virgo' ad vestales referendum, de quibus Festus in Argei; quæ tamen non solæ faciebant hæc simulacra, sed pontifices etiam, ut Halicarnasseus nos docet: quare *vulgo* magis arridet cum Politiani codice. Varro, 'Argæi fiunt ex scirpeis. Simulacra sunt hominum XXIV.: et quotannis a Ponte sublicio sacerdotibus publice jaci solent.' Præterea pro *virorum* Gottorph. et septem alii *Deorum,* pro *reorum* ut puto; frequenti errore. Sic Pont. lib. I. 4. scribendum censeo, 'I nunc et veterum nobis exempla reorum, Qui forti casum mente tulere, refer.' Et in Ibide, 'In te transcribet veterum tormenta reorum, Manibus antiquis causa quietis eris.' Quibus locis *virorum* nunc legitur. Claudianus lib. II. in Rufin. 'veteresque reos ex ordine quærit.' Hic tamen nihil censeo temere mutandum, cum totum distichon sic, ut nunc legitur in vulgatis libris, a Lactantio citetur lib. I. Inst. Divin. *Heins.*

622 *Roboreo ponte*] Hic, ut vidisti, est sublicius: sic dictus a sublicis. His tantum sine ære aut ferro stetit diutius suffultus: inde ξυλίνην γέφυραν nominat Plutarchus. Scio etiam Græcos vocasse ἱεράν: forte, 'Quod eo,' inquit Varro, 'sacra et uls et cis Tiberim non mediocri ritu fiebant.' An ipse vere sacer habitus a populo? *Neap.*

623 *Post decies*] Sexagenarios; antiqua et propria vocula *casnares. Casnar* est Festo senex, sed Oscorum lingua. *Neap.*

624 *Sceleris crimine damnat avos*] Arguit majores sceleratæ cædis, et summæ immanitatis; quasi dicat: Non ita sunt majores tanti sceleris arguendi. Et hoc ideo, inquit, quia putabant aliqui eundem morem in Italia fuisse, qui apud Pleros Scytharum populos servatur, ubi sexagenarii necantur: ut ea ratione institutum arbitrarentur in Latio, sexagenarios e ponte in fluvium mitti solitos: quod poëta negat, cum majores non sint tanti sceleris accusandi. *P.*

626 *Fatidici dicta fuisse senis*] *Fuere* meliores. Pro *senis* optimus Mediceus, *Dei;* ut de Apolline agatur: sic lib. II. 'Fatidicum verbis fallere velle Deum.' Certe 'seni' proximo versu denuo sequitur. Sed Dodonæum fuit Oraculum; ut ex Macrobio lib. I. 7. et Lactantio lib. I. Institut. Divinar. discimus. Quare scribendum *fatidici Jovis.* Prior syllaba in *senis* ex ultima præcedentis vocis fuit repetita, quod errori causam dedit; et sic Erfurtanus a manu prima. *Heins.* *Fatidici dicta fuisse senis*] Illa retine ipsamet verba: ΣΤΕΙΧΕΤΕ ΜΑΙΟΜΕΝΟΙ ΣΙΚΕΛΩΝ ΣΑΤΟΥΡΝΙΑΝ ΑΙΑΝ, Η Δ' ΑΒΟΡΙΓΕΝΕΩΝ *ΚΟΤΥΛΥΝΟΥ ΝΑΣΟΣ ΟΧΕΙΤΑΙ, ΑΙΣ ΑΝΑΜΙΧΘΕΝΤΕΣ ΔΕΚΑΤΗΝ ΕΚΠΕΜΨΑΤΕ ΦΟΙΒΩ, ΚΑΙ ΚΕΦΑΛΑΣ ΑΔΗ ΚΑΙ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΠΕΜΠΕΤΕ ΦΩΤΑ. *Neap.*

627 *Falcifero seni*] Saturno ferenti falcem.

628 *Thuscis excipiantur aquis*] Tiberinis. Hoc igitur responsum fuit, ut duo dejicerentur in fluvium, et sic Saturno litaretur.

629 *Donec Tirynthius*] Hercules a Tyrintho oppido Bœotiæ. *In hæc venit arva*] Latina: victo in Hispania Geryone. *P.* *Donec in hæc venit*] Hic

mitius oraculi mentem interpretatus, omnemque ἀνθρωποθυσίαν ab Italia rejecit.

630 *Leucadio Deo*] Imo *modo* cum Naugerii, Ursini, Maz. Zulich. et duobus aliis; nec aliter Lactantius. Vide Strabonem lib. x. de hoc ritu. *Heins.* *Leucadio sacra peracta Deo*] Vide Strabonem lib. x. *Neap.* *Tristia sacra*] Ob humanam victimam. *Leucadio modo*] Sacra quæ parantur eo modo, quo sacrificatur Apollini ad Æcium in mari Leucadio: nam immolatur humana victima.

635 *Tibri doce verum, tua ripa vetustior*] Numen Tiberinum invocat, ut veram causam referat. Quæ quidem ab illo ad Herculis comites refertur, qui in illis collibus, ubi postea urbs est condita, remanserunt. At cum amore patriæ tangerentur, aliqui ex his in morte mandabant, ut mitterentur in Tibrim, quo ab undis in patriam reportarentur. Hæredes vero non parebant, sed humabant extinctos, et scirpeas imagines in fluvium dejiciebant.

639 *Hæc loca desertas*] Multa hujus narratiunculæ extant apud Festum in voce *sexagenarios*, sub initium loci; cujus partem tempus edax absumpsit. *Neap.*

640 *Sparsas boves*] *Sparsos* meliores. *Heins.* *Utraque ripa*] Et Latina et Hetrusca.

641 *Et quem nunc gentes Tyberim noruntque timentque*] *Tyberis* Ursini et unus Puteaneus; *Tyberin* prima editio. Putabam aliquando *Tyberinum horrentque timentque.* Heinsius.

646 *Tunc mihi*] Nondum in meas aquas immersus Rex Tiberinus. *Neap.*

647 *Pallantius heros*] Evander. *Juvenem*] Herculem.

648 *Caco debita pœna fuit*] *Pœna venit* Mazar. Zulich. pr. Ambros. pr. Medic. opt. Patav. Voss. et septem alii; bene: dixi ad Trist. II. 4. ex veteri libro, 'Cujus in eventu pœnæ clementia tanta est, Venerit ut nostro lenior ira metu;' non *ut fuerit*, quod est in vulgatis. Lib. IV. 5. 'Dum veniat placido mollior ira Deo.' Sic 'Venit amor gravius quo serius' Epistola IV. et alia his similia passim, de quibus vide Passeratium ad Propertii Eleg. I. 5. vs. ult. *Heins.*

649 *Erythreida prædam*] Armenta, quæ fuere Geryonis, qui regnavit in Erythra insula, ad dextram faucium freti Atlantici in Hispania.

651 *Magnaque pars horum desertis mansit in agris*] *Venerat agris* Ursini, pr. Ambros. Mazar. Zulich. et tres alii. Scribe, *venerat Argis:* hinc enim Argei dicta simulacra scirpea, quæ in Tyberim jactata: de quibus Halicarnasseus lib. I. Varro loco quem supra adduximus, et Festus in *Argei.* Argis enim comitatum omnem Hercules in Latium excurrens adduxerat. Sic Virgil. lib. x. 'Egregium Antorem latus inter et ilia figit, Herculis Antorem comitem, qui missus ab Argis Hæserat Evandro.' *Heins.*

652 *Spemque Laremque suum*] Malim *remque.* Porphyrius Panegyrico ad Constantinum, 'servire volunt, mirabile dictu! Remque Laremque suum.' *Idem.*

655 *Mittite me in Tyberim*] Τὸ *in* libri quidam non agnoscunt: *me Tyberis* Strozzæ codex. Scribe *Mittite me Tyberi.* Sic infra 'Tybri jactatur imago;' ubi non est audiendus Neapolis, qui *in Tyberim* ex antiquis codicibus reponit. *Idem.* *Mittite me in Tiberim*] Nam κακῶς mortuus putabatur apud Græcos in aliena terra situs.

656 *Pulvis inanis eam*] Prius cremari volebant: non mirum: mandabant ex more suæ gentis. *Neap.*

661 *Hactenus et vivo subiit*] *Ut vivo* Ursini, Mazar. Vossian. Arondel. plurimique alii: ut Epist. Sapphus, 'Hactenus; ut media cætera nocte silent.' *Heins.*

663 *Clare nepos Atlantis*] Invocat nunc Mercurium: quoniam Idibus

Maiis est ejus festum, quo die fuit illi a senatu ædes apud Circum maximum consecrata. *Nepos Atlantis*] 'Mercuri, facunde nepos Atlantis:' ut Horat. inquit: nam ex Maia illius filia natus. *P.* *Clare nepos Atlantis*] Apostrophe ad Mercurium, cum de æde eidem sacra et sacrificio sit acturus. *Neap.* *Quem montibus olim*] Virg. VIII. 'Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia Cyllenes gelido conceptum in vertice fudit.'

664 *Pleias una*] Maia ex Pleiadum numero. *Edidit Jovi*] Peperit Jovi filium. *Montibus Arcadiæ*] In Cyllene monte Arcadiæ; unde Cyllenius dictus.

665 *Pacis et armorum Arbiter*] Pro caduceo dictum, quo pacem serit, et bella indicit. *Superis imisque Deorum*] Horatius Oda 10. libro primo: 'Superis Deorum Gratus, et imis.' *Neap.*

666 *Qui carpis iter alato pede*] Quique volas, quoties 'pedibus talaria nectis Aurea.'

668 *Quo docente*] *Favente* opt. Patav. Læti, pr. Ambros. Mazar. Zulich. Voss. et duo alii; quod magis arridet. *Heins.* *Quo didicit culte lingua favente loqui*] Quod ab Ægyptiis, qui Mercurium primum verba in ordinem redegisse, vocumque Harmonias invenisse credebant. Diod. Sicul. lib. I. 2.

669 *Templa tibi posuere patres*] Iisdemmet Idibus, sub annum post Romam conditam CCLVIII. Per id tempus etiam collegium mercatorum institutum. *Spectantia Circum*] Sed maximum ibi locant prisci Topographi, Mercurii unum, de quo noster. Ædiculas, aras, et alia ille habuit per urbem loca sibi consecrata. *Neap.*

670 *Hæc tibi festa dies*] Mazar. Zulich. Ursin. pr. Ambros. et sex alii. An *pacta?* an *sacra?* quod posterius in multis scriptis occurrit. Sic et supra non semel *factis* pro *festis* aut *sacris* legitur. Mox *profitetur* et *rogat* pr. Farnes. pr. Medic. Arondel. Gottorph. et tres alii. *Heins.*

673 *Est aqua Mercurii*] Hoc solum testimonio probant viri docti, extra portam Capenam via Appia aquam fuisse ita nuncupatam; qua populus, qui negotio et quæstui operam dabat, his Idibus lustrari solitus. *Neapol.*

675 *Huc venit incinctus tunica*] Cingulo; e quo marsupium auri monetalis propendebat. Hic vetus mercatorum habitus. *Neap.* *Incinctus tunica*] *Tunicas* Mazar. Zulich. Læti, opt. Medic. pr. Ambros. Voss. et duo Farnesiani, eleganti Græcismo; nisi malis *tunicam:* quod pro diversa lectione in uno Moreti erat notatum. Mox pro *urna suffusa* lege *suffita;* nam Ursini præstantissimus *suffitam:* optimus Mediceus pro diversa lectione *suffitas:* Naugerii liber *suffecta:* Mazar. Zulich. et unus Vatic. *suffit aquam, suffit et haurit aquam,* quæ turbatissima sunt. Pro *quam gerit,* idem Ursini codex *ferit:* puto *quam gerit,* urnam nempe. Propertius IV. Eleg. 9. 'Suffiit et pura limina sparsit aqua:' sic scribo. *Heins.*

679 *Lauro rorante*] Aquis madente.

680 *Incipit et solita dicere voce preces*] Scripti fere omnes recte, *Et peragit solita fallere voce preces:* nisi quod *solitas preces* est in nonnullis. *Peragit preces voce solita fallere;* ita construendum, quod decepit Neapolim, impulitque, ut pro vulgata lectione pugnaret. *Heins.*

682 *Præterita perfida verba fide*] *Die* scripti fere omnes, paucis exceptis, iisque minus castigatis. Unde Scaliger et Gruterus *præteritæ die* pro *diei;* ut *fide* pro *fidei* passim apud Nostrum: *præterito die* Mazar. et Zulich. Puto scribendum, *præteritis perfida verba Deis;* hoc est, neglectis, spretis. Met. VIII. 'solas sine thure relictas Præteritæ cessasse ferunt Latoidas aras.' Epistola Cydippes, 'Præteriine tuas de tot cœlestibus aras.' Sequenti versu *falsusve* pro *falsove* Zu-

lich. et alii tres scripti; sed nil muta: sic Art. Am. 'Per Styga Junoni falso jurare solebat Jupiter.' *Idem.*

684 *Numina vana Jovis*] *Numina magna* opt. Patav. prim. Farnes. Mazar. Vossian. aliique multi; et recte. Sic Am. lib. II. 8. ubi etiam de perjurio agit, 'Per Veneris feci numina magna fidem.' Sic et 'Di magni' passim dicti. *Idem.*

686 *Improba verba*] *Dicta* Mazar. Zulich. Voss. pr. Farnes. opt. Patav. et duo alii: 'verba' jam præcesserat. *Idem.*

687 *Et pereant veniente die*] *Pateant* Zulich. Mazar. Ursini, Voss. pr. Farnes. et decem alii. Recte. Pateat ac detur, inquit, die veniente aditus ad nova mihi perjuria. Vulgatam lectionem si admittamus, bis idem dixerit. *Idem.*

689 *Da modo lucra mihi*] Hinc apte Agorastocli apud Plautum respondet Milphio servus in Pœnulo: 'Ag. Ecquid amare videor? Mi. Damnum, quod Mercurius minime amat. Ag. Namque Ædepol, lucrum amare nullum amatorem addecet.' *Neap.*

691 *Poscentes ridet*] *Poscentem* Ursini, pr. Farnes. et quinque alii; omnino bene: nam ad mercatorem, de quo supra, est referendum: opt. Patav. Mazar. et Zulich. *poscenti.* Heins.

692 *Se memor Ortygias surripuisse boves*] Memor se furto subtraxisse Pheræas vaccas regis Admeti, quæ sub custodia Phœbi erant. *Ortygias*] A Delo insula, quæ Ortygia dicta est. *Paul.* *Se memor Ortygias*] Observa sales mei Nasonis. Furti vero crebra mentio fit a Græcis: unde Homerus jure hunc vocat in hymnis ἄρχοντα φηλητῶν: quippe fraudes primus commentus, et lucra illicita. *Neapol.*

693 *At mihi pande precor multo meliora petenti*] *Tanto meliora* Mazar. Zulich. Ursin. pr. Ambros. et cæteri fideliores plerique; recte: nisi quod pro *pande* in quibusdam *parce*, perperam. Sic 'tanto melior' apud Plautum et Phædrum. Vide Gronovii nostri Observat. lib. II. 21. Seneca Epist. XXI. 'Tanto melior surge et respira.' *Heins.*

694 *In Geminos Phœbus eat*] Relicto Tauri signo, Geminorum signum ingrediatur. *Neapol.*

695 *Cum totidem de mense dies*] Quot facta Herculis: ergo XV. Kalendas nostro Sol in Geminis. In eandem conjicitur a Columella. *Neapol.*

697 *Dic, ego respondi*] Malim, *Dic age:* nam τὸ *ego* a manu recentiori erat in Zulichemiano, veteri lectione erasa: et sequenti versu pro *reddidit ore* prim. Ambrosianus et Læti codex cum uno Patav. *Prodidit;* bene: dixi lib. III. 292. *Heins.*

699 *Phœben Phœbesque sororem*] Phœben et Elairam. Harum proci antiqui, Idas et Lynceus frater: cum quibus postea certamen initum.

700 *Ille pugil*] Hac arte callebat Pollux. *Neapol.* *Tyndaridæ fratres*] Castor et Pollux Tyndari privigni: nam Jovis ex Leda Tyndari conjuge filii.

701 *Et frater et Idas*] Lynceus et ipse Idas. *Bella parant*] Contra Castorem et Pollucem.

704 *Ex causa*] *A causa* pr. Ambros. Mazar. Zulich. Lege *e causa.* Heins.

705 *Œbalidæ*] Castor et Pollux Œbalii, hoc est, Laconici.

707 *Liber ab arboribus locus*] Locus purus, patens, apertus. Stat. Thebaid. VII. 'Colle per excelsum patulo, quem subter aperto Arva sinu, nullique a montibus obstant Despectus.' Ex Enn. Annal. XVI. 'Montibus obstipis obstantibus.' Tacit. Annal. II. 'pura humo inter arborum truncos.' Liv. III. 4. 'Signis collatis dimicatum puro ac patenti campo.' Et Lucan. lib. VII. 'Explicat hinc tellus campos effusa patentes.'

708 *Constiterant illo nomina fida loco*] *Constiterunt* unus Patavinus. Quantivis pretii lectio est, quam Zu-

lichemianus exhibet, *Constiterant illic: nomen Aphidna loco:* neque aliter in Mazar. fuisse videtur; nam *illic* disertim apparebat, cæteris vocibus in menda cubantibus. Aphidnas Laconicas distinguit ab Atticis Stephanus *περὶ πόλεων*, quas Dioscuri post raptam a Theseo Helenam expugnarunt. Apposite omnino Stephanus, Ἄφιδνα, δῆμος Ἀττικῆς, τῆς Λεοντίδος φυλῆς, ἀπὸ Ἀφίδνου αὐτόχθονος. Ἔστι καὶ πόλις Ἀφίδναι. Ἔστι καὶ τῆς Λακωνικῆς, ὅθεν ἦσαν αἱ Λευκίππιδες Φοίβη καὶ Ἱλάειρα. Quanquam Theocritus in Dioscuris et Pindarus Nemeis Od. x. qui historiam luculentis versibus descripserunt, ad Apharei tumulum pugnam hanc commissam fuisse asseverant. Aphareus autem cum Messeniis imperarit, fit verisimile, monumentum ejus ista in regione extitisse. Certe Apollodorus in hac fabula in Messeniorum tractu concurrisse Dioscuros cum Ida Lynceoque contendit. Habes et historiam apud Hyginum fab. 80. sed ubi pugna sit commissa, non addit: apud quem perperam *Laira* pro *Ilaira* appellatur altera Leucippidum, et Ἑλάειρα pro Ἱλάειρα apud Scholiasten Pindari. Cæterum Avienus in Arateis videtur innuere Leucippas fuisse raptas a Dioscuris bello Atheniensi, quod ob raptam a Theseo Helenam gerebatur: sed quemadmodum bella duo confundit, ita etiam Atticas Aphidnas cum Lacedæmoniis. Locum ecce, ut in veterrimo codice Vossiano legitur, 'At capiti suberunt Gemini, prolesque Tonantis Egregia, et patrio post reddita numina cœlo. Nam Lacedæmoniis cum Mars caluisset Aphidnis, Castora Cecropii tulit inclementia belli: At frater lucemque et fata superstitis ævi. Protinus alternæ germanos tempora vitæ Jupiter attollit, cœlique in celsa receptans Æternæ flagrare facis jubet ignibus ambos.' Neque aliter Hyginus in Geminis: 'sed qui de Castore et Polluce dicunt, hoc amplius addunt, ut Castor in oppido Aphidnis sit occisus, quo tempore Lacedæmonii cum Atheniensibus bellum gesserunt.' Ita emenda. Perperam vulgati *in oppido Ariadnis.* Heins. *Constiterant nomina fida*] Castor et Pollux, qui mutuæ fidei clarum nomen habent.

709 *Trajectus Lynceo Castor ab ense*] Theocritus in Dioscuris ait Lynceum a Castore interfectum: Apollodorus lib. III. βιβλιοθήκης, Castorem ab Ida, a Polluce Lynceum. *Lynceio*] Pro Lynceo: ut Cepheia, et paria. *Neap.*

712 *Cervix humeros tegit*] *Premit* meliores. *Heins.*

719 *Alterna fratrem statione recepit*] *Redemit* probe veteres plerique. Maronis illa cogitabat, 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit.' Sequenti versu *sidus uterque* Zulich. pr. Farnes. et sex aut septem alii, non *utrumque.* Sic lib. III. de Pico et Fauno, 'Romani numen uterque soli.' *Heins. Alterna statione*] Ut alternis vicibus essent in cœlo.

721 *Ad Janum redeat*] XII. Kalendas Junias Agonalia urbs iterabat. Hoc die notantur hæc festa in veteri Kalendario. De etymo ad Januarium te Naso meus rejicit. Vide et ibi nostri laboris plura. *Neapol.*

725 *Proxima Vulcani lux est, quam Lustria dicunt*] Primus ad Festum incomparabilis Scaliger vidit *Tubilustria* esse reponendum. Certe in veterrimo Ursini, Zulichemiano, Mazariniano, opt. Patavino, et tribus aliis *ubilustria:* in optimo Mediceo *tubilustria* erat emendatum; neque aliter in ora codicis sui Politianus. Scribe nulla mutatione, *Proxima Vulcani lux es: Tubilustria dicunt.* Heins. *Proxima Vulcani*] x. Kalend. Tubilustrium erat: de quo Varro lib. v. de Lingua Latina: 'Tubilustrium appellatur, quod eo die in atrio sutorio sacrorum tubæ lustrantur.' *Quam lustria dicunt*] Mavult θαυμάσιος ἀνὴρ,

Tubilustria dicunt. Assentior lubens. *Neap.*

726 *Lustrantur puræ tubæ*] Ab ipsis tubicinibus moturis aciem classicis, antequam abeant. *Quas ille*] Vulcanus. *Facit*] Quæ conflantur ab opificibus, quibus ille præest.

727 *Quatuor inde notis*] *Locis* Zulich. Mazar. et unus Farnes. *Heins. Ordine lectis*] Postquam quatuor ipsas dierum notas legeris. *Paul. Quatuor inde notis locus est*] Quatuor signis, quibus dies notantur in Fastis. *Ant. Quatuor inde notis*] Sequens Maii dies, id est, IX. Kalendas, sic notatur in Kalendariis, Q. R. C. F. Anceps Poëta de interpretatione, hinc ait: 'Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.' Sciendum, Regi sacrorum neque Magistratum gerere, neque verba ad populum habere fas fuisse: propterea in Comitium ire non licebat nisi hoc die, qui notatus est in Kalendariis. Itabat enim in Comitium sacrificii causa: quo properanter parato, fuga se e Comitio eripiebat. Hinc per breves quattuor litteras, Q. R. C. F. interpretantur QUANDO REX COMITIO FUGIT, De more Plutarchus in libello τῶν Κεφαλαίων. *Neapol.*

728 *Vel mos sacrorum*] Quod servetur consuetudo sacrorum, et immolationis victimarum. *Vel fuga regis*] Tarquinii: nunc vero pro eodem sacrificia fiunt, etiam quod tandem victus, postea fugerit omni spe destitutus.

730 *Cui templum datum*] Consecrata tibi ædes. Sed hæc in fine subsequentis libri repetemus. *Paul. Cui templum luce sequente datum*] Hoc est, VIII. Kalendas. Jam liquidum, hanc publicam esse Primigeniam. Vovit hanc Primigeniæ ædem se Consule P. Sempronius anno Urbis conditæ DXLIX. Vide Livium lib. XXIX. et lib. XXXIV.

731 *Hanc ubi dives aquis*] Eodem VIII. Kalendas Aquila oritur vesperi. *Neapol. Ubi Amphitrite*] Uxor Neptuni. *Dives aquis acceperit*] *Aquas* unus Patavinus: *susceperit* pri. Farnes. et pri. Mediceus. Lege, *dives aquæ susceperit.* Heins.

732 *Rostra videbis avis*] Aquilæ. *Grata Jovi rostra*] Ob Ganymedem raptum.

733 *Auferet*] *Auferat* bene Zulichemianus, pr. Ambrosianus et alii duo: nonnulli *Aufert.* Heins. *Auferet ex oculis veniens*] VII. Arctophylax heliace fertur in occasum; et VI. heliacus Hyadum ortus. *Neapol.*

734 *Continua die*] Quæ illi proxima erit: hoc est, trigesimo die Maii. *Sidus Hyantis erit*] Hyas apparebit, qui fuit Atlantis ex Æthra filius. *Paul.*

FASTORUM LIB. VI.

1 *Hic quoque mensis*] Junius Maium sequitur. Poëta triplicem mensis causam affert. Aut quod a Junone, Junonius. Aut ab Hebe, quæ in perpetua juventa est, Junius propter ipsos juvenes. Aut a Romanorum Sabinorumque concordia.

2 *Ipse leges*] *Lege* Ursini, Naugerii, et unus Patavinus. Læti, et pr. Ambros. *legas.* Mox *loquantur* pro *loquentur* meliores. *Heins.*

6 *Sacræ semina mentis*] Sic Phemius Musicus Ulyssi. Odyss. X. 347. θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας Παντοίας ἐνέ-

φυσεν. 'Et sunt in tanto non parvum pectore numen,' Silius lib. XIII. ubi prolixe Homerum prædicat. Hinc etiam *αἱ Μοῦσαι τοῦ οὐρανοῦ θυγατέρες.* Pausan. in Bœotic.

13 *Præceptor arandi*] Hesiodus; qui fatetur se vidisse Musas. At ego vidi reginam Junonem. *Præceptor arandi*] Ob illud opus quod inscribitur, 'Opera et dies:' ubi de Re rustica præcepta tradidit. *P.*

14 *Ascreas cum sequeretur oves*] Ascra, hujus patria. Ibi fuit vati ovium cura. *Neap.* *Ascræas*] Ab Ascra, quæ est in Bœotia, juxta Heliconis partem.

15 *Nec quas Priamides*] Nec vidi eas Deas, quas Paris Priami filius.

16 *Ex illis una fuit*] Juno videlicet, et soror et simul Jovis conjux. *Neap.*

17 *Quæ stat in arce Jovis*] In maximo templo Capitolino: in quo tria delubra, medium Jovis, dextrum Minervæ, lævum Junonis. *Neap.*

26 *Junius nomen habet*] Sacer hic mensis mihi, a Junone Junonius est appellatus. *P.* *Nomine nomen habet*] Macrobius primo Saturnalium. *Neap.*

29 *Si genus aspicitur*] Quasi, si ratio generis est habenda. *Prima parentem Feci*] Prima ego ex illo genita sum. Verum, ut in lib. IV. diximus, Jupiter et Juno simul nati sunt.

31 *Quondam Saturnia Roma est*] Vide Terentium Varronem de colle Capitolino. *Neap.*

34 *Juncta sunt templa*] Capitolio: in arce enim tria erant templa simul juncta, Jovis, Junonis et Minervæ.

35 *Pellex dare nomina mensi*] Pellicem vocat Maiam Atlantis filiam, quæ suo Jovi concubuit; et jure. *Neap.*

39 *An facient*] *Faciunt* multi ex scriptis: at prim. Ambros. et octo alii *faciant*. Heins. *An facient mensem luces*] Cum mensis ex lucibus, hoc est, ex diebus, constet. *Ab illis*] Lucibus, scilicet, dicar ego Lucina. *Neap.*

42 *In genus Electræ*] In Trojanos, qui ab Electra matre Dardani progeniti sunt.

43 *Causa duplex iræ*] Ganymedis raptus, adeo toro nostro exitialis; formæ vero, judicium Paridis. Hi homines uterque Trojani: a quibus Romani originem deducunt. *Neap.*

45 *Pœniteat, quod non fovi*] *Foveo* meliores. *Heins.*

47 *Pœniteat Sparten*] Tres sibi cariores urbes. Iliade Δ. Ἄργος τε, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. *Neap.*

48 *Veterem Samon*] De Samo Ionica intelligit, quæ insula est in mari Icario, ubi nata putatur Juno.

49 *Adde senem Tatium*] Regem Sabinorum: quasi adde Sabinos omnes, qui me pie colebant. *Junoniculosque Faliscos*] *Junonicolasque* cum scriptis. *Heins.*

52 *Hic color, hic teneo*] *Colar* et *teneam* castigatiores. *Idem.*

53 *Ipse mihi Mavors*] Septimo arguit a jure tutelæ, quoniam Mars filius eam urbem maternæ fidei commendarit.

55 *Centum celebramur in aris, &c.*] Ὑπερβολικῶς. Revera multa erant in Urbe Junonis fana, luci, delubra, aræ, ædes, ædiculæ sub cognomine Caprotinæ, Jugæ, Juliæ, Lucinæ, Matutæ, Martialis, Monetæ, Sororiæ, Sospitæ, Reginæ: et adhuc aliquot me fugiunt. *Neap.*

57 *Nec præstat*] *Præstet* Zulich. et unus Patavinus. Lege *Ne præstet.* Heins.

58 *Suburbani dant mihi munus idem*] Qui sunt in oppidis agri Romani, seu, ut melius dicam, qui in urbicaria degunt regione; quæ ad centesimum usque lapidem extendebatur. Urbicaria igitur et suburbicaria regio est ille tractus, qui urbi circumjacebat, et ab Italia separabatur: nam inter annonariam regionem nullo modo urbicaria includebatur: hæc etiam Romana nuncupatur in veteri inscriptione, nec certe diversa.

59 *Inspice quos habeat*] Leges, in-

quit, mensem Junonium in Fastis municipalibus, Aricinis, Laurentinis, Lanuvinis, Tiburtinis, Prænestinis ; nec cum harum urbium auctoribus ullum mihi sanguinis vinculum. De Fastis Prænestinis non silebo illud, publicatos olim ab insigni libertino Verrio Flacco. *Neap.* *Aricia fastos*] *Fastus* pr. Medic. de quo egimus supra initio libri primi. Mox metri ratio exigit reponamus *Lanuviumque*, pro *Laviniumque*, cum scriptis nonnullis: Ursini codex *Laviniumque nemus*, pro *Lanuviumque ;* eleganter. Fuit enim ingens illic lucus Junoni Sospitæ sacer, quod ex Æliani Hist. Animal. et Cicerone discimus : quanquam Ælianus Lanuvium cum Lavinio confundit. Apud Silium quoque Italicum non semel pari modo peccatur. *Heins.*

60 *Lanuviumque meum*] Ibi illi fuit ædes lucusque summæ religionis : illuc Romani, Republica afflicta, confugiebant. Vide Livium lib. XXII. *Neap.*

61 *Aspice Tibur*] *Inspice* meliores. *Heins.*

62 *Prænestinæ Deæ*] Præneste oppidum, ubi et templum Fortunæ, et ædes Junonis.

65 *Herculis uxor*] Hebe, Junonis filia, Herculi nupta. *Paul.*

66 *Signa dolentis erant*] Scripti plerique *vigoris* vel *doloris ;* quidam etiam *decoris;* duo *ruboris ;* unus *pudoris:* nil muto. Fast. IV. de Cerere, ‘ Maximaque in vultu signa dolentis erant.’ *Heins.*

67 *Non ego, si toto*] Insurgit primo pro se Hebe, sive Juventas ; et memorat antiqua officia conjugis in urbem collata : secundo juvenum causam tuetur.

72 *Et faveas causæ forsitan ipse meæ*] Alii *faveat ipsa,* ut ad Junonem respiciat. *Heins.*

77 *Quid grave*] Cur est alicui molestum ? aut quid magni momenti est ? *Si, Romane, posteritasque memor*] Quæ memoria tenuisti beneficia a viro meo collata. *Titulum mensis dedisti Herculis uxori*] Ornasti me honore mensis, quæ Herculi nupta sum. *Romane, dedisti*] *Dedistis* Vossianus et duo Medicei ; ut ad posteritatem quoque referatur. *Heins.*

82 *Aventinam humum*] Nam erat in spelunca montis Aventini, ubi ab Hercule interemptus est.

83 *Populum digessit ab annis*] In seniores et juniores. *Neap.*

84 *In partes duas*] Senatum et plebeios, seu senectutem et juventutem.

85 *Pugnare paratior illa est*] Ratio apud Plutarchum in libello, An seni sit gerenda Respublica.

86 *Hæc ætas bellum suadeat, illa gerat*] Lege cum sex scriptis *suadet, at illa gerit ;* vel *suadet et illa gerit* cum Ursini et nonnullis aliis libris præstantioris notæ. Amor. l. I. 9. ‘ Ille fores dominæ servat, at iste ducis.’ Et mox, ‘ Hic portas frangit; at ille fores.’ *Heins.*

88 *Junius est juvenum ; qui fuit ante, senum*] Sic distingue. *Junius hic* Zulich. Puto, *Junius hinc juvenum ; qui fuit ante, senum est :* ‘ qui fuit ante,’ qui præcessit, Maius videlicet. *Idem.* *Junius est juvenum*] Nam a junioribus Junius dictus. *Qui fuit ante*] Mensis qui antecessit. *Est senum*] Nam a senioribus, hoc est, a majoribus, Maius denominatus.

91 *Longas Concordia lauro*] Hæc, repulsa utraque Dea, nescio an docte et scite, probat a junctis Romulo et Tatio Sabinorum Rege mensem Junium sic dictum, quasi Unium, sive Jungium.

92 *Placidi numen opusque ducis*] *Munus opusque* Hamburg. Junian. et alter Petavianus : sic hæc duo conjunxit etiam Pont. lib. IV. Eleg. prima, ‘ Tutelæque feror munus opusque tuæ.’ Infra hoc ipso libro, ‘ Ite Deam læti Fortem celebrate Quirites, In Tyberis ripa munera Regis habet.’ In obitum Drusi, ‘ Nec sua

conspiciet (miseram me!) munera Drusus, Nec sua pro templi nomina fronte leget.' Art. Amat. lib. I. de Concordiæ Templo, 'Aut ubi muneribus nati sua munera mater Addidit; externo marmore dives opus.' Trist. lib. II. ex antiquis libris, 'Venerit in magni templum tua munera Martis:' ubi *numina* in vulgatis nunc circumfertur. *Heins.* *Placidi numen opusque*] Augustus hic, an Tiberius? malim Tiberium; cum et scribat Noster in primo sub finem, templum huic Divæ posuisse. *Neap.*

93 *Hæc*] Concordia. *Ubi narravit Tatium*] Bella Tatii, regis Sabinorum, in Romulum gesta, et inita postea fœdera.

97 *Dicta triplex causa est*] A Junone, Hebe, Concordia.

98 *Res est arbitrio non dirimenda meo*] *Lis dirimenda* ab Ovidio scriptum fuisse existimo; ut Juriscons. passim: etsi vulgata lectio membranas omnes habet auctores. *Heins.*

100 *Pergama*] Trojana mœnia. *Plus lædunt, quam juvet una duæ*] Veluti plus potuere Trojanos lædere Juno et Pallas, quam juvare potuerit Venus. *P.* *Quam juvat una*] *Juvet* Arond. prim. Farnes. Gottorph. et decem alii. *Heins.*

101 *Dea Cardinis hæc est*] Hinc cuidam ex antiquis Cardinea hæc dicta, sive Cardea: prius, inquit Noster, nominata Crane; quasi dicas, ni fallor, κραιπνόν. Hujus festum, ut vides, erat Kalend. Juniis: eandem diem in sequentibus dat templo Junonis Monetæ, templo Martis extra portam Capenam, templo Tempestatis, quibus vetus Kalendarium IV. nonas his notis A. F. MART. CAR. MONET. *N.* *Prima dies tibi*] Aggreditur nunc festorum rationem, et Calend. Jun. festum esse Carnæ Deæ inquit. Sacrum enim illi in Cœlio monte, Calen. Juniis. Junius Brutus voti reus fecit. Et Poëta Carnam, quasi cardinam dicit, quod cardinibus præsit: et fuisse Nympham quandam, quæ Crane appellata sit, et Jano placuerit.

103 *Unde datas habeat vires*] Puto *ratas*; sed pro vulgata lectione stant libri veteres. *Heins.* *Obscurior ævo*] Quasi vetustate certior fama non habetur. *Datas habeat vires*] Quis Carnæ dederit vim vertendi cardinis, et claudendi, aperiendi.

105 *Adjacet antiquus Tiberino lucus Helerni*] Malo *antiqui Helerni* cum pr. Ambrosiano et duobus aliis: *antiquus Tyberini lucus* Mazar. Cæterum de *Helerno* et diversis hoc loco lectionibus vide quæ notamus lib. II. 67. *Heins.* *Helerni*] Helernum et locum vocant, et loci Genium. *Tiberino*] Tres apud me veteres habent, *Tiberinæ lucus Hilernæ:* ac si sensus, prope lucum Hilernæ adsidet alius, quo Pontifices sacra ferunt. *Neapol.*

107 *Inde*] Ab Helerno. *Est sata Nymphe*] Nata Carna. *Carnem dixere*] Prius enim Crane, deinde Crana appellata.

110 *Tendere*] Nodis contexta retia.

112 *Pudenda tibi*] Tum præstantia formæ, tum etiam spectatis moribus. *P.*

113 *Huic aliquis juvenum dixisset*] Deest particula: pro, si dixisset. *Neap.*

116 *Ducis in antra, sequar*] *Sequor* meliores: sic apud comicos sæpe, 'I præ; sequor.' Trist. III. 1. 'Duc age; namque sequor:' sic et ibi veteres. *Heins.*

117 *Credulus ante iit*] *Ante iniit* alii; plurimi *ante subit:* alii aliter. Sed recte, si quid judico, Regius et prior Bononiensis, *antra subit.* Lib. II. 'Antra subit tofis laqueataque pumice vivo.' *Idem.*

124 *Nil agis, et latebras respicit ille tuas*] Lege, *Nil agis en;* quomodo Arondelianus. Sequenti etiam versu censeo scribendum, *Nil agis en: dixin?* cum scripti ac vulgati perperam *dixit* agnoscant. Sunt enim non Jani, sed

poëtæ interpellantis: certe *dixi* est in Juniano, Erfurtensi, et uno Vaticano: unus Patavinus *dico*. Vide Notas ad Epist. XII. 71. *Idem.*

126 *Occupat amplexu*] Hui, hui, tu ille Janus, de quo Augustinus VII. Civitatis divinæ? ' De Jano non mihi facile quidquam occurrit quod ad probrum pertineat.' *Teque potitus ait*] *Speque potitus* Ursini et unus Patav. probe. Simile mendum insedit Elegiam primam lib. III. Pont. ' cupias, ut spe potiaris, oportet;' ubi *re* male legitur. Sic Met. lib. XI. ' spe potitur tandem:' sic et ' auso potiri' passim. *Heins.*

127 *Jus pro concubitu*] Erat illud, ut a foribus et omni limine noxia et infausta omnia depelleret, tum nocturna spectra, tum alia infesta: ea vis insita erat spinæ albæ, quam Janus ei dederat: hinc introducit striges quondam illam abegisse, quæ Procæ infantis faciem in cunis laniarant. *Neapol.*

128 *Positæ virginitatis*] Quam ego violavi.

130 *A foribus*] *Laribus* duo veteres. Mox *fraudarant* malo quam *fraudabant*. Heins. *Erat alba*] Plura enim sunt spinarum genera, quæ a Plinio referuntur. *Paul. A foribus noxas*] Dioscorides de Rhamno: Λέγεται δὲ καὶ κλῶνας αὐτῆς, θύραις ἢ θυρίσι προστεθέντας, ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. Rhamnus et alba spina synonyma. Quod observandum duxi, omnibus spinarum generibus veteres noxarum pellendi vim ingenitam credidisse.

131 *Non quæ Phineia mensis*] Tangit hic Harpyias, quæ cibos et mensas Phinei fœdarunt. His, inquit, sunt striges haud multo dissimiles. *Neapol. Sunt avidæ volucres*] Striges aves esse dicunt nocturnas, magno capite, rostro et unguibus aduncis, et quæ noctu infantium cunas adoriuntur, fodiuntque rostro corpusculum, et sanguinem hauriunt. Multi putant non aves, sed mulierculas esse, quæ se veneficio quodam, cum volunt, in striges vertunt.

133 *Stantes oculi*] Æn. VI. ' Stant lumina flamma.' Δυσαντίβλεπτος.... ὀφθαλμῷ δ' ἄρα οἱ πυρὶ λάμπετον. Homer. Iliad. XIII.

135 *Puerosque petunt*] Huc pertinent illa Isidori: ' Hæc avis vulgo amma dicitur, ab amando parvulos: unde et lac præbere dicitur nascentibus.'

137 *Lactentia viscera*] Sic Noster Metam. XV. 201. ' Nam tener, et lactens, puerique simillimus ævo Vere novo est:' annus scil.

140 *Quod horrenda stridere nocte solent*] Lege *horrenda voce*, vel contra libros veteres. Lib. II. Artis Amatoriæ etiam *noctis*, pro *vocis*, legitur. Isidorus Etymolog. ' Strix, nocturna avis, habens nomen de sono vocis; quando enim clamat, stridet.' Virgil. lib. IX. ' tum vox horrenda per auras Excidit.' Val. Flaccus lib. I. ' vox reddita tandem, Vox horrenda viris.' Sic ' horrendi clamores' apud Virgil. Noster Fast. IV. ' horrendo lotos adunca sono:' et ' horrendum murmur' in Ibide. Janus Vlitius *horrendum stridere* legebat: ut apud Virgilium lib. VI. ' bellua Lernæ Horrendum stridens:' sed de *nocte* jam præcesserat. *Heins. Quod stridere solent*] A stridendo igitur, quod noctu strident, striges dicuntur. *P.*

141 *Seu carmine fiunt, &c.*] An detur lycanthropia, haud nostrum inquirere: sed passim legitur apud Ethnicos, de quadam vetula. Isidorus: ' Striges, mulieres volaticæ.' Glossarium: *Striga*, λωστρυγὼν, καὶ γυνὴ φαρμακίς. Sed volaticæ dictæ, ob metamorphosin in animal volatile. *Neap.*

142 *Næniaque in volucres falsa figurat anus*] *Nænia Marsa.* Ursini, Naugerii, unus Patav. et unus Mediceus; optime: dictum Art. Am. lib. II. 102.

Hanc etiam lectionem in uno suo Neapolis invenit: in alio *Nænia saga;* etiam non male. *Heins.* *Næniaque in volucres*] Nænia hic non carmen lugubre, sed verba quæ concipiebantur ad lycanthropiam. *Figurat*] Horat. Epodon libro ad Canidiam: 'Caputque Marsa dissilire nænia.' *Neap.*

143 *In thalamos venere Procæ*] Proca ille Rex Albanus: sed purum fictum. *Neapol.*

150 *Nova hyems*] Autumnus. Sic Virgil. 'Æstate nova,' pro Vere.

153 *Materque paterque*] Aventinus cum conjuge, parentes Procæ.

157 *Spargit aquis aditus, et aquæ medicamen habebant*] Duo veteres, unus Vatican. alter Bononiensis *et quæ:* lege, *sed quæ medicamen habebant.* Aquas lustrales intelligit. *Heins.*

158 *Cruda bimestre tenet*] Solita illa plerumque elixa Diis offerri. Servius: 'Reddi exta dicebantur, cum probata et elixa aræ superponebantur.' Vide et Arnobium lib. VII. Hoc tamen sacro nec cruda puto postea aræ cremanda imposita; quia sub dio, ut vides, ea locat, quæ rapere volaticas illas credebat: unde jubet ne præsentes exta respiciant; ut præcipit ille in Lemuralibus lib. v. post jactum fabarum, ut legumen, umbra sibi ipsi, legat.

161 *Pro fibris*] Pueri. *Fibras*] Suillæ. *P.* *Pro fibris sumite fibras*] Λοβὸς τοῦ ἥπατος, Græci dicerent. Hujus vero divortia notat Hesychius vocasse aruspices πύλας· eaque accurate solita ab iisdem inspici.

162 *Hanc animam vobis pro meliore damus*] 'Hanc tibi, Eryx, meliorem animam, pro morte Daretis, Persolvo.' *Hanc animam vobis*] Alieni fati vicariam. Videtur alludere ad eos, qui sponte mortem pro alio obibant: Græcis ἀντίψυχοι dicti. *Neap.*

163 *Prosecta sub æthera ponit*] *Æthere* meliores: et sequenti versu *quique sacris adsunt* Voss. et sex alii, non *adsunt sacris.* Heins. *Prosecta sub aëre ponit*] Sunt, quæ nostri aliter dixere prosicias, et præsicias, sive prosicia, exta secta jam in exiguas miculas. Glossæ exponunt θυμάτων ἀπαρχάς. His opponuntur, quæ vocat Arnobius, 'solida animantium viscera.' *Neap.*

165 *De spina sumitur alba*] *Ponitur* Arondel. Voss. et plurimi præterea veteres; recte: nisi cum Jano Vlitio nostro malis *subditur.* Heins.

167 *Nec aves cunas violasse*] Fuere et alia antidota adversus has. Scita carmina apud Festum, quibus soliti Græci illas avertere. Juvit etiam allium puero annexum, et utrique brachio hyænæ viventis oculus erutus. *Neap.*

169 *Pinguia cur illis*] Huic Deæ, ut superius diximus, pulte, fabacio, et lardo sacrificatur, quod vires his rebus maxime corporis corroborentur. Poëta aliam causam affert, quod antiqua Dea antiquis cibis contenta sit. *Pinguia cur illis*] De sacrificiis quæ Divæ Carnæ fiebant, vide Macrobium primo Saturnalium. Naso referet ad frugales antiquorum mores et cibos.

170 *Mixtaque cum calido farre*] Hæc puls fabaria, seu fabata. Unde 'fabataria' dicta vasa, quibus hujusmodi cibus conditus infundebatur, pulmentarium ex faba et farre; Græcis ἔτνος dictum, quod nomen genericum adsignificans quodvis pulmentarium ex leguminibus confectum. Unde Athenæus lib. IX. vocat ἐτνηρὸν ἕψημα, jusculum ex istis paratum. *Neap.* *Sit faba farre rogas*] Lege, *si rogas:* quanquam scripti cum vulgatis hic consentiunt. *Heins.*

173 *Piscis adhuc illi populo*] Alii *illis populis;* vel *illic populi.* Putabam aliquando, *Piscis adhuc vilis populi sine fraude natabat;* nondum pretium piscibus erat positum. *Idem.* *Piscis*] Illis nondum erat usus edendorum piscium, ut nec ostrearum. *Paul.*

174 *Tuta fuere suis*] Nihil his fre-

quentius postea in cœnis prisci sæculi, imo ante cœnam: nam ad gustationem et πρόπομα, ut ita loquar, illis usum. Vide Macrobium III. Saturnalium.

175 *Quam præbet Ionia dives*] Ignoti Latinis, inquit, erant attagenes: dixit, 'Ionicos,' non quod in reliquis Asiæ provinciis rarus hic ales; sed quia Ionicus sapore reliquos Asiaticos longe superabat. Attagen, nos ex Græco habemus; Latinis est, Rusticula, sive Gallina rustica.

176 *Nec quæ, &c.*] Gruibus et cygnis oculos consuebant, et in tenebris ad victum saginabant. *Neap. Nec quæ*] Similiter de gallina altili Mart. in apophoret. Epigr. 62. 'Pascitur et dulci facilis gallina farina: Pascitur et tenebris: ingeniosa gula est.' *Gaudet avis*] *Avem* Ursini, Vossii, unus Vatic. et Mediceus, venuste et vere: sic apud Virgilium, libri meliores, Eclog. II. 'Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.' *Heins.*

178 *Nec tellus captas miserat ante feras*] *Arte* pro diversa lectione alter Puteaneus. Quid, si legatur *tellus Afra*, vel *Inda*? Si *arte* mavis, intellige de leonibus, tigribus, pardis, elephantis, et similibus, qui Romam capti mittebantur ad spectacula. *Idem.*

181 *Sextis quicumque Kalendis*] Si numeres Kalendas a Januario, hæ Juniæ erunt VI. Frequens loquendi modus Jurisconsultis. Sed observa Junias ob hujusmodi esum dictas Fabarias. In Kalendario Constantini Magni prima dies mensis Junii sic notatur, FABARICI. *Neap.*

183 *Arce quoque in summa*] Kalendis Juniis ædem Junoni Monetæ consecrarunt, in ea parte Capitolii, in qua fuerat domus Marci Manlii Capitolini. *Junoni Monetæ*] Consecrata sub appellatione 'Junonis Monetæ.'

184 *Ex voto memorant*] Hujus nec verbum quidem in Plutarcho, sed tantum de diruta Manlii domo; quasi hanc ob caussam in ejusdem area a Senatu ædem Monetæ collocatam.

185 *Ante domus Manli fuerat*] *Fuerant* Mazar. Zulich. Sarrav. et alii tres scripti; templa videlicet. *Heins. Ante domus Manli fuerat*] Vide Livium lib. VII. *Neap.*

186 *Qui A Capitolino reppulit arma Jove*] Reppulit Gallos, cum jam essent occupaturi arcem.

189 *Damnatus crimine regni*] Ob id saxo Tarpeio dejectus; locusque idem in uno homine, et eximiæ gloriæ monumentum, et pœnæ ultimæ fuit. *N.*

191 *Lux eadem Marti festa est*] Iisdem Kal. Juniis Marti litabant extra portam Capenam, ubi templum habebat. Id in Livio lego: 'Cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire juniores armatos jussisset.' Hæc ædes a Lucio Sulla Felice restituta, aucta, ac supra centum columnas imposita: postea diruta precibus Stephani Pontificis Maximi, cum jussu Gallieni ibi cogeretur sacrificare.

192 *Dextra porta Capena viæ*] *Tectæ viæ* veteres plerique, nisi quod in nonnullis *rectæ:* sed Via Recta campi Martii hic locum non habet. Emenda Martialem Epigr. III. 5. 'Protinus hunc primæ quæsitum i limina Tectæ: Quas tenuit Daphnis, nunc tenet ille Lares.' Ita ex vestigiis membranarum scribendum, quicquid isti *tectæ viæ* viri docti obloquuntur. *Heins. Tectæ porta Capena*] An Appia est Via tecta, hoc est, lapide strata, quæ a Capena porta incipiebat? an nostro inhærebis Codici, in quo *dextræ?* ac si bivium extra portam fuisset, dextraque via templum istud positum. *Neap.*

193 *Te quoque, Tempestas*] Hæc illustrentur ex veteri lapide Romæ ante XL. annos effosso, et de L. Scipione intellige, qui Corsicam expugnavit; non de M. Marcello, quod interpretes volunt. *Heins. Meritam delubra fatemur*] Tempestatis ædem aiunt votam a M. Marcello, qui bello Pu-

nico secundo Syracusas vicit, Oceani periculo liberato, cum in Corsicam et Sardiniam navigaret. Situs ædis fuit in Appia etiam extra portam Capenam, ut illa Martialis. *Neap.*

194 *Corsis aquis*] In mari prope Corsicam.

195 *Hæc hominum monumenta*] Manifesta sunt, quæ ab hominibus facta sunt. *Si quærimus astra*] *Quæritis* Ursini et tres alii; ut sæpe alibi Noster. *Heins.*

196 *Tunc*] Eodem die Calendarum. *Præpes adunca*] Oritur Aquila. *Præpes*] Præpetes aves, quæ volatu exhibent augurium. Oscines, quæ ore canunt. *Tunc oritur*] Eisdem Kalendis ostendit ortum totius Aquilæ vespertinum: cui adstipulatur Columella et Plinius.

197 *Postera lux*] IV. Nonas Hyades oriuntur heliace. *Neap.* *Evocat*] Ab ipso oriente. *Taurinæ cornua frontis*] Quoniam Taurus ab ortu surgit.

198 *Multa aqua*] Ob pluviam, quam Hyades inferunt.

199 *Mane bis fuerit*] Bis illuxerit. *Mane ubi bis fuerit*] Pridie Nonas Junii Bellonæ ædes consecrata in circo Flaminio versus portam Carmentalem. In hac dabatur Senatus Legatis exterarum nationum, quas in urbem admittere nolebant; item ducibus e bello revertentibus. *Neap.*

200 *Factaque erat posito rore bis uda seges*] De hoc loquendi modo ad Ep. XX. 82. Hic tamen *Tactaque rore* malim reponi; ut supra 'tactæ rore querentur aves.' Vide notas lib. IV. 740. *Heins.*

201 *Hac sacrata die Dicitur*] Hoc est, ædes Bellonæ bello Hetrusco consecrata fuit. *P.* *Tusco Bellona duello*] In eo castra hostium ab Appio capta, imo direpta, præda ingens parta, et militi concessa, septem millia et trecenti occisi, duo millia et centum viginti capti. *Neap.*

203 *Appius*] Claudius, qui bello Samnites, Sabinos, et Thuscos domuit, viam usque Brundusium lapidibus stravit. *Pyrrho qui pace negata*] Hic Pyrrhus Epirotarum Rex suppetias Tarentinis dedit, indicto eis a Romanis bello: ipse in Italiam venit anno Urbis conditæ CDLXXIII. sibique junxit Samnites, Lucanos, Brutios. Vastavit multam Italiæ partem; deinde a Romanis petiit pacem eo pacto, ut oppida jam victa fas esset ei retinere: negatum hoc Appii cæci stimulis. Is postea victus, et ex Italia pulsus anno Urbis conditæ CDLXXVIII.

204 *Multum animo vidit, &c.*] Tunc enim captus utroque oculo, imo et surdus id temporis esse cupivit, ne quosdam in Senatu audiret ad fœdam pacem inclinantes. *Neap.* *Multum animo vidit*] Inde apud Ennium ita increpat senatum: 'Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant?'

205 *Prospicit a tergo summum brevis area Circum*] Summus Circus pars anterior Circi. Quid ergo *Prospicit a tergo?* si de tergo areæ accipis, debet legi *respicit;* prospicere enim a tergo nemo dicitur: si de tergo templi interpretaris, peccas in historiam. Area enim hæc ante ædem Bellonæ erat, ut ex Festo in *Bellona,* et Pub. Victore in Regione IX. discimus. Optime igitur Ursini liber veterrimus, et unus Patavinus *Prospicit a templo.* Mutarunt nempe locum, qui Ædem Bellonæ templum dici posse non opinabantur. *Heins.*

206 *Parva columna notæ*] Optime: nam vere parva, et columella. Vide Festum Pompeium. *Neapol.*

207 *Belli prænuntia, mitti*] Idque ecce clarius e Dione de M. Antonino in Marcomannico bello. *Neap.*

209 *Altera pars Circi*] In reliqua parte Circi Flaminii erat ædes Herculis Magni Custodis: Fragmentum veteris Kalendarii: HERCULI MAGNO CUSTODI IN CIRCO FLAMINIO. Auctorem hujus templi fateor me ignorare. *Neapol.*

210 *Quod Deus*] Multi *Qui:* Junianus *Quam,* nempe alteram partem:

sic in Tristibus ex antiquis libris, 'Quam prius a miti Cæsare munus habet,' nempe *vitam*. Art. Am. II. 'Munus habe cœlum; cœlo spectabere sidus.' *Heins.* *Quod munus*] Quam ædem. *Deus*] Hercules. *Euboico carmine habet*] Ex inspectione carminis Sibyllini. *Euboico*] Cumæo.

211 *Qui Nonas Lucifer ante est*] Ursini, *quo*. Lege, *qui Nonas Lucifer anteit*. Sequenti versu *Sylla probavit opus* non est sollicitandum, nec mutandum in *rogavit*, quod amico meo viro doctissimo videbatur. Censorum proprie est probare. Vide veterem inscriptionem apud Neapolim hoc loco. *Heins.*

212 *Si titulos quæras*] Ipsius templi, quo titulo signetur. *Sylla probavit opus*] A senatu enim conditum, probatumque a Sylla dictatore, qui ex universis fortunis Herculi decimam sacrificans, opipara populo fecit convivia. *Paul.* *Sylla probavit opus*] Nullus mihi nec vetus nec novus scriptor, qui hoc probet.

213 *Sancto Fidione referrem*] Scribe *Sanco;* et *Sancus* sequenti versu cum optimo Ursini libro et duobus Mediceis. Adi præterea Neapolim. Hoc loco pro *Semo pater*, libri veteres constanter *Semi pater*, nisi quod in nonnullis mendose *Semi caper*. Nihil muto. Nam quod Neapolis ex Reatina inscriptione notat et ad Rostratum Duillii Ciacconius, SEMI PATRI SANCO, apud Gruterum p. XCVI. aliosque SEMOPATRI legitur; et apud Propertium Eleg. IV. 10. 'Sic Sancum Tatiæ composuere Cures:' quo loco videndus Passeratius. Et apud Festum in *Prædia*, 'In æde Sanci, qui Deus fidius putatur.' Livius lib. VIII. 20. 'Semonem Sangum' vocat: sed et illic *Sancus* est scribendum, ut et Σάγκον pro Σάγκτον apud Halicarnassæum et Plutarchum in Problematis Romanis: quanquam Augustinus utrumque nomen in libris de Civitate Dei videtur agnoscere. Nam in veteri inscriptione, SANCTO SANCO SEMONI DEO FIDIO SACRUM, τὸ SANCO titulis potius quam nominibus Semonis adscribendum. Ovidius certe non nisi terna ejus nomina agnoscit. Si tamen a *sanciendo orbe* dictus est, utrumque nomen ex Augustini sententia possit admitti. Apud Silium Italicum libro VIII. ubi nunc legitur, 'Ibant et leti pars Sanctum voce canebant,' codex Oxoniensis *Sangum* pro *Sancum*. Heins. *Sancto, Fidione referrem*] Hic Deus præcipue cultus a Sabinis: et Fidius, et Sabus, et Sanctus, et Semipater vocatus. Sed puto diversum Sanctum a Sabo, ex quo Sabinos nomen accepisse M. Cato in Originibus tradit his verbis: 'Nomen esse impositum ex Sabo Divi Sanci Gentilis filio.' Mens sane Poëtæ fuit, ut existimaret a Sancto originem Sabinos, sed a Sabo nomen traxisse: Sanctus enim fuit primus Sabinorum Rex. Relatus ergo in Deorum synodum a Sabinis, imo a Romanis. *Neap.*

214 *An tibi, Semo pater*] Non suadet Inscriptio Reatina. *Neapol.*

216 *Nomina terna*] *Trina* quinque scripti: ut lib. V. 'vici numina trina colunt.' Plura diximus alibi. *Heins.* *Sic voluere Cures*] Sabini: a Curibus, quæ erat urbs opulentissima. *Paul.*

217 *Donarunt æde Sabini*] Hi ergo populi templi auctores. O si verum! Sed vereor ne verior Dionysius lib. IX. qui scribit, Spurium Postumium Consulem dedicasse anno Urbis conditæ CCXCVIII. ultimum vero Tarquinium extruxisse; gloriam tamen inscriptionis Postumio ex S. C. concessam. Forte ob odium in Tarquinios. *Neap.*

219 *Nostris diuturnior annis Filia*] Hujus nomen non legi: hoc teneo, ex ea nepotes Ovidium habuisse; idque ipsomet attestante in Tristibus: 'Filia me mea bis prima fecunda juventa, Sed non ex uno conjuge, fecit avum.' Tangit filiæ διγαμίαν. *Neap.*

221 *Hanc ego cum vellem genero dare*]

Optima codici Vossiano interpretatio adscripta: 'Hæc fuit uxor Fidi Cornelii Fabii;' recte. Seneca libro de Constantia sapientis cap. 17. 'In Senatu flentem vidimus Fidum Cornelium Nasonis generum.' Hinc Senatorem fuisse colligo. De genero hoc Ovidii nihil notatum ab iis, qui vitam ejus contexuerunt. *Heins.*

226 *Conjunx sancta Dialis*] An *cincta?* ut libro III. 397. ubi plura. *Idem.*

227 *Donec ab Iliaca*] Usque ad XVII. Junii diem.

228 *In mare Tibris aquis*] Cui credam, Festo, Varroni, an nostro? Illi aiunt delatum in locum certum, imo hunc porta clausum ad venerationem: Naso vult jactum in Tiberim. Hæreo.

229 *Detenso crinem detexere buxo*] Velim videre qui intelligat, et nos doceat quid sit *detensum buxum:* duo libri *detenso;* tres *detonsum;* duo *detonsos crines;* prima editio *detonsæ;* Læti codex *detonsa.* Scribe omnino *detonsa buxo*, hoc est pectine buxeo, qui Martiali 'buxus multifido dente' Apophoretis, 'Quid faciet nullos hic inventura capillos, Multifido buxus quæ tibi dente datur?' Idem lib. XII. 'dentem' pro pectine dixit, 'Exiguos secto comentem dente capillos.' Tibullus Eleg. I. 9. 'Aut tenues denso pectere dente comas.' *Dentatus* et *dentosus*, ut *moratus* et *morosus*, *comatus* et *comosus*, similiaque. Si cui *dentosa* vox insolentior videbitur, *dentata* licet reponat. Sic apud Petronium, 'descendentes ab aure capillos dentata manu ducere.' *Heins.* *Detonso crinem depectere buxo*] His ergo diebus Flaminicæ Diali vetitus concubitus, ungues ferro secare, capillum depectere: quod ei etiam præcipue non fas per id tempus quo ad Argeos itabat, ut XV. et XVI. Kalendas Apriles: noster mense Martio. *N.*

230 *Ferro subsecuisse licet*] Diebus licitis segmina subter arborem siliquam terra operiebantur. Vide leges Flamini et conjugi impositas ex libris Sacerdotalibus apud A. Gellium lib. X. 15. *N.*

231 *Quamvis Jovis ille sacerdos*] Licet sit flamen Dialis.

232 *Quamvis sit mihi datus*] Ut divortium facere non possimus. Hæc ergo fieri non possunt, donec placidus Tibris detulerit purgamina in mare ab Iliaca Vesta: usque quo purgatum erit templum Vestæ Iliacæ, et omnia quæ sunt in eo, munda et nitida reddita, et sordes et ipsa purgamina jacta in Tibrim, ferenda in æquor. *Paul.* *Perpetua sit mihi lege datus*] Quid istud est? ergo divortium Flaminicæ vetitum fuit? ita; nam univira et unicuba esse debebat. *Neap.*

234 *Ignea cum pura veste nitebit humus*] Optime Scaliger, *Vesta nitebit humo;* neque aliter in uno Farnesiano: et Matthæi Herculani libro erat emendatum, *pura humo*, æde purgata post stercus ablatum. Codex præterea Bononiensis *virebit:* ut apud Horat. Epod. XVII. 'nec Sicana fervida Virens in Ætna flamma:' ita enim codices multi. Apud Martial. 'virens flamma,' de quo vide commentatores. *Heins.* *Ignea cum humus*] Terræ globus: quæ in templo sustinet ignem Vestalem. *Pura veste nitebit*] Cum erit jam purgata et nitida.

235 *Tertia post Nonas*] VII. Idus Arctophylax occidit mane. *Neap.*

236 *Et a tergo non habet ursa metum*] Respexit ad fabulam, cum Arcas filius adultus matrem in ursam mutatam insequeretur. Nunc cum occidat, non timet insequentem filium.

237 *Tunc ego, &c.*] Eodem die fiebant ludi in campo Martio, qui Tibrales dicti sunt ad honorem Tibridis: et festum a piscatoribus celebratur. *Tunc*] Septimo Idus. *In gramine campi*] In gramineo campo Martio.

238 *Et dici, lubrice Tybri, tuos*] *Di-*

dici meliores: et mox *repellaras* pro *repellabas*. Heins.

240 *Æra recurva*] Γναμπτὰ ἄγκιστρα, dixit Homerus in Odyssea.

241 *Mens quoque numen habet*] Post infelicem illam Romanorum cladem ad lacum Trasymenum. *Delubra videmus Vota*] Suasu Decemvirum. Post inspectos libros Fatales, ædem vovit Attilius Prætor, dedicavit T. Octacilius Crassus. Vide Livium lib. XXXII. et XXXIII. *N. Mens quoque numen habet*] Quia consecrata, et inter Deos collocata.

242 *Perfide Pœne*] O Hannibal, qui nunquam servabas fœdera, cum tua bella timerent Romani, voverunt ædem Menti. *Perfide Pœne*] 'Senatorum unum infestum perfidiæ Carthaginiensium succlamasse ferunt: per quos Deos fœdus icturi essent, cum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent? per eosdem, inquit Asdrubal, qui tam infesti sunt fœdera violantibus.' Livius lib. x. Decad. 3. Hoc etiam attingit Cic. de Offic. I. 'Cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Annibal, reliqui justiores.'

243 *Letho Consulis*] Morte Pauli Æmilii ad Cannas. *Paul. Letho Consulis*] C. Flaminii. *Neapol.*

244 *Mauras pertimuere manus*] Vires Afrorum.

245 *Spem metus expulerat*] Alii *abstulerat:* ut infra, 'Abstulerat vires corporis ipse timor.' *Heins.*

247 *Mediis sex lucibus Idus*] Ostendit quo die consecrata: hoc est, eodem VII. Idus. *Neap.*

249 *Tibi nunc operata resolvimus ora*] V. Idus erant sacra Vestalia, ut monent Kalendaria. De festo M. Varro lib. v. 'Dies Vestalia, ut virgines Vestales Vestæ sacrificent.' *Neapol.*

255 *Quorumque errore tenebar*] *Trahebar* prim. Farnes. et Ambros. et Læti, cum quatuor aliis: ut lib. v. 'Ne tamen ignores, vulgique errore traharis.' Metam. II. 'Utque viam teneas, nulloque errore traharis:' sed et alterum rectum est. *Heins.*

258 *Æde recepta Dea est*] *Recepta sua est* rectius pr. Ambros. et Læti liber. Pro *Palilia* superiori versu *Parilia* Ursini codex: dixi lib. IV. vs. 721. Pro *Romam*, eodem versu, *nomen* Mazar. Zulich. aliique plurimi. Voss. Arondel. Erfurt. duo alii, *numen*. Forte, *Dena quater memorant abiisse Palilia, numen Cum flammæ custos æde recepta sua est*. Idem. *Æde recepta Dea est*] Recte: nam sequitur hanc ædem, 'Regis opus placidi,' id est, a Numa templum conditum. *Recepta Dea est*] Et ubi antea sacra hæc Vestæ? Ilium certe habuit primitus; postea ab Ænea Lavinii constituta: inde in Albam longam transtulit Ascanius, Numa vero in urbem. *Neap.*

261 *Quæ nunc ære nitent, stipula tunc tecta virebant*] *Ære virent* plurimi veterum: *ære vides, stipula tunc tecta virebant*, Mazar. Arondel. ac itidem plurimi alii. At vere Ursini, Naugerii, et tres alii, *Quæ nunc ære vides, stipula tunc tecta videres*. Heins.

262 *Lento vimine textus erat*] Hic in ipsa nova æde, ni fallor, postea religione servatus eadem, qua vetus illa Romuli casa: et hunc puto Festi 'penum.'

263 *Qui sustinet atria Vestæ*] Atrium erat ubi illæ degebant. Plinius: 'Virgines, cum vi morbi atrio Vestæ coguntur excedere, matronarum curæ custodiæque mandantur.' Illud igitur fuerat pars regiæ, quam 'parvam' alicubi vocat, hic 'magnam.' *Neapol.*

265 *Quæ nunc manet*] Rotunda scilicet est: nec alia dicitur fuisse antiquæ ædis forma. *Neap.*

266 *Formæ causa probanda subest*] Malim *sua est;* quia 'subest' denuo occurrit versu proximo. Mox *Vesta eadem est quæ terra* Ursini codex et

duo alii, non *et terra* cum vulgatis. *Heins. Forma templi*] Ædes Vestæ ideo rotunda facta est, ad pilæ similitudinem, quod eam Deam crederent Terram esse. *Ant.*

267 *Vesta eadem est*] Non sunt diversa, sed sunt idem: nam Terra Vesta dicitur. *Vigil ignis*] Inextinctus. *Subest utrique*] Vestæ et terræ. *Subest ignis*] Vesta in templo habet ignem inextinctum.

268 *Significant sedem suam*] Nam terra est in medio loco totius mundi, et focus ille est in medio templo: sic ostendunt suam sedem.

271 *Ipsa volubilitas*] Hi sex versus in Ursini libro et sex aliis leguntur; a cæteris absunt. *Heins.*

276 *Terræ mundus haberet onus*] *Terram haberet onus* elegantius Ursini, Læti, et duo alii: unus Mediceus *terras.* Mox *Syracosia* lege; nam in *Syracusia* tertia syllaba producitur: a Syracusis Συρακούσιος et poëtice Συρακόσιος. Sic 'versu Syracosio' Virgilius Ecloga sexta, ut habent vetustissima exemplaria. Apud Claudianum quoque in Epigrammate de hac Archimedis Sphæra 'Syracosius senex' scribendum, et apud Priscianum de Ponderibus, 'Prima Syracosii mens prodidit alta magistri.' Et apud Nostrum in Ibide, 'Utque Syracosio præstricta fauce poëtæ.' Et Pont. lib. IV. 3. 'Ille Syracosia modo formidatus in urbe.' Neque aliter apud Silium Italicum passim in vetustissimo codice exaratur. Pro *Arte* etiam *Arce* reponendum cum optimo Patavino et duobus aliis. Achradinam intelligit, editiorem Syracusarum partem, ubi servatam fuisse hanc Sphæram ex Athenæo docemur, lib. V. in descriptione navis illius celeberrimæ, quam Archimedes Hieroni Regi construxit, βιβλιοθήκην ἔχον ἐν αὐτῷ κατὰ δὲ τὴν ὀροφὴν πόλον, ἐκ τοῦ κατὰ τὴν Ἀχραδίνην ἀπομεμιμημένον ἡλιοτροπίον. Silius lib. XIV. quatuor partes urbis Syracusanæ, 'quatuor arces' vocat: 'Nunquam hoste intratos muros, et quatuor arces.' Idem ibidem 'arces' non addito numero: 'Inde Syracosias castris circumdedit arces.' Florus 'tres arces totidemque muros' Syracusis assignat. Cæterum locum Athenæi de hac Sphæra esse intelligendum vox πόλου satis evincit, nam ἡλιοτρόπιον dixit, quod cursum per duodecim signa Solarem exprimeret; scio aliter interpretari viros doctos. Claudianus de hac Sphæra, 'Percurrit properum mentitus signifer annum, Et simulata novo Cynthia mense redit:' ita lego; vulgati *proprium annum.* Paulo ante etiam scribendum, 'Jura poli, rerumque fidem, legesque dierum Ecce Syracosius transtulit arte senex:' nam vetustiores libri, *legesque Deorum;* vulgata exemplaria *virorum.* Idem.

277 *In aëre clauso*] In ipsa templi concavitate. *Arte Syracusia*] Geometria. Nam sicut terra in aëre pendet, ita intra templum Vestæ globus ille, quo terra referebatur, pendere videbatur. Sed id geometrica arte Archimedis, qui Syracusis in ea floruit. Hic sphæram commentus dicitur, qua mundi et elementorum rationem oculis subjecit.

279 *Tantum secessit ab imis Terra*] In ejus, inquit, medio puncti instar hærebat tellus. Scias illam e vitro fabricatam: ut id perspici posset, motus etiam ipsi cælestes, siderum ortus, et occasus mentitus Signifer, simulacra Cynthia, ut cum Claudiano loquar. *Neapol.*

282 *A pluvio vindicat imbre tholus*] Græci hujusmodi templum dicerent ναὸν θολοειδῆν.

283 *Cur si virginibus*] Duplicem assignat causam, cur Vestæ virgines inserviant. Prior est, quod inter sorores tantum ipsa remanserit viri impatiens: altera, quod Vesta sit eadem cum igne, a quo nihil generatur. *Neapol. Virginibus ministris*] *Virgineis* meliores. *Heins.*

292 *Corpora nulla vides*] Veriorem sententiam hic noster secutus. Placuit enim Sophis quibusdam, ignem nostrum, et elementarem, sua quoque creare animalia. *Neap.*

294 *Comites virginitatis amat*] *Habet* Ursini, Læti, prim. Ambros. et novem alii. *Heins.*

296 *Simulacra curvo nulla subesse tholo*] Nulla esse simulacra sub ipsa testudine templi.

300 *Par Graii nominis*] Nam Ἑστίαν Græci ducunt ἀπὸ τοῦ ἑστάναι. *Neapol.*

303 *Hinc quoque vestibulum dici reor*] Primorem illam domus partem a Vesta, hoc est, igni: nam in vestibulo erat focus. *N. Inde precando Dicimus, o Vesta, quæ loca prima tenes*] Hic denuo discrepant libri veteres. Ursini, pr. Ambros. Zulich. Mazar. aliique nonnulli, *inde precando Quæ famur Vesta:* alii plures *unde precando Quæ famur vestra est,* vel *Vestam:* unus *Quæramus Vesta:* alius *Quæramur:* duo *unde precando Adfamur Vestam;* non male. Latere mendum certus sum: sed medicina non est in promtu. Scribendum videtur tamen, *inde precantes Præfamur, Vestam, quæ loca prima tenes;* vel *inde precamur Præfati Vestam:* nam *precamur* est in plurimis antiquis. Tibullus Eleg. III. 2. 'Præfatæ ante meos manes, animamque precatæ:' ubi male *animamque rogatæ* multi codices antiqui, quod tamen approbatores suos invenit. Nec melius magnus Scaliger, *animamque rigatæ;* ut *rigatæ* cum *manus* construatur. Virgil. lib. XI. 'Ut primum placati animi et trepida ora quierunt, Præfatus Divos solio Rex infit ab alto.' *Heins.*

305 *Olim considere scamnis*] Vide Athenæum lib. IX. et Isidorum de vita Populi Romani: 'Majores nostri sedentes epulabantur.' *Longis scamnis*] Hæc, si memini, alibi dixit 'cava.' Compacta ergo tribus tabulis, aut quatuor, si subtus aliam habebant in arculæ formam. *Neap.*

307 *Cum fiunt sacra, &c.*] Vacuna a vacando dicta, quæ præest vacantibus et ociosis: cui cum agricolæ a laboribus ruris cessarent, et post perceptos fructus requiescerent per hyemem, vota solvebant et sacrificabant. *P.* Sed Varroni lib. I. Rer. divin. Minerva est: 'Quod ea maxime hi gaudent, qui sapientiæ vacant.' Annua sacra Romæ habuit, ut vides, et templum, in quo illa factitata. *Neap. Belli*] Idque ecce clarius e Dione de M. Antonino in Marcomannico bello.

309 *Venit in hos annos*] Pervenit in nostra tempora. *Aliquo de more*] Quoniam, ut antiqui solebant, ita nunc in Vacunalibus sedetur, et in Vestalibus.

310 *Pura patella*] Tres Vaticani *curva:* an *curta?* de quo Fast. II. 645. sed bene vulgatam lectionem interpretatur Neapolis. *Heins. Pura patella*] Purgata et nitida. *Fert missos cibos*] Qui mittuntur a piis civibus. *Vestæ*] Ipsi numini libantibus. Junxit enim illud, Deos colere, et in patellam dare: pro cibis et munusculis, quæ Diis libanda mittuntur. *P. Pura patella*] Purum omne aptum sacrificiis: sed vere purum hic nihil aliud quam detersum. Hinc verbum 'purare,' pro purgare, passim Varroni et Catoni usitatum.

311 *Panis dependet asellis*] In honorem Vestæ hoc tempore asini molitorii coronabantur a pistoribus. Inter causas recenset fabulam quandam, quæ apud Lactantium exstat, quam vide. Quod attinet ad formam panis, quæ asinario collo imponebatur, in modum coronæ fuisse existimo; veluti olim distribuit populo Romano Aurelianus Imperator, ut testatur Flavius Vopiscus. *Neap.*

314 *Et Fornacali Deæ sunt sacra*] Nam in Fornacalibus a Numa institutis, Deæ fornaci convenientia sa-

cra fiebant. *Fornacali sunt sua sacra Deæ*] Primæ editiones, et quatuor scripti, *stata sacra*, quod et in suis Neapolis invenerat; id tamen metuo, ut ferri possit: certe libro II. 'Curio legitimis tunc Fornacalia verbis Maximus indicit, nec stata sacra facit.' *Heins.*

315 *Panem focus ipse parabat*] Non enim in furno, sed in foco, et sub cinere, panis coquebatur: quoniam pistores Romæ non fuere ad Persicum usque bellum, annis ab urbe condita super quingentos octoginta. Ipsi panem faciebant Quirites: mulierumque id opus maxime erat. *P. Focus ipse parabat*] Olim, inquit, furnus farri torrendo inserviebat, at pani coquendo ipsi foci cineres. Merito ergo pistores festum agunt Vestæ focorum Dominæ. *Neapol.*

320 *Fabula plena joci*] *Parva joci* libri meliores magno numero. *Heins.*

323 *Convocat et Satyros*] Qui Bacchum comitabantur.

324 *Silenus*] Bacchi nutricius. *Paul. Nemo vocarat, adest*] Silenus creditus musca dialium conviviorum. *Neap. Silenus*] Bacchi alumnus.

325 *Nec licet, et longum est*] Scribo, *Nec libet:* ita sæpe peccatum, ut monuimus ad Epist. Sapphus. *Heins.*

327 *Di temere errabant*] *Hi* cum melioribus: nam de Diis agi satis liquido superiora evincunt. *Idem. In opacæ vallibus Idæ*] Fingit festum in Phrygia apud dilectos Cybelæ colles. *Neap.*

335 *Dubium est*] Tollo τὸ *est:* ita præstantiores libri. *Heins.*

338 *Et fert suspensos gradus*] Aut quia erectus in digitos incedebat. *Micante*] Tremente.

341 *Longi Deus Hellesponti*] Priapus, numen Lampsacenorum, qui sunt in Hellesponto.

345 *Lampsacus*] *Lampsacos* nonnulli: et sequenti versu *Apta asini* pro *Hinc asini* meliores omnes. Sed emunctæ naris quilibet facile odoretur hoc distichon ab aliquo homine male feriato hic præter rem esse inculcatum, ut et alibi non raro factum. *Heins. Lampsacus*] Priapi patria in Hellesponto. *Solita est mactare*] Hinc carmen illud incerti auctoris: 'Lampsaceos melior non imbuet hostia cultros.'

350 *Dicam Pistoris*] Libri veteres *Discant pistores* vel *Dicant:* quidam etiam *Discant pistoris.* Lego *Dic jam*, vel *Discite.* Heins. *Dicam pistoris*] Docet cur Jupiter pistor aram habuerit in monte Tarpeio; cujus constituendæ hanc causam ferunt: Galli urbe capta, cum solam potiendi Capitolii spem in fame obsessorum reponerent, Romanis ex arce Jovis monitu panes jaculantibus, ad fiduciæ speciem spectaculo stupefacti, ad omittendæ obsidionis fœdera descenderunt, existimantes Romanis frumenti copiam superesse. Unde postea repulsis Gallis Jovi pistori ara in Capitolio constituta. *Ant.*

355 *Quæ sit fortuna meorum*] *Malorum* scripti meliores constanter magna copia. Trist. IV. Eleg. prim. 'Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum est.' Unus *locorum*, alius *deorum;* tertius *viarum.* Vulgatæ lectioni non temere moverim controversiam. Marti enim sacra Roma. *Heins.*

361 *Jamque suburbanos contudit*] Jam Roma bello vicerat Sabinos, Ceninenses, Fidenates, Latinos omnes, et Volscos. *Etrusca arma*] Phaliscos et Vejos.

362 *Spes*] Imperii propagandi. *Erat in cursu*] In prosperitate rerum bene gestarum, et bene gerendarum. *Nunc lare pulsa suo*] Quia pulsi cives.

363 *Vidimus triumphales occubuisse senes*] Trucidatos a Gallis eos senes, qui olim de hostibus triumphaverant, omnibus honoribus in republica functos. *Picta Veste*] Ipsa prætexta. *Picta Veste*] Clare subdit hanc fuisse triumphalium. *Heins. Ærata per atria*] *Cerata* Lipsius Epistolicis Quæstionibus lib. IV. 5. quod jure impro-

bat Neapolis. Si quid mutandum refingam, *reserata per atria;* sic lib. IV. Metam. ' reseratis aurea valvis Atria tota patent.' *Heins.*

364 *Triumphales senes*] Hi sunt, quos θριαμβικοὺς ἄνδρας appellat Plutarchus in Camillo, cum enarrat hanc Urbis calamitatem. *Neap.*

366 *Sede*] *Æde* quidam; reliqui fere mendose, *Code. Putent* præterea unus Patav. Mox *Nil opis* legendum cum scriptis *Heins.*

371 *Capessent*] *Capessant* et *cadant* meliores. *Idem.*

374 *Monte suo clausos*] Obsessos in monte Tarpeio. *Paul. Turba premit*] *Premunt* unus Vatic. *Heins.*

375 *Quirinus*] Romulus vaticinii peritus lituum manu gerere consuevit, hoc est, baculum sine nodo aduncum, ut Livius scribit: quo idem rex, urbem conditurus, regionem descripsit. *Ant.*

380 *Sedes tuas*] *Latium tuum* prim. Ambros. et Læti. Mox *Mollitumque* malim, quam *Mollitamque:* et *Jusserat, at fratris,* quam *et;* et *tempora noctis eunt,* quam *erant:* de quo postremo vide Notas lib. II. 149. sed per libros veteres vix licet. *Heins.*

381 *Quodcumque est Cereris solidæ*] Quidquid frumenti habetis, molæ subjicite. *Neap.*

383 *Virgo Saturnia*] Vesta Saturni filia.

388 *Tradere vultis*] *Mittere* Ursini, Vossii, et unus Patavinus; non invenusta repetitione. *Heins.*

389 *Somnus abit*] Excitati sunt e somno Quirites. *Quærunt*] Inquirunt inter se duces. *Novis ambagibus acti*] Nova et dubia verborum circuitione, aut obscuris Jovis monitis.

390 *Quam opem*] Quod auxilium. *Tradere nolint*] Nollent aliis dare, et jubeantur ab Jove in hostes mittere.

391 *Esse Ceres visa est*] *Ecce* Ursini, Naugerii, et octo alii. *Heins.*

392 *Scutaque longa sonant*] Ut signet Gallicana. *Neap.*

393 *Hoste repulso*] Repulsis et cæsis a Camillo Gallis.

395 *Festis Vestalibus illa*] *Illac* plerique. *Heins.*

396 *Qua nova via*] Per quam a Velabro ad Romam ascendebant, jungebatur foro, et viæ sacræ, tendebatque prope Palatium, ubi et nunc ædes est sub appellatione divæ Mariæ in via Nova. *Romano juncta foro*] Quod inter Capitolium et Palatium est.

397 *Vidi descendere nudo*] Causam positi calcei censet ex antiqua necessitate in eos annos perdurasse (nam olim ad templum euntibus paludes aliquot transeundæ), non ex numinis reverentia: ad quam respexit etiam apud antiquos nudipedis incessus. *Neap.*

398 *Obstupui tacitus sustinuique gradum*] Octo aut decem veteres *gradus.* Puto, *Obstupui, tacitos sustinuique gradus.* Val. Flaccus lib. III. ' Ter tacitos egere gradus.' Sic ' incessu tacito progredi' apud Virgilium, et ' passu tacito præterire' apud Claudianum. Noster Art. Am. ' tacito pede labitur ætas.' Mox *vicina loci* pro *loco.* Heins.

401 *Hic, ubi nunc fora sunt, udæ tenuere paludes*] *Hoc* Ursin. Zulich. Mazar. et tres alii; novem *Hæc;* utrumque bene: Voss. et duo alii, *Hac;* et sic passim Noster. Vide Notas lib. III. 219. *Idem.*

402 *Amne redundatis fossa madebat aquis*] Plurimi ex vetustioribus, *Mane redundanti fossa madebat aqua;* quos cave audias. Trist. lib. II. 10. ' Sive igitur nimii Boreæ vis sæva marinas, Sive redundatas flumine cogit aquas.' Sic et ' singultati soni' Trist. III. 5. *Idem. Amne redundanti aqua*] Inundatione Tibridis effusis aquis.

403 *Siccas qui sustinet aras*] Quorum erant hæ aræ in lacu Curtii? nescio, nisi *aras* Poëta dixit pro *aram;* ut toties in hoc Opere, templa pro templum: istud est haud dubium; et illam Saturni significat. Victor in

regione VIII. ' Ara Saturni in lacu Curtii.' *Neap.*

405 *Qua Velabra solent in Circum ducere pompas*] Qua solet duci pompa triumphalis armorum victricium. Triumphantes enim cum pompa per Velabrum transibant.

406 *Nil præter salices*] Vide Varronem de Aventini collis etymo. *Neap.* *Crassaque canna*] *Cassaque* duo meliores Farnesiani, et Mazarinianus a manu prima; eleganter. Sic ' cassam nucem' pro vacua dixit Plautus: et ' cassis ostrea testis' Serenus Sammonicus cap. 10. Apud Silium lib. VII. 698. ' cassa sonipes exterritus umbra' scribendum; ubi *crassa* perperam legitur. Sic ' cassa flamma' Remed. Amor. et ' cassa terræ fertilitas' lib. V. Met. ex antiquis libris; et ' cassa cinnama' lib. XV. *Heins.*

407 *Suburbanas rediens per undas*] Per stagnantes aquas, cum inundasset Tibris.

408 *Ebria verba jacit*] Malim *dicta*, si per libros liceat: vide Notas lib. III. vs. 695. Propert. Eleg. I. 16. ' Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ, Quæ solet irato dicere tuta loco:' ubi veteres libri, *tota loco.* Scribe *pota joco:* ' jocum iratum' vocat dicteria et scommata; nisi mavis *probra joco.* Heins. *Ebria verba jacit*] Propertius: ' Mutæ jace verba favillæ.' *Neapol.*

410 *Ceperat amne Deus*] Cum non erat nomen hoc Vertumni: qui sic dictus ab amnis cursu mutato. *Neap.*

419 *Dardanius Ilus*] Dardani pronepos. *Nuper nova mœnia fecerat*] Ilium urbem a se denominatam condidit.

421 *Signum cœleste*] Pr. Ambros. et Læti, *vitale;* puto pro *fatale.* Heins. *Signum cœleste*] Τὸ ἄγαλμα Παλλάδος. Ferunt hoc fuisse ligneum veteres Grammatici. *Cœleste Minervæ*] Hoc signum vetustas credidit nulla mortali elaboratum industria; inde dictum διοπετές. Plin. lib. XII. capite primo: Signum vero stantis an sedentis effigie conspiceretur, res adhuc in incerto. Strabo tamen lib. XIII. auctor est, Palladium, quod sua ætate Ilienses habebant, rectum stetisse: unde colligit, non esse primum illud antiquorum Iliensium: hoc enim sedisse probat ex Homeri versu Iliade Z. *Neapol.*

423 *Vidi templumque*] Fragmina scil. et templi rudera: nam ante Ovidii natalem a Fimbria incensum; sed fortassis postea refectum. Ibi autem semper asservatum signum aliquod Minervæ, certo certius: nam Strabo lib. XIII. ut vidisti, agit de Palladio suæ ætatis. *Neap.*

424 *Hoc superest illic*] Ursini codex *illi.* Heins.

425 *Consulitur Smintheus*] Quum Palladium e cœlo cecidisset, Ilus consuluit Apollinem Smintheum, cujus statuæ mus pedibus subjacet. Est enim ' smintha,' *mus*, lingua Cretensium.

430 *Cura venit*] *Redit* idem liber et unus Patavinus. *Heins.*

431 *Sic ipsa volebas, Ex quo judicio forma revicta tua est*] *Volebat* meliores et *suo est* vel *sua est.* Idem. *Sic ipsa volebat*] Voluit Pallas furto surripi, irata Trojanis ob judicium Paridis. *Ant.*

433 *Seu genus Adrasti*] Seu rapuit te nepos Adrasti regis Argivorum, hoc est, Diomedes, Tydei et Deiphyles Adrasti filiæ filius. *Paul.*

434 *Eripuisse ferunt*] Vix Latinitatis ratio constabit huic versui, nisi cum Sarraviano codice *eripuisse datur* rescribas: unus Farnesianus *eripuisset eam:* an *eripuere Deam?* Heins.

435 *Auctor in incerto: res est Romana; tuetur Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt*] Sic veteres; non, *in incerto est.* Nihil hic sani. Primo scribendum videtur *res est Trojana;* hinc passim ' Troica' et ' Iliaca' Vesta dicitur. Cætera expedire possem variis conjecturis, quæ perplexa val-

de et intricata sunt, sed ne quid te, Lector, morer, versum utrumque ab interpolatoris illa manu, quam Ovidius passim est expertus, fuisse procusum censeo. Doctissimus Gronovius ad Statium et Livium *juncta videt* velit reponi. *Idem. Auctor in incerto*] Nam alii volunt, raptorem fuisse Demophoontem, et ob furtum occisum ab Agamemnone. Hoc vero scitu dignum, centumvirale judicium Athenis tunc primum et ob hanc caussam institutum. Harpocration: Ἔχε δὲ τὸ δικαστήριον τὴν τοῦ Παλλαδίου ἐπωνυμίαν, &c. *Res est Romana*] Non adeo certe id proferas: nam, pro, quot urbes Palladia Iliaca sibi vindicarunt! Vide Strabonem l. VI. *Neap. Res est Romana*] Nam nunc Romæ est. *Tuetur Vesta*] Servat Palladium in suo templo.

437 *Quo tempore Vesta Arsit*] Contigit incendium hoc anno Urbis DXII. Q. Lucatio et A. Manlio Consulibus. Arsit iterum Vestæ templum sub Commodo Bradua secundum et Aproniano Consulibus, cum fere tota urbs corruisset, tunc flammis consumptum templum Pacis illud clarum, ædificiaque pæne innumera: de qua strage fuse Herodianus libro primo. *Neapol.*

438 *Tectis obruta pæne suis*] *Adytis suis* elegantius prim. Ambros. et Læti. *Heins.*

441 *Demisso crine ministræ*] Hic locus luci est iis, qui dubitant, an Vestales comam aluerint. *Neapol.*

443 *Provolat in medium*] Divinitus quasi missus: nam pridie ei evenit quod in his scribit Valerius Maximus libro primo cap. 4. de Auspiciis. *Neap. Magna, Succurrite, voce*] *Viva voce* optimus Farnesianus et tres alii; ut apud Horatium Arte Poëtica, ‘Respicere exemplar vitæ morumque jubebo Doctum imitatorem, et vivas hinc ducere voces.’ ‘Vivam humum’ paulo post Noster dicet: sic codex Vossianus veterrimus. Mox *officium* pro *auxilium*, et *flammis* pro *palmis*, plurimi ex antiquis; sed frustra. *Heins.*

444 *Metellus*] Qui Pontifex erat.

447 *Dubitatis? ait*] Strozzæ liber, *dubitatis adhuc;* ut τὸ *ait* subintelligatur. *Heins.*

449 *Haurit aquas*] Quibus sese aspergens expurgaret.

450 *Non adeunda viro*] Nam vetitus maribus ingressus in adyta Vestæ: quis hæc nescit? Ibi erat ignis, Palladium, et alia arcana urbis præsidia, hac formula junctim hæc omnia invocabant. *Neapol.*

452 *Sit Roma soluta*] Libera omni periculo. *Capitis damno mei*] Meo supplicio.

453 *Factum Dea rapta probavit*] Imo et jure Senatus: nam, præter alios titulos honorum, concessum, ut curru veheretur ad curiam; quantivis pretii res apud Romanos. Pulcra igitur præmia; sed juvit uterque oculus amissus, qua de causa sacerdotium illi negatum. Sic Lex jubebat; quæ ea: SACERDOS INTEGER SIT. *Neap.*

455 *Sacro sub Cæsare flammæ*] *Sacræ* in melioribus: et *temerasse* mox pro *temerare;* Sarravianus *temerata*, ut sit Græcismus. *Heins. Sacro sub Cæsare flammæ*] Vide beneficia collata ab Augusto in Vestales apud Suetonium libro primo cap. 21. *Neap.*

459 *Quam violavit*] Violatur enim Vesta, quæ et Tellus est. *Paul. In illa Conditur*] *In illam* meliores: et sequenti versu τὸ *est* non agnoscunt. Mox lego, *ut Tellus Vestaque numen idem est;* non *et:* jam supra dixerat, ‘Vesta eadem est quæ Terra.’ *Heins.*

461 *Tum sibi Callaico*] Eodem Vestalium die, anno urbis DCXVIII. D. Junius Brutus sexaginta Gallæcorum millia, qui Lusitanis ex Oceani montibus auxilio venerant, aspero et difficili bello oppressit: unde Callaici cognomen rettulit. Adi Strabonem, Florum, et alios. Sed heus! meus liber habet, *Tum sibi Gallæco:* an male? non hercle. Velleius Pater-

culus lib. II. 'Gallæci cognomen meruit.' *Neap.* *Cognomen ab hoste Fecit*] *In hoste* liber Ursini et Zulichemianus, quod arridet. *Heins.*

464 *Nec juvant*] *Ne juvent* meliores. *Idem.*

466 *Letho est ultimus datus*] Captus et ipse a Surena duce Parthorum, ultimo loco extinctus est.

469 *Dementur asellis*] *Demuntur* et *terunt* iidem. *Heins.*

471 *Delphina videbimus, inquit*] Statim post Vestalia, et ante Matralia, ut vides, hoc est, Idus, facit Delphini ortum vespertinum: idem sentit Columella. *Neapol.*

473 *Jam Phryx a nupta*] III. Idus erant Matralia, sacra Matris Matutæ: eodem die Kalendario veteri, et Constantiniano. *Neap.* *Phryx*] Trojane: nam Laomedontis filius. *Quereris relinqui*] Quereris, quod te Aurora relinquat.

474 *Eois exit aquis*] Surgit ab Oriente. Sic indicat diem, quo Matralia celebrantur. Est enim Matutæ Deæ festum, quæ a Græcis Leucothea dicitur.

476 *Thebanæ Deæ*] Leucotheæ Cadmi conditoris Thebarum in Bœotia filiæ. *Paul.* *Thebanæ reddite liba Deæ*] Vide M. Varronem. *Neapol.*

480 *Servî templa dedisse manus*] Hac ipsa die a Servio Tullio matri Matutæ ædes sacra dicata; postea, captis Veiis, a M. Furio Camillo refecta: nec alia Plutarchi mens in ejus Vita. Hanc iterum reperio restitutam anno DXLI. Q. Fulvio Flacco, Appio Claudio Pulcro Coss. *Neap.*

482 *Arcet enim*] Imo unam admittit; quam rursus matronæ pugnis cæsam a templi limine ejiciunt. *Neap.* *Libaque tosta petit*] *Petat* cum Mazar. Zulich. pr. Ambros. opt. Patavino, Voss. et duobus aliis. *Heins.*

484 *Dirige vatis opus*] *Iter* Thuan. *navis iter* Junian. et unus Mediceus; ut alibi Noster. Sic libri primi initio, 'Excipe pacato, Cæsar Germanice, vultu Hoc opus; et timide dirige navis iter.' Remed. Amor. 'Rectaque cum sociis me duce navis eat.' Et, 'Naviget hinc alia jam mihi linter aqua.' Sed quid moramur in re protrita? Pro *redimite capillos* superiori versu Mazar. Zulich. pr. Farnes. et opt. Patav. *distincte:* neque aliter Scholiastes Statii Theb. VII. *Idem.*

485 *Arserat obsequio*] Hæc breviter tota fabula. Ferunt, usta Jovis opera Semele, Dionysium ex incenso fere utero a Mercurio sublatum; infantulum statim Ino excepit, et nutriit: id cum graviter Jovis conjux tulisset, quod natum ex pellice educandum accepisset, fecit, ut Athamas, vir Inus, furore percitus Learchum filium occideret: tum uxor, arrepto Melicerta, ob Athamantis timorem, in mare proximum se cum filio projecit. Hinc post varios casus in Latium adducta, ibi a Nicostrata, Evandri parente, comiter accipitur; et una cum filio ab incolis Arcadibus in Deorum numerum referuntur, mutato nomine Inus in Matutam, Melicertæ in Portunum. Græci dixere matrem Λευκοθέαν, filium Παλαίμονα, sed post immortalitate donatos. *Accipit Ino Te puer*] Apollonius Argonauticon lib. IV. Bacchi nutricem facit quamdam nomine Matrin, Aristæi filiam: sed aliter, et cum Nasone, Orpheus in Hymnis. *Neap.*

487 *Rapta quod pellice natum Educet*] *Raptum* veteres magno numero. Scribe *partum quod pellice natum educet;* partum ex pellice natum. Mox pro *sed imagine falsa,* lege *furiis et imagine falsa* cum Ursini, Voss. Mazar. Zulich. pr. Ambros. Læti, et sex aliis. Quidam *sub imagine.* Scholiastes Statii Theb. VII. 'in imagine falsus.' *Heins.*

488 *Sanguis sororis erat*] Ideo educabat, quia erat filius Semeles, quæ erat soror Inus.

489 *Athamas*] Vir Inus. *Agitur furiis*] Juno induxit illi furiam: qua

percitus ille, Learchum filium, putans leænæ catulum, interemit. *Imagine falsa*] Cum leænæ catulum existimaret.

490 *Learche*] Qui filius eras Athamantis et Inus.

492 *Omnia justa*] Perperam Canterus Novar. Lect. lib. I. 8. *omina* legit, ut monuimus Trist. IV. 10. 80. *Heins.*

495 *Est spatio contracta brevi*] *Concreta* Scholiastes Statii Theb. VI. *Heins.* *Est spatio contracta brevi*] Per topographiam Isthmum Achaicum ostendit, ubi se in mare præcipitem dederit Ino. *Contracta terra*] Angusta. *Spacio brevi*] Nam sex tantum millibus passuum. *Freta bina repellit*] Duo maria, Ionium et Ægæum.

496 *Una terra*] Unus Isthmos. *Pulsatur*] Alliditur. *Duabus aquis*] Mari Ægeo et mari Ionio.

498 *Mittit in alta jugo*] E petra Moluride: vide Attica Pausaniæ. *Neap.*

501 *Nondum Leucothee*] Per mare ergo vehitur mortalis adhuc Ino, et nondum relata in Deos, verso primo nomine in Leucothean. *Neapol.*

502 *Vorticibus densis Tybridis*] Rectius legas *densi.* Met. lib. IX. ‘Vorticibusque frequens erat, atque impervius amnis.’ *Heins.*

503 *Lucus erat, dubium Semele Stimelene vocetur*] *Stimulene* vetustiores; et recte; contra Neapolis. ‘Stimulæ lucum’ vocat Scholiastes Juvenalis ad Sat. II. Stimulæ quoque Deæ fit mentio apud Augustinum de Civitate Dei. Huc illud paulo post alludit ‘Latias Saturnia Bacchas Instimulat.’ In veteri inscriptione apud Gruterum occurrit Lucus SEMELES, ut et apud P. Sextum Rufum de Regionibus Urbis, et Livium lib. XXXIX. 12. Pro *vocetur* Voss. Mazar. Zulich. tres alii *vocatur.* Puto *vocatus:* vel quod malim *dicatus* vel *dicetur: Lucus erat, dubium Semelæ Stimulæne dicatus.* Idem. *Semele, &c.*] De luco Semeles vetus memoria est in Sexto Rufo regione II. et in hoc antiquo marmore: DIIS MANIBUS M. CÆCILIO SP. F. SUO RUFO SOLIARIO AB LUCO SEMELES, &C. *Neap.*

504 *Mænades Ausonias*] Bacchi sacerdotes Latias, quæ Orgia celebrabant.

505 *Arcadas esse Audit*] In uno Patavino, *Arcadas audit*, venusta repetitione. *Heins.*

510 *Vestris choris*] *Nostris* meliores: et mox *effusis in sua colla comis,* non *per sua:* minimum refert. *Idem.* *Non venit amica*] Nam venit exploratrix rerum nostrarum.

512 *Pignus habet*] Filium.

515 *Puerumque avellere pugnant*] *Revellere* meliores. *Heins.*

516 *Illa*] Ino. *Quos ignorat*] Nam peregrina nondum cognoverat Deos Italos.

517 *Dique virique loci*] *Dique Deæque* Mazarinianus: quod prætulerim omnino. Virgilius Georgicis, ‘Dique Deæque omnes, studium quibus arva tueri.’ Propertius Eleg. III. 10. ‘Dique Deæque omnes, quibus est tutela per agros;’ sed nihil necesse. Met. lib. II. ‘Inde Deos, hominesque voco, nec contigit ullum Vox mea mortalem.’ *Heins.*

518 *Aventini saxa ferit*] Vox ipsa inclamantis exaudita est ex Aventino; ubi erat Hercules. Eo enim tempore illuc appulerat, ex Hispania rediens.

523 *Matertera Bacchi*] Verba sunt Herculis: O Ino, soror Semeles, matris Bacchi.

524 *Te quoque vexat? ait*] Belle: nam uterque patiuntur Junonis flagellum. *Neapol.*

527 *Rumor ut est velox*] Divulgatum est nomen Inus per Latium, et suscepta ea hospitio a Carmenti, quæ vaticinata est eos, hoc est, Inum et filium, in Deos referendos, futuraque numina ponti: alteram quoque Leucotheam a Graiis, a nostris Matutam nuncupandam: alterum præfuturum

portubus, et a nostris Portunum, a Græcis Palæmona nominandum. *Agitatis pervolat alis*] Quam celerrime transfertur. *Pervolat alis*] Malim *provolat;* ut supra ‘ Provolat in medium.’ Sequenti versu male turbant libri veteres. Sensus est, Nomen tuum, o Ino, frequens est in ore omnium. Mox *Carmentæ*, pro *Carmentis*, Læti codex. *Heins.*

531 *Tegeæa sacerdos*] Carmentis a Tegæa oppido Arcadiæ. *Liba sua properata manu*] Quæ celeriter ipsa suis manibus fecit.

533 *Nunc quoque*] Hoc etiam tempore. *Festis Matralibus illam*] Cum Matralia celebrantur; offeruntur enim liba, quorum offerendorum mos ab his libis, quæ Carmentis obtulit, originem habuit. *P.*

534 *Gratior arte fuit*] Nam gratiora illa liba properata, quam si parasset illas dapes splendidas, et summo artificio conditas.

535 *Nunc resigna*] Aperias tu mihi. *Nunc*] Cum ederim.

536 *Qua licet*] *Qua libet* Voss. et tres alii; unus *Quæ libet*. Forte *Quamlibet:* de quo ad Epist. VI. 140. *Heins.*

542 *Huc populo prospera semper ades*] *Dextera* quatuor veteres; quod magis arridet. Sic ad Janum libro primo, ‘ Dexter ades ducibus.’ *In vestris aquis*, non *nostris*, meliores. *Idem.*

545 *Leucothoë Graiis*] A Græcis appellabere Leucothea, ab albicante mari: ut Matuta, a matutino tempore. *Nostris*] Latini appellabant te Matutam; et præeris matutino tempori: nam *matutinus* a Matuta dicitur. *P.*

546 *Jus erit omne tuo*] Vide Festum Pompeium in *claudere*.

547 *Quem nos Portumnum*] *Portunum* veterrimi libri, tam hic quam apud Virgilium aliosque. *Heins.*

549 *Annuerat: promissa fides*] *Annuerant* tres libri: unus Patav. *promissa fide*. Puto *Annuerunt promissa fide*, vel *Adfuerat promissa fides:* sic ‘ fides pollicita.’ Lib. III. ‘ Pollicitam dictis, Jupiter, adde fidem’ Met. XI. ‘ Pollicitamque fidem tangendo singula tentat.’ *Idem. Posuere labores*] Juxta responsum *defuncta laboribus.*

551 *Cur vetet ancillas*] Repelluntur a templo Matutæ ancillæ omnes, præter unam quam alapis cædunt et impellunt.

552 *Si sinat illa*] *Ipsa* meliores: et mox pro *Cadmea* codex Læti *Cadmei;* et sic a manu prima fuisse videtur in Mazariniani libro: tres alii *Cadmeia;* quomodo ‘ Cadmeis Agave’ Virgilio in Culice. *Heins.*

553 *Cadmei*] O Ino, Cadmi filia. *Una tuarum*] Antiphera una ex ancillis tuis.

559 *Pia mater adoret*] Nam ipsa parum fortunata parens, felicior matertera: vidit id etiam Plutarchus in libello τῶν Κεφαλαίων: ubi habes, in Matris Matutæ sacris liba tosta offerri solita, ancillas ab ejus templo repulsas; pro quibus matronæ eo festo precabantur. *Neapol.*

560 *Ipsa parum fœlix parens*] Cum alterum extinctum a patre vidisset, cum altero se præcipitem dedit.

562 *Ipsa suis*] *Illa* plerique meliores: et pro *illi* versu superiori, Ursini, Læti et duo alii, *in quam;* prim. Ambros. et Junian. *inquit*. Videtur aliquid latere. *Heins.*

563 *Hanc tibi, Quo properas*] Fabulosum est quod auctor hic dicit, P. Rutilium consulem admonitum fuisse a matre Matuta, ne properaret in Marsos: sed ingeniose a Poëta fictum est, ut Rutilii interitus aptius Matralibus jungeretur. *Ant. Memorant dixisse, Rutili*] Eodem die festo matris Matutæ anno Urbis DCLXIII. P. Rutilius Lupus in bello Marsico occisus. Florus falso scribit, L. Cæ-

sarem, non Rutilium, in ea pugna occubuisse.

564 *Marso consul ab hoste cades*] Miror cur potius Marso, non Lucano, non Venusino dixerit: cum, præter Marsos, Malini, Vistini, Marruceni, Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompeiani, Venusini, Japiges, Lucani, Samnites, et aliæ propinquæ gentes contra urbem Romam consurrexerint. *Neapol.*

565 *Accessit verbis*] Nam ut illa prædixerat, ille eo die interiit. *Flumen, &c.*] Liris amnis: ad Lirim enim pugnatum est, cum consul periit. *Paul. Flumenque Tolon*] Sic scriptus hic amnis apud Orosii quædam et Freculfi exemplaria, ubi de hac clade: in aliis, *Teloni.* Neap. *Flumenque Theloni Purpureum*] *Toleni* Zulich. Ursin. et cæteri plerique; vetustiores alii *Toloni;* Voss. et duo alii *Telenum;* unus *Telonum.* Apud Appianum, Orosium, Paulum Diaconum, et Freculfum etiam variatur in hoc nomine. *Purpureo* etiam alter Bononiensis, ut scribendum putem, *flumenque Tolenum Purpureo mistis sanguine fluxit aquis.* Est autem hic amnis tam Tolenus quam Tolenius dictus: 'flumen Tolenum;' ut apud Horatium, 'Testis Metaurum flumen;' et 'flumen Rhenum' alibi. *Heins.*

567 *Pallantide cæsus eadem*] Interemptus eodem die. *Pallantide*] Dixit propter Auroram, quæ dicta est Pallantis filia. *P. Proximus annus erat*] Id est DCLXIV. Timeo immanem prochronismum. *Neapol.*

568 *Didius*] Non hic sese expedit Neapolis; et merito. Is videatur. Vossii et Mazarini codex *Vidius:* in altero Ambrosiano pro diversa lectione *Tullius:* Erfortanus *Dilius.* Forte *Julius* legendum; ut L. Julium Cæsarem innuat, qui A. U. C. DCLXIII. cum Rutilio consul fuit. Hunc enim Florus lib. III. 18. bello Marsico in prælio vulneratum et post mortuum scribit. Quanquam lapsum fuisse Florum plerique contendunt, qui pro Rutilio Cæsarem supponat. Amplius cogitandum. *Heins. Didius hostiles*] De Tito Didio mentio crebra in bello Marsico. Fuit unus ex Prætoribus L. Sexto Cæsari annexis. Vide Appianum libro primo: suspicor loqui Nasonem de strage, quam Didius accepit a Sertorio juxta Bætim in Hispania, cujus meminit Plutarchus. Sed hæc fuit anno DLXXIII. totoque decennio, ni fallor, decipitur Ovidius. *Neap.*

569 *Lux eadem*] Quæ Matralium. *Fortuna, tua est*] Non illius cognomento Sejæ, ut blaterat Fanensis, sed Virilis; cujus auctor etiam Servius Tullius. Vide Dionysium lib. IV. In hac erat simulacrum ligneum istius Principis, sed velato toga capite: hoc quam ob causam, multis disserit. *Neap. Lux eadem, Fortuna*] Eodem die Matraliorum: hoc est, decimo die mensis Junii, est festum Fortunæ, cui delubrum eodem in loco idem Servius dedicavit, ubi erat ejus simulacrum, sed pannis velatum. Huic rei triplicem affert Poëta rationem. *Et locus*] Idem: nam boario ædes consecrata: vel quod habeat sacellum junctum.

570 *Quis latet iste togis*] *Quid iste* quatuor libri: codex Læti et pr. Bonon. *quis latet æde;* quod et Neapolis est secutus. *Heins.*

575 *Arsit enim magna*] Sic vulgo creditum. *Neapol.*

576 *Cæca non fuit*] Effingitur enim cæca Fortuna, quia merentes deprimit, immerentes extollit: in Tullio non fuit cæca, quia semper illi prospera affulsit.

578 *Fenestellæ porta*] Hæc vera lectio, quicquid libri veteres obloquuntur, in quorum nonnullis *fenestralis*, vel *fenestratæ.* Plutarchus περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης, Φενέστελλαν πύλην vocat. Idem in Quæstionibus Ro-

manis Problem. xxxv. πύλην Φαίνεστραν· mendose: ut puto. *Heins.* *Fenestellæ nomina porta tenet*] Porta appellatur fenestra. An quia Servius rex secundissima fortuna usus, cum Fortuna rem habuisse creditus est, cum per fenestram ad eum penetraret? *P.* *Unde Fenestellæ*] De hac lege quæ scribit idem fusius ἐν Αἰτίοις, et judicium præstantissimi viri Onuphrii Panvinii in Urbe Roma. *Neap.*

579 *Nunc pudet*] Fortuna facti. *Vultus amatos*] Vultus Tullii, quem amavit.

584 *Donec eum positis occuluere togis*] *Eam positis* meliores; imaginem scilicet: sic infra, 'Signum erat in solio residens sub imagine Tulli.' Quidam *compositis;* mendose. *Evoluere* Vossianus pro diversa lectione. Libens legam, *Donec eam appositis involuere togis:* de quo ad Epist. vii. 100. et Epist. ix. 86. *Heins.*

586 *Nos tamen adductos intus agemus equos*] Itidem Amor. lib. iii. 2. 12. 'Nunc stringam metas interiore rota;' ubi invenies annotata nostra. Silius lib. xvi. 'At queis interior cura et prudentia Circi.' Et Noster de Arte, lib. ii. 426. 'Interior curru meta terenda meo est.' Currus ergo interior breviore orbe convertitur.

587 *Conjugio parato*] Imo *peracto.* quod libri castigatiores agnoscunt. *Heins.*

589 *Quid juvat esse pares*] Verba ipsius Tulliæ ad Tarquinium: Quid prodest, si in patrando scelere pares sumus? *Nostræ cæde sororis*] Quia sororem meam tibi nuptam veneno confecisti. *Me cæde tui fratris*] Quia veneno ego fratrem tuum et virum meum peremi.

590 *Pia vita placet*] *Vota placent* alii: prima editio et duo scripti, *pia jura;* quod arridet. Met. viii. 'Mens ubi materna est, ubi sunt pia jura parentum?' Sic et ibi recte, pro *vota,* libri meliores. *Heins.*

593 *Regnum factum est dotale*] *Facito* Ursini et quinque alii; opt. Patav. *fatio;* pr. Ambros. *facis est;* Mazar. Zulich. multique alii, *facio;* quod placet: unus *facias;* alius *faciam.* Puto, *Sit caput, ut regnum, faxo dotale parentis:* vel, *Stet capite, ut regno, pactum dotale, parentis:* vel, *En caput, ut regnum, facio dotale;* ut apud Horat. 'propria hæc mihi munera faxis.' *Idem.*

594 *Indictas exige dotis opes*] Lege, *i, dictas exige dotis opes;* et sic codex Strozzæ. Terentius Heaut. Act. v. 5. 'Cur non accersi jubes filiam, et quod dixti dotis, firmas?' Martialis lib. xii. 'Præluxere faces, velarunt flammea vultum, Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi. Dos etiam dicta est.' Cicero pro Flacco, 'Quæcunque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est.' Sic et 'doti dicere' passim apud Jurisconsultos. Servius ad Georg. i. 31. 'Servit: quia quandocunque in manum convenerat, omnia protinus, quæ doti dicebantur, marito serviebant:' sic et ibi scribendum. Val. Flaccus lib. vi. 'en cujus thalamis Æetia virgo Dicta manet.' 'Dicere' pro polliceri et addicere. Cornelius Nepos vita Eumenis, 'Hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta; nam tum in hostium erat potestate.' Vide plura apud Nonium in *Dicere:* ubi 'dicta dos' etiam ex Varrone Mysteriis et Afranio Fratriis notatur. Posset et legi *en dictas.* Simile mendum expunximus Epist. xiv. 126. ubi pro *insuper adde,* reponendum, *i, superadde.* Apud Maronem pro *Tyrrhenas, i, sterne acies,* multi ex veterrimis libris, *insterne.* Fast. iv. supra, cum in membranis præstantissimis esset, 'Dic ter, et in vivo perlue rore manus,' refinximus *i, perlue.* Martialis Epigr. x. 20. 'Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est, I quocunque loci: Roma duobus erit;' sic ista autumo esse constituenda: Si paria mecum, inquit, facis amando,

quocunque demum iveris, ubicunque fixeris pedem, Romanos nobis ipsis præsentes præstabimus: hoc est, mutuæ consuetudinis voluptas nihil votorum summæ abesse aut ultra a nobis desiderari patietur. Vulgati libri *In quocunque loco;* satis frigide. *Idem.*

595 *Regia res scelus est*] Dictum impium: et fere par vulgato illi Atrei ad L. Annæum Senecam in Thyeste Actu II. 'Sanctitas, pietas, fides, Privata bona sunt: qua juvat Reges eant.' *Regia res scelus est*] 'Nulla sancta societas nec fides regni est.' Cicero ex Enn. lib. I. Officior. Εἴπερ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι Κάλλιστον ἀδικεῖν· τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. Eurip. in Phænis. Sed chorus respondet, Οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ ἐπὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς. Hinc Cicer. Offic. III. 'Ipse autem socer in ore semper Græcos versus Eurip. habebat, quos dicam, ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi: Nam si violandum est jus, regnandi gratia violandum est, aliis rebus pietatem colas.' Et deinde subjungit: 'Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum, quod sceleratissimum fuerat, exceperit.' Ilia dominandi lubido vocatur φιλαρχία Halicarnasseo lib. I. de Romulo et Remo. 'Sua' enim 'retinere privatæ domus, alienis certare regiam laudem esse.' Tatit. Annal. XV.

598 *Ad arma ruit*] *In arma* Zulich. Ursini, Vossii, multique alii; quod placeret, nisi τὸ *in* superiori versu præcessisset. Vide Notas Epist. III. 136. *Heins.*

599 *Hinc cruor et cædes*] *Hinc cædes* Voss. Arondel. et quinque alii: ut Fast. II. 'Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther.' *Idem.*

609 *Certa fides facti*] In plerisque *facti est:* alter Putean. *factis.* Deinde *Post tamen hoc*, non *hæc*, meliores. *Idem.* *Sceleratus ab illa Vicus*] Vide Varronem de L. L. lib. IV. Dionysius lib. IV. ipsum vicum Κύπριον (seu rectius Ὄλβιον, licet idem sit: ita tamen lego, ut sequar veteres editiones) ait nominatum. *Neapol.*

612 *Acta loquor*] *Loquar* Ursin. Arond. multique alii: prim. Ambros. et Læti, *acta canam:* lib. V. 'Facta canam, sed erunt qui me finxisse loquantur.' *Heins.*

613 *Signum erat in solio residens*] Erat simulacrum, quod sedere in regio solio videbatur.

620 *Positi prima pudoris erit*] Nam quoad velata erit imago, semper vos pudebit tanti sceleris, quod sustinuistis regum optimum trucidari. Sinite ergo tectam esse imaginem, ne, cum velamine ejus, pudorem quoque vestrum deponatis.

622 *Solennes preces*] *Solenni voce* meliores. *Heins.*

624 *Qui rex in nostra*] Atqui septimus rex Romanorum Tarquinius fuit Superbus. Sed Ovid. hoc loco T. Tatium regibus connumerat, quem Romulus in societatem regni recepit.

625 *Signo tamen ille pepercit*] In ipso incendio non exarsit Tulli effigies: non marmorea, sed lignea, ut mireris. Vide Dionysium lib. V. *Neap.*

627 *Pater Tulli Vulcanus*] Narratur hæc etiam fabella ab Historicis: sed olim plebeis animis credita ex successu in illis flammis. Hujus verus pater fuit princeps quidam vir in Corniculi expugnatione occisus. *Neapol.* *Ocrisia mater*] Libri veteres *Cresia*, vel *Cressia.* Scribe *Ocresia.* Ὀκρήσειαν vocat Plutarchus. Tabula ænea Lugduni, quæ orationem Claudii Imp. continet de civitate Gallis danda, SERVIUS. TULLIUS. SI. NOSTROS. SEQUIMUR. CAPTIVA. NATUS. OCRESIA. Ὀκρισίαν vocat semper Halicarnassæus. In vulgatis Arnobii exemplaribus lib. V. *Ocrisia* est. Apud Festum in voce *Nothum*, *Oclisia* perperam dicitur. *Heins.*

628 *Præsignis facie*] *Præsigni faciem* Mazar. et Zulich. Lege *Præsignis faciem;* familiaris Nasonis Græcismus.

Metamorph. XII. ex veteri codice, 'Cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva Præsignis faciem.' *Idem.* *Ocrisia Corniculana*] Ex Corniculo Latinorum oppido.

629 *Tanaquil*] Regina Tarquinii Prisci conjunx. *Sacris de more peractis*] Rectius *paratis* alter Bonon. et unus Farnes. Quomodo enim peracta sacra, si vinum foco post affunderetur? Unus Moreti, *sacris litatis;* ut apud Virgil. 'sacrisque litatis Indulge hospitio.' Met. XIV. 'sacrisque ex more litatis Littora adit nondum nutricis habentia nomen.' Lib. XIII. 'fibris de more litatis Regia tecta petunt:' sic et ibi veteres nonnulli. *Heins.*

632 *Aut visa est*] Aut ita apparuit.

633 *Jussa foco captiva sedet*] *Fovet* duo Farnesiani et unus meus; quod arridet: 'fovet,' nempe membrum istud virile. *Heins.*

636 *Idque comis flammeus arsit apex*] *Inque coma* meliores. *Hæsit apex* pro diversa lectione Sarravianus. Plurimi veterum *exit apex;* perperam. *Idem.* *Flammeus hæsit apex*] Res nota: quod et finxit Maro Mantuanus in Ascanio. *Neapol.*

637 *Te quoque magnifica*] Eodem IV. Idus Junias templum Concordiæ Virilis dedicatum a Livia prope ejusdem nominis porticum, in martyrema, suspicor, Concordiæ maritalis: nam subdit: 'Quam caro præstitit illa viro.' Augustum enim sibi devinxit hac arte. *Neapol.*

639 *Ubi Livia nunc est Porticus*] Hanc *περίπατον* vocavit Strabo lib. V. quam scriptores Græci fere omnes *στοάν*. Sane credibile, in ea statuas adaptatas toto pæne orbe selectas: quin antiquissimas tabulas habuerit, non addubito. Hic fere fuit proprius harum porticuum ornatus: Athenis fuit celebris illa, quæ prius dicta Πεισιανάκτειος· postea, a varietate picturarum parietibus incrustata, ἡ Ποικίλη. *Neapol.*

640 *Immensæ tecta fuisse domus*] Noster hic agit de superba illa domo Vedii Pollionis, quam defunctus Augusto legavit, ut testatur Dio Cassius lib. LIV. Dedicata hæc Liviana anno Urbis DCCLXIV. Vide Dionem lib. LVI. *Neap.* *Tecta fuere domus*] *Fuisse* meliores: et paulo ante *primo viro*, non *caro*, Ursini codex et unus Patavinus; *sacro* Erfurtanus; alius *claro*. Heins.

641 *Urbis opus domus una fuit*] Ex Virgil. V. 'Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram, Urbis opus.'

643 *Æquata solo*] Καθαιρεθεῖσα. Halicarn. lib. III. de Alba: Καὶ τὸ τεῖχος ἤρειπον ἐκ θεμελίων. Idem, lib. IX. Κατασκάψας τὸ τεῖχος. Idem, III. de Latinor. urbe. Lucan. I. 'in planum effundere muros.' Ὥστ' οὐδ' ἴχνος γε Τειχέων εἶναι σαφές. Eurip. Helen. *Nullo sub crimine regni*] Non quod auctor crimine affectati regni damnaretur, quemadmodum domus M. Manlii Capitolini.

646 *Totque suas heres*] De Augusto hæc legimus in Suetonio cap. 56. Quoties ei aliquid relictum ex ignoti testamento, capere quidquam non sustinuisse: at legata, vel partes hereditatum a quibuscumque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concessisse; aut, si pupillari ætate essent, die virilis togæ vel nuptiarum cum incremento restituere consuevisse. O magnum Principem! *Neapol.*

647 *Sic agitur censura*] Censor ergo per id tempus Augustus, quo domum Pollianum solo æquavit. Supputemus. Mors et legatum Vedii incidit in annum DCCXXXIX. M. Livio Drusio et L. Calpurnio Pisone Coss. Augusto post reditum Syriæ qui fuit anno DCCXXXV. Præfectura morum cum Censoria potestate (notum, illum æque Censoris nomen ac Dictaturam refugisse) ad quinquennium decreta. Videatur et Suetonius lib. II. 27. *Idem.*

648 *Cum judex*] *Vindex* Voss. prim. Farnes. Maz. Zulich. et nonnulli alii; bene. Sic de eodem Augusto, Trist. v. 11. ex vestigiis veterum membranarum, ‘ Eripuit cum me vindicis ira tibi.’ Lib. III. 6. ‘ Fortunamque meam metuens, non vindicis iram.’ Lib. II. 9. ‘ Quicquid id est, habui moderatam vindicis iram.’ Lib. III. 3. ‘ Non gravior merito vindicis ira fuit.’ Pont. I. 7. ‘ Judicium nobis igitur cum vindicis adsit.’ *Heins.*

649 *Nulla nota est veniente die, quam dicere possis*] *Ducere* Vossian. et decem alii libri veteres. Legendum puto, *quam ducere possim.* Sic apud Horatium, ‘ qua notam duxit niveus videri.’ Propertius Eleg. I. 5. ‘ Et timor informem ducet in ore notam.’ Tibull. Eleg. I. 6. ‘ et mensæ ducat in orbe notam.’ Noster Trist. II. ‘ Et tacitam mensæ ducat in orbe notam.’ Claudianus bello Getico, ‘ excepti telis immane relatu Prodigium miramque notam duxere futuri.’ Noster Epistola Acontii, ‘ venisse volubile malum, Verba ferens ductis insidiosa notis:’ ita scribendum, cum *doctis notis* illic legatur. *Discere* Thuaneus: *dicere possim* in Zulichemiano et Mazariniano. *Idem.* *Nulla nota est veniente die*] Die subsequenti: hoc est, tertio idus Junias, nullus est in Fastis festorum titulus.

650 *Invicto sunt data templa Jovi*] Adeo rara memoria, imo nulla hujus templi apud patres nostros; ut credam, ‘ invictum ’ pro epitheto hic positum, non pro cognomine, sub quo ædes revera sacrata. Fit igitur hic mentio de templo aut Jovis Sponsoris, aut Latialis: sed hoc divinare est.

651 *Et jam Quinquatrus*] De majoribus diximus in Martio sub finem: de minusculis Varro de L. L. lib. v. Festus Pompeius: ‘ Minusculæ Quinquatrus appellabantur Idus Juniæ; quod is dies festus erat tibicinum, qui Minervam colebant.’ *Narrare minores*] Ita in Panathenæis apud Athenienses lego majora et minora. *P.*

652 *Nunc ades*] Malim *Huc.* Heins.

654 *Quid personæ, quid toga longa*] Quare personati eunt, et muliebri ornatu cum longis vestibus? *Paul.* *Quid toga longa volunt*] Hac lectione quid melius potest esse aut certius? Stola quidem erat vestis matronalis. Sed et toga etiam antiquitus vestis feminea: imo *longam* addidit, ut has matronales adsignificaret: nam viriles haud erant trans crura prodigæ; muliebres ad talos usque demissæ. *Neap.* *Quid toga longa volunt*] *Stola* Zulich. Mazarinian. opt. Patav. Vossian. duo Farnesiani, probe; quomodo scribendum Pighius quoque viderat in Annalibus; distincta tamen, ut opinor. Nam Herodotus lib. IV. apud Sauromatas notat stolam viris mulieribusque communem fuisse. Certe apud Romanos solis mulieribus erat in usu. Quare Plutarchus Problematis Romanis in hac historia *ἐσθῆτας γυναικείας* pro stolis dixit: et Val. Maximus lib. II. 5. ‘ varia veste velatas ’ describit. Plutarchus ibidem, *ἐτύγχανον δὲ οἱ πολλοὶ διὰ τὴν παννυχίδα καὶ τὸν πότον ἐν ἐσθῆσιν ἀνθιναῖς καὶ γυναικείαις ὄντες.* Frustra quoque Neapolis negat *stola* pro *toga* in antiquis libris reperiri. Stola igitur vestis tam virorum quam mulierum apud quasdam nationes, sed et tibicinum aut citharœdorum. Ælianus, lib. III. 43. *ποικίλης ἱστορίας*, de citharœdo a Sybaritis occiso, *φοβηθεὶς ὁ κιθαρῳδὸς σὺν αὐτῇ στολῇ κατέφυγεν εἰς τῆς Ἥρας βωμόν.* Halicarnassæus lib. II. *Ῥωμαίων δὲ τῶν αὐθιγενῶν οὔτε μητραγυρτῶν τις οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως ποικίλην ἐνδεδυκὼς στολὴν, οὔτε ὀργιάζων τὴν θεὸν τοῖς Φρυγίοις ὀργιασμοῖς.* Vide Nonium in *Stola.* Heins.

656 *Possem utinam doctæ verba referre Deæ*] *Pactæ Deæ* plurimi veterum. Probe Vaticanus unus *Pace velim doctæ verba referre Deæ.* Met. VII. ‘ liceat mihi vera referre Pace Deæ.’ Sic Trist. v. 12. ‘ Pace novem

vestra liceat dixisse sorores.' Ita frequenter præstantissimi scriptores. *Idem.*

661 *Tempusque secutum*] Fuit annus urbis CCCCXLI. M. Valerio et P. Decio Coss. Per id tempus collegium tibicinum prohibitum a Censoribus Appio Claudio et C. Plautio in æde Jovis vesci. Sed haud hæc prima causa urbici discessus; alia præcesserat, quæ sequitur. *Neapol.*

662 *Gratæ frangeret artis opes*] *Graiæ* optimus Patav. prim. Farnes. Mazar. Arond. aliique nonnulli; et recte: quod ex stolæ usu præter morem Romanum liquet: de quo supra *artis opus* etiam Ursini, optimus Patavinus et quatuor alii. Sic lib. I. 'Ipse meæ movi callidus artis opus;' ubi male *opem* substituunt libri quidam. *Heins.*

663 *Adde quod Ædilis*] Huic scilicet honori sublato, eundem Appium Claudium ea tempestate qua Ædilitatem agebat (exercuit hanc anno CDXI. cum P. Cornelio Arvina) tibicines damnoso quodam edicto irritasse, quo sumptus funebres coarctavit, et in duodecim tabulas præscriptum reduxit: statuitque, ne quis plures quam decem ex iis in exequiis adhiberet. Pighius inter hoc et superius distichum multa desiderari censet: fallitur; quid enim hæc significant, 'Dulcis erat mercede labor?' ac si diceret, Præmium antiquitus levasse laborem: quod præmium? nisi jus vescendi in æde Jovis, quod postea illis ereptum. *Pompa qui funeris irent*] *Pompam* veterrimus Ursini et Strozzæ codex: venuste: sic 'exequias ire;' de quo dixi Amor. lib. II. 6.

664 *Artifices solos*] Ii pariter et Græcis τεχνῖται: commune nomen musicis, thymelicis, et histrionibus. *Neap.*

665 *Exsilio mutant urbem*] Sed αὐτομάτως. Valerius: 'Tibur irati se contulerunt.'

668 *Nulla toros*] *Choros* multi veterum. *Heins.*

671 *Turbamque canoram Convocat*] Invitat tibicines ad cœnam.

673 *Vinis oculique animique natabant*] 'Sensus deperditus omnis,' Propert. Eleg. I. 3. Πίνειν ἀκηδέστως. Smyr. lib. II. 'Αμφὶ δ' ἄρ' ὀφθαλμοὶ στρεφεδίνεον. Βαρύθοντο δὲ οἱ φρένες. Hinc οἶνος πανδαμάτωρ, Odyss. IX. 373.

674 *Præcomposito ore*] Verbis fictis.

675 *Quid cessas convivas solvere*] *Convivia* cum Ursini, Mazar. Zulich. Læti, opt. Patav. quinque aliis. *Heins.*

676 *Auctor vindictæ nam venit ille suæ*] *Jam venit ecce tuæ* meliores; vel *nam venit:* sic Rem. Amor. 'Publicus assertor dominis oppressa levabo Pectora: vindictæ quisque favete suæ.' Vidit ita legendum esse quoque Pighius; et paulo ante *Servierat*, qua in re assentientes habet vetustos codices. Cæterum paulo aliter hanc historiam narrant Livius libro IX. 30. Val. Maximus lib. II. 5. et Plutarchus in Problematis Romanis. *Idem. Auctor vindictæ, &c.*] Instrumentum hic pro libertate. Βενδίκτα ἡ ῥάβδος, inquiunt Græci Jurisconsulti; qua supra servi caput imposita, a Prætore manumittebatur. *Neapol.*

680 *In plaustro scirpea lata fuit*] *Sirpea lata* habent tres antiqui; duo *sirpea nata;* multi *scirpea nata:* Thuani *natta;* Gryphianæ editionis margo *scirpea larva.* Scaliger et Muretus *matta* conjiciunt; ut Læti codex et unus Vatic. Salmasius ad Historiam Augustam et illum secutus Neapolis *sirpea lata;* ut *sirpea* sit substantivum: quod nescio an alibi occurrat. Certe vox *mattæ* non est in usu Latinis, nisi scriptoribus posteriorum temporum. Plutarchus ἁμάξας δέῤῥεσι κύκλῳ περικαλυπτομένας vocat, qui in omnibus fere hujus historiæ cum Nasone consentit: quare fuit cum *Scortea* legendum putarem. *Heins. Sirpea lata fuit*] Sirpare veteribus, pro colligare, Græcis πλέκειν. Ergo, *sirpea* colligatum τὸ πλέγμα. Tegiticula igitur quædam e vimine contexta circa plaustrum

erat (hoc supra Plutarchus facit pellibus circumquaque contectum) sudibus munita, ut expanderetur, ne aliquid decideret. *Capsum* Latinis. Isidorus: 'Capsum, carruca undique contexta.' *Neapol.*

681 *Motus*] Plaustri illa agitatio. *Merum*] Quod efficacius est ad incutiendum soporem.

682 *Turba redire putat*] *Putant* unus liber. *Heins.*

683 *Per Exquilias*] Per portam Exquilinam, quam Tyburtinam quoque vocant. Hoc tempore vocatur porta sancti Laurentii.

684 *Et mane*] Cum illucesceret. *In medio plaustra fuere foro*] Et Livius, 'Nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis, plenos crapulæ eos lux oppressit.'

685 *Callidus ut posset specie numeroque Senatum Fallere*] Ita libri scripti, quos videre mihi contigit, constanter. Editiones nonnullæ *Claudius;* quomodo manu recentiori erat scriptum in Ursini libro, et in codice Pomponii Læti pro diversa lectione: Mazarin. *Calidus;* libri veteres Neapolis *Cautius:* quare is Pighio assentitur Annal. lib. I. corrigenti *Plautius.* A. U. C. CDXLII. De lectione *Cautius,* Neapolis non sua sed Pighii fide usus est; cujus emendationem amplector. Idem *possent,* pro *posset,* reponit, et pro *Senatum, Sanatum;* feliciter: vide Festum in *Sanates.* Ursini tamen codex, prim. Med. et quatuor alii *Senatus.* Mazar. Zulich. opt. Patav. prim. Farnes. Arondel. *Paratus.* Pighii emendationem rejicit Vossius Grammatici operis, lib. II. 17. quod *Sanates,* tanquam 'sanatæ mentis,' Festo dicantur; atque ita prima repugnet syllaba: sed quid si nugatus sit Festus? certo τὸ *Senatum* ferri non potest. Quanquam enim Livius, Val. Maximus ac Plutarchus in nonnullis a se invicem hic dissentiant, in eo tamen conveniunt, quod tibicines repetitos a Tiburtibus per Senatum Romanum asseverent; ut opus non fuerit Senatum falli. *Heins.* *Claudius ut posset*] Variant et scripti et cusi: Pighio adsentior, qui scribit, *Plautius ut posset.* Hic collega fuit Appii Claudii, ut diximus: quem verisimile operam dedisse, ut tibicines levatis gravaminibus in integrum restituerentur; non Appium Claudium, qui tibicines non semel offenderat, quidpiam illis indulsisse. *Neapol.*

688 *Esse jubet*] *Ire* Gryphius et duo veteres; recte: et mox *redisse,* pro *redire,* meliores; nisi quod codex Ursini *venire.* Heins.

690 *Contra collegæ jussa sui*] Suorum collegarum; si qui erant, qui Tybure remansissent. Quoniam ita constituerant, non redire, nisi restituto priore honore, et jure epulandi: sed ita personati non videbantur fefellisse collegas. Senatus tamen omnia restituit. *Paul.* *Contra collegæ*] Appii Claudii. *Jussa redisse sui*] Hoc placuit Plautio, ne populus haud unanimi amborum consensu in urbem restitutos animadverteret: non quod uni eorum psephismata collegæ rescindere potestas ademta. Passim videmus, ut Censorum alter e Senatu aliquem ejiciat, retineat alter: tribu alter moveat, vetet alter: exemplum in Livio lib. XL. sub finem. Hinc quorumdam Censorum concordia pro re singulari notata ab Historicis. *Neap.*

691 *Res placuit*] Et tibicinibus et senatui. *Idibus*] Et Juniis scilicet. *Cultu novo licet uti*] Ornatu. Datum enim est, ut triduum quotannis ornati, cum cantu, atque ea quæ tunc erat solennis licentia, per urbem vagarentur. *Licet Idibus uti*] Malo *libet* cum Hamburgensi; vel *juvat* cum Oxon. et uno Vatic. *Heins.*

695 *Habet tali mea nomine festa*] *Agit* meliores; quidam *ait,* proxime verum. Met. XI. 'festum genialiter egit Per bis quinque dies.' *Idem.*

697 *Terebrato buxo*] Perforato. *Per rara*] Pauca enim erant in antiqua ti-

bia. Immo volunt tria tantum fuisse, a tribus in cantu et sono vocibus, gravi, acuta, et flexa; postea plura facta sunt.

700 *Vidi et virgineas*] Delent meliores *τὸ et*. Heins.

701 *Ars mihi non tanti est; valeas, mea tibia, dixit*] Voss. et duo alii cum Naugeriano *valeas, ars optima, dixi;* et tum legam, *Ars, mihi non tanti es:* pr. Bonon. *cava tibia.* Idem. *Valeas, mea tibia, dixi*] Nil aliud hic *valeas* quam Græcum ἔῤῥε. *Neapol.*

702 *Excipit abjectam*] *Ejectam* Putean. et Dousæ excerpta: hoc est, aqua ejectam. Lib. II. de Campo Martio, 'Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda.' Mox *at usum,* non *et,* Læti codex; probe. *Heins.*

703 *Satyrus*] Satyrum appellat Marsyam regem, qui geminam tibiam adinvenit: et fluvius est ejusdem nominis in Mæandrum cadens. *Paul.*

704 *Afflatam sentit habere sonum*] *Inflatam* rectius Mazar. Zulich. Arond. Læti, et sex alii: nonnulli *efflatum* vel *efflatam,* frustra. Lib. IV. 'furiosaque tibia flatur:' et 'inflexo Berecynthia tibia cornu Flabit.' Metam. XI. 'inflato Berecynthia tibia cornu.' Emenda Propertium Eleg. III. 3. 'Nec tibi sit rauco prætoria classica cornu Flare, nec Aonium cingere Marte nemus;' ubi perperam *Flere* nunc circumfertur; quod et Janum Douzam video deprehendisse. *Heins. Afflatam sensit habere sonum*] Inde doctior, geminas tibias inflavit. Primus fistulam πολυκάλαμον, sive σύριγγα, invenisse dicitur; capistrum etiam, quo tibicines os sibi substringebant: de quo Scholiastes Aristophanis, et alii. *Neap.*

705 *Et modo dimittit digitos*] *Digitis* Naugerii Mazar. Zulich. Ursini, Arond. opt. Patav. et sex alii; vere. *Heins. Modo concipit auras*] Totam hanc artem mire expressit elegans Cyprianus in libello de Spectaculis. *Neap.*

707 *Provocat et Phœbum*] Provocavit Marsya Apollinem in certamen cantus, cum in Nisam urbem ad Dionysium venisset cum Cybele.

708 *Cæsa recesserunt a cute*] Pependit illa Celænis. Herodotus de hac lib. VII. *Paul.*

710 *Ars colit*] *Colat* meliores. Sequenti versu, pro *nox,* legit *lux* Bersmannus, atque ita Mazar. a manu prima, et plurimi alii. Pro *veniet,* Naugerii codex *venit.* Lege, *Tertia lux veniat.* Sic passim Noster in his libris loquitur. *Heins.*

711 *Tertia nox veniet*] Erit tertia, si includas Idulim; nec alia mens Nasonis: nam Hyadum ortum conjicit in diem, qua stercus ex æde Vestæ defertur in Tiberim: id solemniter actum a veteribus XVII. Kalendas Julias. Thyene, una Hyadum: cujus mentione indicat earum ἐπιτολήν. *Neap. Dodona Thyene*] *Dodoni* meliores: et mox *Agenorei bovis* pro *Agenoreæ.* Respicit enim taurum, a quo Europa rapta est. *Heins.*

712 *Agenorei fronte bovis*] In fronte Tauri, qui cœlo figuratus est, de quo diximus superius. Et de Hyadibus superiore libro: quæ cum sint in fronte Tauri, secunda die Maii matutinæ surgebant. Nunc vero tempestivius surgunt, et media nocte apparent. Fuere ipsæ numero septem, et Nymphæ Dodonides appellatæ. Ultima earum Thyene est.

717 *At pater Heliadum*] Eadem luce cum Sole Orion simul emergit: nec est cur ambigas, an agat de ortu cosmico. *Neap. Pater Heliadum*] Phœbus: hoc est, ipse Sol. Nam Heliades dictæ Solis filiæ.

719 *Tollet humo*] Elevabit a tellure. *Proles Hyrea*] Orion, Hyrei filius. *Validos lacertos*] Καρτερὸν dixit virum Aratus. *Neap. Proles Hyrea*] *Hyrisea* Ursini et opt. Petav. *Hyrtea* Zulich. *Hyrsea* Mazar. Lege *Hyriea;* dixi lib. v. 499. *Heins.*

721 *Volscos Æquosque fugatos*] Eo-

dem XV. anno Urbis CCCXXII. A. Postumus Tubertus insignem victoriam adeptus in Algido ex expugnatis uno tempore Æquorum Volscorumque castris. Adi Livium. *Neap.*

723 *Tiburte triumpho*] *Tuburte* Læti codex: tertius Mediceus et Polit. *Tuberte,* quod verum est. Pro *Postume* veteres plerique *postmodo.* Heinsius.

724 *Vectus es in niveis*] Meminit et triumphi Diodorus Siculus libro XII.

725 *Jam sex et totidem luces de mense supersunt, &c.*] Decima octava etiam die Junii sol, relictis Geminis, ingreditur Cancrum, et in Aventino dedicata est ædes Palladi a senatu. *Jam sex et totidem*] XIII. Kalendas Sol transit in Cancrum. *Neap.* *Supersunt*] Malim *supersint.* Heins.

729 *Jam, o Laomedon, oritur tua nurus*] Aurora conjux tui filii Tithoni. *P.* *Jam tua, Laomedon*] XII. Kalendas erat Summani sacrum: eodem die in fragmento veteris Kalendarii, in quo tantum pars Maii et Junii, his literis, CC. SUMMANO AD CIRC. MAX. Nigra pecus inferis immolabatur. *Neapol.*

730 *Cana pruina fugit*] Arond. multique alii ex antiquis *ima* vel *una.* Sed recte Ursini, Vossii, et sex alii, *uda;* quamquam vulgatam lectionem non damno: duo *orta;* totidem *vana.* Heins.

731 *Quisquis is est, Summano*] Quicunque Deus sit Summanus. Huic Deo Romani nocturna fulmina assignant, cum diurna Jovi attribuant. Ea ratione volunt aliqui Summanum esse Plutonem dictum, quasi Summum Manium. *Paul.*

732 *Pyrrhe, timendus eras*] Anno secundo belli Tarentini. Sed cultus antiquior, et a Tatio Rege, ut volunt prisci Annales apud M. Varronem. *Neapol.*

733 *Hunc quoque*] Imo *Hanc,* id est, Auroram, cum Voss. Sarrav. et quatuor aliis. *Heins.* *Cum Galatea*] Nympha maris, filia Nerei et Doridis. Sed pro ipso mari in hoc loco. *Hanc quoque cum patriis*] Eodem XII. nocte ineunte oritur Ὀφιοῦχος. *Neap.*

737 *Notus amor Phædræ*] Hoc μυθολόγημα nihil moror. Vide Hyginum Poët. Astron. lib. II. *Neapol.*

738 *Credulus ille*] Theseus, qui dictis uxoris fidem adhibuit.

739 *Non impune pius*] Hoc distichon agnoscit Ursini codex cum duobus melioris notæ Patavinis. Idque Naugerius ex suo in postremam editionem admittere non dubitavit. Cave tamen credas Nasonis esse. *Heins.*

745 *Multum indignante Diana*] Ἐγὼ γὰρ αὐτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς, Ὃς ἂν μάλιστα φίλτατος κυροῖ βροτῶν, Τόξοις ἀφύκτοις τοῖσδε τιμωρήσομαι. Ipsa loquitur in Hippol. Eurip. vs. 1420.

746 *Coronides*] Æsculapius, Apollinis et Coronidis Nymphæ filius.

750 *Glauci manibus illa prius*] Hunc etiam vult vitæ redditum ab Æsculapio: quod factum a Polydio scribit Apollodorus: quem omnino vide lib. III. Bibliotheces sub initium. *Neapol.*

751 *Tunc cum observatas*] Nullum commodum sensum elicueris ex hoc disticho. Quare certus sum, id quoque spuriæ esse notæ. *Heins.*

752 *Usus et auxilio*] Cum Æsculapius de Glauco ad vitam revocando mente agitans, in secessu quodam serpentem baculo percussum interfecisset, alter herbam ore ferens accurrit, et mortui caput ea contigit: quo facto, ambo inde incolumes recesserunt. *Ant.*

755 *Nemorisque sui, Dictynna, recessu*] Vel *tui* Sarrav. Scribe, *Lucus eum nemorisque tui, Dictyma, recessus Celat:* nam in Zulichemiano *recessus.* Heins. *Dictynna recessu*] De hoc cognomento Dianæ adi Diodorum Siculum Βιβλιοθήκης lib. V. quæ Βριτόμαρτις dicta. *Neap.*

756 *Virbius ille*] Misso enim priore nomine, Virbius est appellatus.

757 *At Lachesis Clothoque dolent sua*

fila teneri, Et fieri regni jura minora sui] Pro *Lachesi*, in uno Farnes. Regio, meo, est *Limenus:* Putean. *Limens:* aliis *Limeneus:* Erfurtanus *Climenes:* in Mazar. Zulich. pr. Farnes. aliisque nonnullis erasa vetus lectio, etiam in Vossiano, ubi relicta ad marginem priscæ lectionis interpretatio ridicula, 'Limines sive Liminus Deus dicitur esse liminis.' Deinde meliores omnes, *hæc fila teneri, Hic fieri regni.* Latet haud dubie mendum. Scribe, *At Clymenus Clothoque dolent ; hæc fila reneri. Hic fieri regni jura minora sui.* Posset et *Clymenos* legi: singula videamus. Cur Pluto Clymenus dicatur, causam dat Auctor Etymologici: Κλύμενος ὄνομα κύριον ἥρωος, παρὰ τὸ κλύω τὸ δοξάζω. Ἔστι καὶ ἐπίθετον ᾅδου· τουτέστιν ὁ πάντα καλῶν πρὸς ἑαυτὸν, ἢ ὁ ὑπὲρ πάντων ἀκουόμενος. In Anthologia Græcorum Epigrammatum libro tertio, capite εἰς ὄρνιν, Epigrammate Anytes, Οὐκ ἔτι λίγειά σε κατ' ἀφνεὸν Ἄκιδος οἶκον Ἄκρα μελιζομέναν ὄψεται ἠέλιος. Ἤδη γὰρ λειμῶνας ἐπὶ Κλυμένου πεπότησαι, Καὶ δροσερὰ χρυσέας ἄνθεα Περσεφόνας. Et eodem libro, capite εἰς ποιήτας, Antipatri epigrammate εἰς Ὀρφέα, Ὃς καὶ ἀμειλίκτοιο βαρὺ Κλυμένοιο νόημα Καὶ τὸν ἀκήλητον θυμὸν ἔθελγε λύρῃ. Clymenus, igitur Pluto; quod paucis hactenus fuisse notum opinor: quapropter et recte additur, dolere illum, 'regni sui jura fieri minora;' cum Clotho doleat 'reneri sua fila:' nam *reneri* legendum esse vidit ad Herodis Attici inscriptionem Salmasius. Adi Notas nostras Epicedio in mortem Drusi, vs. 444. *Heins.*

760 *Noverat artis opem*] *Moverat* Zulich. opt. Patav. Læti, et tres alii; bene: nisi *foverat ope* mavis: nam tres scripti *voverat.* Superiori versu *exemplo veritus* Ursin. pr. Patav. et Mazar. *extemplo* Zulich. *Idem.*

762 *Propter te fieri, quod vetat, ille facit*] *Flecti* Mazar. *fleri* Sarrav. et multi alii: quidam *quod facit ipse vetat:* duo *facis.* Idem.

764 *Si vetat*] *Vetet* meliores: et *sint testes*, pro *sunt.* Heins.

769 *Postera lux melior*] VIII. Kalendas Syphax ille a Scipione Africano secundo prælio dirutus; tertio victus et captus a C. Lælio et Massinissa Rege: nec multo post, Cyrta regni caput, Sophonisba uxor, et regia familia, anno Urbis DL. *Neap.*

770 *Hasdrubal ipse suis*] Id fuit antea, anno Urbis DXLVI. C. Claudio Nerone et M. Livio Salinatore Coss. *Neap.*

773 *Fortunæ Fortis honores*] Nam sunt eodem VIII. Kalendas Julias. De hac celebritate M. Varro de L. L. lib. V. *Neapol.*

776 *In Tiberis ripa*] 'Secundum Tiberim,' ait Varro; nimirum ultra flumen; nam Fortis Fortunæ templum situm in Transtiberina regione; vel ex eo patet, quod Naso subdit vel ponte vel navicula illud adeundum. *Neap.*

779 *Lintres*] Naviculæ coronatæ. *Ferte juvenum convivia*] Juvenes simul epulantes.

783 *Serva quia Tullius ortus*] Ex captiva Ocrisia Ocriculana. *Neapol.*

787 *Zona latet tua*] Non videtur eo tempore zona Orionis. *Zona latet tua nunc*] Eodem VIII. Kalendas, subdit et VII. etiam latere: VI. ergo heliace oritur. *Neapol.*

790 *Tempus solstitiale*] Solstitium æstivum: quod Poëta ostendit sexto Kal. Quintiles, Columella octavo Kalend. *P. Tempus solstitiale die*] Non VIII. Kalendas, et eodem die festo Fortis Fortunæ: nam manifesto solstitium eodem die Naso facit, quo exortum Orionis, ut Aëtius et alii.

791 *Lucifero subeunte*] V. Kalendas dicata Larum, et Jovis cognomento Statoris ædes. *Neap. Lares delubra tulerunt*] Fuere illis templa consecrata. De his diximus in secundo libro, et in quinto. Sed quinto Kalend. Quintil. dedicata sunt illis templa in

ea parte urbis, ubi erant Corolariæ.

792 *Ubi fit multa corona*] Ubi sunt coronarum artifices, præsertim Philyra et Glycera.

793 *Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim*] *Statoris habet* Zulich. at quatuor alii *Stator ædis habet.* Lege ex Ursini libro, et uno Patav. *Tempus idem Stator ædis habet, quam Romulus olim Ante Palatini condidit ora jugi;* et sic in ora Sarraviani pro diversa lectione; ut jam monuit in Observationibus doctissimus Gronovius: qui videndus lib. IV. 15. *Heins.* *Statoris erit*] Nam erit festum Jovis Statoris. Cujus templum Romulus voto dedicavit, bello Sabino, cum Romana acies inclinasset.

794 *Ante Palatini ora jugi*] Nam inter Palatium et Capitolium constitutum est templum.

796 *Templa, Quirine, tuæ*] Loquitur de antiquo illo templo, quod statim Romulo posuerunt in colle Quirinali, post relata Julii Proculi: illud postea sex supra septuaginta columnis ornavit Cæsar Octavianus, iterumque dedicavit. Vide Dionem lib. LIV. *Neapol.*

797 *Natale Kalendis*] *Camœnis* Scaliger. *Heins.* *Tempus natale Iuleis*] Die crastino erunt Kalendæ Juliæ. Sed 'natale tempus, Iuleis' dixit, quod hoc mense natus est Julius Cæsar, ex sacra Julæa domo. Et cum prius 'Quintilis' diceretur, in honorem Julii Cæsaris Julius appellatus est, quod hoc mense, quarto die iduum Julius ipse procreatus fuerit. *P.* *Cras est natale Kalendis*] Relinquit vacuum diem unum: et sumus, inquit, in ultima mensis luce; qua refecta ædes Herculis Musarum: cras erunt Kalendæ Juliæ. *Neap.*

799 *Addixerit isti*] *Adjunxerit* Sarravii codex et quinque aut sex alii: plurimi, etiam ex melioribus, *adduxerit.* Heins.

800 *Victa noverca*] Juno, quæ victa tandem est virtute illius. *Victa noverca*] Fessa jubendo.

801 *Clari monumenta Philippi*] Tacet antiquum templi auctorem, et nominat juniorem. Antiquus fuit Fulvius Nobilior. Habeas secundum: is fuit Philippus Augusti vitricus, qui jam vetustate collapsum restituit: tale nihil apud antiquos. *Neap.*

802 *Martia*] Lege *Marcia* et hic et alibi; idque cum Ursini libro et duobus aliis. *Heins.* *Marcia casta*] Hæc filia fuit Martii Philippi, quam Cato Uticensis, post divortium Attiliæ, puellam admodum uxorem duxit. *Paul.* *Marcia casta genus*] Hæc illa eadem, quæ summe dilexit nostri conjugem. *Neap.*

803 *Sacrifico ab Anco*] 'Sacrifico' dixit, quoniam natus est ex filia Numæ Pompilii, qui tot sacrificia et cerimonias instituit.

804 *Nobilitate fuit*] *Sua* meliores magno numero: et mox *respondet,* pro *respondit;* recte. Nam erat etiamnum in vivis Marcia. *Heins.*

808 *Laudamus magnas Deas*] Laudare solemus Junonem, Pallada, Dianam, Venerem, et cæteras. *Tu turpe putaris*] *Tam turpe* iidem: *forma* pro *formam* etiam concinne unus Mediceus. *Heins.*

809 *Nupta illi*] Philippo. Ipse Martius Philippus, antequam habuisset Acciam matrem Augusti uxorem, habuit sororem matris Cæsaris.

812 *Increpuitque lyra*] *Lyram* Ursini, Sarravii, et tres alii. Epist. Briseidis, 'Threiciam digitis increpuisse lyram:' quem versum repetit Amor. II. 11. In Ibide, 'Terque cruentatas increpuere manus.' Trist. I. 3. 'Increpuit quantis viribus unda latus.' 'Increpat sonitum tuba' apud Virgil. Æneid. IX. Propertius l. III. 'Increpat absumtum nec sua mater Ityn.' Calpurnius Eclog. V. 'At si-

mul argutæ nemus increpuere cicadæ.' Sic et 'concrepare' supra l. v. 'Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra.' Atque hactenus, quæ ad Fastos Nasonianos observavi. Cæterum in Ursini veterrimo codice et literis Longobardicis sive Saxonicis, quas vocant, exarato, tum etiam in duobus Patavinis melioribus, uno præterea Vaticano, ac Sfortianæ bibliothecæ codice, quem obiter Romæ inspexi, subjungebantur versus hi quatuor: 'Si novus a Jani sacris numerabitur annus, Quintilis falso nomine dictus erit. Si facis; ut fuerant, primas a Marte Kalendas, Tempora constabunt ordine ducta suo.' Vaticanus hoc initium libri septimi constituebat. At amicissimus Gronovius noster monuit me inspectam sibi fuisse in Norico vetustam Nasonis editionem, cui Celtes Protacius, qui primus post renatas literas poësin in Germania instauravit, manu sua adscripsisset, reliquos sex Fastorum libros servari apud Presbyterum in pago prope Ulmam, principiumque septimi libri in illo codice tale exaratum fuisse: 'Tu quoque mutati causas et nomina mensis A te qui sequitur, maxime Cæsar, habes.' Sed ut dicam ingenue, quod res est, opinor Celtem Protacium non tam decepisse, quam fuisse ab aliis, qui visum sibi atque inspectum hunc codicem affirmarent, deceptum. Nam Lactantius in Divinis Institutionibus aliique veterum cum locos complures ex Fastis Nasonianis proferant in medium, ex libris tamen deperditis nihil prorsus producunt: ut certum sit, reliquam Fastorum partem jam ante multa sæcula intercidisse. *Heinsius.*

TRISTIUM LIB. I.

ELEGIA I.

Horum librorum exemplaria etsi præsto fuere non pauca, nullum tamen inter illa, quod multum senii aut vetustatis præ se ferret, præter Vaticanum unum et Hamburgense: cum Vaticano Politiani schedæ ut plurimum conspirant: quanquam ne illi quidem codices ad ætatem sexcentorum annorum adsurgant. Reliqui recentioris sunt notæ, qui suo loco designabuntur. Eos inter Combii codex Venetus et unus Palatinus palmam facile ferunt. *Heins.*

1 *Parve liber*] Vel solam hanc elegiam, vel certe totum opus de Tristibus, aut (quod magis placet Ciofano, Pontano, et aliis) primum librum intellige.

3 *Quam decet exulis esse*] Exules enim in squalore erant.

5 *Nec te purpureo*] Nec purpureo amictu induaris. *Vaccinia*] Vaccinia violas esse purpurei coloris, Servius scribit. Plinius vero scribit fruticem esse in Gallia purpureum, idoneum ad tingendum. *Purpureo succo*] *Fuco* Polit. Hamburg. Vatic. et alii octo aut novem ex castigatioribus; recte: ut ad Claudianum jam monui l. I. in Rufinum vs. 208. Absonum enim prorsus istum *velare succo.* Sequenti hexametro *charta notentur*, pro *notetur*, venuste Rottendorphianus liber; in uno Mediceo pro diversa lectione *ligetur.* Forte pro *linatur:* quale mendum quoque sustulimus e l. III. Artis Amator. vs. 232. ubi plura de *linendi* verbo notamus. Horatius Arte poëtica, ‘ speramus carmina fingi Posse linenda cedro, et lævi servanda cupresso.’ ‘ Illini ’ quoque ‘ minio ’ habes apud Plinium XXIII. 7. ‘ Enumerat actores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantiaque corpora.’ ‘ Peruncturn cedro libellum ’ dixit Martialis. *Heins.*

7 *Nec titulus minio*] Inscriptiones et tituli elegantiæ causa fiebant rubrica, hoc est, minio, aut cinnabari. Belg. *Vermillioen.* P. *Nec cedro charta notetur*] Cedrus arbor est, quæ cariem vetustatemque non sentit. *Mer.* Succo aut oleo cedrino linebantur chartæ, et diuturnitatis a carie et odoris ergo. Plin. XVI. 29.

8 *Candida cornua*] Cornua appellat superiorem et inferiorem chartæ partem: frontem vero, ipsam paginam. *Mer. Candida nec nigra cornua fronte geras*] Scribebant antiqui in altera tantum paginarum facie, perpetuo ductu, ad extremum usque folium: in quo firmitudinis gratia cylindrum seu bacillum teretem cedrinum, eburneum agglutinabant, pro modo latitudinis membranæ præcisæ, eundemque nominabant umbilicum; quod sicut umbilicus in medio ventre, sic ille libro jam circumvoluto medium esset. Hujus bacilli capita, superne et inferne eminentia, argento, auro, aut ebore ornatus causa præmuniebant; et hæc cornua dicebant. Postea paginas instar spiræ convolutas complicabant, indeque volumen nominabant, a volvendo. *Pont.* Vide

et Paul. Manut. in Epist. Fam. III. 7. qui dicit, extremas partes, extra volumen eminentes, ob cornuum similitudinem, cornua vocari: quibus et ornamentum aliquod addi solitum. Dicit ergo Ovidius libro suo: Ne geras candida cornua, quæ indicia sunt fortunæ lætioris, sed atrata. *C.*

9 *Hæc instrumenta*] Hæc ornamenta prædicta.

11 *Geminæ*] Utramque chartæ planitiem intelligit, puta exteriorem et interiorem: quæ ambæ prius pumice radebantur; tum ob elegantiam, tum ne asperitas calamum offenderet ac retardaret. Sic et Martial. lib. II. librum suum alloquens loquitur: 'Cedro nunc licet ambules perunctus, Et frontis gemino decens honore, Pictis luxurieris umbilicis, Et te purpura delicata velet, Et cocco rubeat superbus index.' *Fragili pumice*] Erant autem pumices in usu poliendorum librorum gratia. Laudatissimi sunt in Melo, Scyro, et Æoliis insulis. Probatio in candore, et in minimo pondere, et ut quam maxime spongiosi atque aridi sint, ac teri faciles. Unde Ovidius non immerito 'fragilem' appellavit.

12 *Sparsis comis*] *Passis* editiones antiquæ et inter scriptos codices multi; probe: nihil frequentius occurrit apud Nasonem. Hafniensis *comas* pro diversa lectione; ut usitato Græcismo videatur reponendum, *Hirsutus passas ut videare comas.* Mox etiam *sentiet* meliores. *Heins.*

13 *Liturarum*] Macularum. Ovid. 'Quascunque aspicies, lacrymæ fecere lituras.'

17 *Si quis, ut in populo nostri non immemor illo, Si quis, qui, quid agam forte requiret, erit*] Multi *immemor extat:* duo cum prima editione *illi.* Scribe *illic.* *Requirat* etiam castigatiores. Pro *Si quis* posteriori versu, quæ repetitio inconcinna est, si quid video, *Civis* rectius reponatur, utcunque membranis omnibus invitis: *Si quis, ut in populo, nostri non immemor illic Civis, qui, quid agam, forte requirat, erit:* 'ut in populo,' Pont. l. IV. 5. 'Si quis, ut in populo, qui sitis et unde requiret.' Et Trist. II. 'Per patriam quæ te tuta et secura parente est, Cujus, ut in populo, pars ego nuper eram.' Pont. I. 7. 'Cætera sit sospes cultorum turba tuorum, In quibus, ut populo, pars ego parva fui.' Horatius Sat. I. 6. 'vestem famulosque sequentes, Ut magno in populo, si quis vidisset.' Virgilius, 'Ac veluti magno in populo, cum sæpe coorta est Seditio.' *Heins.*

20 *Dei*] Augusti Cæsaris.

21 *Teque ita tu tacitus*] Scripti *Atque ita tu*, vel *te:* codex Barberinus præterea, qui inter meliores est, *cautus* agnoscit; de quo mox videbimus. *Tacitus* enim dici vix potest, quem loquentem inducit: et eadem vox paulo post iteratur minus concinne. *Heins.* *Atque ita tu tacitus*] Ut ordo: Atque ita tacitus quærenti plura; te legendum dabis: ne forte loquare ea quæ non est opus loqui. Innuit autem tres de Arte amandi libros.

22 *Ne quæ non opus est forte loquare, dabis*] *Cave* veteres nostri: et plerique *quod* pro *quæ:* primæ editiones *Ne quod opus non est.* Puto, *Atque ita te cautus quærenti plura legendum, Ne, quod non sit opus, forte loquare, dato.* Heins.

23 *Mea carmina*] Meos libros amatorios. Legitur etiam *mea crimina:* Scripsisse amatoria, et nescio quid vidisse, duo sunt Nasonis peccata.

24 *Et peragar pluribus reus*] Et non tantum a Cæsare, sed etiam ab omnibus condemnabor. 'Agere' enim 'reum,' est reum accusare; reum facere, inter reos referre. *Publicus*] Ut qui in Rempub. commiserim.

26 *Causa patrocinio non bona major erit*] *Pejor* sex scripti argute: et paulo ante *Neu cave defendas* scribendum, pro *Tu;* quidam enim veterum *Me;* alii *Te.* Heins.

30 *Pœna levis*] *Minor* quinque veteres: ut l. III. 6. ‘Mutatoque minor sit mea pœna loco.’ *Idem.*

31 *Ne sit miser ipse*] *Ille* scripti: et *misero* pro *miseris* in versu proximo. *Idem.*

33 *Quæque volet; rata sint*] Malim *Quæ vovet, o rata sint:* vel *ah rata sint.* ‘Ablata ira’ immerito offendit Ciofanum, ut parum Latine dictum: nam ‘auferre iram’ elegans non minus est, quam ‘auferre jurgium’ apud Plautum, et apud Virgilium ‘metum auferre.’ Posset tamen et *sublata ira* legi, vel *sedata:* vel denique *pacata*, cum *placata* sit in nonnullis, quod superiori versu præcesserat. Mox scribendum, *Ut perages mandata, liber;* dum perages; vulgati et scripti *peragas.* Heins. *Ablataque principis ira*] Verecunde Poëta reditum precatur. Ciofan. legend. censet, *placataque.* Mer. *Quæque volet, rata sint*] Quæque optabit, ex animi sui sententia contingant. Alibi: ‘Quæ præcor ut fiant.’ *Ciofan.*

37 *Ut res*] Rem hic appellat negocium in cujus quæstione quæritur locus, tempus, modus, occasio. *Ita tempora*] Tempus hic est opportunitas. *Mer. Judicis officium*] Digressio, qua sua carmina, quæ nulla animi tranquillitate nulloque satis commodo loco scripta esse ait, excusat. *Ciof.*

39 *Deducta*] Translatio a lana, quæ in tenuitatem deducitur.

40 *Nubila sunt subitis tempora nostra malis*] Imo *pectora;* quicquid libri veteres dissentiunt. ‘Nubem animi’ dicet infra Eleg. 3. familiaris est supinis librariis hic error. Sic infra Eleg. 8. 39. hoc libro ‘pectora serena;’ ubi *tempora* hactenus legebatur: ‘animum serenum’ dixerat superiori versu. *Heins. Tempora nostra*] Tristia. Sic Cicero multum sæpe istoc vocabulo utitur. Dicit etiam, ‘Valere temporibus:’ cum nempe ex alterius incommodo sua quis capit commoda: ‘In turbido enim minus perspicue apparet quid rerum agatur.’

42 *Me fera jactat hyems*] Erat enim in Scythica regione Poëta, quæ magnis frigoribus vexatur: vel ut Ciofan. vult, per *hyemem*, asperam tempestatem intelligit; quia credit hunc librum in itinere scriptum.

45 *Hæc quoque quæ facio*] *Hoc quoque quod facio* vetustiores. Lege, *Hæc quoque quod facio.* Heins. *Judex mirabitur*] Æquus rerum æstimator meliores versus a me non requiret; imo mirabitur, tali tempore tam bonos a me scriptos. *Pont.*

47 *Da mihi Mæonidem*] Fac me Homero parem. *Bersman. Et tot circumspice casus*] Nil mutant libri veteres. Censeo nihilominus scribendum *circumjice:* quo verbo Tullius ac Livius non semel utuntur. *Heins.*

53 *Tituli tangebar amore*] *Honore* malim cum tribus scriptis. *Idem.*

54 *Quærendi nominis*] Comparandæ famæ, sic l. v. 12. ‘Nominis et famæ quondam fulgore trahebar, Dum tulit antennas aura secunda meas.’

57 *I tamen et pro me*] *Tu tamen i pro me* Polit. Vat. et tres alii: alter Politiani, *I nunc et pro me.* Scribe, *I tamen, i pro me.* De venusto hoc loquendi modo vide quæ ad Remedia Amoris noto vs. 213. Sequenti versu probe meliores libri magno numero *possem nunc meus esse liber;* eleganter; quod et in suis invenerat Naugerius: vulgati perperam *posses non meus esse.* Heins.

59 *Quod venias*] *Venies* præstiterit. *Idem.*

61 *Ipso colore*] Nigro et lugubri habitu, et versibus quibus conscriptus es. *M.*

65 *Quod sis meus*] *Quia sis* meliores, et recte: de quo alibi est dictum. Trist. l. II. ex antiquis libris, ‘Utque tuus gaudet miles, quia vicerit hostem.’ *Heins.*

67 *Non sum præceptor amoris*] Non tracto artem amandi, ut fratres mei

tres. Et Pont. II. 10. 'Naso parum prudens artem dum tractat amandi, Doctrinæ pretium triste magister habet.'

69 *An in alta palatia*] *Ut in alta* Junianus; placet: sic l. III. Artis Amatoriæ: 'Scilicet expectas, ut te in convivia ducam.' *Heins.*

71 *Augusta*] Augustum, sanctum et religiosum significat. Ovid. in Fast. 'Sancta vocant augusta patres, augusta vocantur Templa sacerdotum rite dicata manu.' Et loca quoque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicuntur ab auctu, vel ab avium gestu gustuve. *Dique locorum*] Apollinem Palatinum, Dianam, Jovem opt. max. Junonem, Minervam, alios Deos Deasque: vel potius intellige Augustum, qui vivens divinos meruit honores.

73 *Esse quidem*] Sic l. v. 2. ad uxorem: 'Quid dubitas et adire times? accede, rogaque: Cæsare nil ingens mitius orbis habet.' Tum et aliis locis ejus clementiam laudat. *Pont.*

77 *Si quæ*] *Si qua* veteres. *Secedere* etiam Thuaneus liber; duo alii *decedere.* Heins.

80 *Tangere nollet*] *Jungere* fragmentum Boxhornianum: ut Met. II. 'Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.' *Idem.*

81 *Jovis arma*] Augusti iram.

83 *Quicunque Argolica de classe Capharea fugit, &c.*] Græci quoque, qui semel tempestatem evaserunt, apud montem Capharea, semper loca illa devitant. Quibus exemplis colligit, se quoque loca, unde fulmine prostratus est, fugere statuisse. Sane Nauplius Palamedis pater, ut filii necem ulcisceretur, elevata facula signum dedit ex Caphareo, Euboiæ promontorio, Græcis naufragio laborantibus: qui credentes ignes indicare portum tutissimum, inter asperrimos scopulos naufragium fecere. *Mer.*

87 *Ergo cave Liber et timida*] Redde suos numeros Nasoni, et scribe, vel invitis membranis, *Ergo age, care Liber, timida circumspice mente.* Nusquam enim, quod sciam, posteriorem τοῦ *ergo* syllabam corripuit. 'Ergo age,' usitata passim Nasoni formula; infinita sunt in promtu exempla. Combianus codex proxime ad verum *Ergo, care liber.* Posset et *caute liber* reponi. Pro *Ut satis* idem Combianus et Boxhornii fragmentum *Non;* forte pro *Num;* alii octo *An:* videtur *Et satis* scribendum. *Heins.*

88 *A media plebe*] A mediocri turba.

90 *Icarias nomine fecit aquas*] *Icariis nomina fecit aquis* scribendum cum Moreti libro; quod et Gryphianam editionem occupavit: *æquoreas aquas* septem vetustiores; unde Politianus *æquoreis nomina fecit aquis;* et sic Vossianus pro diversa lectione: sed cum in uno Vaticano *signat aquas* offenderim, id pro vera amplecti lectione non dubito. Trist. III. 4. 'Quid fuit, ut tutas agitaret Dædalus alas, Icarus immensas nomine signet aquas?' quo loco etiam *fecit* in multis veterum: et pro *immensas* in tribus *æquoreas;* in quatuor *Icarias.* Epist. Paridis, 'Nec qui Myrtoas crimine signet aquas.' *Heins.*

91 *Difficile est tamen hic remis utaris an aura*] *Hinc remis* octo meliores; quidam etiam *in aura*, ut Pont. lib. II. 6. ex antiquis exemplaribus 'remo tamen utor in aura:' sed hic aliud vult Noster: *an ala* codex Petri Servii, quo me donavit. Scribe, *Difficile est remis tamen hic utaris an ala Dicere:* 'ala' pro velo: sic apud Virgil. 'velorum pandimus alas:' et apud Claudianum 'scissis velorum debilis alis,' de navi. *Idem.*

94 *Si vires fregerit suas*] Sic lib. III. 8. 'Forsitan hoc olim, quum se satiaverit ira, Tunc quoque sollicita mente rogandus erit.'

96 *Et ante tamen pauca loquatur*] *Locutus* Bersmanni liber et tres ex nos-

tris. Scribe, ut parenti meo videbatur, *at ante tamen pauca locutus, adi:* vel *loquatur* per parenthesin. Mox *felicior ipse* cum melioribus. *Heins.*

97 *Luce bona*] Fœlici die, et fœlicior ipso tuo domino: nam supra dixit: 'Hei mihi, quo domino non licet ire tuo.'

100 *Achilleo more*] Ut fecit Achilles, qui Telephum a se hasta percussum, eadem sanavit, ut Ovid. in primo de Remedio Amoris: 'Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti, Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.'

102 *Nam spes est animi nostra timore minor*] *Animo* multi veteres: an *magno timore?* Heins. *Spes est timore minor*] 'Liceat sperare timenti,' Lucan.

105 *In nostrum penetrale*] In nostrum cubiculum. *Mer.*

106 *Scrinia parva*] *Curva* libri meliores magna ex parte. Placebat olim reponi *curta;* de qua voce copiose egimus ad Fastos: nunc nil muto. *Heins. Scrinia curva*] Arculas. Horat. 'Ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes.' *Bersman.*

107 *Fratres*] Libros.

108 *Quos studium*] Quos eodem omnes studio, vigilia, et cura genui. *Pont.*

109 *Titulos ostendit apertos*] *Ostendet* Vatic. et sex alii meliores. Idem cum opt. Palat. aliisque quatuor, *geret* pro *gerit* sequenti versu; duo *gerunt;* unus *gerent.* Heins.

113 *Hos tu*] Malo *Quos.* Sequenti versu pro *Telegonas,* quod nihili est, cum melioribus repone *Telegonos.* Idem. *Vel si satis oris, &c.*] Os Latinis non raro significat audaciam, impudentiam.

114 *Œdipodas Telegonasque*] Similes Œdipi ac Telegoni, ac per hoc parricidas: uterque enim patrem suum, quamquam nescientes, interfecerunt: ita illi me auctorem ac parentem suum in exilium, quod mihi mortis instar, et morte etiam acerbius est, pepulerunt. *Pont. Ciof.*

115 *Deque tribus*] De tribus libris de Arte amandi. *Parentis*] Patris Ovid. si tibi curæ et cordi est, et illum offendere vereris. *Si qua est tibi cura*] *Si quæ tibi cura* cum tribus scriptis; quod mollius. *Heins.*

117 *Sunt quoque mutatæ*] Metamorphoseon opus intelligit.

118 *Ab exequiis meis*] A meo exilio, quo consternatus Poëta non potuit tanto operi postremam manum imponere. Nam illo discessu e patria, quasi ad rogum visus est efferri.

124 *Tardæ causa moræ*] *Tardæ viæ* Polit. Vat. et Rottendorph. Paulo ante malim *alio tempore* quam *aliquo.* Heins.

125 *Et si quæ subeunt*] *Quod si* cum uno Medic. et Hafniensi. Mox pro *laturo* opt. Vatic. Polit. Palat. et quatuor alii *latori:* nescio an satis Latine pro Augusti sæculo. Sueton. tamen in Caligula 'latorem' pro tabellario dixit. *Idem.*

128 *A terra terra remota mea*] *Tua est* liber Servii. Lege *a terra tua;* quo tu properas; nisi τὸ *patria* excidit; *a patria terra remota mea:* quod verum puto; nam suam terram Pontum vocat alibi non semel. *Idem.*

ELEGIA II.

1 *Di maris*] Deos maris intelligit, Neptunum, Glaucum, Tritones, Palæmona, Phorcum; quos in quinto Æneid. libro eleganter Virg. describit.

2 *Quassata rates*] Ex Virgil. Æneid. IV. 'Quassatæque rates, et non tractabile cœlum.'

5 *Pro Troja stabat Apollo*] Homerus quinto Iliad. ostendit Apollinem favisse Trojanis. Hinc etiam Paridis sagittam in Achillis etiam corporis partem, quæ vulnerabilis esset, direxit. *Pont.*

8 *Veneris numine*] Alii *munere.* Heins.

9 *Sæpe ferox cautum*] Neptunus iratus quod Ulysses prius Palamedem nepotem insontem perdidisset, deinde Polyphemum filium occæcasset, decem annos per mare illum insecutus est: cui semper affuit Pallas. Quod ideo finxit Homerus, quoniam ille comitem habuit prudentiam, quam poëtico ritu Minervam nuncupavit: qua comite, omnia horrenda subiit, omnia adversa superavit. *Paul.*

10 *Patruo suo*] Neptuno Jovis fratre: cujus erat filia Pallas.

12 *Quis vetat*] *Quid vetat* cum Thuano et Bersmanni codice. Vide Notas ad Epist. Ariadnes. *Heins.*

15 *Jactat mea verba*] *Dicta* cum Polit. et octo aliis: nam τὸ *verba* præcesserat. *Idem.*

19 *Montes volvuntur aquarum*] Hyperbole. Sic et Maro: 'Sequitur cumulo præruptus aquæ mons:' et 'Fluctusque ad sidera tollit.'

21 *Quantæ diducto*] Virgil. 'Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit.' *Subsidunt æquore*] Magis magisque profundæ apparent aquarum valles. *Pont.*

23 *Quocunque aspicio*] Buslidianus et Combii, *aspicies.* Scribe, *Quocunque aspicias:* Pont. lib. I. 4. 'Quocunque aspicias, campi cultore carentes, Vastaque, quæ nemo vindicet, arva jacent.' Infra Eleg. 3. 'Quocunque aspiceres, luctus gemitusque sonabant.' *Aër* etiam pro *æther* plerique: et *tumidis* pro *tumidus* sequenti versu Polit. Palat. Hamburg. et quatuor alii. *Heins.*

25 *Fremunt immani murmure venti*] *Turbine* duodecim veteres: ut apud Virgilium Æneid. VI. 'præcipitemque immani turbine adegit.' *Idem. Immani turbine*] Magna ventorum volubilitate, nec sine fragore, proxima quæque prosternente. Apuleius de Mundo: 'Turbo enim dicitur, qui repentinis flabris prosilit, atque universa perturbat.'

26 *Nescit cui domino*] Causa subjicitur. Quia cum sint quatuor venti, Eurus ab ortu luctatur cum Zephyro ab occasu; et Boreas a septentrione spirat adversus Austrum a meridie. Quare in medio relictum pelagus necessario extumescit, et cui pareat nescit, id est, cujus flatibus obtemperet. *Pont.*

29 *Sicca Arcto*] Id est, æquoris experte, ut alibi loquitur; vel revera sicco, ut 'siccos Aquilones' dixit lib. III. 10. Manilius lib. I. 'Alter ab excelso decurrens limes Olympo, Serpentis caudam, siccas et dividit Arctos.' Tres tamen antiqui *Scythica Arcto.* Heins.

30 *Nunc Notus adversa prælia fronte gerit*] 'Venturi prælia venti.' Virgil.

Quod Æschyl. pulcre in Prometh. σκιρτᾷ δ' ἀνέμων Πνεύματα πάντων εἰς ἄλληλα, Στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα. 'Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc Inter se certant.' Virgil. Æneid. IV. Id quod ex perenni fonte. Ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα, Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον, Ἐλθόντ' ἐξαπίνης, &c. Homer. Iliad. I. a vs. 4. *Adversa fronte*] Est enim Notus Boreæ oppositus, siquidem a meridie flat.

32 *Ambiguis ars stupet ipsa malis*] Sic Palinur. Æneid. V. 'Heu! quidnam tanti cinxerunt æthera nimbi? Quidve pater, Neptune, paras?'

33 *Nec spes est ulla salutis*] *Nec spes, nisi vana, salutis* Combianus liber, multo numerosius. Legebam aliquando, *nec spes super ulla saluti est*. Heins.

36 *Ore necaturas accipiemus aquas*] Bona locutio. Sic Virgil. Æneid. VI. 'Gemuit sub pondere cymba Sutilis, et multam accepit rimosa paludem.' Et Æneid. III. 'Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo Accipiunt.'

38 *Scitque gemitque*] *Fletque* Regius liber. *Heins.*

41 *O bene*] *Di bene* octo aut novem ex melioribus: ita Statius, Claudianus, Ausonius, alii; quomodo et 'Di melius' et 'Di meliora.' *Idem.*

43 *At nunc ut peream*] Quamvis naufragio mihi vita adimatur, incolumi mea uxore, vivere quidem mihi videbor. *Ciofan.*

45 *Quam celeri micuerunt*] Quam celeriter coruscavit! quod fit, quum flatus aut vapor longiore nititur tractu. Quum vero in nube luctatur, tonitrua eduntur: quum erumpit ardens, fulmina. Plin.

48 *Grave balistæ onus*] Gravia pondera et saxa, quæ vibrantur balistis. Est autem balista, tormentum, quo saxa majora et graviora mittuntur. Vide Vitruv. lib. X. 16. Veget. lib. IV. 22.

50 *Posterior nono est, undecimoque prior*] Fluctum intelligit, quem Poëtæ 'decimum' sive 'decumanum' appellant, qui maximus esse solet. Unde 'Decumanam' etiam 'portam' in castris maximam, et ab hoste aversam, appellat Livius. Vide et Politian. in Miscellan. VI.

51 *Non letum timeo*] *Nec* scripti. *Heins. Genus est miserabile leti*] Grave enim, ut docet Homerus, perire naufragio: quia anima ignea est, et extingui videtur in aqua, elemento contrario. Tum quia sic morientes piscibus esca fiunt, nec tumulo mandantur.

53 *Est aliquid fatoque suo ferroque cadentem*] *Cadenti* duo veteres. Forte *cadentis*. Reliqui fere *cadendum*, pro *cadentum*. Mortui enim non ponunt se in terra, sed ponuntur. Lege etiam *fatove suo ferrove*, quæ eo spectant, ut mortem spontaneam a violenta distinguat. Sequenti versu in plurimis *solita humo* pro *solida*; hoc est, quod Tristium lib. III. 4. dicit 'tactam nascenti humum.' 'Et cinis in tumulo positus jacuisset avito, Tactaque nascenti corpus haberet humus.' Virgil. Æn. IX. 'Sit qui me raptum pugna pretiove redemtum Mandet humo solita; aut, si qua id fortuna vetabit, Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro.' *Heins.*

55 *Et mandare suis aliqua et sperare sepulchrum*] Scripti fere omnes *aliquid sperare*: vel, *aliquid et sperare*: tres *aliquod*; Combianus *aliquo*. Unus Vaticanus *aliqua sperare sepulcra*. Scribe, *Est mandata suis aliquid sperare sepulchra*: ita et numeri, qui duriores erant, constabunt versui, et sensus. 'Mandata sepulchra' ut Fast. lib. V. 'Displicet hæredi mandati cura sepulchri.' *Idem.*

60 *Utraque turba*] Et cœli et maris Dii. *Mer.*

62 *In loca jussa, &c.*] In Ponticam oram.

63 *Si quoniam merui pœnam, me perdere vultis*] *Pendere* unus Mediceus

pro diversa lectione; Rottendorphianus *prendere.* Præterea prim. editio et duo scripti, *si quam promerui;* sex *si quoque quam merui;* totidem *quamquam merui:* opt. Vatican. *si merui pœnam quanquam:* duo *quia quam merui:* alia veterrima editio *quia commerui.* Scribe, *Si, quam commerui, pœnam me pendere vultis.* Trist. lib. II. 'An semel est pœnam commeruisse parum?' 'Pendere pœnam' familiaris locutio Nasoni: Fast. III. 'capitis quæ pendere pœnas Ex illo jubeat furta reperta loco:' atque ita passim. *Heins.*

67 *Cruoris Copia*] Mortis meæ potestas, quæ penes Cæsarem est, &c. *Ciofan.*

68 *Quodque dedit*] Vitam quam mihi concessit Augustus. *Feret*] Adimet.

69 *Puto crimine læsi*] *Læsos* concinnius septem veteres: et sequenti versu pro *jam precor* Combianus et Medonii codex *vos precor:* Servii liber *Di precor,* etiam bene. *Heins.*

73 *Ut mare subsidat*] *Considat* meliores omnes: et mox *num minus* pro *non* repone; de quo ad Epistolam Canaces. *Idem. Ventis ferentibus*] Ventis secundis et portantibus me in Ponticam regionem.

76 *Aro*] Navigo. Virgil. 'Et vastum maris æquor arandum.'

78 *Oppida non Asiæ, non mihi visa prius*] *Non loca visa prius* cum castigatioribus. Asiam enim viderat cum Maximo Pont. lib. II. 10. 'Te duce magnificas Asiæ perspeximus urbes.' Notavit hanc quoque lectionem ex suo codice in Observationibus doctissimus Gronovius. *Heins. Oppida non Asiæ*] Meruit enim sub M. Varrone, et cum eo in Asiam profectus est.

79 *Alexandri in urbem*] Alexandriam intelligit, quam in Ægypto conditam de suo nomine appellavit. *Mer.* Eam luxui, ludis, et jocis, ac vitæ molli et voluptariæ deditam fuisse, indicat Quintil. lib. I. ubi nimiam parentum erga liberos indulgentiam accusat. *Neap.*

80 *Delicias tuas*] Tuos jocos. *Nile jocose*] Nilum ideo 'jocosum' appellat, quoniam Canopi erat Serapidis templum, quod ab Alexandria 20. stadiis distabat: eo ingens ex Alexaudria turba per fossam ad solennia descendebat. Nam die ac nocte naviculis plena erat virorum ac mulierum impudenter canentium ac saltantium cum omni dissolutione, a quorum jocis Poëta 'Nilum jocosum' appellavit. Quin totam Ægyptum fuisse his moribus, indicat Martial. lib. IV. 'Nequitias tellus scit dare nulla magis.'

81 *Quod facile est opto ventos*] Lege *faciles ventos,* vel sine assensu veterum librorum: *possit* pro *posset* scripti. Præterea forte scribendum, *Quo faciles.* Amor. lib. III. 2. 'Vis tamen interea faciles arcessere ventos.' *Heins.*

82 *Sarmatis tellus*] Sarmatia regio est, cujus pars sita est in Europa, pars vero in Asia. Illud notandum, Sarmatas a Romanis, a Græcis Sauromatas appellari. Eos nunc Polonos appellamus.

84 *Jam fuga tarda*] *Tam tarda* cum quinque scriptis: et mox cum plerisque *Exilem viam,* non *Exilii.* 'Exilem viam' pro brevi et compendiosa dixit. *Heins.*

85 *Tomitas*] Tomos urbs fuit in Getico litore: sic dicta, quoniam illic Medea fratrem trucidavit. *Mer.*

89 *Jussæ me advertite terræ*] Sic Virgil. V. 'Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.'

90 *Supplicii pars est in regione mori*] *Hac regione* quinque veteres. Scripserat, puto, Ovidius, *Supplicii pars est in regione mei:* hoc est, quod libro III. 10. dicet, 'Ergo tam longe pateat cum maximus orbis, Hæc est in pœnam terra reperta meam?' Pro *mei, meri* a librario aberrante erat factum;

hinc natum *mori.* 'Pœnæ suæ tellurem' vocat Trist. III. 2. 'Et pœnæ tellus est mihi tacta meæ.' Non dissimili modo dixit Trist. III. 8. 'Sive mei causa est in regione mali.' Et Pont. III. 1. ad Ponticam regionem, 'tu pessima duro Pars es in exilio: tu mala nostra gravas.' Auget exilii pœnam locus, in quem sum relegatus. *Heins.*

91 *Ferte rapidi mea corpora venti*] Diu est quod *carbasa* conjeci legendum, cum eam mihi postea lectionem confirmavit Gottorphianus; Hamburgensis *cornua;* etiam non male: ut mali cornua intelligat, de quibus Met. XI. 'Cornuaque in summa locat arbore.' *Idem.*

92 *Ausonios fines*] Italiæ fines. Vi enim tempestatis referebantur in Italiam, relicto priori cursu.

99 *Imo ita si scitis, si me meus abstulit error*] Plurimi *vos scitis:* posset et legi *Di scitis;* Medonianus, *malus error.* Similis diversitas lib. II. 'Illa namque die, qua me malus abstulit error;' alii enim *meus:* sed Virgil. 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!' Met. X. ex antiquis libris, 'retinet malus error amantem.' Arondel. *meus impulit error.* Heins.

101 *Quod licet e minimis*] Lege *Quamlibet* cum tribus scriptis: et vide quæ notamus ad Epistolam VI. 140. Tres alii *Quamlicet;* quinque *Qualicet:* alii aliter. *Idem.*

102 *Si satis Augusti publica jussa mihi*] Locus haud dubie corruptus: *jussa tuli* quatuor veteres; Gottorph. *jussa mei;* an *Augusti Dei?* quomodo 'Augustos Deos' dixit Pont. III. 6. Politiani prior, *visa mihi:* fragmentum Boxhornii, *cura fuit.* Non me expedio ex hac Charybdi. *Idem.*

103 *Si dixi felicia sæcula*] *Duxi* major veterum pars; nil mutandum. Met. XII. 'felicem diximus illa Conjuge Pirithoum.' *Idem.*

104 *Cæsare tura piis*] *Pius* meliores: quidam *prius* vel *Deis* vel *pia.* Idem. *Cæsaribusque*] Tiberium, ejusque filios Germanicum Drusumque intelligit.

106 *Alta cadens obruat unda caput*] Duo *alta maris;* totidem, *alta ruens;* unus *alta meum.* Putabam aliquando *alta nocens obruat unda caput:* nisi quod id paulo longius abit a vulgata lectione. *Heins.*

107 *Evanescere*] *Vanescere* meliores. *Idem.*

109 *Non casu vos, sed sub conditione vocati*] Nihil turbatius hisce numeris. Primo *casus* scribendum cum vetustis quinque: ut Met. XIV. 'quis te casusve Deusve Servat, Achæmenide?' Deinde plurimi, *sed vos sub conditione;* longe rectius: fragmentum meum, *sed o vos sub conditione.* Scribe, *Non casus, sed ea vos conditione vocati.* Idem.

ELEGIA III.

3 *Tot mihi chara*] Patriam, uxorem, domum, amicos, urbem, &c. *Ciofan.*

4 *Tunc quoque*] *Nunc quoque* Rottendorph. rectius. *Heins.*

7 *Fuerat satis apta parandi*] *Fuerant* eleganter Barberin. *paranti* liber Petri Servii: *piandi* pro diversa lectione Combianus. Richelianus *paratu*, pro, paratui; quod verum puto. *Heins.*

9 *Comites non cura legendi*] *Comitis* Barberin. et pro diversa lectione

Gottorphianus; optime: 'comes' pro comites. Dixi Fast. III. 565. *Idem.*

13 *Animi nubem dolor ipse removit*] Malim *animo*, ut Puteaneus. Met. VIII. ex antiquis membranis, 'Destinat hunc Minos thalamo removere pudorem.' *Idem.*

14 *Et tandem sensus convaluere mei*] Sic Cæs. B. G. VIII. 'Animos consolatione sanat.' Et eleganter Sueton. in August. 'Annona convaluit.' *Convaluere*] Cœperunt resipiscere. *Mer.* *Et tandem sensus convaluere*] Ubi me collegi, animusque rediit. Seu, animum recepi, qui a nebula illa et offusa caligine emersit. *Pont.*

16 *Qui modo de multis*] Inter eos, qui in amicitiæ officio manserant, Carum, Celsum et Maximum enumerat, lib. III. 5.

19 *Nata*] Filia Perilla, quæ virum in Africam secuta fuerat.

29 *Et adhuc Capitolia cernens*] *Et ab hac* repone, cum plerisque antiquis: hoc est, postquam hanc aspexi. Sic frequenter loqui amat Noster. *Heins.*

30 *Quæ nostro frustra*] Frustra, inquit, quia nobis non profuerunt, quum præsentia numinum ea inhabitantium vicinos quoque tueri debuisset. Lares credebantur custodire domos, quibus focus erat sacer: ideo et Larium nomine et focus et universa domus vocari cœpta est. *P.* Vide et Gyrald. Syntag. XV.

31 *Numina vicinis*] Jovem Capitolinum, et cæteros designat, qui in Capitolio colebantur. Unde Manlius apud Liv. ita inquit: 'Jupiter optime maxime, Junoque regina, ac Minerva, cæterique Dii, Deæque, qui Capitolium, arcemque incolitis.' Valedicit ergo et Diis et loco.

33 *Urbs alta*] Roma, quæ in septem collibus sive montibus posita erat. *Ciof.*

35 *Clypeum*] Deorum præsidium, clypeum appellat. Ad tutelam vestram citius et ante vulnera, seu ante damnationem meam, confugere me oportebat, ut ab exilio me conservaretis. *Pont.*

37 *Cælesti viro*] Augusto: qui et vivus et mortuus divinos meruit honores.

39 *Ut quæ sentitis pœnæ quoque sentiat auctor*] *Ut quod vos scitis* plerique veteres: et *possum* pro *possim.* Legendum fortasse, *Ut, quod vos scitis, pœnæ quoque si sciat auctor, Placato possim non miser esse Deo.* Superiori Elegia, ubi Deos alloquitur, 'Imo ita vos scitis.' *Idem.*

42 *Singultu medios præpediente sonos*] Lacrymis verba implentibus. Sic Noster Rem. Amor. vs. 598. 'Ruptaque singultu verba dolentis erant;' ubi reperies a nobis adnotata. *Medios sonos*] Media et imperfecta verba. *Impediente sonos*] Barberin. *præpediente:* ut Epist. Hypermnestræ, 'Et subitus dextra præpedit ossa tremor.' *Heins.*

43 *Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis*] Pr. Polit. *intracta:* alter cum duobus aliis *abstracta;* unde Politianus ipse *atrata.* Certe Hamburg. *attrata:* at pr. Vatic. *attacta:* Barber. *projecta:* duo *astrata* pro *adstrata;* ut Met. IX. 'adsternunturque sepulcro:' alii, *abjecta, abstructa, attracta,* vel *adstracta,* vel *astracta,* et similia. *Idem.*

44 *Exstinctos focos*] Quidam scripti cum editis nonnullis *exstructos: æternos* pr. Vatic. et sex alii; unus Vatican. *externos:* lege *hesternos;* et vide Notas Fast. 507. Virgilius lib. VIII. 'Et primum Herculeis sopitas ignibus aras Excitat, hesternumque larem, parvosque Penates Lætus adit:' quanquam in nonnullis vetustissimis libris *externumque larem* illic legitur; quam scripturam damnat Servius, et 'hesternum Larem' interpretatur, cui pridie sacrificaverat. Sed et 'extincti foci' recte se habent: nam 'ignis extinguebatur' in exilium ituris. Vossianus *antiquos:* ut Fast. IV. 'Detis et in veteres thurea grana focos.' *Idem.*

45 *In adversos effudit verba Penates*]

Scribe *in aversos.* Horatius Od. III. 23. 'Mollibit aversos Penates Farre pio et saliente mica.' *Idem.* *Effudit*] Quia nihil profecit, adversis et aversis penatibus. *Pont.*

47 *Nox præcipitata*] Auroræ vicina. Et est notatio imminentis diluculi. *Nox præcipitata*] Virgil. de more Græc. 'Et nox præcipitat.'

48 *Versaque ab, &c.*] Auroram designat, qua Plaustrum cæleste in orientem vertitur. *Parrhasis*] Arcadica, ab oppido appellata, fuit enim Callisto filia Lycaonis regis Arcadiæ.

50 *Ultima sed jussæ*] Diebus scilicet elapsis, intra quos urbe et Italia jussus eram excedere. Qui enim relegabantur, iis dies excedendi a præsidibus dari solebat. *Bersm.*

52 *Vel quo festinas*] *Festines* meliores. *Heins.* *Quo, vel unde*] Quo, in extremum orbem: unde, a patria. In locum teterrimum a jucundissimo: et neutra de caussa festinandum. *Pont.*

55 *Ter limen tetigi*] Adeo sinistrum omen putabant veteres limen offendere cum domum ingrederentur, domove egrederentur, ut id, quod tum facturi erant, prospere sibi contingere non posse crederent. *Ciof.*

64 *Dulcia membra*] Amicos, domesticos, servos, aut etiam divitias: hæc enim omnia sunt membra domus.

66 *Thesea fide*] Amore fido, qualis fuit Thesei in Pirithoum.

70 *Amplectens*] Meliores *Complectens.* Heins.

75 *Sic doluit Priamus, tunc cum in contraria versus Ultores habuit proditionis equus*] *Sic doluit Metius*, Combianus et unus Bononiensis, quod Naugerius quoque videtur probasse in priori editione, secutus illos, qui legunt præterea, *in contraria versos equos.* Si de Priamo intelligamus, malim *in contraria versæ proditionis* legi; ut ad raptum Helenæ alludat: nam *rapto* est in uno codice. Sed comparatio parum ad rem facit, quocunque modo legas. Metii autem injecta mentio plane præter rem est. Quare certus sum hoc distichon ab illa manu esse, quæ sæpius apparet per hos libros, parum tempestiva. Habebat autem in mente superiora ista, 'Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat,' quisquis hos versus confixit. *Idem.*

80 *Miscuit hæc lacrymis tristia dicta meis*] *Suis* quinque scripti: rectius. Vide notas Epist. XVII. 251. Nonnulli etiam *verba.* Idem.

81 *Simul hinc simul ibimus ambo*] *Ibimus, inquit* plerique veteres: et *simul ah* nonnulli. Scribo præterea, *Num potes avelli?* de quo ad Epist. XVI. 364. Val. Flaccus lib. V. 'Minyæ clamore morantur Avellique negant.' *Idem.*

83 *Ultima tellus*] Scythica et Septentrionalis regio. Vel potius, quia eo in loco Ovidius navem conscendit. *Ciof.*

85 *Te jubet a patria*] *E patria* multi. *Heins.*

86 *Me pietas: pietas*] Summam atque incredibilem movet commiserationem. Quasi dicat, Ego volens abibo, non imperio Cæsaris. *Ciof. Pont.*

90 *Hirta per ora*] Per faciem barbatam: in luctu enim capillum et barbam non tondebant. *Mer.*

91 *Tenebris obortis*] Animi defectio significatur. *Ciof.* *Illa dolore amens*] Multi *gemens;* in uno *gravis:* in Combiano et tribus aliis *dolore mei;* quod sequor. Proximo versu, pro *media domo*, duo *via.* Scripserat puto Ovidius, *Vidua domo:* nam τὸ *media* prorsus otiosum ac superfluum est. Narrat quæ post digressum suum facta sunt. *Heins.*

95 *Deplorasse Penates*] *Complorasse* plurimi veterum: quomodo etiam ad Sylvas Statii Gronovius. *Idem.*

100 *Non periisse mei*] Quatuor *voluisse:* unus Gallicus *posuisse;* bene; nisi *valuisse* malis. *Idem.*

101 *Vivat, et absentem, quoniam sic fata tulerunt, Vivat*] Non placet repe-

titio τοῦ *Vivat.* Nec juvant tamen libri veteres. An *Jutet*, pro adjutet, scripserat Noster? an *Dî dent auxilio sublevet usque suo*; vel, *Dî facite auxilio*; vel *date ut auxilio?* Scaliger *Tutet.* Sed non persuadet. *Idem.*

ELEGIA IV.

1 *Tingitur*] Hinc exordium faciendum novæ Elegiæ, idque ex fide castigatiorum codicum, quod nescio quomodo typographicæ operæ neglexerunt. Monuit quoque in Epistolis Tanaquillus Faber. *Heins.*

2 *Turbat aquas*] Arcturi enim ortus et occasus gravissimas ciet tempestates. *Bersm.*

3 *Findimus æquor*] 'Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit Convolsum remis rostrisque tridentibus æquor.' Quod et Historicis familiare. Livius III. 8. 'Plurimis remorum ordinibus scindentibus vortices.' Etiam de aëre: 'Liquidum talaribus aëra findit.' Quod ex Homer. Odyss. Γ. vs. 174. Πέλαγος μέσον τέμνειν. Et Odyss. E. vs. 409. Καὶ δὴ τόδε λαῖτμα διατμήξας ἐπέρησα. Et Odyss. N. vs. 88. Ὣς ἡ ῥίμφα θέουσα θαλάσσης κύματ' ἔταμνεν.

5 *Quantis nigrescunt æquora ventis*] *Increscunt* rectius multi veterum. *Heins.*

6 *Erutaque ex imis*] Talia sunt, Æneid. I. 'Evertitque æquora ventis.' 'Furit æstus arenis,' &c.

8 *Pictos Deos, &c.*] In puppi velut quoddam sacrarium erat, et in eo imagines aut statuæ Deorum navis tutelarium. Ab eo, ceu insigni, naves appellabantur, et ipsum παράσημον πλοίου. Vide Turneb. XIX. 2. *P.* *Pictos Deos*] Deos pictos intelligit in ipsa puppi.

9 *Pinea texta*] Paris Helenæ: 'Texitur et costis panda carina suis.' Veteres enim dicebant, 'texere naves;' et locum, in quo naves fabricabantur, textrinum: Græci ναυπήγιον. *Pont.*

12 *Jam sequitur victus, non regit arte, ratem*] *Victum* rectius legas, nisi *sequitur votis* præferendum putas: ut Fast. III. 'nec jam moderator habenis Utitur, at votis.' Et infra El. 10. 'Ipse gubernator tollens ad sidera palmas Exposcit votis, immemor artis, opem.' Duo antiqui *fluctus*; tres *ventos.* Totidem *gelido pallore*, non *gelidum*, superiori versu. *Heins.*

13 *Proficientia rector*] *Vector* multi veteres. Vide Notas Artis lib. III. 555. *Idem.*

19 *Nam procul Illyricis*] Hinc potest intelligi, non de mari Thusco, quod etiam Ionium appellatum diximus, intelligendum esse, ut quidam falso existimarunt: sed de magno, prope Illyriam, quam Ovidius in Pontum navigans, a læva habuit: sed mutatis, ea a dextra, a fronte Italia sita erat, ad quam vi tempestatis ferri videbatur. *Illyricis læva de parte relictis*] Scribendum, *Illyrici relicti.* Illyricum regio: de quo ad Claudianum. Tanaquillus Faber Epist. XXIII. *Illyriis relictis* legit: sic apud Propertium, 'Dic alias iterum naviget Illyrias.' *Heins.*

22 *Pareat illa Deo*] Quæ *illa?* plurimi veterum *unda.* Sed probo et sequor τὸ *aura*; quod in decem castigatioribus offendi. *Idem.*

23 *Timeoque repelli*] Barberin. et

unus Patav. *revelli*, ab Italia scilicet. *Idem.*

25 *Parcite, cærulei vos saltem numina ponti*] Prim. Polit. prim. Vatic. et unus Bononiensis cum Rottendorphiano, *Vos parcite numina ponti.* Idem.

26 *Jovem*] Augustum.

28 *Si modo qui periit*] Si modo ego tanquam mortuus, relegatus ad Sarmatas. *Non periisse potest*] Si perditus servari potest.

ELEGIA V.

1 *Numerande sodales*] *Memorande* veteres plerique. Scribe præterea, *nusquam memorande.* Pont. IV. 'O mihi non dubios inter memorande sodales.' Martialis, 'O mihi post nullos, Juli, memorande sodales.' *Heins.*

5 *Consilium vivendi mite dedisti*] *Fuisti* unus Mediceus; eleganter. Trist. IV. 2. 'Hortator pugnæ consiliumque fuit.' Epist. Helen. 'Quæ mihi sunt comites consiliumque duæ.' *Idem.*

7 *Positis pro nomine signis*] Veretur Poëta amici nomen exprimere, propter Augustum.

10 *Animi debitor*] *Animæ* plerique meliores. *Heins.*

11 *Spiritus hic vacuas prius extenuandus*] Prius me vita deficiet: prius moriar. *Bersm.*

20 *Infernas aquas*] Fingunt enim Poëtæ, ad rapiendam Proserpinam, inferos adiisse Theseum ac Pirithoum.

22 *Furiæ tuæ*] Furor tuus: quo agitabaris, ob matrem interfectam.

24 *Hyrtacidæ Nisi*] *Niso* tres libri. *Heins. Hyrtacidæ*] Hyrtaci filio.

27 *Dum jurat*] Opt. Vatic. *juvet.* Puto *favet.* Heins.

28 *Indelibatas*] Illæsas. *Mer. Indelibatas*] Opes integras, nullo adhuc casu et detrimento imminutas. *Cuncta sequuntur*] Quia felicibus ad voluntatem fluunt omnia. *Pont.*

30 *Agminibus comitum*] Turba clientium, seu potius, assentatorum. *Pont.*

35 *Rebus succurrite læsis*] Alii *lassis*: meliores *lapsis*; quod sequor: quanquam et alterum potest admitti. Sic Trist. v. 2. 'Quo ferar? unde petam lapsis solatia rebus?' ubi similis diversitas in scriptis exemplaribus: et Pont. II. 2. 'Nunc tua pro rebus nitatur gratia lapsis;' ubi veterrimus Sarravianus *lassis:* ut et Eleg. III. 'Respicis antiquum lapsis in rebus amicum.' Gratius Cynegetico, 'Te primum, Vulcane, loci pacemque precamur, Incola sancte, tuam, des lapsis ultima rebus Auxilia:' perperam *ipsis rebus* nunc legitur. Neque aliter Virgilius aliique ex optimis scriptoribus passim. *Heins.*

41 *Causa mea est melior*] Conjurationem et conspirationem contra Augustum intelligit: de qua lib. II. et III. El. 5. *Mer.*

45 *Desiderat omnes*] *Desideret* tres meliores: et *petat*, pro *petit*, proximo versu. *Heins.*

51 *Pars etiam quædam*] Ingenium intelligit, quod præ nimio dolore nequit dignum aliquid componere. Vel certe famam designat, quam perituram dicit hac exilii nota, vel inter Scythas nihil componendo.

52 *Possit tegi*] Possit celari pars hæc, quæ mecum morietur. *Mer.* Vel velim posse ignorari me tacente.

Quæ illa fuerint, liberum est cuivis nostrum divinare. *Pont.*

53 *Si vox infragilis, pectus mihi firmius esset*] *In fragili mihi pectore firmior* Junian. prim. Polit. prim. Vatic. et alii quinque: duo præterea ex nostris et Bersm. *pectus mihi firmius ære.* Scribe, *Si vox in fragili mihi pectore firmior ære.* Homeri illa respexit Iliad. B. Φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη, quod jam alii viderunt. *Heins.*

56 *Materia*] Malorum copiam, materiam appellat.

57 *Pro duce Neritio*] Pro duce Ulysse. Est autem Neritus mons frondosus in insula Ithaca, quam tenuit Ulysses.

61 *Nos freta sideribus totis distantia*] *Notis* Combianus et unus Bononiensis. *Heins.*

62 *Sors tulit in Geticos Sarmaticosque sinus*] *Detulit in Geticos Cæsaris ira sinus*] an *Depulit?* prim. Polit. et prim. Vatic. *Detulit Sarmatis ora:* ut infra, 'Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt.' Trist. IV. 10. 'Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis.' Lib. V. 3. 'Juncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.' Sic et 'Sarmatis umbra' Pont. lib. I. 2. Pont. II. 7. 'Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.' Unus Vatic. *Fors tulit.* Idem.

63 *Sociosque fideles*] Tres *fidosque sodales:* tantundem est. Ne bis idem dicat, videtur scribendum, *certosque sodales:* ut apud Martialem, 'fidis homo certus amicis.' *Idem.*

67 *Non mihi Dulichium*] Dulichium insula est ex Echinadibus una, quæ postea Dolicha appellata fuit. Fuitque hæc insula Ulyssi subdita, ut docet Strab. *Ithaceve*] Ithaca insula est, quæ ad stadia 80. in circuitu patet. Corcyræ insulæ maximæ adjacet Neritia Ithacæ tellus optatissima, et ipsa Ulyssis patria. *Sameve*] Samos, sive Same, insula est, quæ olim quatuor continebat urbes, ex quibus una Samus; eadem Cephalenia appellatur. *Ithaceve Sameve*] *Samove* pr. Vatic. reliqui *Samosve:* utrumque probum: de quo Remed. Amor. vs. 264. *Heins.*

68 *Pœna non est grandis*] Non magna molestia est. Etenim non urbes sunt quæ comparari possint cum urbe Roma: a qua abesse summam capio molestiam, et vitam ipsam instar mortis mihi esse duco. Et vide quam venuste contraria contrariis in universa hac sui et Ulyssis collatione, referat: quæ plurimum artis et eloquentiæ habent. *Ciofan.*

72 *Invalidæ vires ingeniumque mihi*] Lege cum plerisque scriptis, *ingenuæque:* ut apud Martialem, 'Vires ingenuæ, salubre corpus.' Idem Epigr. III. 46. hæc duo quoque conjunxit: 'Invalidum est nobis ingenuumque latus.' Idem Epigr. XII. 4. 'ingenuam pigritiam' quoque dixit. *Heins.*

78 *Jovis ira*] Augusti odium: qui his temporibus est illi summus Jupiter. *Mer.*

80 *In nostris, &c.*] Homerus sapienter finxit, et fabulis rerum veritatem texit: ego causam fingendi nullam habeo. *Pont.*

ELEGIA VI.

1 *Lyde*] Lyde amica fuit Callimachi, quam ardentissime amavit. *Clario poëtæ*] Callimacho Apollinis vati. *Clarius* enim Apollo appellatus est, a Clario luco. Strabo lib. XIV. Ovidius in Met. 'Mihi Delphica tellus, Et Claros, et Tenedos, Patareaque regia servit.'

2 *Coo suo*] Suo Phileni.

4 *Minus misero*] Feliciori marito.

5 *Te mea supposita est*] Accipiendum est de possessionibus, in quas involabant homines alienorum cupidi, quarum fructibus in exilio ipse vivebat. *P.* *Supposita veluti trabe fulta ruina est*] Non damno quidem hanc lectionem, quam libri veteres agnoscunt, veriorem tamen auguror fore si *carina* reponas. Intelligit trabes illas, quæ subductis in littus navibus subjiciebantur. Hæ Græcis φάλαγγες, vel φαλάγγια: de quibus Pollux et Hesychius: Nonius quoque in *Palangæ*. Varro de vita pop. Rom. 'Cum Pœnus in fretum obviam venisset nostris, et quosdam cepisset, crudelissime pro Palangis carinis subjecerat, quo metu debilitaret nostros.' Isidorus Etym. lib. XIX. 2. 'Pulvinos' videtur appellare. Minucius Octavio: 'Et cum ad id loci ventum est, ubi subductæ naviculæ substratis roboribus a terrena labe suspensæ quiescebant.' *Heins.*

7 *Ut spolium non sim*] *Ut ne sim* tres veteres. *Idem.*

8 *Naufragii tabulas*] Reliquias naufragii mei; reliquum fortunarum mearum. Quas cum Cæsar non ademerit, ipsi tamen adimere nefarie conantur.

9 *Cupidusque cruoris*] *Sitiensque* unus Mediceus; venuste: vide Notas nostras ad Claudianum de Raptu Proserpinæ, lib. III. 282. *Heins.*

11 *Aut ut edax vultur*] Vultur ex cadaveribus sibi escam quærit. Interficit autem nihil nec destruit animantium. Vide Arist. lib. VI. *Aut ut edax vultur*] Nam et vulturii nominantur, qui captant bona aliena, et ea per fas et nefas occupare nituntur.

12 *Sub nulla positum cernere possit humo*] *Sub nuda* Scaliger et editiones nonnullæ; perperam: corpus sub nulla tellure positum, est inhumatum corpus. *Sub nulla humo*] Nondum humatum.

14 *In mea bona*] In meas fortunas. *Mer.*

23 *Sive tibi hoc debes*] Seu natura te hoc docuit; seu Liviæ exemplo didicisti. *Bers.* *Nullo pia facta magistro*] *Nulla magistra* multi ex melioribus. *Heins.*

24 *Mores*] Sanctissima instituta. *Cum nova luce*] Cum die natali; cum nascereris.

25 *Fœmina seu princeps*] Seu Liviam, quam præcipua fide coluisti, imitata es. Amerbachius ad Martiam, Martii Philippi vitrici Augusti filiam, contendit referendum.

30 *Nostra ora*] Nostra verba. Aliquem pleno ore laudare verbis multis et grandibus. *Pont.* *Nostra ora*] Pro sermone et fabulis. Phædr. in prol. lib. I. 'Duplex fabellis os est.' Qua de re alibi. Etiam pro fiducia: 'Si satis oris habes.'

32 *Extinctum longis excidit omne malis*] Κακοφωνία est *extinctum, excidit;* etsi minime ignoro 'excidere' hac significatione usitatum esse Ovidio; de quo Remed. Amor. vs. 348.

est dictum. Primus tamen Politiani, pr. Vatic. et sex alii *occidit ;* quod sequor. *Heins.*

33 *Inter*] Inter claras mulieres.

34 *Bonis animi tui*] Tua virtute. *Mer.* Esses præ omnibus conspicua, ob bona animi tui, quæ maximam et solidam laudem merentur. *Pont.*

ELEGIA VII.

1 *Nostris similes*] *Nostri* sex meliores : et mox *Bacchia serta* pro *Bacchica.* Adi Notas Met. III. 517. *Heins.* *In imagine*] In effigie gemmæ insculpta. Vide Plin. lib. XXXVII. Ex hedera enim poëtæ Elegi coronabantur, sicut ex quercu Heroici. Propert. 'Ennius hirsuta cingat sua dicta corona, Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.' De hedera legito Plin. lib. XVI. et Theophrastum lib. III.

5 *Hæc tibi dissimula, sentis tamen omnia dici*] Scripti plerique cum primis editionibus *senti tamen optime dici ;* et *hoc* pro *hæc.* Lege, *Hoc tibi dissimulas, sentis tamen, optime, dici.* Heins. *Dissimula*] Finge hæc non dici tibi, ne Augustum lædas. *Sentis tamen, optime*] Intelligis tamen, optime amice, me tibi hæc dicere.

6 *Qui me fersque refersque*] Qui fers et repræsentas; aut qui fers et extrahis annulum, in quo est gemma habens vúltus meos insculptos. Vide Macrob. Saturn. lib. VII. 13. *Fersque refersque*] *Ferasque* scribendum videtur: sic Trist. III. 8. pro *fertque feretque,* scripti fere omnes *fertque refertque.* Pont. IV. 1. 'Auxilium vitæ fertque refertque meæ :' ubi censeo reponendum *feretque,* quod sequentia ibi requirunt. *Heins.*

8 *Quæ potes*] Tres itidem scripti *qua potes.* Idem.

13 *Hominum dicentia formas*] *Narrantia* tres scripti. *Idem.*

15 *Sicut bona multa meorum*] Diu est quod vidi scribendum *bene multa ;* quod pr. Vatic. Hamburg. et tres alii confirmant. In Catalectis, 'Triga mihi paucos inter dilecta sodales, Triga sodalitii pars bene magna mei ;' atque ita passim veteres : *bene* enim pro valde, ponitur : ut 'bona pars' pro magna pars. Trebonian. Institut. lib. IV. Tit. 6. §. 12. 'actiones bene multas' dixit. Similis error apud Propertium commissus El. III. 22. ubi legendum, 'An tibi nescio quæ visa est formosior ? an tu Non bene de nobis crimina ficta jacis?' *Idem.*

17 *Sub stipite*] Sub torre, in quo Meleagri fata erant.

18 *Thestias*] Althea Thestii filia. Thestius enim Pleuroniam tenuit: qui Curetum ductor, socer quidem fuit Œnei, Altheæ vero pater. *Et melior matre fuisse soror*] Althea meliorem se, et fratrum a Meleagro interemptorum amantiorem ostendit, quam filii. Sic et in Metam. VIII. 'Pugnat materque sororque, Et diversa trahunt unum duo nomina pectus. Incipit esse tamen melior germana parente.'

20 *Viscera nostra*] Nostros libros : quasi meos partus. *Rogis*] Flammæ omnia rapienti.

27 *Non tamen*] *Nec* veteres : et *Nesciet.* Heins.

29 *Mediis incudibus*] Nondum absoluto opere. *Mer.* Sic et opus aliquod 'elimare' dicimur.

33 *In prima fronte libelli*] Scribe *primi libelli.* Inepte enim Metamorphoses 'libellus' vocentur, quas ipse lib. II. 'Majus opus' sit appellaturus. Sic alibi, 'Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos.' Et, 'Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli, Tres sumus,' de Amorum libris: atque ita passim alibi. *Heins.*

35 *Orba parente suo*] Privata patre et autore operis, qui in exilium ejectus est.

37 *Edita ab illo*] *Ipso* meliores. Pro *faveas* etiam *foveas* agnoscunt quatuor.

40 *Emendaturus erat*] *Eram* scripti potiores. *Heins.*

ELEGIA VIII.

1 *In caput suum*] Caput dicitur fluminis origo: 'Heic mihi magna domus celsis caput urbibus exit,' Æneid. VIII. de cæruleo Tibri. Et noster Metam. II. 254. 'Nilus in extremum fugit perterritus orbem, Occuluitque caput, quod adhuc latet.' *In caput suum*] Inductio est, ex iis constans quæ fieri nequeunt. *Pont.*

12 *Afflictumque*] Malo *Adflictumne.* Heins.

15 *Amicitiæ sanctum et venerabile nomen*] *Quondam venerabile* quidam veteres: et *numen* liber Petri Servii; ut Pont. lib. II. 3. 'Illud amicitiæ quondam venerabile numen Prostat, et in quæstu pro meretrice sedet.' Sic et ibi veterrimus Codex Sarravianus. *Idem.*

17 *Ingenti prostratum mole*] Ærumnis oppressum. Calamitatis suæ magnitudinem vocat ingentem molem, a qua velut ruina magna oppressus sit.

19 *Lacrymas dimittere*] *Lacrymam* meliores; ut passim alibi Noster: et mox *queri*, pro *loqui*, Gottorphianus. *Heins.*

22 *Et vocem populi*] Supremum salve et vale conclamare. *Bersm.*

30 *Junctus amore*] Bene opt. Palat. et unus Mediceus *vinctus amore:* nam 'fœdere juncti' paulo ante præcesserat. Vide Notas Fast. IV. 224. *Heins.*

34 *Adscitus toties in genus omne joci*] Lege *loci* cum multis veterum: de jocis et seriis jam ante egerat. *Idem.*

35 *In æquoreos ventos*] *In Æolios* Rottendorphianus pro diversa lectione. *Idem.*

37 *Placida urbe Quirini*] Romam designat, in qua homines non sævos, sed mites nasci solitos innuit.

41 *Silicis venæ*] 'Et stant marmoreo membra perusta gelu.' Et Noster in Met. IX. 'Nec rigidos silices, solidumve in pectore ferrum,' vs. 615. Σαρκὶ σιδαρείῃ, οἷα κολοσσός. Theocr. Idyll. XXII. de Amyco.

42 *Semina pectus habet*] *Habent* unus Gallicanus: sic 'pectora somnus,' 'terror,' 'mœror habet,' et similia passim apud Nostrum. Adi Notas ad Epist. XII. 170. *Heins.*

45 *Aut mala nostra minus quam non aliena putares*] *At mala*, et *putasses* meliores. Deinde *quam nunc* unus Vaticanus; vere: quomodo etiam doctissimus Tanaquillus Faber vidit scribendum Epistola XXIII. Combianus pro diversa lectione, *quia nunc.* Sensus est: At saltem mala nostra minus a te aliena putasses, quam nunc putas. *Idem.*

48 *Ut tempora prima*] Ut superiora tempora, quibus amicitia nostra erat arctissima. *Careant numeris suis*] Careant suo ordine: ut mihi in amore non respondeas, ut antea.

ELEGIA IX.

1 *Detur inoffensæ vitæ tibi tangere metam*] Concinnius quatuor antiqui *metam tibi tangere vitæ:* et mox *possint*, pro *possent*, meliores. *Heins.*

4 *Duros Deos*] Deos mihi difficiles, Cæsarem inclementem.

10 *Nullus ad amissas ibit amicus opes*] *Currit* exemplar vetus Bersmanni. Ego *visit* reponendum censeo. Adi Notas Amor. lib. II. 2. 21. *Heins.*

13 *Fortunæ lumina*] Auram et fœlicitatem fortunæ.

16 *Eventu vera fatenda meo*] Malim *mihi*. Heins.

20 *Cauta terga*] Ipsi cauti et sibi consulentes: vel certe cauta turba, hoc est, turba sibi cavens, ne quid Augustus in eos mea causa gravius moliretur. *Mer.*

24 *Quolibet inviso*] *Quamlibet* sex veteres; probe. Dixi Notis ad Epist. VI. 140. *Heins.*

27 *De comite Argolico postquam cognovit Orestem*] *Oreste* plurimi veteres. Scribe *Argolici Orestæ.* Nam Pylades Phoceus, non Argolicus. Amor. lib. II. 6. 'Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Orestæ.' Vide Notas ad Epist. VIII. 9. *Idem.* *De comite Argolico*] Pacuvius tragœdiam scripsit, in qua continebatur quomodo Orestes, cupiens a se furias removere ex morte matris conceptas, oraculum consuluit, cui respondit, ut ad templum Dianæ in Tauricam regionem proficisceretur: quo quum pervenisset, comite et duce itineris Pylade, Thoas rex de more eum mactare volebat. Cæterum ignorabat uter esset Orestes. Pylades Orestem se esse respondit, ut pro illo necaretur. Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseverabat: quorum fidem ita Thoas probavit, ut Oresti ignosceret. Rem aliter et plenius refert Ovid. lib. III. de Ponto ea Elegia quam ad Cottam scribit. *De comite Argolico*] Pylade. De eo qui simulabat se esse Pyladem, ut Orestes potius quam ipse servaretur.

29 *Quæ fuit Actoridæ*] Patroclo, Actoris filio. Amor Patrocli et Achillis notus est Homeri carmine.

30 *Hectoris ore*] Ore inimici. Summam ac solidam esse laudem, cum quis ab hoste laudatur, docet Aristot. lib. I. Rhetor. *Ciof.*

31 *Theseus comes iret amico*] *Isset* multi veteres: unus Mediceus et Barberinus pro diversa lectione *comitavit amicum;* puto *comitaret.* Pont. libro II. 3. 'Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas.' Met. XIII. ex optimis exemplaribus, 'Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulyssen.' Pont. I. 10. 'Funera non potui comitare.' Lib. II. 2. 'Quem pia vobiscum proles comitavit euntem.' Trist. V. 4. ex veteri libro, 'Teque Menœtiaden, te qui comitavit Oresten, Te vocat Ægiden Euryalumque suum.' Atque ita passim Noster. Propertius Eleg. II. 7. 'Quod mea si teneræ comitarent castra puellæ, Non mihi sat magnus Castoris iret equus:' ita scribo versus mendosissimos, a Scaligero aliisque frustra tentatos. Nam codices vetusti magna ex parte, *Quod si vera meæ comitarent castra puellæ;* turbato ordine litterarum: 'teneræ puellæ' perpetuum epitheton Nostro plurimis locis. Passeratius aliique conjecturam Scaligeri de *Romanis puellis* approbarunt; male. *Heins.*

35 *Est etiam miseris pietas*] *In miseris* veteres nonnulli. Puto scribendum, *Ista etiam in miseris pietas vel ab hoste probatur:* aut *misero pietas vel in hoste probatur:* hoc videtur velle Noster. *Est etiam miserisque fides*, Arondel. *Heins.*

37 *Nunc est fortuna mearum*] Duo veteres *non est:* et tum sequenti versu legendum *ullus* pro *nullus;* quomodo Patavinus unus. Met. XIII. ' Non hæc est Fortuna domus.' *Idem.*

39 *At mea sint proprio quamvis mœstissima casu Tempora, profectu facta serena tuo*] Nihil hic sani est. Pr. Vatic. et quinque alii, *At mea sunt.* Deinde veteres plerique cum primis editionibus, *Pectora pro sensu.* Lege, *At mea sunt, proprio quamvis mœstissima casu, Pectora pro sensu facta serena tuo.* Aliquid diximus de hoc loco supra Eleg. I. 40. Excerpta Vossii tamen, *pro sensu: pro ventu* Combianus pro diversa lectione. Sed puto *post sensus tuos*, ea significatione, qua lib. IV. 6. ' Mensque mali sensum nostra recentis habet.' Et Ponticis, ut quidem scribendum, ' Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit, Quæ posuit sensum saxea facta mali.' Epistola Paridis, ' sentis mea vulnera, sentis.' *Idem.* *Ut mea sint proprio*] Sunt qui hanc elegiam cum superiore conjungant, sunt qui etiam separent: mihi omnino videtur disjungenda. Amico enim gratulatur, quod studio et doctrina magnam sit laudem consecutus: quod ita fore olim se nulla divinandi peritia, sed ratione et conjecturis, cognovisse dicit. Simul ostendit eum sibi rectius consuluisse, quod gravioribus disciplinis operam dederit. At contra dolet sibi studia poëtica et lasciviorem Musam nocuisse. *At* habet, ut sit sensus horum versuum, cum superioribus collatione quadam junctis, hoc modo: Hic quidem mearum rerum status est, ut eas lacrymis prosequi satis non possim: sed tamen ut illæ se habent, et quamvis mœstissimus ipse sim, tamen posteaquam de tuis successibus, tuoque profectu (hoc enim verbum magis probo, quam quod quidam legunt, *pro sensu)* aliquantum exhilaratus fui, &c. *Micyl.*

41 *Hoc tibi venturum*] *Hoc eventurum* pr. Polit. pr. Vatic. unus Mediceus, et Rottendorph. bene: alii *ego venturum*, vel *mihi venturum.* Pont. III. 4. ' Di quorum monitu sumus eventura locuti.' Epicedio Drusi, ' Eventura precor.' Mox *minor aura*, pro *minus*, meliores. *Heins.* *Hoc tibi venturum*] Pro, eventurum. Id intelligit, quod sensum nominavit.

42 *Istum ratem*] Te ipsum et ingenium.

44 *Nemo pluris emendus erat*] *Habendus erat* pr. Vatic. et pr. Palat. *habendus erit* alter Polit. Rottendorph. et duo alii; probe. Sic Cicero Philippica VI. ' Pluris hic habetur, quam alibi;' pro æstimatur. Juvenalis Satyra X. ex antiquis codicibus, ' Visne salutari sicut Sejanus, haberi Tantundem?' ubi in vulgatis est *habere.* Heins.

48 *Scena manet dotes*] Dotes istæ aliquando magno theatro spectabuntur. *Bersm.*

49 *Hoc mihi*] *Hæc* meliores. *Heins.* *Hoc mihi non ovium fibræ*] Non divinavi hæc tanquam haruspex ex animalium extis: inde extispices, extispicium. *Tonitrusve sinistri*] Divinabant etiam per fulgura, quæ observabant. Læva (auctore Plinio) prospera existimabantur: quoniam læva parte mundi ortus est: tum quæ nobis sinistra sunt, ea superis dextra demitti creduntur. Vide Plutarch. Quæst. Rom. 78. *Pont.*

50 *Linguave*] Per linguam avis, intellige oscines; id est, aves quæ voce augurium faciunt. Per ' pennam' autem designat præpetes, quæ volatu dabant auguria. *M.*

53 *Quæ quoniam vera est*] Pr. Polit. pr. Vatic. pr. Pal. et Rottendorph. *rata est:* in Vatic. pro *est* erat emen-

datum *sunt;* vere: alter Palatinus *rata sint.* Supra Elegia prima, ‘ Quæque vovet, rata sint.’ Epist. Paridis, ‘ Quæ rata sint, nec te frustra promiserit opto.’ Met. IX. ‘ rata sint sua visa precatur:’ sic et passim alibi. *Heins.*

56 *Studiis meis*] *Studio meo* scripti. *Idem.* *Lumen*] Famam et gloriam.

57 *Artes severæ*] Vel philosophiam dicit, vel ingenuas disciplinas et studia eloquentiæ.

58 *Dissimiles illis*] Quia nostræ artes non sunt severæ.

59 *Scis artibus illis*] Libris de Arte amandi. Eodem modo excusat se lib. II. ad Augustum: ‘ Crede mihi distant mores a carmine nostro. Vita verecunda est, Musa jocosa mea est.’ Sic et Catullus: ‘ Nam castum esse decet pium poëtam Ipsum, versiculos nihil necesse est.’

65 *Qua potes excusa*] Multi veteres *Quam potes:* de quo Remed. Amor. vs. 325. dixi; malim etiam *amicam causam* quam *amici.* Sic ‘ amicum nomen’ Art. Am. I. 585. ubi plura: et ‘ amica lima’ Pont. II. 4. Sic ‘ ungues amici’ Juvenali Sat. v. ex antiquis codicibus, ‘ custos affixus ibidem, Qui numeret gemmas unguesque observet amicos;’ ubi *acutos* nunc legitur: ‘ fessos opibus solatur amicis’ apud Maronem Acestes, Æneid. v. et ibidem ex vetustissimo codice Mediceo, ‘ Emicat Euryalus, et munere victor amico Prima tenet:’ et ‘ dictis solatur amicis’ eodem libro. *Heins.*

ELEGIA X.

1 *Minervæ*] Minervæ simulacrum navis insigne et tutela. Solebant enim in navibus Dii pingi, ut Minerva, Apollo, et alii, in quorum tutela esse navem volebant. Non esse idem παράσημον et tutelam navis, et in hac Ovidiana navi, tutelare numen fuisse Minervam, ex consuetudine puppi impositam: galeam autem Minervæ, insigne seu παράσημον navis. *Tutela Minervæ*] Continet hæc Elegia breve quoddam Hodoiporicum, sive Itinerarium Poëtæ, non quidem totius profectionis ejus a Roma in Pontum, sed quantum ejus ab Hellesponto ad locum exilii reliquum fuit. Orditur autem a laude navis ejus. Ac Merula in ea opinione est, ut putet de duabus intelligendum esse; ego de una, eaque sola navi, qua Poëta e portu Corinthi in Thraciam usque delatus fuerit, quæ deinde per angustias Hellesponti in Propontidem, indeque rursus per Bosphorum Thracium in Pontum, atque ita sinistro mari Tomon abierit. Versus autem de duabus navibus supra citatos metaphorice accipio, ut puppis altera pro cursu, serie, itinere terrestri ponatur, eo scilicet de quo ipse infra dicit, ‘ Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos,’ &c. Nam et alibi de diversis profectionis suæ viis meminit.

2 *Et a picta casside nomen habet*] A galea quam illa armata gerit, galeata appellatur Minerva. Verbum *habet*, non ad Minervam, sed ad nomen navis, referendum videtur: ut intelligamus ipsam navem, a picta galea, κορυθαίολον, aut simili aliquo cognomine, appellatam fuisse.

8 *Nec sævis victa madescit aquis*] *Icta fatiscit* duo veteres; quod et in Erfurtano Zinzerlingus invenerat: multi alii *icta madescit;* minus bene. Vale-

rius Flaccus de Halcyonum nido lib. I. ‘ Icta fatiscit aquis donec domus, haustaque fluctu est.’ Dubito tamen an non et illic *Victa* sit legendum. Certe apud Maronem lib. I. ‘ Jam validam Ilionei navem, jam fortis Alethæ, Vicit hyems.’ Tibullus Eleg. I. 6. ‘ Heu canimus frustra : nec verbis victa fatiscit Janua ;’ sic codices duo vetusti, non *patescit.* Virgil. Æn. I. ‘ laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.’ Idem Æn. x. ‘ saxis solida æra fatiscunt. *Heins.*

9 *Primum mihi cognita terris*] Nam Peloponnesus, auctore Plin. l. IV. 4. jacet inter duo maria, Ægeum et Ionium, platani folio similis propter angulosos recessus. Angustia, unde procedit, Isthmos appellatur. In eo loco erumpunt e diverso, quæ dicta sunt maria: Corinthiacus hinc, illinc Saronicus appellatur sinus. Lecheæ hinc, Cenchreæ illinc, angustiarum termini longo et ancipiti navium ambitu. Sed tamen et *terris*, non usque adeo incommode legetur, pro *oris* scilicet acceptum. In *Cenchris* autem etiam figura Synizesis admittenda est: ut *Cenchreis* trisyllabum pro dissyllabo in scansione veniat. *Mer.*

12 *Palladio numine tuta fuit*] Imo *fugit* cum melioribus. *Heins.*

13 *Secet ostia Ponti*] Ostia sunt aditus fluminum in mare. *P.*

15 *In mare*] In Hellespontum. Nam mare alia aliis cognomina accepit. Ubi enim primum se coarctat, Hellespontum vocamus. Ubi se expandit, Propontis dicitur. Ubi iterum se pressit, Thracius Bosporus. Ubi iterum se effundit, pontus Euxinus. Qua paludi committitur, Cimmerius Bosporus.

17 *Fleximus in lævum cursus*] Ex Hellesponto in Propontidis sinistram partem navigationem fleximus. *Ab Hectoris urbe*] Id est, Ilio, quæ ex Ægeo Hellespontum ingredientis erat a dextra, ut sit sensus: Quum primum in Ægeo adhuc navigans habui Ilium a fronte, flexi iter in lævam partem, ubi erant loca illa, quæ statim subjungit. Cæterum illud ausim affirmare, aut carmina aliqua deesse, aut hanc navigationis descriptionem falsam esse. *Mer.* Micyllus dubitat num idem locus de Lemno potius accipiendus sit, cujus regem aliquando fuisse Actorem Hyginus dicit. Ut sit sensus : Postquam ad Hellespontum venimus, in lævam fleximus cursum : et ab Actoris urbe, id est, insula Lemno, in Imbrum (hanc enim per Imbriam terram accipio) proxime navigavimus, inde in Samothraciam, &c.

18 *Imbria terra*] Terram Imbriam eam dicit, quam Selimbriam Plinius, Ptolemæus, cæterique appellant : illa enim et Pirinthus in Propontidis litore fuere. Nisi malis intelligere, illum non ingressum fuisse Hellespontum, sed Ægeum ei vicinum appellasse Hellespontum, ut diximus.

19 *Zerinthia litora nacta*] *Nacti* pr. Vatic. *nactis* Junianus ; hoc est, postquam nacti sumus. Unus *vecta.* Combianus pro diversa lectione *natat.* Heins. *Zerinthia*] Id est, ipsius Thraciæ : nam in Thracia Zerinthum fuisse, scribit Lycophron, sacram Hecatæ. Fuit et Zerinthus in Samothrace insula, unde fortasse regioni nomen dedit Ovidius.

20 *Threiciam Samon*] Samothraciam insulam in mari Ægeo circa Thraciam.

21 *Saltus ab hac contra*] *Ab hac terra* plerique veterum ; quod amplector : nisi quod *ab hac ora* rectius scribetur. Pro *Tentyra* veteres plerique *Epira* vel *Empyra.* Combianus pro diversa lectione *Tempyra ;* quomodo et duo alii : recte. Livius lib. XXXVIII. 41. ‘ Inde Æniorum fines, præter Apollinis, Zerynthium quem vocant incolæ, templum, superant. Aliæ angustiæ circa Tempyra excipiunt, (hoc loco nomen est,) non minus confra-

gosæ.' Facessat ergo Ortelius, qui cum Merula *Stentora* emendandum censet. Arondel. *Temcira.* Heins. *Saltus brevis*] Trajectus non longus. *Mer.*

23 *Nam mihi Bistonios*] E Samothracia digressuræ erant duæ naves: quarum altera, quæ Ovidium vehebat, sinistrum Propontidis cursum, altera vero dextrum tenuit. *Bistonios campos*] Threicium littus. *Pede*] Velo: pars pro toto. *Mer.* *Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos*] Hunc locum Merula, cum sententiæ suæ de duabus navibus, de qua a principio meminimus, repugnare videret; 'pedem' pro fune, quo vela navium reguntur, 'campos' autem pro æquore sive mari, exposuit. At si alteram expositionem recipias, de una navi, eaque sola quæ Poëtæ fuit, qua in hoc loco relicta, in terram egressus ille, reliquum iter, aut partem saltem, per Thraciam itinere terrestri fecerit: sua ac propria significatio verbis manet, neque versus ipse quicquam difficultatis habet.

24 *Hellespontiacas illa reliquit aquas*] Non parum difficultatis etiam hic versus habet, præsertim in verbo *reliquit.* Nam quo modo dicamus navem, quæ Dardaniam petebat, in ipsis faucibus Hellesponti sitam, Hellespontum reliquisse? Aut igitur dicamus, deesse loco huic aliquid; vel pro verbo *reliquit*, *relegit*, aut simile aliquid, reponendum esse; ut sit sententia: Ego quidem per campos Bistonios proficisci deinceps constitui: illa autem (navis scilicet) Hellesponti relegit sive repetivit aquas, transeundo scilicet dextrum latus, et petendo Dardaniam in ipsis faucibus sitam, &c. Aut certe Hellesponti nomen ita accipiendum, ut eam tantum maris partem significet, quæ citra fauces est. Et sic recte intelligitur reliquisse Hellespontum navis, quæ, eo jam superato, ipsas fauces ingressa fuit. *Micyll.* *Illa reliquit aquas*] Medonianus *relegit.* Puto *peregit;* aut quid simile: nam quomodo reliquit Hellespontum, quæ Dardanium et Lampsacum et Abydum in ipsis Hellesponti faucibus sitas aditura sit? *Heins.*

25 *Dardaniamque petit*] Dardania urbs fuit in litore Hellesponti sita. Nam post Abydum promontorium est Dardanium, et civitas Dardana, 70. stad. ab Abydo distans. *Petit* autem pro petivit ultimam producit, ut verba omnia syncopam habentia. *Auctoris nomen*] Nomen Dardani, Jovis filii, qui eam condidit.

26 *Et te ruricola Lampsace*] Lampsacum etiam pervenit ab urbe Dardania. Fuit autem Lampsacus urbs insignis ad mare sita, quæ portum optimum habuit: prius Pitiusa vocabatur. Per Deum autem ruricolam Priapum intellige: qui vir fuit ex Lampsaco urbe Hellesponti: de qua pulsus, propter obscænitatem. Vocat autem Deum ruricolam, quoniam in hortis colitur.

27 *Per angustas undas*] Vastum enim mare præjacens Asiæ, et ab Europa porrecto Chersonesi littore expulsum, angusto meatu irrumpit in terras, septem stadiorum intervallo Europam discludens Asiæ; hasque angustias Hellespontum vocant. *Vectæ male virginis*] Helles, quæ hausta fluctibus periit.

28 *Seston Abydena*] In Europa enim Seston urbem, in Asia Abydon fuisse, scribit Plinius. In medio vero utriusque urbis Hellespontus fuit.

29 *Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris*] Puto scribendum *Propontiacis surgentem Cyzicon:* nam in edito colle sita erat. Val. Flaccus lib. II. 'Nec procul ad tenuis surgit confinia ponti Urbs placidis demissa jugis: rex divitis agri Cyzicus.' Sed et Apollonius Rhodius in ejus descriptione, *Ἔστι δέ τις αἰπεῖα Προποντίδος ἔνδοθι νῆσος, Τυτθὸν ἀπὸ Φρυγίης πολυληΐου ἠπείροιο Εἰς ἅλα κεκλιμένη, ὅσσον τ' ἐπιμύρεται ἰσθμὸς, Χέρσῳ ἐπιπρηνὴς καταειμένος· ἐν δέ οἱ ἀκταὶ Ἀμφίδυ-*

μοι, κεῖνται δ' ὑπὲρ ὕδατος Αἰσήποιο. Recte autem addit *Hæmoniæ gentis opus;* nam ab Æneo Thessalo Cyzici patre exstructam fuisse nos docet Scholiastes Apollonii. Posset et *vergentem* legi in Nasone. Nam declivem Valerius describit. *Heins.*

30 *Cyzicon Æmoniæ nobile*] Cyzicon oppidum fuit ad Propontidem: quod, ut Florus scribit, fuit nobile arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis: Asiaticæ plagæ littora lustravit. *Mer.* In hac urbe fuit religiosum magnæ matris delubrum. *Ciof.* *Gentis*] Gentis Thessalæ, propter Cyzicum Thessalum, et Minyarum unum, ut diximus. Minyæ enim familia fuit, quæ olim Orchomenon in Bœotia tenuit. Postea in Thessaliam migravit ad Iolcum. Unde Argonautæ oriundi sunt. *Mer.* *Cyzicon Æmoniæ*] Cyzicum, Æmoniæ gentis, hoc est, Thessalorum opus vocat, non quod Cyzicus ipse ex Minyis sive Thessalis unus fuerit, sed quod pater Cyzici Æneus Thessalus natione fuit.

31 *Quæque tenent Ponti Byzantia littora fauces*] A Cyzico se deinde venisse dicit ad Thracium Bosphorum, in cujus littore sinistro in Pontum Euxinum navigantibus erat Byzantium, urbs cum natura loci munitissima, tum ad fertilitatem omnium rerum opportunissima.

32 *Gemini maris*] Propontidis et maris Euxini: inter quæ maria sunt fauces, quæ Thracius Bosphorus appellantur.

33 *Propulsaque fortibus Austris*] *Flatibus Austri* veteres magna ex parte. Medonianus *flatibus Austris.* Scribe *flantibus Austris:* ut apud Statium Theb. XI. ' ceu circumflantibus Austris Alternus procumbit ager.' Si quis *flatibus Austri* malit, ecce paria Met. VII. ' Lethiferis calidi spirarunt flatibus Austri;' ita enim codices nonnulli antiqui. Lib. XI. ' Auster et ingenti jactatam flamine solvit.' Cicero Cornificio Epist. lib. XII. ' Auster adversus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit.' *Heins.*

34 *Instabiles Cyaneas*] In Ponto duæ sunt, mille et quingentis passibus ab Europa, quatuordecim millibus ab ostio, Cyaneæ, ab aliis Symplegades, id est concurrentes, appellatæ: traditæque fabulis inter se concurrisse, quoniam parvo discretæ intervallo, ex adverso intrantibus geminæ cernebantur. *Cyaneas instabiles*] Redibis ad Not. Epist. XII. vs. 121.

36 *Alta sub Anchiali mœnia findat iter*] *Tendat iter* sex meliores. Pro *Alta* primæ editiones, pr. Polit. pr. Vatic. pr. Pal. et tres alii, *Vecta;* septem *Apta;* quinque *Acta;* unus *Antra;* alius *Arcta.* Latet mendum. Forte *Lecta;* ut ' legere littus.' *Heins.* *Sub Anchiali mœnia*] Anchiala, seu Achialia, seu Anchialos, castellum fuit ab Apolloniatis conditum, quæ et Pollonia dicebatur. Fuit autem in ora Getici littoris.

37 *Inde Mesembriacos portus*] Ab Anchialo, inquit, navis mea in portum Mesembriacum perveniat. Mesembria enim, Megarensium fuit colonia: quam antea Menebram vocabant. *Et Odesson*] Ita appellant eam urbem, Milesiorum coloniam.

38 *Dictas nomine Bacche tuo*] Dionysiopolim dicit, quæ urbs fuit in eadem ora.

39 *Et quos Alcathoi*] Calatim urbem videretur designare Poëta, quæ in littore Getico sita, antea vocabatur Acervetis. *Alcathoi mœnibus*] Septem *Alcathoës;* de qua dictum Art. Amat. alii *Alcathois.* Heins.

40 *Profugos constituisse larem*] *Lares* plurimi veterum. Sed lego *profugum larem.* Met. IV. ' Hac Tyron, hac profugos posuistis sede penates.' *Idem.*

41 *Ad urbem Miletida*] Ad urbem Istropolim, a Milesiis conditam. Ea autem a sacro Istri ostio occurrebat ad stadia quingenta. Inde dextror-

sum habenti littus fuit Tomos oppidulum alterum, ad 250. stadia: de quo hic magis placet intelligas, quam de Istropoli. Nam ejus exilii locus fuit Tomos, non Istropolis. *Mer.* *Miletida*] Tomi enim Milesiorum colonia. Ex hoc carmine conjicio, Ovidium hanc suam et a se tam laudatam navem rursus conscendisse. Quorsum enim optaret, ut sospes Tomos contingeret? *Pont.* *Miletida urbem*] Malo *Milesida;* nam a Mileto Milesius deducitur. *Heins.*

42 *Contulit ira*] *Compulit* ex quinque scriptis: et sequenti versu *contigerit* pro *contigerint*, probe, complures. Quidam *Hoc* vel *Hic.* Lege, *Hanc si contigerit.* Idem.

43 *Cadet agna Minervæ*] In Metamorph. IV. vaccam Minervæ solitam mactari ait. Sed jam cum in exilium proficisceretur, eam pecuniæ vim qua vaccam emere posset non habebat: ideo agnam offert, utpote cujus beneficio salvus eo pervenerit. *Ciofan.*

45 *Vos quoque Tyndaridæ*] Castor et Pollux, numina nautica. *Mer.*

47 *Symplegadas ire per altas*] Uterque Politiani, prim. Vatican. multique alii *per arctas,* optime. Priscianus Periegesi, 'hic sunt Symplegades arctæ:' et postea, 'E regione jacet locus hic Symplegados arctæ.' Seneca Hercule Furente, 'quæ pontum Scythen Symplegas arctat.' Statius Theb. V. 'ora Cyaneis arctata vadis.' Sequenti versu *Bistonidas aquas* pro *Bistonias* primus Vaticanus. Sic lib. II. 9. 'Bistonis ingenio terra superba tuo est.' Adi Notas Art. Amat. lib. I. 172. Mox malim *loca cum diversa petantur,* quam *petamus.* Heins. *Symplegadas ire per arctas*] Redibis ad Not. Epist. XII. vs. 121.

ELEGIA XI.

3 *Aut hæc me, gelido tremerem cum mense Decembri*] *Hanc* meliores. *Decembris* etiam pr. Vatic. Barberin. et Rottendorph. Lege *gelidi Decembris:* sic lib. II. bene codex vetus, 'Talia luduntur fumosi mense Decembris;' ubi *fumoso Decembri* nunc circumfertur. *Heins.*

4 *Adria*] Mare Adriaticum, ita appellatum ab Adria urbe Illyrico mari proxima. Vide Plinium lib. III. 16.

5 *Bimarem Isthmum*] Peloponnesi Isthmum, qui alluitur mari Ægæo et Ionio. Isthmus autem dicitur ea terræ angustia, quæ inter duo maria iter porrigit ad Cherronesum, ut diximus.

6 *Nostræ fugæ*] Mihi in exsilium proficiscenti. *Ciofan.*

8 *Cycladas Ægeas obstupuisse puto*] Cyclades insulæ sunt in mari Ægæo, quas duodecim tantum fuisse scribit Strabo. Dictæ autem sunt, quod circa Delum, in cyclon, id est, in orbem, sitæ sunt: ut Plinius scribit. *Mer.*

10 *Ingenium non cecidisse*] Ingenio nihil perniciosius mœroribus et angoribus, quibus illius vis omnis exeditur. *Pont.*

13 *Nimbosis ab hædis*] Ab hædis nimbum et tempestatem inducentibus: hi autem in ortu et occasu tempestatem pluviamque faciunt.

14 *Sæpe minax Steropes*] Pleiades

intelligit. Fuit autem Sterope una ex septem Pleiadibus, quæ fuere filiæ Pleiones et Atlantis. Hæ Vergiliæ a nostris appellantur, quod in vere oriuntur.

15 *Custos Erymanthidos ursæ*] Arctophylaca intelligit, in cujus zona est stella Arcturus, cujus ortus et occasus tempestates gravissimas facit.

16 *Aut Hyadas seris hauserat Auster aquis*] *Auxerat* libri nonnulli; sed frustra. Videtur enim ad nomen Austri alludere. Statius de tempestate Theb. IX. ‘ cum Pliadas haurit, Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.’ In Catalectis Pithœi, ‘ At Notus e medio solis dat flamina cursu, Austrum rite vocant, quia nubila flatibus haurit.’ Pro *seris aquis* plerique veteres, meliores certe, *sævis*. Scribi aliquando placebat, *Aut hyadas pluviis hauserat Auster aquis;* sive *auxerat*. Sic Arte Amat. ‘ Et tepidus pluvias concitat Auster aquas.’ Hinc ‘ pluviæ Hyades’ Senecæ Medea : ‘ nondum pluvias Hyadas poterat vitare ratis :’ ita optimus Mediceus ; quomodo viri docti conjecerant : nam Hyades ἀπὸ τοῦ ὕειν dictæ. Noster in Fastis, ‘ Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.’ Sed et ‘ sævæ aquæ’ pro procellosis ; hinc ‘ nimbosa Hyas’ Claudiano ; ‘ Hyas inserena’ dicta Statio. Sic præcedenti Elegia de nave, ‘ nec sævis victa fatiscit aquis.’ Sic et ‘ sævi venti,’ ‘ turbines,’ ‘ procellæ sævæ’ ac ‘ tempestates’ apud Poëtas passim. Putabam aliquando *paverat auster :* Rutilius sub finem lib. I. de Oceano, ubi et Hyadum mentio, ‘ Sive alio refluus nostro colliditur orbe, Sive corusca suis sidera pascit aquis.’ *Heins.* *Aut Hyadas sævis hauserat auster aquis*] Tauri caput conspersum est stellis frequentibus, quas stellas Græci Hyadas vocitare consueverunt, a pluendo. Vide Gellium lib. XIII. 9. *Mer.* *Hauserat aquis*] Pro exhauserat, et quasi evacuaverat aquis, ὑπερβολικῶς. Aut certe καθ' ὑπαλλαγὴν, ut sit dictum pro, Hyades hauserant, hoc est, attraxerant et concitarant austrum et pluvias. *Micyl.*

19 *Contenti strident Aquilone rudentes*] *Stridunt* meliores ἀρχαϊκῶς. Fast. VI. ‘ Causa, quod horrenda stridere voce solent.’ *Distenti* etiam *rudentes* est in Barberiniano : et mox tres codices *cumuli*, pro *tumuli*. Heins.

23 *Quocunque aspexi*] *Aspicio* nonnulli. Forte *aspicias ;* ut supra Notis ad Eleg. II. 23. *Idem.*

31 *Barbara pars læva est*] Designat Thraciæ littus, quod Ponto alluitur : quod scribit Strabo desertum esse, petrosum, importuosum. *Mer.* *Avidæ substracta rapinæ*] Alii leg. *Avidæ submissa, &c.* dedita et quasi mancipata. *Bersman.* *Barbara pars læva est*] Intelligamus, hanc Elegiam statim post superiorem scriptam, cum ex Samothracia ipsam Thraciam veheretur Poëta : Barbarosque dici eos, qui in ora Thraciæ ad lævam habitarint. Aut certe, ut ponamus, per Thraciam parte saltem aliqua fecisse pedibus iter Poëtam, posteaque ad navem reversum : atque ita tamen Elegiam hanc scripsisse. *Micyl.* *Avidæ substructa rapinæ*] Uterque Palatinus multique alii, *substrata :* pr. Vatic. atque septem præterea *subtracta :* totidem *subjecta*, ut forte sit scribendum *avidæque objecta rapinæ*, vel *instructa*. Heins.

36 *Si spe sint, ut sint*] *Si spe sunt, ut sunt*, meliores : et mox *scripsimus*, pro *scribimus*. Puto, *Si spe sunt, ut erunt, inferiora tua*. Infra, ‘ Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis.’ *Idem.*

38 *Nec consuete meum lectule corpus habes*] Antiqui, meditationi aut scriptioni operam daturi, in lectulis suis lucubratoriis se componebant. *Pont.*

44 *Modum carminis*] Finem scribendi. *Illa sui*] Illa hyems statuat modum sui, id est, desinat sævire.

TRISTIUM LIB. II.

5 *Cognoscere vellet*] *Vellent* meliores; nisi quod in Hamburgensi *velles:* quinque alii *possent*. Proximo versu pro *meo* reponendum *mea*, videlicet carmina; atque ita Puteaneus codex. Patavinus *meæ*. Distichon hoc, ne quid dissimulem, genuinæ notæ non esse habeo persuasum. *Heins.*

8 *Jampridem invisa*] *Jampridem visa* multi veteres: quatuor meliores *Jam demum visa;* quod sequor. *Idem.*

11 *Hoc pretium vitæ*] *Curæ* rectius unus Bononiensis, Arondelianus, et tres alii pro diversa lectione; nam 'vitæ' præcesserat paulo ante: neque aliter Bersmanni liber. Infra, 'Hoc pretium curæ dulce recentis erat.' Atque ita jam in notis suis meus parens. *Idem.* *Hoc precium vitæ*] Hoc præmium vitæ anteactæ: quod scilicet pœnam ingenio reperi. *Mer.*

14 *Cultori suo*] Mihi Ovidio, qui eas colui ac sectatus sum. *Ciofan.*

16 *Saxa memor refero rursus ad icta pedem*] *Malum pedem* meliores magno numero: alii non pauci *meum*. 'Pes malus' pro læso pede. Art. Am. III. quamquam diverso sensu, 'Pes malus in nivea semper celetur aluta.' Pro *Icta* duo veteres *Acta*. Lege *Saxa ista;* designat studium poëticum. Pro *refero* malim etiam *referor;* ut sit Græcismus. Præterea unus Vaticanus pro diversa lectione, *Læsum saxa pedem rursus ad icta fero;* ut fortassis sit scribendum, *Saxa malum referor læsus ad ista pedem*. Heins.

17 *Scilicet ut victus*] Rectius *et* cum uno Bononiensi; et tum distinctio mutanda. *Idem.*

19 *Teuthrantia regna*] Mysiæ regna, quæ tenuit rex Teuthrantus: qui virili stirpe carens, Argiopen filiam Telepho despondit, eumque reliquit regni successorem.

20 *Feret*] *Ferat* duo veteres; et *leniat*. Heins.

21 *Musaque quæ movit*] *Quam* meliores. *Idem.*

24 *Carmina turrigeræ*] De Ope Saturni conjuge intelligas, de qua ita scribit Macrob. Opem Saturni conjugem crediderunt, et ideo eodem mense Saturnalia et Opalia celebrari consueverunt; quod Saturnus ejusque uxor tam frugum quam fructuum repertores esse credantur. Itaque omni jam fœtu agrorum coacto, ab hominibus hos Deos coli, quasi vitæ cultioris auctores, et Terram, *Opem*, cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur. Huic Deæ sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes ipsam matrem terram esse mortalibus appetendam. *Turrigeræ Opi*] Opi coronam turritam gerenti. Ea enim est terra, ut diximus: cui superpositæ sunt civitates, quas insignitas turribus constat, ut etiam Servius scribit. *Mer.*

25 *Jusserat et Phœbo dici*] Seculares ludos designat, qui fiebant post centum annos. Horat. in carmine, quod de Secularibus ludis cantatum est, id tempus hoc modo designavit: 'Certus undenos decies per annos

Orbis et cantus, referatque ludos Ter die claro, totidemque grata Nocte frequentes.' Quibus versibus patet, Seculares ludos centesimo decimo anno fieri solitos. Ludi autem celebrabantur omnibus theatris omnium generum, et sacrificia templis omnibus fiebant noctu pariter atque interdiu. Primus autem Valerius Publicola consul post reges exactos Seculares ludos instituit. *Mer.* *Jusserat et Phœbo dici*] Canebatur carmen sæculare Apollini et Dianæ tanquam Diis ἀλεξικάκοις et ἀποτροπαίοις, malorum depulsoribus. *Pont.* *Quo tempore ludos Fecit*] Ludos sæculares intelligit, qui Dione teste lib. LIV. anno U. C. DCCXXXVI. quinto celebrati sunt. Alludit autem hoc loco Poëta ad præconis consuetudinem, qui convocato ad horum ludorum spectacula populo, ita dicebat: Hos ludos qui facturi sunt, nemo vestrum vidit, nec visurus est.

28 *Ab ingenio meo*] Erga me virum ingeniosum. *Ciofan.*

35 *Nunc ubi*] *Hic ubi* plerique. *Heins.*

40 *Utere more Dei*] More Jovis post tonitrua serenitatem inducentis; ex quo latenter reditum precatur. *Nomen habentis idem*] Perperam in multis, *numen.* Fast. I. ad Augustum, 'Quod tu per terras, hoc in æthere Jupiter alto, Nomen habes: hominum tu Pater, ille Deum.' *Heins.*

43 *Tu veniam parti superatæ sæpe dedisti*] Nam Tranquillus ita scribit in Augusto: 'Clementiæ civilitatisque ejus multa et magna documenta sunt, ne enumerem quot et quos diversarum partium venia et incolumitate donatos, principem etiam in civitate locum tenere passus sit.'

46 *Vidi qui tulerant in caput arma tuum*] Consule Sueton. in vita Aug.

49 *Quod vicerit hostem*] Rectius alii *quia.* Vide Notas Trist. lib. I. 1. 65. *Heins.*

50 *Sic victum cur se*] Sic hostis tuus cognoscit se victum justa de causa. *Mer.*

53 *Per tertia numina*] Per aquas. Potius cælum intellige. *Ciof.*

62 *Plenos nominis esse tui*] Duo veteres *numinis,* cum 'vestri præconia nominis' paulo post iterum sequatur: vel *tanti nominis,* ut Gottorphianus. *Heins.*

63 *Inspice majus opus*] Aspice Metamorphosin.

65 *Invenies vestri, &c.*] Laudat in Metamorphosi, et in calce potissimum, Julium Cæsarem et Augustum.

69 *Fama Jovis superest*] Nihili hæc sunt. Puto scribendum esse *Fama Jovi par est.* Cum Jove enim Cæsarem confert non raro, ut paulo ante jam partim vidimus. Simile mendum Gratii codices insedit, ubi legendum 'Vix oneri par illa suo,' pro *super.* Apud Statium de Melampo, 'Seque oneri negat esse parem.' Val. Flaccus lib. I. de Hyla, 'Velit ille quidem: sed dextera nondum Par oneri, clavæque capax.' *Heins.*

72 *Credibile est lætum*] *Alacrem* Combianus. *Idem.*

73 *Te celebrant alii*] Maronem inprimis designat. *Mer.*

78 *Delicias meas*] Vel libros Amorum, vel certe amatoria præcepta intellige.

79 *Carmina ne nostris sic te venerantia libris*] Plurimi veterum *quo te venerantia,* vel *quæ,* vel *quoque.* Sed meliores *quæ.* Nonnulli etiam, pro *ne, nunc* agnoscunt: et sequenti versu *Indicio* pro *Judicio;* et *possunt* pro *possint.* Sed quo te vertas, omnia subobscura sunt. Quare et hoc distichon inter spuria numeretur. *Heins.*

81 *Esse sed irato*] Ostendit latenter multos, et eum potissimum qui legit ejus delicias Cæsari, fuisse sibi iratum, propterea quod sciebat eum esse Augusto infestum. Vel certe dicit se omnibus fuisse invisum, posteaquam ejus carmen damnavit Augustus.

86 *Ipsa suo quædam pondere tracta ruunt*] *Quondam* meliores: de quo vide notas ad Epist. XVII. 71. Deinde *tecta* sex libri; quod sequor. Etsi hoc distichon etiam sit ex suspectis, quod versibus duobus superioribus jam sit complexus ea, quæ hoc continentur. *Heins.*

89 *At memini vitamque meam*] *Mei* in plerisque scriptis. Vulgata lectio defendi potest ex illis quæ notamus ad Epist. V. 45. *Idem.*

90 *Prætereuntis equo*] Probasse mores ipsius argumento esse ait, quod ab eo, ut Censore, equo donatus sit. Loquitur autem de equo transvectionis. Dionysius lib. VI. scribit, in honorem apparitionis Castorum, ejusque victoriæ, quæ ad lacum Regillum parta est, equis sedentes transvehi, incipientes a templo Martis extramurano perrexisse per forum, juxta ædem Castoris. Fiebat autem hæc transvectio Idib. Quintilibus, quo die apud lacum Regillum prospere pugnatum est, Castore et Polluce auxiliantibus. In transvectione autem equites vehebantur coronati olivarum ramis indutique trabeis puniceei coloris, secum gestantes ornamenta præmiaque omnia fortitudinis, quæcumque in præliis ob rem bene gestam a ductoribus suis accepere.

91 *Quod si non prodest*] Hic denuo grassatus est interpolator nescio quis. Certe versus hic cum sequenti semibarbarus est. Pro *gloria* quatuor scripti *gratia*; quod præstat. Pro *crimen adeptus*, quod Latinum vix est, forte *adortus* est scribendum; ut apud Virgilium, 'Simulato numine Bacchi Majus adorta nefas;' ubi tamen *adorsa* in nonnullis scriptis, sed meliores pro vulgata stant. Pont. lib. II. 2. 'Est mea culpa gravis, sed quæ me perdere solum Ausa sit, et nullum majus adorta nefas;' ita libri veteres. Sic 'maris æquor adorti' Val. Flacco lib. I. et 'tantum æquor adorti' lib. IV. Sed ne sic quidem hoc distichon genuinum esse ausim asseverare. *Heins.*

93 *Nec male commissa est*] His duobus versibus designat se Poëta centumvirum fuisse. In eo enim judicio causæ testamentariæ, et hæreditariæ, criminalesque etiam audiebantur. Centumviri autem a numero virorum dicebantur. Nam quum Romæ essent quinque et triginta tribus, terni ex singulis tribubus eligebantur ad judicandum: et licet quinque supra centum fuerint, tamen, ut facilius nominarentur, centumviri sunt dicti. Eorum vero judicium 'centumviralis hasta' nominabatur: quod posita in foro hasta, centumviri judicabant. *Fortuna reorum*] Sors eorum, qui centumvirali judicio subjiciebantur.

94 *Usque decem decies*] Tò *Usque* frivolum et otiosum hoc loco. Duo veteres *Utque*; unus *Vixque*. Scribe omnino, *Lisque decem decies inspicienda viris*. Centum viros litibus judicandis designat. Ne dubita de hac restitutione. *Heins.*

95 *Res quoque privatas statui*] Hic Ovidius videtur ostendere, se ex quarta decuria judicem, hoc est, triumvirum electum, judicasse de levioribus summis. Per centumvirale judicium docet, se judicia publica: per privatas vero causas, privata etiam judicia triumvirum exercuisse.

99 *Ultima me perdunt*] *Produnt* unus Gallicus. Sic infra hoc ipso libro Combianus, 'Prodiderint cum me duo crimina.' *Heins.*

103 *Cur aliquid vidi*] De causa relegationis Ovidii multi multa scripsere; in quibus non deest, qui credat eum vidisse ejus incestum cum filia Julia. Et crebrius et gravius hanc noxam deplorat, quam illam alteram, cui stultitiæ nomen imponit. *Pont.*

104 *Cur imprudenti cognita culpa mihi est*] *Cognita causa* veteres octo; ut cognitor in causa aliqua fuisse videatur, et hoc etiam nomine offenderit Augustum. Fast. V. 'Non satis

est liquido cognita causa mihi.' *Heins.*

106 *Non minus*] Puto *num minus:* de quo vide Notas ad Epist. XI. 19. Et *ipse*, pro *ille*, multi veteres. *Idem.*

109 *Illo nostra die*] *Namque die* multi; et rectius. Nonnulli etiam *meus error.* Idem.

113 *Notanda est*] Τὸ *est* puto delendum cum multis veterum. Deinde, pro *sit*, quidam *fit.* Idem.

114 *Unde sit in neutrum conspiciendus eques*] Auctor vitæ Pomponii Attici: 'Supellex modica non multa, ut in neutram partem conspici posset.' *Idem.*

115 *Vel censu*] Vel fortunis. Equestris census erat, quadringenta sestertia, hoc est, decem millia Philippeorum.

122 *Sed non exiguo*] *Sed tamen* pr. Pal. et duo alii. Lege, *Nec tamen.* Heins.

124 *Ematuruerit*] Matura facta fuerit, et lenita. Et Columella lib. VII. 'Et quum maturuit suppuratio, rescinditur ferro.' Vide Gell. lib. X. cap. 11.

126 *Ut fuerit nostro lenior ira metu*] *Lenior illa* meliores; recte: nam τὸ *ira* præcesserat, et proximo versu denuo iteratur. Leidensis etiam *Venerit ut nostro;* venuste. Vide Notas ad Fast. V. 648. *Heins.*

127 *Citraque necem*] Citra animadversionem in vitam et fortunas. *Bersm.*

130 *Tanquam vita parum muneris esset*] Laudat Cæsaris clementiam, cui vita Ovidio concessa parvum beneficium videbatur, nisi etiam illi fortunas suas concessisset.

132 *Selecto*] Fuerunt enim quatuor decuriæ judicum primo, pluribus discretæ nominibus. Namque aliæ tribunorum æris, aliæ judicum. Quidam nongenti, quidam selecti vocabantur. Plin. lib. XXXIII.

133 *Ita principe dignum*] *Dignum est* plerique; Buslidianus *a principe dignus.* Puto *ac principe dignis.* Heins.

135 *Quamvis immite minaxque*] *Immane* prim. Polit. et opt. Palat. bene. *Idem.*

137 *Quippe relegatus*] Relegare est, in insulam aliquem, vel in alium locum mittere. Differtque exilium, ut Jurisconsultis placet, a relegatione; quod exilium est perpetuum, relegatio fit ad tempus.

138 *Parcaque fortunæ sunt ibi verba meæ*] *Paucaque* quinque veteres: *Parvaque* pr. Vatic. et duo alii. Pro *ibi* plerique *tibi.* Quinque *sunt data;* ut Pont. II. 7. 'Verbaque fortunæ vix puto posse dari.' Pont. II. 1. 'Tandem aliquid pulsa curarum nube serenum Vidi, fortunæ verba dedique meæ.' Lib. V. 7. 'Experior curis et dare verba meis.' Sex *sunt tua verba.* Heins.

139 *Mentisque potenti*] Compoti mentis; cujus mens de potestate sua non exiit. Uti contra impotens dicitur, qui temperare affectibus non potest; quique animi commotiones in potestate non habet sua. Cic. ad Famil. Epist. IV. 9. 'Ferociores impotentioresque.' Cato, de præda militibus dividenda, non longe a principio: 'Domi victa libertas nostra impotentia muliebri.' Sic, 'Juno impotens:' 'Aquilo impotens,' qui sine more furit, Horat. Od. III. 30. 'Impotentia quædam animi a temperantia et moderatione plurimum dissidens,' Cic. Tusculanar. Epist. lib. IV. Et lib. V. 'Distrahuntur in contrarias partes impotentium cupiditates.' Πολλὰ δ' ἀτάσθαλ' ἔρεξα, βίῃ καὶ κράτεϊ εἴκων. Homer. Odyss. Σ. vs. 138. *Sanæ gravior mentique potenti*] *Sano* liber Strozzæ. Scribe *Sano mentisque potenti.* Seneca Thyeste, 'ferus ille et acer Nec potens mentis truculentus Atreus.' *Heins.*

145 *Sperabimus: atque Hoc unum fieri*] Lege, *Sperabimus æque:* nihilominus sperabimus: præter morem Ovidii in ultimo versu nova periodus incipit. Posset etiam legi *sperabimus*

usque. Paulo ante *sævi Jovis* castigatiores, non *sævo fulmine.* Idem.

147 *Mitissime Cæsar*] *Princeps* meliores: et sequenti versu *fata*, pro *facta*, cum Juniano ac Vossiano: alibi, 'Cum video quam sint mea fata tenacia, frangor.' *Idem.*

155 *Qui dant tibi longa dabuntque Tempora*] Scribe, *qui dent tibi;* quod augurantis et voventis est. Confirmat unus Vaticanus. Statius Sylvar. IV. 'At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi, Detque precor.' Noster Ponticis, 'Di tibi dent annos: a te nam cætera sumes.' *Idem.*

158 *Cujus et in populo*] *Ut in populo* multi veterum; vere: quod et in suis Zinzerlingus invenerat. Adi Notas lib. I. 1. 17. *Idem.*

161 *Livia sic tecum*] Liviam Drusillam dicit, quam Augustus repudiata Scribonia duxit uxorem. Eam a matrimonio Tiberii Neronis, et quidem prægnantem, abduxit, dilexitque et probavit unice, ac perseveranter, ut scribit Tranquillus. *Impleat annos*] Meliores *compleat.* Trist. IV. 'Et jam complerat genitor sua fata.' *Heins.*

165 *Sospite sic te sit natus quoque sospes*] Alii aliter. Vossianus *Sospite sic tecum sit natus sospes;* quod arridet. *Idem.*

166 *Imperium regat hoc*] Malim *Hoc regat imperium:* et mox cum Juniano *Utque tui faciunt;* non *Ut faciuntque tui.* Vossianus etiam bene, *Utque tui sidus faciunt juvenile nepotes.* Idem.

167 *Efficiantque tui*] Ordo est: Et tui nepotes, Caius scilicet, qui in Lycia periit, et Lucius, qui Massiliæ, ut alibi diximus. Appositive, sidus juvenile, efficiant, ut natus Tiberius eat in tua et parentis tui nomina: hoc est, te et patrem Julium imitetur. *Mer.*

168 *Per tua perque tui facta parentis eant*] Imo *sui parentis* cum tribus scriptis. Germanicum et Drusum filios Tiberii intelligit. Qui de Caio et Lucio interpretantur, jamdudum mortuis, toto cœlo aberrant. *Heins. Per tua facta, &c.*] Insistant avi et parentis tui vestigiis, imitando illorum facta. *Bersm.*

169 *Sic assueta tuis semper Victoria castris*] Victoria Dea fuit, quam Apuleius Metam. II. 'palmarem Deam' appellat.

170 *Nunc quoque se præstet*] Scribe *Huic quoque.* Tiberio nimirum blanditur, ut ex sequentibus satis apparet. *Heins.*

171 *Ausoniumque ducem*] Tiberium designat, qui nunciata Illyrici defectione, transiit ad curam novi belli, quod gravissimum omnium bellorum post Punica, per quindecim legiones, paremque auxiliorum copiam triennio gessit: quo temporis spatio domuit totum Illyricum: quas ob res triumphus ei decretus est, quem distulit, mœsta civitate clade Variana. Nihilominus urbem prætextatus et laurea coronatus intravit. Potes etiam intelligere (quod magis placet) Germanicam expeditionem, quam Drusus Tiberii frater, et Augusti privignus suscepit Augusti auspiciis, ut Florus scribit. *Mer.*

174 *Deosque tuos*] Apollinem, Julium Cæsarem, et cæteros Deos, Augusti familiares. Vel ἐκ παραλλήλου dictum, ut idem significet, auspicium et Deos tuos. *Mer.*

175 *Dimidioque tui*] Propter egregium amorem, quo ducem suum hunc Augustus diligebat, vocat ejus dimidium, ut Horat. Virgilium, dimidium animæ suæ. *Præsens et respicis urbem*] *Et respicis* quinque: *præsens et aspicis* sex: duo *præsentem respicis orbem:* unus *præsens hanc respicis.* Heins.

182 *Olim placandi spem, &c.*] Sensus est, Nec immemor hujus nominis, nec tolle spem mihi olim tui placandi; ut particula negandi bis repetatur: 'olim,' aliquando. *Ciofan.*

183 *Non precor ut redeam*] *Nec* meliores. *Heins.*

187 *Ultima perpetior*] Vitam extrema per omnia duco. *Medios ejectus in hostes*] *Projectus* sex veteres. Lib. III. 4. 'Fidam projecto neve negate manum.' Trist. v. 1. 'Sic ego Sarmaticas longe projectus in oras:' et sæpe alibi. Duo *ire actus*, pro *exactus*. Heins.

189 *Solus ad ingressus*] Imo *egressus*, quod plerique veteres agnoscunt: malim tamen *egressum*, ut κακοφωνία vitetur. *Heins. Septemplicis Istri*] Istri ortus est in Germania, qui per innumeras lapsus gentes, Danubii nomine, immenso aquarum auctu, et unde primum Illyricum alluit, Ister appellatur, sexaginta amnibus receptis, medio ferme numero eorum navigabili, in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur, quorum nomina Plinius ostendit lib. IV. sed plenius Herodot. *Ad egressus*] Ad ostia, per quæ Danubius in mare se exonerat.

190 *Parrhasiæ virginis*] Callistus ex Arcadia: quæ in ursam mutata a Jove, in Septentrione locata fuit: sic dicta a Parrhasia urbe Arcadiæ.

191 *Jazyges*] Jazyges populi fuere Scytharum, quos Plinius scribit campos et plana tenuisse. *Colchi*] Colchi, auctore Dionysio, fuere ad extremum Ponti, Caucaso monte adhærentes, olim ex Ægypto profecti: Colchos accipere etiam eos licet, qui Medeam fugientem persecuti, cum illam apprehendere non potuissent, circa Tomos et insulas Brigeidas consederunt. *Metereaque turba*] Aut urbem Metercam eam intellige, quam Ptolem. supra Thyram fluvium ponit, penes Daciam, et Metonium appellat. Aut certe Neurea, ut Neuros intelligas, apud quos oritur Borysthenes, ut est auctor Plinius. *Getæque*] Getas Strabo eos appellatos dicit, qui ad Pontum in orientem vergebant: Dacos vero, qui in oppositum versus Germaniam et ad Istri fontes, quos olim Davos vocatos fuisse arbitratur.

196 *Astricto gelu*] Cimmerius Bosporus, qui Asiam ab Europa separat, ita glaciatur, ut mare illud pedibus plerumque pervium sit, ut Plinius docet: quam glaciem dicit Poëta esse paulo ultra terras ad quas relegatus est. Vel certe intellige Ponti partem, quam brumali rigore durari diximus supra.

197 *Hactenus, &c.*] Usque ad Danubium: quem dicit esse terminum Romani Imperii. Vicina Basternæ et Sauromatæ hostes occupant. *Euxini sinistri*] Pontici maris: qui est a sinistra navigantibus ad Cimmerium Bosporum. *Pars est Romana*] Est ditionis Romanæ.

198 *Basternæ*] Basternæ populi fuere ad Oceanum septentrionalem versi. Eos Ptolemæus scribit fuisse in Sarmatia Europæ. Hos Tacitus Peucinos nominat, dubitatque Sarmatisne an Germanis adscribat. *Proxima tenent*] Tenent loca Istro vicina.

200 *Hæsit*] *Hæret* meliores. *Heins.*

202 *Pax quoque ademta*] *Demta* duo veteres; quod mollius. *Idem.*

203 *Non bene summovet*] Non bene arcet. *Mer.*

207 *Perdiderint cum me*] *Prodiderint* Combianus; de quo dixi supra vs. 99. *Heins.*

209 *Nam tanti non sum, renovem ut tua vulnera, Cæsar*] Duri præter morem Ovidianum numeri. Τὸ *ut* a multis abest veterum: quidam etiam *non sum tanti;* et *ut renovem.* Forte scribendum, *Nam tua non tanti est renovari vulnera, Cæsar;* vel *renoventur.* Idem.

211 *Turpi crimine lectus*] *Carmine factus* meliores magno numero. Malo, *turpi crimine tactus.* Hinc taxare et taxatores scenici dicti, quod alter alterum maledictis tangat. Vide Festum in *Taxat. Turpi crimine læsus* in Arondeliano. *Idem.*

217 *Ex te pendentem*] *A te* sex; totidem *In te;* nonnulli *De te.* Forte *E te.* Heins.

218 *Inferiora*] Ut fuere mea carmina de Arte amatoria.

223 *Advertere numen*] *Lumen* sex veteres; sed nil necesse. Seneca Thyeste, ‘Alpheus stadio notus Olympico Advertat placidum numen.’ *Heins.* *Lusibus ineptis*] Inepto carmine.

225 *Nunc tibi Pannonia est*] Natio ingens circa Istrum. Hi Pæones a Græcis, a Romanis Pannonii appellati fuere: et ab illis inter Illyrios numerabantur. Vide Florum. *Nunc Illyris ora domanda*] Post finem bellorum civilium Augustus, ut Florus docet, reliqua bella gessit adversum exteras gentes, qua districto circa mala sua imperio diversis orbis oris emicabant: nova quippe pax, necdum assuetæ frenis servitutis tumidæ gentium inflatæque cervices ab imposito nuper jugo resiliebant.

226 *Rhætica nunc præbent*] Rhæti ad Italiam usque pertinent, quæ supra Veronam et Comum est. *Thraciaque arma*] Thraces quoque cum cæteris desciverant: qui et signis militaribus, et disciplina, armis etiam Romanis assueti fuerant. Pausanias etiam scribit, nullam nationem, præter Galliam, Thracia majorem esse.

227 *Nunc porrigit arcus Parthus*] Augustus, auctore Justino, finito Hispano bello, in Syriam ad componendum orientis statum pervenit: metumque Phraarti injunxit, ne bellum Parthiæ vellet inferre. Itaque tota Parthia captivi ex Crassiano sive Antonii exercitu recollecti, signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed et filii nepotesque Phraartis obsides Augusto dati: plusque Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius Imperator facere potuisset.

230 *Bellaque pro magno Cæsare Cæsar habet*] *Obit* pr. Vatic. et optimus Palatinus. Livius lib. IV. ‘Quia duo Consules obire tot simul bella nequirent.’ Virgilius, ‘Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.’ Val. Flaccus lib. III. ‘duras obit horrida pugnas.’ ‘Obire prælia’ etiam occurrit apud Lucretium. Decem alii *bella agit;* quod Gronovio lib. II. 3. Observationum merito probabatur. Art. Am. lib. I. ‘Bellaque non puero tractat agenda puer.’ Gratius, ‘Quod nisi et accessus et agendi tempora belli Noveris.’ Sic Græcis ἄγειν τὸν πόλεμον. ‘Degere bellum’ Lucretius, ‘bellum ducere’ Virgilius dixerunt: quomodo ‘ducere,’ ‘degere,’ ‘agere vitam’ Latinis scriptoribus in usu; nisi quod *cernere bellum* nonnulli in Lucretio reponendum esse censent, me non renitente: posset et *ducere bellum* legi, ut *dugere* primo scriptum fuerit. *Heins.* *Bellaque pro magno Cæsare*] Sensus est, Drusus bella gerit pro Augusto. Appellat autem Drusum, Augusti privignum, Cæsarem: ut etiam Germanicum in Fastis. Alii hoc loco non Drusum, sed Drusi filium ex Antonia Cæsaris nepte, quem Augustus octo legionibus apud Rhenum imposuerat, ascribique per adoptionem a Tiberio jusserat: ut Tacitus auctor est lib. I.

234 *Et morum*] Augustus, impetratis a senatu decem adjutoribus, unumquemque equitum rationem vitæ reddere coëgit. *Mer.*

237 *Miror in hoc igitur*] *Mirer* septem aut octo meliores: et sequenti versu *Nunquam*, pro *Unquam*, iidem; recte: si interrogationis notam addas. *Heins.*

239 *At si, quod mallem, vacuus fortasse fuisses*] Quatuor *vacuus tibi forte:* alii multi, etiam ex melioribus, *vacuum fortasse fuisset:* nil muta. *Idem.*

247 *Vittæ tenues, insigne pudoris*] Virgines designat et innuptas per ‘vittas.’ Vide Turneb. lib. XXIII. 5. et lib. XXIX. 4.

251 *Omnes rigidas submovimus*] *Rigide* cum Juniano et Vaticano fragmento; alius *rigida.* Pont. III. 3. ‘An sit ab his omnis rigide submota libellis, Quam lex furtivos arcet habere viros?’ *Heins.*

254 *Quodque trahat, quamvis non doceatur, habet*] *Trahatur quoque* pr. Politiani, qui versum mendosum esse opinabatur: pr. Vatic. opt. Palat. aliique nonnulli *Quoque trahat:* duo *Quæque;* alius *Quique.* Heins.

257 *Est studiosa sinistri*] Studet res in sinistram et contrariam partem accipere, proclivis ad deteriora.

259 *Sumpserit annales*] Si sumpserit libros, gesta pop. Rom. continentes. *Nihil est hirsutius illis*] Nihil est illis severius; nam rerum gestarum memoriam continent; non voluptuosa et lasciva. 'Hirsuti' autem severi videntur. *M.* Et non solum sine ullis ornamentis conscripti sunt Annales Romani ab iis quos recensui, sed etiam horridulo ac prisco illo genere sermonis. *Pont.* *Nihil est hirsutius illis*] Alii *istis:* prim. Vaticanus *nihil est irrisimus illis.* Forte legendum, *Sumserit Annales (nihil est hirsutius) Enni;* a pluribus enim annales scripti: recte autem *hirsutius;* hoc est, rigidius, severius. *Heins.*

260 *Facta sit unde parens Ilia*] Quomodo Ilia, seu Rhea Sylvia, gravida a Marte geminos peperit.

262 *Æneadum genitrix*] Romanorum mater. *Unde sit*] Unde ducat originem: eo scilicet alludens, quod et Æneas ex adulterio Veneris et Anchisæ natus fuerit.

265 *Non tamen idcirco*] Distichon suspectum. Vs. 243. simile carminis initium. *Heins.*

267 *Urere tecta Comparat*] Alii *Apparat* vel *Cœperit.* Idem.

270 *Quæque juvet monstrat*] *Juvans* prior Politiani; quod placet; ut τῷ *nocens* opponatur. *Idem.*

277 *Quiddam vitii quicunque hoc concipit*] Quicumque existimat hoc, quod carmen, possit etiam nocere. *Et tandem vitium*] Scripti plurimi, *At quoddam vitium:* pr. Polit. et multi alii, *At quædam vitia:* prim. Vatic. et Palat. *Et quasdam vitiat:* Putean. *At quondam vitia.* Barberin. *Aut quicquid vitii quique hinc conceperit:* Medonianus, *At quidam vitium.* Lego, *At quiddam vitii;* nam in Arondeliano, *At quoddam vitii.* Heins.

278 *Et nimium scriptis arrogat ille meis*] *Abrogat* scribe cum multis veterum: quo verbo Livius aliique optimi Latinitatis auctores utuntur. Nonnulli etiam *derogat.* Idem.

281 *Quam multis*] *Quæ* Richelianus, ut ad theatra referatur. In nonnullis *multi.* Idem.

282 *Durum sternit solum*] Hoc dicit, quia ludi gladiatorii exhibebantur in foro arena constrato.

283 *Tollatur Circus*] Idem apertius in primo de Arte amandi ita ostendit: 'Ne te nobilium fugiat certamen equorum: Multa capax populi commoda Circus habet.'

285 *Amator eodem Conveniat*] *Eadem* plerique. *Heins.*

289 *Quum steterit Jovis æde*] Quum venerit in ædem Jovis Capitolini.

291 *Junonis templa*] *Junonia* lege ex primis editionibus et Gryphiana. Vide Notas Fast. I. 55. Proximo versu pro *indoluisse Deam,* plerique *hanc doluisse:* et mox *quæret* pro *quærit.* Heins.

293 *Natum de crimine*] Natum de lite Erichthonio nomen impositum ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονὸς, id est, ex certamine atque humo. Auctor Lactantius Fabulam refert Servius et Ovidius libro Metam. secundo.

295 *Venerit in magni templum*] Martis ultoris designat, quod Augustus bello Philippensi pro ultione paterna susceptum voverat; in quo voluit de bellis triumphisque consuli senatum: sanxitque, ut provincias cum imperio petituri ex eo deducerentur, quique victores rediissent, eo insignia triumphorum inferrent. *Mer.* *Tua numina*] Quem tu præcipue colis. *Pont.* *Stat Venus ultori*] Quasi dicat, Succurrit adulterium Martis cum Venere. Intelligit autem ædem Veneris genitricis junctam Martis templo. *In tem-*

plum magni tua numina Martis] *In magni templum tua munera Martis*, rectius multi veteres: vide Notas Fast. VI. 92. *Heins.*

298 *Egerit Ionio Bosporioque mari*] 'Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras Inachiæ Juno pestem meditata Juvencæ.' Virg. Georg. III. Οἶστρον καλοῦσιν αὐτὸν οἱ Νείλου πέλας. Æschyl. Supplic. Φοινήεντι μύωπι βοῶν ἐλατῆρι τυπεῖσα. Coluth. Theban. Ἴναχις Ἰώ, Φοιταλέῃ δὲ πόδεσσιν ἐφ' ἁλμυρὰ βαῖνε κέλευθα. Mosch. Idyll. II. 44.

299 *In Venerem Anchises*] Lege *in Venere:* et mox *in Luna* et *in Cerere;* quomodo fere primus Vaticanus: sic loqui amat Noster. *Iasion* etiam pro *Iasius* plerique: utrumque rectum est. Met. IX. 'queritur canescere mitis Iasiona Ceres.' *Heins.* *In Luna Latmius heros*] Endymionem designat, a Latmio monte Cariæ cognominatum.

300 *In Cerere Iasius, &c.*] Fuit Iasius, de quo hic Poëta intelligit, filius Jovis et Electræ, fraterque Dardani et Armoniæ Cadmi uxoris, qui sumpta uxore Cybele, Corybantum genuit, a quo Corybantes appellati sunt. Ex Iasio autem et Cerere Plutonem natum fabulæ tradunt. Quin in gratiam Iasii constat frumenti copiam a Cerere dono datam in nuptiis Armoniæ: auctor Diodorus.

303 *Et procul a scripta*] *At procul ab scripta* meliores. Pro *ingenuas manus* quatuor veteres *nurus.* Heins. *A scripta solis meretricibus arte*] Ab Arte amandi, quam solis meretricibus scripsimus, rejectis virginibus et matronis.

305 *Quæcunque erumpit*] *Irrumpit*, et *quo* pro *qua* recte multi vetustiores. 'Irrumpere' dicebantur, qui adyta non initiati subibant. Sic Fast. VI. de Metello Vestam ex incendio auferente, 'Dixit et irrupit: factum Dea rapta probavit.' Trist. V. 1. 'Quæ tamen irrumpunt, quoque vetantur, eunt.' Pont. I. 8. 'Nec tamen irrumpo, quo non licet ire.' Sequenti versu pro *hæc* quatuor *hoc;* id est, hoc ipso: quod Grutero et Bersmanno arridebat. *Heins.* *Quæcumque erumpit*] Arguit a simili ream esse illam, quæ prohibita et rejecta inspexit ejus præcepta: quemadmodum ea quæ prohibente sacerdote erupit, quo non licet.

309 *Nudas*] Scilicet meretrices: quæ nudæ Floralia magna licentia celebrabant. Fuit autem Flora mulier, quæ quum magnas opes quæstu meretricio quæsivisset, populum Romanum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore natalis ejus dies celebraretur editione ludorum, quæ Floralia dixerunt: quod quia senatui flagitiosum videbatur, ut scribit Lactantius, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur: Deamque esse finxerunt, quæ floribus præesset, quam prius Chlorim appellatam fuisse scribit Ovidius in Fastis: eamque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet florum omnium potestatem.

312 *Nec domino pœnæ res ea causa fuit*] De Lenone interpretantur. Sed cur Lenoni potius ob id pœna decernatur, quam Ædilibus, qui Floralia exhibebant? Quare aut versum hunc adulteratum esse censeo, aut scribendum, *Nec damno scenæ res ea visa fuit.* In Combiano pro diversa lectione *Roscia caussa.* Certe Roscius comœdus librum ediderat, in quo causam histrioniæ agebat eamque comparabat cum eloquentiæ studio. Meminit hujus scripti Macrobius Saturnal. lib. II. 14. Sed abruptus nimis sit transitus a Vestalibus ad Roscium. *Heins.*

315 *Manifestaque culpa fatenda est*] *Fatendum est* veteres multi. *Idem.*

318 *Vexata est iterum*] Troja iterum dicitur vexari carmine, quum ejus

casus et ruina, quasi vera clades, describitur.

319 *Et mutua vulnera fratrum*] Per mutua vulnera fratrum, Eteoclis et Polynicis mortem intellige, qui mutuo ictu cecidere, ut Diodorus scribit, et Statius cecinit: ex quo Thebanum bellum designat.

320 *Sub duce quamque suo*] Septem enim reges contra Eteoclem pro Polynice conspirarunt, scilicet Adrastus Argivorum rex, Amphiaraus, Hippomedon, Capaneus, Tydeus, Parthenopæus, et Polynices, pro quo bellum gestum est Adrasti ductu et auspiciis. In oppugnatione autem Thebarum horum ducum unusquisque portam sibi oppugnandam sumpserat.

321 *Non mihi*] *Nec* meliores. *Heins.*

328 *Illud opus*] Vel bellum Thebanum et reliqua, vel Augusti gesta. *Mer.* *Magnæ fertilitatis*] Ingenii fertilis, uberis ingenii. *Bersm.*

331 *Forsan et hoc dubitem*] Alii *Forsitan hoc:* pr. Vatic. et tres alii *Forsitan hæc.* Lege *Forsitan et dubitem.* Heins.

337 *Sed detrectare videbar*] Septem aut octo veteres *delirare;* pr. Polit. et Hamburg. et Putean. *derecitare:* an pro *depretiare?* quo verbo Paulus usus lib. XXII. D. ad legem Aquiliam. Glossæ ineditæ, *Depretiati, ἐλαττωθέντες.* Sed nescio an id sæculi Ovidiani sit verbum. Usus et eo Tertullianus non semel. Duo alii *detrectare verebar;* unus *dedecorare;* alius *decertare.* Idem.

340 *Et falso movi pectus amore meum*] Puto *fovi.* Idem.

343 *Hei mihi, cur didici? quid me*] *Quod didici, quod me docuere* meliores. *Idem.*

350 *Strinxerit nomen meum*] Læserit meam famam.

354 *Musa jocosa mea*] Alii *mea est: mihi* rectius vetus. Superiori etiam versu legatur concinnius, *distant mores a carmine nostri.* Heins.

355 *Magnaque pars mendax operum est et ficta meorum*] *Magnaque pars operum mendax et ficta meorum Plus sibi permisit,* cum melioribus. *Idem.*

356 *Compositore suo*] Me Ovidio, qui ea composui.

358 *Auribus apta refert*] Pr. Polit. et tres alii *feret:* pr. Vatican. et duo præterea *feres:* quatuor *ferens;* quod sequor. Superiori etiam versu pro *voluntas* reposui *voluptas* cum pr. Vatic. et duobus aliis. *Heins.*

359 *Esset atrox*] Esset crudelis, propterea quod tragœdias scripsit.

364 *Teia Musa*] Anacreontis Musa: is enim Teon patriam habuit, ut est auctor Strabo.

365 *Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas*] Sappho Lesbia prima plectrum reperit, libros lyricos composuit, epigrammata, iambos, et elegias: hujus autem poëmata lasciva erant. Et Horat. ‘ Vivuntque commissi calores fidibus puellæ.’

367 *Nec tibi, Battiade, nocuit*] Battiades Callimachus appellatur, a Batto generis sui auctore, qui Cyrenem condidit, ut Strabo, Herodotus, et Justinus scribunt. Composuit autem poëmata omni genere carminum: Lyden puellam amavit, de qua etiam elegias scripsit.

370 *Et solet hic*] Malo *hæc;* fabula videlicet. *Heins.*

371 *Ilias ipsa quid est aliud nisi adultera*] *Nisi turpis adultera* cum primis editionibus. Epist. Laodamiæ, ‘ Quid petitur tanto nisi turpis adultera bello?’ *Idem.*

373 *Quid prius est illic flamma Chryseidos, aut qui*] Lege *utque* cum melioribus: *illi* etiam pro *illic* in iisdem. *Idem.* *Quid prius est illi flamma, &c.*] Quid in principio statim Iliados describitur? certe Agamemnonis amor in Chryseida.

374 *Rapta puella*] Briseis Achilli erepta ab Agamemnone: cujus rei causa ortæ sunt inter eos inimicitiæ.

376 *Petita viris*] Imo *procis;* quod

priscæ editiones et multi ex scriptis agnoscunt. Vide Notas ad Epist. II. Sabini. *Heins.*

377 *Venerem Martemque ligatos*] Athenæus lib. I. 12. item lib. XII. in principio, satis honeste hanc fabulam interpretatur; Cantorem, inquiens, apud Homer. Odyss. Θ. Phæacas dehortari voluisse a malis moribus, quibus laborabant. Quod et ipse auctor fabulæ videtur significare egregio hoc epiphonemate: Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα. Adi et Plutarch. de Poëtis audiendis. *Quid nisi Mæonides*] Aut legendum est, *Quid non Mæonides;* aut *Quis nisi:* quod posterius quinque scripti agnoscunt. *Heins.*

380 *Duas Deas*] Calypso et Circen.

384 *Nobilis est Canace*] Canace ex fratre Macareo filium peperit: quo scelere comperto, seipsam jussu patris interfecit. Macareus vero in templum Apollinis Delphici confugit.

385 *Quid, non Tantalides*] In Peloponnesi civitate Mars ex Ægina Asopi filia genuit Œnomaum: hic unicam filiam Hippodamiam habuit. Finem vitæ ab oraculo sciscitanti, responsum est, tunc fatis illum concessurum, quum filia Hippodamia nupsisset. Vide Fab. apud Ovid. Servium et alios.

386 *Pisæan*] Hippodamiam ex Pisa civitate Arcadiæ. *Phrygiis equis*] Psilla et Harpina, quos equos Pelops e Phrygia veniens secum duxit. *Eburnus*] Eburnus Pelops vocatur a Poëtis, quoniam Tantalus ejus pater, volens Deorum tentare divinitatem, eis invitatis filium suum epulandum apposuit; a quo omnes Dii abstinuerunt, excepta Cerere, quæ brachium ejus consumpsit. Postea Dii, petente Tantalo, quum voluissent ejus filium revocare ab inferis, Ceres ei eburneum brachium restituit. Quod ideo fingitur, quia Ceres ipsa est terra, quæ corpora universa consumit, ossa tantum reservans.

388 *A læso amore*] Ab amore Medeæ ab Jasone violato.

389 *Fecit amor subitas volucres*] Terei tragœdiam intelligit. Nota est fabula Ovid. Metamorph.

390 *Quæque suum luget*] Prognen designat, Terei regis Daulidis uxorem, quæ Itym filium occidit, et patri epulandum apposuit propter sororem Philomelam violatam: postea mutata fuit in lusciniam.

391 *Si non Aëropen*] Atrei tragœdiam intelligit. Notum est autem Aëropen, Atrei uxorem, cum Thyeste concubuisse, quod ægre ferens Atreus, liberos ei epulandos apposuit: quæ sol, ne pollueretur, aufugit. Illud notandum, Græcos Atrei uxorem non Europen, sed Aëropen, nominare.

392 *Aversos solis*] Quasi refugientes atrocitatem illius spectaculi. *Bersm.*

396 *Tyndaridosque*] Et Clytæmnestræ filiæ Tyndari ex Leda, uxorisque Agamemnonis, quæ cum Ægistho Thyestis filio, dum bello Trojano maritus interfuit, adulterium commisit.

397 *Nam quid de tetrico*] Bellerophontes filius fuit Glauci, vir munere Deum eximii tum roboris, tum decoris. Vide Fab. apud Apollodor. l. II. et Ovid. Metamorph. lib. IX. Vide Homer. Il. VI.

399 *Quid loquar Hermionem*] Hermionem Menelai, vel, ut alii malunt, Thesei et Helenæ filiam fuisse constat, quæ Oresti Agamemnonis filio desponsata fuit. *Quid te Schœneia virgo*] Atalantam intelligit Schœnei regis Scyri insulæ filiam, cujus fabulam habes apud Ovid. Metamorph. lib. X.

400 *Teque Mycenæo*] Cassandram designat, Priami regis filiam, quam post Trojæ excidium Agamemnon Mycenas captivam duxit, captus ejus amore.

401 *Quid Danaën Danaique nurus*] Filiæ Danai in Tragœdiis notæ; nullæ

notæ Danai nurus. Quare repone cum primis editionibus et scriptorum multis *Danaësque nurum*. Andromeda Persei uxor, et proinde Danaës nurus. *Heins.* *Danaësque nurum*] Andromedem designat. *Matremque Lyæi*] Scribit Diodor. Junonem zelo et ira motam, sumpta unius ex Semeles ancillis forma, ad ulciscendum injuriam, suasisse illi, a Jove petere, ut ea majestate honoreque concumberet, quibus cum Junone consuesset. Cui cum Jupiter annuisset, cum tonitru ac fulmine ad Semelen descendit: quæ insolita re territa expirans, abortum fecit: quem Jupiter absconditum in femur quum tenuisset, partus tempore editum, in Nysam Arabiæ urbem tulit: ubi a Nymphis educatus infans, a patre locoque appellatus Dionysius est. Fabulam etiam refert Ovidius Metamorph. lib. III.

402 *Hæmonaque et noctes quæ coiere duas*] Quidam codices *Alcmenam et noctes:* quæ lectio perperam suos approbatores invenit. Politianus ex vestigiis antiqui codicis, in quo *Hermonam*, refingit *Harmoniam;* frustra. Vulgata scriptura bene se habet, cujus argumenti extat etiamnum Sophoclis Antigone. Propertius, 'Quid non Antigones tumulo Bœotius Hæmon Corruit ipse suo saucius ense latus?' Noster in Ibide, 'Nec tibi, si quid amas, felicius Hæmone cedat.' Præterea legendum, *noctes cui coiere duæ*. Alcmenæ et Jovis amores innuit, quanquam alii tres noctes coiisse contendant, unde Hercules Lycophroni τριέσπερος λέων dicitur. *Heins.* *Hæmona*] Antigone, contempto edicto, ne quis Polynicen mortuum sepeliret, eum, quoniam frater erat, humavit. Deprehensa, jussu Creontis regis jugulatur ex lege ad tumulum Polynicis. Hæmon, qui eam impatienter amabat, perfosso pectore gladio, ibidem sibi mortem conscivit. Eum sequuta est mater Eurydice doloris impatiens. *M.* Ego Poëtam de utraque fabula dicere voluisse puto, Hæmonis scil. et Alcmenes: nisi quod contra vulgarem traditionem, duas noctes pro tribus in unam coisse dicit: quod tamen et ipsum certo aliquo auctore fecisse videtur. *Micyl.* *Hæmona*] 'Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon Corruit, ipse suo saucius ense latus? Et sua cum miseræ commiscuit ossa puellæ, Qua sine Thebanam noluit ire domum?' Propert. Eleg. II. 8. Fabulam invenies apud Sophocl. Antigonen.

403 *Quid generum Peliæ*] Per *generum Peliæ*, Admetum accipe, qui Alcesten Peliæ filiam majorem natu, despondente Jasone, post Peliam Medeæ fraude peremptum, duxit uxorem. Designat autem hic Ovidius Alcestidis tragœdiam quam Euripides scripsit. *Quid Thesea*] Tragœdiam de Theseo intellige, qui natus est ex Æthra Pitthei filia, ac Neptuno, in Trœzene nutritus penes Pittheum maternum avum: ac signa ab Ægeo sub saxo posita recognoscens, Athenas venit. Is ut Herculis virtutes imitaretur, ad ea certamina animum adjecit, quæ laudem et gloriam sibi essent allatura. *Quidve Pelasgum Iliacam*] Protesilaum. Pelasgum autem vocat, quia Thessalus fuit. Pelasgi autem Thessaliam a principio tenuere.

404 *Qui rate primus humum*] *Pede* nonnulli. *Heins.*

405 *Pyrrhique parens*] Deidamia Pyrrhi mater, Lycomedis Scyrorum regis filia, apud quem Thetis Achillem sub muliebri habitu celavit: quoniam a Proteo acceperat, illum periturum esse in bello Trojano. *Huc Herculis uxor*] Megaram dicit, quam Creon rex Thebarum, cognita Herculis virtute, illi uxorem dedit urbisque ei veluti filio curam permisit.

406 *Huc accedat Hylas*] Hylas puer fuit, comes Herculis, quem amisit in Ionia juxta Mysiam: et quum com-

pertum, extinctum esse in fonte, instituta sunt sacra, in quibus ejus nomen clamabatur in fontibus. *Iliacusque puer*] Et Ganymedes Trojanus, filius Trois regis, et frater Ili et Assaraci.

408 *Vixque meus capiet*] *Capiat* rectius duo veteres. *Heins.*

409 *In obscœnos risus*] Tractantur etiam plerunque in tragœdiis res obscœnæ, quibus rident spectatores. *Mer.*

410 *Multaque præteriti verba pudoris habet*] Multa habet in quibus pudor est præteritus, a quibus abest verecundia: ut mox infra loco in vulgatis mendoso, 'apud quos Rebus abest omnis nominibusque pudor.' Simili modo locutus est Noster Amor. lib. III. 1. 22. 'Dum tua præterito furta pudore refers.' Quare non possum accedere Tanaquillo Fabro in Epistolis reponenti, *prætexti pudoris.* Nec felicius illi conjectura successit in altero Nasonis loco Artis Amatoriæ, lib. I. ubi pro *Præteritum tulerit, reddideritque nihil,* reponi vult, *Nam pretium tulerit, reddideritque nihil,* cum vulgata scriptura nihil sit acutius ac elegantius. *Heins.* *Præteriti pudoris*] Violati, neglecti pudoris, impudica verba. *Pont.*

413 *Junxit Aristides*] Aristides libros quosdam edidit, qui Milesii appellabantur, de luxuria et deliciis compositi. Fuere autem Milesii deliciis luxuque notabiles. *Junxit secum*] Ingenio suo accommodavit. *Milesia*] Delicias et lasciviam Milesiorum. Fuere enim perquam impudici. *Junxit Aristides Milesia crimina secum*] Milesiacorum Aristidæ scripti spurcissimi præter Plutarchum in Crasso meminit in Parthicis Appianus; etiam Arrianus in Epictetum lib. IV. 9. (etsi dissimulato operis nomine) et Harpocration in Δερμιστής. Hæc Milesiaca una cum seria historia, quæ passim ab antiquis laudatur, Aristides videtur edidisse. Viri docti legunt *Finxit* vel *Panxit Milesia crimina chartis;* quibus conjecturis non possum subscribere: sunt enim audacissimæ. *Heins.*

414 *Aristides*] Milesius poëta fuit, qui Milesiaca poëmata, et de rebus impudicis scripsit, cujus Plutarch. in Crasso, Lucianus in Amoribus meminerunt: et annotavit de eodem Ang. Politianus Miscellan. XVI. *Micyll.*

417 *Nec qui composuit nuper Sybaritida fugit*] Puto legendum *turpem Sybaritida.* Hemitheon cynædus Sybarita turpissimum librum scripsit de re Veneria apud Lucianum πρὸς ἀπαίδευτον. Idem in Pseudologista Misthonis Sybaritæ meminit turpissimi scriptoris. Hinc 'Sybaritici libelli' apud Martialem Epigr. XII. 96. *Heins.* *Nec qui composuit*] De Sybaritidis Politianus annotavit Miscell. XV. *Sybaritida*] Opus Hemitheonis plenum Sybaritanæ lasciviæ. Fuit autem Sybaris oppidum Calabriæ, inter Crathim et Sybarim fluvios.

418 *Et qui concubitus non tacuere suos*] Malim *quæ:* ut Philœnis et Elephantis intelligantur, quarum fœdissima scripta passim circumferebantur. Sic certe codex Hamburgensis, et tres alii. Hinc in Priapeis, 'Quo tot figuras, quot Philœnis invenit, Non admovente, pruriosa discedit.' Ita versus mendosissimi ex vestigiis librorum veterum sunt restituendi: nam codex vetustus Frederici Ubaldini, *quo tot figuras non admovetis.* Philœnis Leucadia, cujus versus spurcissimi περὶ ποικίλων σχημάτων ἀφροδισίων a Polycrate Sophista Atheniensi dicebantur esse conscripti. Teste Æschrione in Philœnidis Epicedio apud Athenæum lib. VIII. Huic adjungitur a Xenophonte, lib. II. Ἀπομνημονευμάτων, Nico Samia et Callistrate Lesbia versibus itidem obscœnis infames: citat locum Xenophontis Athenæus lib. V. Quibus omni-

bus antiquiorem Astyanassam laudat Hesychius et Suidas Helenæ ancillam. Mentio etiam est Cyrenes apud antiquos, quam δωδεκαμήχανον dicebant. *Heins.*

421 *Peregrinis ab armis*] Ab externorum scriptorum voluminibus.

423 *Utque suo Martem*] Quemadmodum, inquit, sunt poëtæ, qui gravia scripsere, ut Ennius et Lucretius, sic quidam lasciva opera edidere, ut Catullus, et alii. *Martem*] Prælium et Annales, versu heroico.

424 *Ennius ingenio maximus*] Quoniam poëta ille usus est inventione, et sententiis egregiis, sed verbis non multum ornatis.

425 *Explicat ut causas rapidi*] Hic locus bifariam accipi videtur posse. Vel ut simpliciter ignem accipiamus materialem, et quo quotidie utimur; vel ut ad fulmen, et ejus causas referamus, propter epitheton 'rapidi.' Ac de fulminis causis, et unde idem generetur, libro sexto Lucretius agit. *Micyl.*

426 *Causarumque triplex*] *Casurumque* recte unus Bononiensis; neque aliter Bersmannus. Egimus de hoc loco in Elegia de morte Drusi, vs. 362. *Heins.* *Casurumque triplex vaticinatur opus*] Ut carmen hoc intelligatur, Senecam vide in epistola postrema octavi libri Epistolar. ad Lucilium. Disputat autem eo loco Lucretius, mundum esse interiturum: contra eos, qui æternum fore senserunt. Hoc Ovidius vaticinari vocat, veluti prædictionem quandam ejus quod futurum esset facere. *Micyl.*

431 *Par fuit exigui Calvi*] Calvus orator diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit: violentus accusator fuit. Carmina quoque ejus, quamvis jocosa fuerint, plena tamen fuere ingentis animi. Eum 'exiguum' appellat Ovidius, propterea quod fuit parvæ staturæ.

432 *Sua facta*] *Furta* ex tribus scriptis. Lib. II. Artis, 'Flecte iter, et monitu detege furta meo.' *Heins.*

433 *Quid referam Ticidæ*] Ticida poëta scripsit elegias de Perilla, quam amavit. *Quid Memmi carmen*] C. Memmii poëtæ pariter et oratoris meminit Plinius in Epistolis, et Tranquillus scribens illum objecisse C. Cæsari, stetisse ad cyathum et vinum Nicomedi regi. *Mer.*

434 *Rebus adest nomen, nominibusque pudor*] Nihili hæc sunt: quare assentior Bernardo Rottendorphio viro doctissimo, ac de studiis meis egregie merito, qui emendat, *Rebus abest omnis nominibusque pudor.* Nihil certius ea conjectura. *Heins.*

435 *Cinna quoque his comes est*] Q. Helvius Cinna poëta fuit, qui scripsit Smyrnam, quam decem annis elimavit, ut Servius docet. *Cinnaque procacior Anser*] Anser poëta fuit Antonii, qui ejus laudes scripsit.

436 *Et leve Cornifici*] Cornificius poëta a militibus destitutus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores appellarat: hujus soror Cornificia insignia condidit epigrammata. Leve autem opus appellat propter amatoria, quæ in eis continebantur. *Parque Catonis opus*] Valerius Cato fuit Birsenni cujusdam libertus ex Gallia, qui grammaticen docuit: visusque est peridoneus præceptor, maxime ad poëticam tendentibus. Is scripsit præter grammatices libellos etiam poëmata: ex quibus præcipue probata fuit Lydia et Diana: quæ hic Ovidius intelligit.

437 *Et quorum libris Nomine nunc legitur dicta*] Neque enim de Ticida Ovidius hic nunc intelligit, sed de illis, qui suo ac vero nomine Metellam, quæ hactenus sub Perillæ nomine sive a Ticida sive ab alio celata fuerat, celebrarunt, quorum tamen nomina ipse hic reticet, sive metri necessitate coactus, sive etiam honoris gratia. *Micyl.*

438 *Nomine nunc legitur dicta, Metelle, tuo*] Scribe, *dicta Metella suo.* Ticida enim Metellam appellarat Perillam; quod ex Apuleio discimus. Nunc alios nescio quos memorat, qui eam suo et vero nomine decantarint. Forte hoc distichon superiori præponendum. *Heins.*

439 *Is quoque Phasiacas Argon qui duxit in undas, Non potuit*] Varronem Attacinum intelligit, qui Leucadiam amavit. Varro etiam scripsit Argonautica, Apollonium imitatus: vel potius in Latinum vertit.

441 *Nec minus Hortensî*] Hortensius et Servius Sulpitius, quamvis fuerint optimi oratores, mansuetioribus tamen Musis operam dedere: Sulpitii etiam meminit Ausonius, cujus poëma prurire dixit, propter carminis lasciviam.

443 *Vertit Aristidem Sisenna*] *Aristiden* meliores. Scribe etiam *Sisena:* ita enim in antiquis numis id nomen exaratum occurrit. *Heins.* *Vertit Aristiden Sisenna*] L. Sisennam inter oratores enumerat Cicero. Doctus vir erat et studiis optimis deditus, gnarus reipublicæ, non sine facetiis. Transtulit e Græco in Latinum Aristidæ libros Milesios: de quibus antea diximus.

445 *Nec fuit opprobrio*] Cornelius Gallus, res tenens Romanas, Ægypti procurator, exhausit civitatem Thebarum, plurimis interceptis: reversusque quum furti accusaretur, metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium cognoscendum dederat imperator, stricto incubuit ferro, ut docet Ammianus Marcellinus. Servius scribit illum Forojuliensem fuisse, transtulisseque in Latinum Euphorionem: et de Citheride Volumnii liberta, et a se amata, quam Lycorida appellavit, scripsisse libros quatuor.

447 *Credere juranti*] Quod hic dicit Ovidius, facit Tibullus in Elegia sexta. Dicit enim amicam Deliam sibi negare cum ullo alio se rem habere: quod ille fatetur esse incredibile: ita enim inquit: 'Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est: Sic etiam de me pernegat usque viro.'

448 *Hoc etiam de se*] *Hinc* duo veteres: Combianus et tres alii *Hic:* unus *Hæc.* Scribe *Sic.* Tibulli illa respexit Eleg. I. 6. 'Illa quidem tam multa negat, sed credere durum est: Sic etiam de me pernegat usque viro.' *Heins.*

449 *Fallere custodem*] Malim *custodes.* Idem Tibull. 'Ipse miser docui, quo posset ludere pacto Custodes: eheu nunc premor arte mea!' *Idem.* *Fallere custodem*] Id etiam de se ita profitetur Tibullus: 'Ipse miser docui, quo posset ludere pacto Custodes: heu heu nunc premor arte mea!'

451 *Sæpe velut gemmam*] Id ita esse Tibullus cecinit: 'Sæpe velut gemmas ejus signumque probarem, Per causam memini me tetigisse manum.'

453 *Digitis sæpe est nutuque locutus*] Tibullus: 'Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem Ne trahat, et mensæ ducat in orbe notas.'

455 *Et quibus e succis*] *Facis* unus Mediceus. Scribe, *Et quibus is succis.* Tibull. 'Tunc succos herbasque dedi, queis livor abiret, Quem facit impresso mutua dente Venus.' *Heins.*

457 *Denique ab incauto*] Imo *ille* cum uno Vaticano: idem eodem loco Tibullus, 'At tu fallacis conjux incaute puellæ, Me quoque servato, peccet ut illa nihil.' *Heins.*

459 *Scis cui latretur*] Tibullus: 'Ille ego sum, nec me jam dicere vera pudebit, Instabat tota cui tua nocte canis:' et alibi: 'Et simulat transire domum, mox deinde recurrit Solus, et ante ipsas excreat usque fores.' *Ipse*] Ipse Tibullus, ut ex versibus supra citatis. *Cum solus obambulet*] *Obambulat* rectius multi: et *cur excreet*, non *cui;* quomodo Scaliger etiam ad Tibullum. *Heins.*

461 *Et jam te principe notus erat*] Arondelianus pro diversa lectione *motus.* Puto *natus erat;* quod verum. Natus enim Tibullus eodem anno, quo Noster; cæsis Mutinensi bello Hirtio et Pansa consulibus: qui annus ab urbe condita septingentesimus decimus; Triumviratu luctuosus ac funestus. Innuit igitur natum Tibullum post cæsos jam consules, quorum in locum se ac Pedium cognatum Cæsar fecit subrogari, idque Senatu invito, jam tum ad imperium non occulte aspirans, ut ex Suetonio satis apparet. Auctor Dialogi de Oratoribus, 'Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa Coss. ut Tiro libertus ejus scripsit, VII. id. Decembr. occisus est, quo anno Divus Augustus in locum Pansæ et Hirtii se et Q. Pedium Coss. suffecit.' Quo et Noster respexit, cum Augustum jam tum civitatis Principem innuit fuisse. *Idem.*

472 *Ad vestros avos*] *Nostros* repone cum præstantioribus scriptis. *Idem.*

473 *Quid valeant tali*] Descripsere alii poëtæ talorum ludum. Vide Turneb. lib. XXVII. 3. *Quo jactu*] Quo puncto: *Venus* enim in talis victoriam afferebat, ut *Canis* jacturam. *Senio* vero interdum lucrosus, unde a Persio dexter appellatur: interdum damnosus, ut designat Tranquillus in Augusto.

474 *Figere*] *Fingere* plerique veteres. *Heins.* *Figere*] Talos Græci ἀστραγάλους vocant, ipsumque ludum ἀστραγαλίζειν, et ἀστρίζειν. Sunt autem unius tali superficies, sive facies quatuor: quarum prima, quæ et unitatem significat, Κύων, hoc est, *Canis*, et χῖος item, dicebatur. Illa autem quæ huic opposita atque adversa erat, ἑξίτης, hoc est, *Senio*, et κῶος item: reliquæ duæ numeris notabantur, ternario puta, et quaternario; nam binarius et quinarius numerus in talis non erant: auctor Pollux lib. IX. *Micyll.*

475 *Tessera quot habeat numeros, &c.*] Locus hic obscurior est, et ubi facilius sit aliorum expositiones refellere, quam certam aliquam afferre: propterea quod multo alia ratio ludendi veterum fuit atque nunc est. Primum enim quem *numerum distantem* dicemus? nisi eum forte accipiamus, qui ex tribus reliquis dissimilis ac differens sit. *Micyll.* *Quot habeat numeros*] *Quot numeros habeat* cum scriptis, ne peccetur in leges metri. *Heins.*

477 *Discolor miles*] Calculus tuus diversi coloris. Nam calculi seu latrones olim fiebant ex vitro, et in duas partes diversi coloris divisi, alii appellantur milites, alii hostes. *Grassetur*] Insidietur hosti, dum miles deprehensus obsidetur. *Recto limite*] Recta et aperta via, ne videatur grassari.

478 *Quum medius gemino calculus hoste perit*] Falluntur, qui eundem ludum esse putant eum, de quo hic dicitur, et qui nostra ætate Scachiæ, et veteris imitatione, latrunculorum vocatur: id quod ex ipsis verbis Poëtæ intelligitur, cum inquit, 'Cum medius gemino calculus hoste perit:' et rursum, 'Nec tuto fugiens incomitatus eat.' *Micyll.*

479 *Ut mage velle sequi*] Locus mendosus. Libri meliores, *Ut mage velle sequens,* vel *male:* Combianus *maga.* Heins. *Velle sequi*] Velle hostem insequi. *Et revocare priorem*] Et revocare præcedentem calculum, ne forte per imprudentiam longius elapsus, ab hostibus capiatur.

480 *Nec tuto*] *Ne* rectius quidam. *Heins.*

481 *Parva sedet ternis*] *Sed internis* pr. Pal. et pr. Vatican. nil muta. Sic apud Juvenalem Sat. prima, 'sportula primo Limine parva sedet.' Et Satyra II. 'ingens Cæna sedet.' Sic

et alii scriptores ex melioribus amant loqui. *Idem.*

485 *Ecce canit formas*] Docuere alii etiam formas et genera pilarum, quæ quatuor fuere. Erat pila trigonalis omnium minima, dura, pilo plena. Dicta a Trigone, qui locus erat in thermis, triquetra, id est, triangulari figura, quam Græci *τρίγωνον* vocant: hæc reddebatur tam dextra, quam sinistra manu. Erat præterea pila Paganica, a pagis, id est, villis dicta, quod pagani ea uterentur; ea laxior erat, et pluma plena. Erat et tertium pilæ genus, quod ex pelle fiebat, et spiritu inflabatur, pugno reddi solitum, non palma, ut reliquæ pilæ. Erat præterea quartum pilæ genus, quod Harpastum appellabatur, sive Phæninda. Fiebat e panno, aliquando ex pelle; lana, tomentove implebatur: laboriosum erat hoc ludi genus. Vide Mercurial. in arte Gymnast. lib. II. 5. *Mer.* *Formas, jactusque pilarum, &c.*] De pilis, et earum vario lusu, Pollucem vide lib. IX. *Micyll.*

487 *Fuscandi cura coloris*] *Fucandi* ex tribus. *Heins.*

488 *Hic epulis leges*] Inter quos etiam Apicius.

489 *De qua fingantur pocula*] Apud Romanos olim eo pervenit luxuria, ut fictilia vasa essent in maximo pretio. Samia maxime laudabantur in esculentis. Imo eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constarent quam Murrhina.

491 *Talia luduntur*] Talia vasa celebrantur a poëtis Saturnalibus Decembri mense. *Fumoso Decembri*] Id est, Saturnalibus, quæ celebrabantur Decembri mense. ‘Fumosum,’ propter ignem, qui eo mense maxime fieri solet ad frigus dissolvendum. *Mer.* *Talia luduntur*] Talia intellige carmina, sive poëmata, ut sit dictum: Talia per lusum componuntur eo mense, quando Saturnalia aguntur, quibus diebus summa rerum licentia est. *Micyll.* *Fumoso mense Decembri*] Duo *Decembris.* Lege, *fumosi Decembris* cum Barberiniano: ut monui lib. II. 10. 3. *Heins.*

492 *Quæ jam non ulli composuisse nocet*] *Damno fuit* ex melioribus. *Idem.*

495 *Denique non video tot de*] *Nec video de tot* meliores: unus etiam Bononiensis *prodiderit* proximo versu. *Idem.*

497 *Quid si scripsissem mimos*] Mimi erant poëmata sine reverentia lasciviam imitantia, quæ a mimographis, id est, scriptoribus mimorum, ludis ad comœdiæ formam composita in scenis agebantur.

498 *Juncti crimen amoris habent*] *Vetiti amoris* multi veterum; hoc est, adulterii: sic ‘vetiti Hymenæi,’ et similia: potest tamen et alterum ferri; ut Trist. IV. 1. ‘Cum mecum juncti criminis acta rea est.’ Doctissimus Tanaquillus Faber Epist. III. *ficti amoris* conjiciebat. *Heins.*

499 *Cultus procedit adulter*] Lege *cautus;* vel *multus adulter.* Sequenti etiam versu pro *stulto viro* malim *luso;* quod tamen timide affirmo. *Idem.*

501 *Nubilis hæc virgo*] *Hos* ex tribus scriptis; hoc est mimos. Et mox *e magna parte* pro *ex* totidem. *Idem.*

507 *Quodque minus prodest pœna est lucrosa poëtæ*] *Quoque* quatuor, duo *Quæque: plena* etiam pro *pœna* Junianus; et pro *mimus* unus Mediceus *mimis.* Scribo, *Quæ mimis prodest, scena est lucrosa poëtæ:* vel, *Nec minus et prodest scena, et lucrosa poëtæ est. Nec minus* subintellige, quam ipsis mimis. Tanaquillus Faber Epistola XXXVIII. *Quæque mihi pœnæ est, fraus est lucrosa poëtæ;* quæ longius abeunt a veteri scriptura. *Idem.*

508 *Prætor emit*] Prætores enim seu Ædiles ludos faciebant, et a poëtis fabulas emebant, quas ludorum

die recitari jubebant: unde legimus Andriam Terentii actam ludis Megalensibus; aliam ludis funebribus.

513 *Totus quibus utitur orbis*] *Utimur* Gottorphianus: vide Notas Met. v. 342. *Heins.*

514 *Scenica spectasti lætus adulteria*] Rectius omnino *lentus* sex meliores. Vide Notas Epist. XIX. 81. Apud Horatium Epist. II. 1. 'lentus spectator' spectatori sedulo opponitur, 'Exanimat lentus spectator, sedulus inflat.' Silius lib. XII. de Hannibale Romam obsidente, 'Nunc aditus lustrat, clausas nunc cuspide pulsat Infesta portas, fruiturque timore paventum. Nunc lentus celsis astans in collibus intrat Urbem oculis:' ita vetusti codices. Tibullus Eleg. IV. 11. 'Nam mihi quid prosit morbos evincere, si tu Nostra potes lento pectore ferre mala?' ubi *læto* ante Scaligerum male legebatur. Initio ejusdem epigrammatis scribendum in Tibullo, 'Estne tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ, Dum mea nunc vexat corpora fessa calor?' ubi *placiture puellæ, Qui mea nunc vexat* perperam legitur. Estne tibi de me cura, inquit, dum febricito? *Idem.*

517 *Sua pulpita*] Quæ erant ante scenam, ubi ludicra exercebantur. Vide Philandrum in Vitruvium libro v. 6.

518 *Quodque licet mimis*] *Libet* recte multi veteres. *Heins.*

523 *Sic quæ concubitus, &c.*] Obscure hic designat Ovidius, quod Tranquillus apertius denotat in Tiberio his verbis: 'Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum ac figurarum adornavit,' &c.

525 *Utque sedet vultu*] Ajacem et Medeam Timomachi innuit, maximo pretio ab Augusto redemtos: de quibus Plinius lib. XXXV. Medea Timomachi laudatur Ausonio et Plutarcho, etiam in Anthologia Græca. *Heins. Utque sedet vultu*] Tabulas Ajacis et Medeæ intelligit, a Cæsare ante ædem Veneris Genitricis dicatas, ut est auctor Plinius.

527 *Sic madidos digitis*] Venerem designat ab Apelle pictam, de qua ita Plinius scribit: Venerem exeuntem e mari Divus Augustus dicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur. Consenuit hæc tabula carie, aliamque pro ea Nero in principatu suo substituit Dorothei manu. Apelles inchoaverat aliam Venerem Cois, superaturus etiam illam priorem. Invidit mors peracta parte: nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta inventus est.

530 *Pars tua facta canit*] *Canunt* rectius quidam. *Heins. Tui generis*] Lucii, Caii, Tiberii, Drusi, Germanici, et aliorum.

535 *Nec legitur pars ulla magis*] Quartum Æneidos dicit: qui propter carminis lasciviam et affectus plurimum delectat, et magis quam cæteri legitur. *De corpore toto*] De toto opere.

537 *Teneræque Amaryllidis ignes*] *Tenerosque* libri meliores; et *Amaryllidos.* Heins.

539 *Scripto peccavimus isto*] *Uno* tres veteres. Bucolica enim Ovidius non scripsit. *Idem.*

542 *Irrequietus eques*] *Ille quietus* emendatum Lipsio de Militia Romana lib. I. 5. sed repone *jure quietus* ex tribus antiquis. Multi alii *inrequietus;* proxime verum. *Idem.*

546 *Distat et a meriti tempore pœna sui*] In multis *admissi sui.* Idem.

547 *Esse remissum*] Esse abjectum, humile, et lascivum; vel 'remissum,' idem quod solutum.

551 *Idque tuo nuper*] Ovidius relegatus in Pontum, Fastorum libros, plerisque additis ac mutatis, Germanico Drusi privigni Augusti filio inscripsit, ut ejus precibus ab Augusto reditum impetraret: quum eos antea Augusto dicasset, ut ex hoc carmine percipi potest.

553 *Et dedimus tragicis, &c.*] Tragœdiam Medeam dicit. Ostendere videtur, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset.

561 *Aspiceres quantum dederis*] *Aspicies* multi; unus *Aspicias:* recte. *Heins.*

565 *Candidus a salibus suffusis felle refugi*] Locus hic non videtur sanus. *Suffusos* multi: *a nimio suffusos felle* tres veteres: Hamburgensis *a mimo suffusos felle;* sed apud Ausonium Carm. IV. in Rhetoras habet 'Salibus modestus felle nullo perlitis:' ita enim ex veteri libro scribendum. Sequenti versu pro *littera mista,* quidam vetusti *vincta,* vel *juncta.* Forte *tincta.* Idem.

566 *Venenato joco*] Mordaci joco.

567 *Tot scripti millia nostri*] Tanaquillus Faber Epist. XXXVIII. volebat corrigi, *tot scriptis, millia, nostris.* Heins.

568 *Unus ero*] *Unus ego* quinque veteres: sic ante, 'Quem sua perdiderit Musa, repertus ego.' Totus locus non inconcinne sic constituetur, *Inter enim populi tot scriptis millia nostris Quem mea Calliope læserit, unus ego:* Inter populi enim tot millia, quem læserit scriptis nostris mea Calliope, unus ego sum. *Idem.*

571 *Quenquam insultare jacenti*] *Insultasse* meliores. *Idem. Insultare jacenti*] Οὐχ' ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. Homer. Odyss. X. 412.

576 *Victus eris*] Eris placatus.

TRISTIUM LIB. III.

ELEGIA I.

Venio timide liber exulis] Alii *timidus;* malim *timidi exulis:* sic infra, 'res timida est omnis miser.' *Heins.*

11 *Clauda quod, &c.*] Festive elegiacum, quo utitur, 'claudicare' ait; et culpam vel in pedem qui desit, vel in longitudinem perambulati itineris confert. *Pont.*

18 *In qua scribebat*] *Scribebam* Strozzæ. Lege *scribebar;* atque ita Zulichemianus. *Heins.*

23 *Quod non tribuere poëtæ*] *Parenti* tres pro diversa lectione: sic infra hac ipsa Elegia, 'nostro placata parenti Isdem sub dominis aspiciare domus.' Et mox, 'Quærebam fratres: exceptis scilicet illis, Quos suus optaret non genuisse parens:' ita scripti. Hinc et libros suos passim 'natorum' nomine donat: supra lib. I. 1. ad librum, 'si qua est tibi cura parentis.' Pont. IV. 5. 'Quidque parens ego voster agam.' Sic et Amatoriæ Artis libros Œdipodas et Telegonos, hoc est parricidas, appellat supra lib. I. 1. *Idem.*

25 *Duc age: namque sequar*] Unus *sequor.* Puto *jamque sequor:* ut apud Comicos, 'I præ: sequor.'

26 *Longinquo ab orbe*] E Scythia.

28 *Hæc est a sacris*] Viam sacram designat, foro Augusti, qui in Capitolio habitabat, vicinam: dictam, quod per eam ab arce, id est, a Ca-

pitolio, ad augures sacra ferebantur: vel quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum et Tatium.

29 *Hic locus est Vestæ*] Vestæ templum rotundum, in quo servabatur Palladium, cum igne perpetuo, qui a Virginibus Vestalibus servabatur. Et hoc multi putant a Romulo prius erectum. Dionysius tamen lib. II. scribit, id a Numa ædificatum in foro existente in medio Capitolii et Palatii loco, idque anno urbis quadragesimo, ut in Fastis docet Ovidius. Atrium autem Vestæ fuit Numæ regia, vel potius pars regiæ.

30 *Hac fuit*] *Hic* scripti. *Heins.*

31 *Porta est, ait, ista Palati*] Ea porta prius Saturnia, dein Pandania appellata fuit: affirmant Varro et Solinus.

32 *Hic Sator*] Scribe *Stator.* Jovis Statoris ædem intelligit: ita Combii codex; neque aliter Politianus in ora sui exemplaris, et Gronovius Observat. lib. IV. 15. *Heins. Hoc primum condita Roma loco est*] Nam Pelasgi Arcades ex urbe Pallantio exeuntes, duce profectionis Evandro, in uno ex septem collibus sedes posuere, qui in medio ferme est Romæ, Pallanteum vocantes eum locum, a patria sua in Arcadia. *Hoc primum condita Roma loco*] 'Arcades his oris, genus a Pallante profectum, Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti, Delegere locum, et posuere in montibus urbem, Pallantis proavi de nomine Pallanteum:' Virg. VIII. non longe a principio; ubi veram Pallantei originem et causam vides.

33 *Video fulgentibus armis, &c.*] Hic ædes Augusti in Palatio factas laudat Ovidius, quas etiam in septimo Maro describit, easque in Laurolavinio vult fuisse; ut Servius docet. *Mer. Fulgentibus armis*] Solebant enim postes, portas, et vestibula ædium, atria quoque spoliis et armis, quæ hostibus ademissent, exornare, clypeis, galeis, &c. Nec aut consumpta refici, aut fracta redintegrari mos erat. Præterea ædibus abalienatis non licebat ea emptori refigere. *Pont.*

35 *Jovis est*] Est Augusti.

37 *Cujus ut accepi dominum*] *Numen* opt. Pal. *Heins.*

39 *Opposita lauro*] *Apposita lauro* plerique veteres; recte: ut monui ad Epist. VII. 100. Sequenti versu *Augustas fores* agnoscunt etiam multi ex antiquis, non *comas;* et hoc probe: neque aliter ex suis Naugerius et Ciofanus. Pro *arbor opaca* tres *querna corona,* ut Fast. lib. I. ad Germanicum, 'Protegat et vestras querna corona fores.' *Idem. Velatur janua lauro*] Laurus ante Cæsaris januam erat: de qua ita Plinius lib. XV. cap. ult. 'Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus janitrix Cæsarum, Pontificumque, quæ sola et domos exornat, et ante limina excubat.'

41 *An quia*] *Num* meliores. *Heins.*

42 *Leucadio Deo*] Deo Apollini. Amat Apollo laurum propter Daphnen in eam commutatam. Augustus enim in ore sinus Ambracii, Actium cum nobili templo Apollinis condidit, haud longe a Leucate promontorio, a quo Deus Leucadius dictus est: seu a Leucadia peninsula, quæ olim Neritos appellata, haud longe dicitur sita, auctore Plinio.

43 *Ipsane quod festa est*] Festam laurum appellat, quoniam Romanis ea lætitiæ victoriarumque nuncia fuit: facitque omnia festa et læta, omniumque mentes laurus exhilarat: deponebaturque etiam in gremio Jovis optimi maximi, quoties lætitiam victoria novam attulisset. *Pacis an ista nota est*] Paciferam laurum fuisse, docet Plinius his verbis: 'Ipsa pacifera, ut quam prætendi etiam inter armatos hostes, quietis sit indicium.'

47 *Causaque suppositæ*] Superior pars januæ frondibus lauri ornabatur, cui subjecta erat corona querna, quæ ei dabatur, qui civem servasset,

et civica dicebatur. Hinc civicæ coronæ militum, virtutis insigne clarissimum. Illud notandum, civicam coronam ilignam primo fuisse: postea magis placuit ex esculo Jovi sacra. Leges autem ejus, qui civica corona donabatur, legito apud Plin. libro decimosexto, cap. 4. *Scripto testata*] Perperam *testante* plurimi ex scriptis. Pont. IV. 7. 'Vincitur Ægypsos; testataque tempus in omne Sunt tua, Vestalis, carmine facta meo.' Sic et 'comitata' passive passim apud Nostrum. *Heins.*

50 *Pulsus in orbe latet*] *Jacet* cum primo Politiani et sex aliis: infra Eleg. 3. 'Quid mihi nunc animi dira regione jacenti?' et, 'Lassus in extremis jaceo populisque locisque.' Pont. lib. I. 3. 'Orbis in extremi jaceo desertus arenis.' Eleg. 7. 'Ecquis in extremo positus jacet orbe tuorum?' Lib. I. 8. 'Deque tot expulsis sum miles in exsule solus: Tuta (nec invideo) cætera turba jacet;' ita vere codices antiqui: et lib. II. Pont. 9. initio, et lib. III. 1. 'Ut minus infecta jaceam tellure labora;' atque ita passim Noster. *Idem.*

53 *Vereorque locum, vereorque potentem*] *Parentem* unus Vatic. alius *potentes:* an *penates?* unus etiam *venerorque potentem.* Idem.

54 *Trepido metu*] *Rapido* plerique; unus *pavido.* Idem.

59 *Inde timore pari*] *Tenore* maxima scriptorum pars. Pont. libro I. 11. 'Et peragit soliti vena tenoris iter.' Epistola Didus, 'vitæque novissima nostræ Prosequitur fati, qui fuit ante, tenor.' 'Tenor vitæ' Epistola Helenæ, 'Dumque tenor vitæ sit sine labe meæ.' *Idem. Tenore pari*] Pari ordine, quo per Urbem hactenus incessi.

60 *Intonsi Dei*] Apollinis Capitolini. *Mer. Candida*] Propter marmor, quo tecta et ornata erant: vel propter elegantiorem structuram. *Pont.*

61 *Ubi sunt*] Malim *ubi stant:* nisi sequenti versu cum priscis editionibus et scriptis nonnullis reponis pro *barbarus, stat ferus;* ut lib. I. Art. Am. 'Quaque parare necem miseris patruelibus ausæ Belides, et stricto stat ferus ense pater.' *Heins.*

62 *Stricto barbarus ense pater*] 'Potuitne ultricia Graiis Virginibus dare tela pater, lætusque dolorum Sanguine securos juvenum perfundere somnos?' Statius Thebaid. lib. V. Hinc Æschyl. in Prometh. Τοιάδ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι κύπρις. 'Pater Collaudat ipse, foribus excubans, nefas, Et lustrat enses.'

63 *Quæque viri docto*] Bibliothecam intelligit, quam Augustus ædificavit in parte domus Palatinæ. *Veteres fecere novique Pectore*] *Cepere* antiqui fere omnes. Avienus Prognosticis, 'cape sollers singula mente.' Hinc 'capax animus:' et 'concipere mente;' quod passim apud scriptores occurrit. Veram lectionem jam vidit sagacissimus Gronovius Observat. lib. II. 3. qui illic consulatur. *Heins.*

65 *Quærebam fratres*] Quærebam in eadem bibliotheca cæteros libros ab Ovidio compositos; tanquam fratres meos ab ipso genitos.

66 *Non genuisse pater*] *Parens* in melioribus scriptis et priscis editionibus. Malim etiam *optarit;* nam *optarat* est in quibusdam. *Heins.*

67 *Custos e sedibus illis*] *De sedibus* nonnulli. Scribe *me sedibus.* Idem.

68 *Sancto loco*] Quia quasi quoddam templum sapientiæ, quia nihil sanctius ac venerabilius. *Pont.*

69 *Altera templa peto*] Sunt qui hic de templo Magnæ Matris intelligant. Plerique de templo Vestæ: magis placet, propter sequens carmen, Libertatis atrium intelligas, quod ab Asinio Pollione erectum est. *Vicino Theatro*] Theatro Marcelli, aut Cornelii Balbi, propinquo. *Mer. Altera templa peto*] Quid si de templo, sive æde Herculis Musarum intelligamus, quem Musagetem Græco nomine vo-

caruut? cujus auctor extitit Martius Philippus, ut Sueton. tradit. Bersman. vult esse Veneris Victricis templum vicinum Pompeii theatro. Vel, ut alii, Marcelli. *Micyl.*

73 *In genus auctoris miseri*] In libros, filios infœlicis Ovidii.

74 *Et patimur fugam*] Et nos libri Ovidii fugamur.

75 *Et illi*] Et Ovidio.

77 *Neque enim mihi turba roganda est*] Malim *roganda es.* Deos enim alloquitur. *Heins.*

ELEGIA II.

2 *Lycaonio sub axe*] Sub Septentrionali plaga, sic appellata a Callisto Lycaonis filia, quæ in majorem ursam mutata, Lycaonia a Poëtis nominatur.

3 *Nec stirps Latonia*] *Latoia* quatuor veteres. Junianus *Latoica.* Met. VIII. ‘ In quibus auratam proles Latoica fertur Deposuisse lyram :’ ita meliores scripti. Et postea, ‘ Ipsa suis licet hunc Latoia protegat armis.’ Lib. XI. ‘ Laomedonteis Latoius adstitit arvis.’ Lib. VII. ‘ Inde Calaureæ Latoidos aspicit arva.’ Trist. V. 1. ‘ Cum faceret Nioben orbam Latoia proles :’ ut scribendum esse censeo. Hinc et *Latous* pro *Latonius* passim apud poëtas Apollo. Codices tamen vetustissimi libro VII. et VIII. *Letoidos* et *proles Letoia.* Sic apud Græcos Λητοῖος, Λατοῖος, Æolice. In versibus Varronis Λατῷ pro Λητῴ. Apud Ausonium Epitaph. heroum XXVII. in veterrimo codice Vossiano ‘ Læsi numina Laëtoidum.’ Apud Horatium Od. I. 31. ‘ Frui paratis et valido mihi, Letoë, dones :’ ita antiquissimæ membranæ in bibliotheca Academiæ Leidensis. *Heins. Stirps Latonia*] Apollo Latonæ et Jovis filius, Musarum dux et præses, μουσηγέτης, Poëtarum Deus.

4 *Sacerdoti*] Ovidio. Sunt enim poëtæ Apollinis et Musarum sacerdotes.

8 *Pontus*] Pontus Euxinus, cui adjacet Tomitana ora. *Mer.*

9 *Quique fugax rerum*] Qui forum et lites vitabam. *Pont.*

12 *Diversæ viæ*] Maris et terræ, in quibus utrisque dura passus est citra mortem. *Idem.*

13 *Suffecitque malis*] Hoc est, induruit. *Mer.*

15 *Ventis dubius jactabar et undis*] *Terris dubius* veteres plerique: sic lib. IV. 8. ‘ Non ita Dis visum, qui me terraque marique Actum Sarmaticis exposuere locis.’ *Heins.*

18 *Et pœnæ tellus meæ*] Et terra mei exilii. Designat autem Tomon.

19 *Nil nisi flere libet*] *Vacat* Hafniensis. Met. X. ‘ tum denique flere vacavit.’ *Heins.*

20 *De verna aqua*] De nive, quæ liquescit vere, et fit aqua.

23 *Nostri sepulchri Janua*] Sæpius se mortem evasisse dicit.

28 *Quam Deus unus habet*] *Quos* plerique veteres; et recte. *Heins. Deus unus*] Augustus. *Mer. Participes iræ*] Lib. I. Eleg. 2. oravit Deos, ne magni Cæsaris iræ subscriberent, quos hic dicit participes iræ unius Dei, Augusti scil. cum quo in caput Nasonis conspirasse censendi sunt. *Pont.*

ELEGIA III.

1 *Hæc mea, si casu*] *Si conjux* scripti quidam et priscæ editiones. *Heins.*

3 *Ignoti orbis*] Scythiæ, ad quam perquam pauci accedunt: et ideo 'ignotum orbem' appellat. *Mer.*

4 *Incertusque meæ pene salutis eram*] Versus suspectus. *Heins.*

5 *Quem mihi nunc animum*] Scribe cum Leidensi codice, *Quid mihi nunc animi;* et vide quæ notamus ad lib. I. Metam. vs. 359. *Putes* etiam, pro *putas*, multi veteres. *Idem.*

8 *Terraque nescio quo*] Quia inculta, sterilis, inamœna. *Pont.*

14 *Et subit affectu nunc mihi quicquid abest*] *Affecto* scribendum cum uno codice; idque jam vidit politissimus Naugerius: 'adfectus,' graviter ægrotans. Seutonius Tiberio, 'Affectum reperit, sed tamen adhuc spirantem.' Festus, 'Adfecta fœmina vel in bonam partem dicitur, velut honorata: vel in malam, quasi in extremum periculum adducta;' sic recte castigavit Passeratius: nam libri nonnulli veteres *adfectata:* vulgati *adsectata.* Heins.

16 *Et plus in nostro pectore parte tenes*] Bersmannus ex suo codice reponit *pectore cara tenes;* quomodo et sex nostri. Plures alii *partis habes.* Nil muta. Trist. v. 11. 'Barbarus et tecti plus quoque parte tenet.' Cydippe, 'Omnia cum faciam, cum dem pia tura Dianæ, Illa tamen justa plus tibi parte favet.' Lucretius lib. II. 'Plus ut parte foras emergant exsiliantque.' Virgilius initio Georgic. 'Scorpius et cœli justa plus parte relinquit.' *Idem.* *Et plus in nostro*] Plus quam partem tenes, seu potissimam partem in pectore meo tenes. *Pont.*

21 *Si jam deficiam suppressaque lingua palato*] Locus corruptus; nec juvant libri veteres. Scribe, *Si jam deficiat suppresso lingua palato*, vel *Si me deficiat:* regit enim id verbum Ovidio semper quartum casum. Locus huic geminus Pont. I. 3. 'Et jam deficiens, sic ad tua verba revixi, Ut solet infuso vena redire mero.' Superiori versu pro *amentis ore* primus Vatic. *amanti.* Lege *amenti ore.* Heins.

22 *Instillato mero*] Vino leviter infuso: vinum enim reficit vires.

23 *Dominam*] Te uxorem. *Resurgam*] Convalescam.

25 *Tu forsitan istic*] *Illic* meliores. *Heins.*

27 *Liquet hoc carissima nobis*] *O carissima* cum tribus libris. Vide Notas ad Epist. I. 101. *Idem.*

34 *Vel præcepisset mors properata fugam*] Primæ editiones plurimique scripti, *præcessisset.* Si quid mutem, refingam *prævenisset* aut *prævertisset: dilata fuisses* Hamburgensis etiam; magis poëtice. Trist. v. 4. 'Sæpe etiam mœrens tempus reminiscitur illud, Quod non præventum morte fuisse dolet.' *Idem.*

35 *Integer*] Incolumis, nondum mulctatus exilio. *Bersm.* *Reddere vitam*] *Lucem* recte primus Vaticanus et Leidensis. *Heins.*

43 *Nec cum clamore supremo*] Solebant cadavera ablui calida aqua, et per intervalla conclamari. Servabantur enim septem diebus, et calida abluebantur aqua, et post ultimam conclamationem comburebantur.

44 *Languentes oculos claudet amica manus*] Primæ editiones et plurimi ex scriptis *Labentes oculos condet:* recte 'Labentes oculi,' quos 'fugientes' vocat Epicedio Tibulli. Vide

quæ noto ad Eleg. 5. lib. III. Amorum. Propertius, ‘Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos.’ Idem Eleg. I. 3. ‘Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis;’ ubi male *lassam* Lipsius Ant. Lect. l. IV. 11. reponit: et l. II. Eleg. 15. ‘Illa meos somno lapsos patefecit ocellos:’ male illic *lassos* nunc extat: nam nisi jam *lapsos* non poterat Cynthia patefacere. ‘Oculi morte cadentes’ Statio lib. III. Sylvarum ad Claudiam uxorem. ‘Condere oculos’ pro Claudere etiam familiare Nostro est. Idem Propertius lib. IV. Eleg. ult. ‘Te Lepide, et te Paule, meum post fata levamen, Condita sunt vestra lumina nostra manu:’ ita enim malo, quam *vestro sinu* quod nunc legitur. *Heins.*

46 *Indeploratum*] Non defletum, ἄκλαυστον. *Indeploratum barbara terra teget*] Ἄκλαυστος, ἄταφος. Sic Plaut. insepultum defodere. Hinc defleti dicebantur, quibus plenus mortis honos redditus. Lucan. VIII. Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. ‘Membra toro defleta reponunt.’ Virgil. VI. Ubi hunc ritum plene describit.

47 *Ecquid, ubi audieris*] *Ut audieris* rectius multi. *Heins.*

52 *Lux mea*] Ne quis putet, in meretriciis tantum blandimentis frequentari illa, lux, vita, desiderium, anima, &c. etiam in conjugalibus, &c. usurpantur: et justius utique in his quam in illis. *P.* *Raptus ero*] Malim *ego.* Heins.

53 *Tunc me periisse putato*] Ejecto e patria mors est civilis.

57 *Quod potes*] *Quam potes* multi. Nonnulli etiam *Qua.* Vide Notas Remed. Amor. vs. 325. *Heins.*

58 *Ad mala jam pridem*] *Ad quæ* multi veteres recte: nec pauciores *Ut quæ.* Quid si reponatur? *Quorum jampridem non rude pectus habes.* Sic ‘juvenci rudes operum’ Fast. I. et ‘draco somni rudis’ Met. VII. ex antiquis libris. *Idem.*

59 *Atque utinam pereant animæ*] Utinam, inquit, ex Epicureorum sententia, cum corporibus animæ interirent. Nam ita aversabatur Barbaros illos, ut ne post mortem quidem, sola anima inter illorum animas esse velit; et potius in nihilum recidere cupiat.

60 *Pars mea nulla*] *Pars mihi* quinque scripti; rectius: et *vacuam auram* mox pro *vacuas auras* plerique. *Heins.*

61 *Nam si morte carens*] Hoc Pythagoras apud Ovidium in Metamorphos. apertius docet: ‘O genus attonitum gelidæ formidine mortis! Quid Styga, quid tenebras, et numina vana timetis, Materiam vatum, falsique pericula mundi? Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis. Morte carent animæ.’

67 *Non vetat hoc quisquam*] *Nec* sex antiqui. Puto *Nec vetet hoc.* Heins. *Non vetat hoc quisquam*] Nemo sepulturæ officium negat. *Fratrem Thebana peremptum Supposuit, &c.*] Antigonem designat, Œdipodis Thebarum regis filiam, quæ fratrem Eteoclem sepelivit: quamvis Creontes rex Thebarum eos qui in bello Thebano perierant insepultos jacere voluisset, ut elegantissime cecinit Papinius in ultimo Thebaidos.

69 *Et amomi pulvere, &c.*] Amomum est genus herbæ odoratissimæ: Armenicum cæteris præstat, fulvi coloris, habensque lignum subrufum, abunde odoratum. In conservandis enim cadaveribus amomum adhiberi solet, ut docet Trist. III. Eleg. 3. *Ciof.*

70 *Condita pone loco*] *Solo* primæ editiones et scripti plerique. *Heins.*

75 *Quisquis amastis*] *Quicquis* opt. Vatic. alii tres *quicquid:* Medonianus *quisquid.* Puto *si quid amasti,* pro, si amasti. Sic Fast. III. 87. ‘si quid vacas,’ pro, si vacas. Epist. VI. ‘si quid adest,’ pro, si adest, ex membranis. *Idem.*

76 *Molliter ossa cubent*] In cippis inscribebantur hæ litteræ S. T. T. L. Sit tibi terra levis.

77 *Hoc satis in tumulo est*] *In titulo est* prim. Polit. et decem alii; recte: nisi quod malim *in titulos:* titulum sepulchralem innuit. *Heins.*

81 *Feralia munera*] Inferias dicit. Quomodo autem inferiæ mortuis fierent, et quomodo in his uterentur coronis, docet Ovidius lib. II. Fastorum. *M.*

82 *Deque tuis lacrymis*] Magis Ovidianum erit si legas *Deque suis lacrymis.* Vide Notas ad Epist. XX. 76. *Deque tuis lacrymis serta*] De floribus quibus tumuli conspergerentur, et coronis sive sertis quibus ornarentur. Plin. lib. XXI. 3.

ELEGIA IV.

5 *Vive tibi*] Tecum habita. *Mer.* *Vive tibi*] Platoni est τὰ ἑαυτοῦ πράττειν. Vide Stephan. Schediasm. lib. I. 11. Jubetur autem sua mediocritate esse contentus. *Bersm.* *Prælustria*] Præclara atria.

7 *Nam quanquam soli*] Distichon hoc nugatoris alicujus est, non Nasonis. Superiori versu, pro *prælustri arce*, veteres majori ex parte *igne:* nil muta. Lib. I. 1. 'Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.' *Heins.*

10 *Plus timoris*] Majorem formidinem.

11 *Aspicis, ut summa*] Levis cortex solet in summa aqua natare, nec mergi: at retia magno plumbi pondere mergi solent. Per corticem autem levem; et homines tenues; per plumbum vero, potentes designat, qui ut plumbum graviore casu clientes præcipites trahunt quo volunt.

14 *In qua debebam*] *Debueram* rectius tres veteres. *Heins.*

15 *Dum tecum vixi*] Scribe, *Dum mecum vixi;* sic supra 'Vive tibi.' Pari modo 'secum habitare' et similia occurrunt apud antiquos. *Idem.*

19 *At miser Elpenor*] Elpenor apud Circen ebrius, dum sociorum strepitus abeuntium audit, et abire properat, pronus e longis lapsus scalis, collum fregit. *Miser Elpenor*] Homer. Odyss. Λ. 'Hic, nimius quondam vini, jam pocula damnat: Quique sit ostendit sobrietatis honos.' Et Odyss. K. 'Mentis inops, victusque mero, non utilis armis Elpenor pretium triste bibentis habet.'

20 *Flebilis umbra*] *Debilis* meliores magno numero; quod et ad Statium deprehendit acutissimus Gronovius. Alluditur ad lapsum Elpenoris. *Heins.*

22 *Icarus immensas nomine signet aquas*] Diximus de hoc loco supra lib. I. 1. 90. Superiori versu lege *agitarit*, pro *agitaret;* ut τῷ *signet* melius id respondeat. *Idem.*

24 *Non habuere*] Puto *nonne habuere;* quicquid membranæ obnituntur. *Idem.*

25 *Bene qui latuit, bene vixit*] Quicunque humili fortuna contentus latuit, tutus vixit. *Mer.* Λάθε βιώσας. Horat. 'Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.' *Bersm.* *Intra Fortunam*] Præfero *infra Fortunam* ex quatuor scriptis: nec aliter lego apud Propertium l. III. Eleg. 8. 'Mæcenas eques Hetrusco de sanguine regum Infra Fortunam qui cupis esse tuam.' Seneca Medea Act. III. 'Fortuna

semper omnis infra me stetit:' ita optimus Mediceus. Noster infra lib. v. 8. 'Non adeo cecidi, quamvis dejectus, ut infra Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest.' *Heins.*

27 *Non foret Eumedes*] Male *Eumenides* et *Emetrides*, et similia, scripti. *Δόλων Εὐμήδεος υἱὸς* Homero Iliad. K. *Idem.* *Non foret Eumedes orbus*] Dolonem designat, Eumedis filium. Virgil. in XII. Æneid. Hic (ut Iliad. lib. x. scribit Hom.) missus speculator ad Græcorum castra, pactus pro remuneratione Achillis equos, in Diomedem et Ulyssem incidit, qui speculatum quoque ibant ad Trojanos: illi promissa impunitate, Trojanorum consilia ab eo didicere. Inter cætera facti certiores de adventu Rhesi, Dolonem interficiunt: Thracum castra aggrediuntur; equi inde abducti sunt.

29 *Nec natum flamma*] Phaëthonta intelligit, de quo diximus supra. Dictus est autem Phaëthon, a luce ardoris sui, ut scribit Servius; *φαεινὸς* enim lucidum significat. Ab irato enim Jove fulmine ictus, in Padum cecidit, qui ab eo Eridanus Græce dicitur. *In arbore natas*] Heliades accipe, quæ in populos mutatæ sunt, ut notum est ex secundo Ovidii Metam.

30 *Cepisset genitor si Phaëthonta Merops*] Eleganter dictum: Merops Phaëthontem non cepit, quia Phaëthon ad majora aspirabat, non contentus hoc patre, seque Solis filium volebat credi. Cave igitur quicquam in hoc loco mutes cum iis, qui *Flexisset* reponunt. *Heins.* *Genitor Merops*] Clymenes maritus, et Phaëthontis pater putativus. *Mer.*

32 *Propositique precor*] *Memor* rectius editiones nonnullæ, et scripti quatuor apud me. *Heins.* *Propositique memor, &c.*] Non significat mutationem consilii, ut Merula exponit, sed moderationem: ut sit sensus: Moderata propone tibi, ac tempera cupiditatibus tuis, ne, dum altiora conaris, in periculum incidas. *Micyll.*

37 *Vidi ego te tali vultu*] Aut *luctu* est legendum, aut scribendum versu proximo, *Qualia credibile est ora fuisse mihi:* sed priori conjecturæ accedo. *Heins.*

41 *Semotum amicum*] Plurimi veteres et editiones priscæ *submotum;* quod efficacius. Pont. III. 4. 'Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum.' Trist. IV. 2. 'Hæc ego submotus, qua possum, mente videbo.' Eleg. 9. 'Ut Scythicis habitem longe submotus in oris.' *Idem.*

44 *Amicitias et tibi junge pares*] Sic et Curtius: 'Nam et firmissima inter pares est amicitia.'

45 *Quod adhuc non exulat*] Cujus fama adhuc non potuit exulare, propter claritatem et memoriam.

46 *Scythicus Pontus*] Mare Euxinum, quod Scythiam alluit.

47 *Proxima*] Quidam codices novam hinc elegiam ordiuntur; non male. *Heins.* *Erymanthidos Ursæ*] Ursæ Arcadicæ, ab Erymantho monte in finibus Arcadiæ; per quem, ursam majorem significat.

49 *Bosporus*] *Bosporos* prim. Vatic. Combii, et tres alii. *Scythiæque paludes* etiam plurimi scripti cum priscis editionibus. Vide Notas ad Epist. Hypsip. *Heins.* *Bosporus*] Cimmerium Bosporum accipe, non Thracium. Committitur autem paludi, quam Mæotidem appellamus. Cimmerius autem appellatur, a Cimmerio oppido Scythiæ. *Et Tanais*] Tanais, a septentrione ad meridiem vergens, in mediam fere Mæotida defluit, et Europam ab Asia dividit, ut Curtius docet. *Mer.*

50 *Vixque satis noti nomina pauca loci*] Scribo *soli;* et *nomina rauca:* hoc est, nomina ingrati et barbari soni. Sic infra Pont. 'Et raucum Getico murmur in ore fuit:' hoc est, dissonum. Potest tamen et ferri *τὸ loci*, ut locos parum notos rauca nomina per appositionem appellet. Infra Eleg. 10. 'Sauromatæ cingunt fera

gens Bessique Getæque; Quam non ingenio nomina digna meo!' *Heins.*

57 *Ante oculos errat domus, urbs, et forma locorum*] Numeri duriores satis arguunt versum esse mendosum. *Errant* in multis veterum; unus *aderat;* alius *hæret;* Medonianus, *Ante oculos urbs ac hæret fortuna locorum.* Hamburgensis inter vetustiores, *Ante oculos domus urbis erat et forma locorum.* Puto scribendum, *Ante oculos urbisque domus et forma locorum est.* Sequentia confirmant, 'Conjugis ante oculos, tanquam præsentis, imago est:' ait domos urbis et locorum formam oculis suis obversari. Vide Notas Pont. II. 4. vs. 7. 'Stare' et 'esse ante oculos' usitatum nostro. Pont. II. 10. 'Ante tuos oculos, ut modo visus, ero.' *Idem.*

61 *Levat hæc*] *Hoc* cum scriptis potioribus. *Idem.*

64 *Dicere quos cupio*] Malo *cupiam.* Idem.

67 *Gratique erat instar amoris*] *Honoris* bene unus Vaticanus: ut jam monui Fast. II. 633. *Idem.*

73 *Scite tamen*] Etiam hoc distichon importune hic videtur inculcatum. *Idem.*

75 *Et qua quisque potest*] *Quam potest,* pro quantum, plerique veteres: dixi Remed. Amor. vs. 325. Deinde pro *oro,* optimus Vaticanus cum alio et Rottendorph. *aliqua;* neque aliter optimus Palatinus. Sic Virgilius, 'Et si non aliqua nocuisses.' Pont. II. 7. 'Adjuvat in duris aliqua præsentia rebus:' sic ex vestigiis veterrimi libri lego. Et Pont. II. 8. 'Præsentes aliqua prosit habere Deos:' ubi similiter in vulgatis peccatur. Lib. III. 4. ubi perperam *aliqua ope,* nonnulli scripti, 'Et regum vultus, certissima pignora mentis, Juvissent aliqua forsitan illud opus.' Et eadem Elegia, ut scribendum puto, 'Et gaudere aliqua res mihi visa nova est.' *Idem.*

76 *Manum*] Auxilium. *Mer.* *Fidam projecto*] Projectus hic est neglectus, contemptus: quo numero sunt exules. *Pont.*

78 *Rogetis idem*] *Opem* rectius Combii, Hamburgensis, et alii nonnulli. Sic Pont. de Pompeio, 'Submissa fugiens voce rogavit opem.' *Heins.*

ELEGIA V.

1 *Usus amicitiæ*] Consuetudo, ipsa amicitia.

2 *Non ægre possit*] *Posses* scripti. *Heins.*

4 *Nave mea vento forsan eunte suo*] Hoc est, quia tum fortassis navis mea suo, id est, secundo vento ferebatur, eaque fortuna mea esset, ut a te impensius amarer. *Micyll.*

5 *Cunctique meam fugere ruinam*] *Metu fugere* primæ editiones, pr. Vatic. aliique multi; quod Ciofano arridebat. Scribe *metu fugere ruinæ;* ut optimus Palatinus et Naugeriani codices agnoscunt. *Heins.*

11 *Visosque notavi*] An *videre* et *notare* non est unum idemque hoc loco? veteres fere omnes, *visusque* cum primo Politian. an *visuque notavi?* Idem.

15 *Brachiaque excepi*] *Accepi* veteres. *Idem.*

18 *Scis Charum veri nominis*] Quia Charum illum appellaverat, ostendit

in ejus vi verbi verum amoris nomen designari: χάρις enim *gratiam* significat et *amorem*. M. *Scis charum veri nominis*] Hoc est, Intelligis te interea Chari nomine, loco proprii nominis appellari, quando proprium tuum quod est, periculi causa ponere aperte non licet. Quod propterea a poëta additum videtur, ne quid ipse in nomine errasse videretur. *M.*

26 *Posse Dei*] Malim *Deo:* nam alter Polit. *Duci.* Heins.

27 *Sive hoc contingere fas est*] *Sive id* veteres. *Idem.*

29 *Quæque tibi est linguæ facundia*] Quidam τὸ *est* non agnoscunt. Scribe *tibi linguæ est;* atque ita Medonianus. *Idem.*

31 *Quo quisque est major, magis est placabilis iræ*] *Quo quis enim major* venuste optimus Vaticanus et tres alii ex melioribus. Pro *iræ* Gottorph. *ira:* lego, *magis hoc placabilis ira est;* vel *magis huic.* Vide Notas Metam. VIII. 399. 'Iræ magis placabilis,' pro placabilioris. *Idem.*

38 *Dardanii senis*] Priami petentis ab Achille Hectoris cadaver. *Dardanii lacrymas non tulit ille senis*] Sed pretio redemtus Hector. Quod Virg. salse tangit: 'Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.' Ad quod alludit Plaut. Mercat. II. 4. 'Achillem orabo, aurum mihi det, Hector qui expensus fuit.'

39 *Quæ ducis Emathii*] Alexandrum Macedonem dicit. Macedonia enim ante Emathia cognominata est. Nam Porum, cum et ipsum, gravi prælio superatum, captivum abduxisset, postea non solum dimisit, sed et ampliore regno donavit. *Micyll. Pharos*] Leidensis *Porus:* quod Naugerio probatum et Fabricio et Bersmanno. Unus Gallicus *foros;* hoc est, *Poros:* recte. Pro *Præclarique* duo *Pompeique;* unus *Dardaniique;* codex Petri Servii *Phariique.* Locus manifeste corruptus. Quænam enim hæ sint exequiæ non exprimit; nec Pori sunt, qui Alexandro supervixit. Scribe, *Dariique docent funeris exequiæ.* Primam enim et secundam in hoc nomine syllabam produxit etiam in Ibide Noster, 'Utque necatorum Darii fraude secundi.' Et Claudianus epistola ad Hadrianum, 'Darium famulis manibus doluisse peremptum Fertur et ingenti solatus fata sepulchro. Tradita captivo spatiosior India Poro.' Vides Porum et Darium etiam hic conjungi. Darius Græcis Δαρεῖος. *Dareus* in veterrimis Curtii libris. *Heinsius.*

40 *Præclarique docent funeris exequiæ*] Darii regis, cui funus fecit magnificentissimum.

41 *Flexas ad mitius iras*] *Ad amicius* quidam. *Heins.*

42 *Junonis gener est*] Herculem dicit, qui Heben Junonis filiam uxorem duxit, ut Seneca in Octav. 'Deus Alcides possidet Heben, Nec Junonis jam timet iras, Cujus gener est, qui fuit hostis.'

50 *Est habuisse meos*] *Meum* alii; quod Naugerius et Ciofanus sequuntur: quatuor *mihi.* Heins.

53 *Spes igitur superest facturum ut molliat ipse*] Pro *facturum ut molliat,* Hafniensis, *ut nostram molliat:* Combianus pro diversa lectione, *futurum;* ut et quidam alii: prim. Palat. *fatorum.* Scribe, *Spes igitur superest, ut molliat ipse, futurum Mutati pœnam conditione loci.* Vulgata scriptura parum Latina est, nisi reponas *facturum ut molliat ipsum.* Idem.

55 *Hoc utinam nitidi solis prænuncius ortus*] Carmen mendosum. *Hæc utinam* quatuor scripti; unus *Nos;* Barberin. et Hafniensis *Hunc.* Scribe, *Hunc utinam nitidi Solis prænuncius ortum Afferat admisso Lucifer albus equo:* 'ortum' pro die oriente posuit, aut Solis exortu. Apposite Seneca Œdipo, 'Jam matutinos prædicit Lucifer ortus.' Vide infra notas lib.

IV. 2. vs. 73. *Idem.* *Hoc*] Ut pœna mutetur.

56 *Admisso equo*] Celeri equo. Elegantissime enim equi 'admitti' dicuntur, cum impelluntur: ita currus et alia. *Ciof.*

ELEGIA VI.

1 *Non vis*] *Nec vis* meliores. *Heins.*

5 *Populo testatus*] Probatus populo.

7 *Quique est in caris animi tibi candor amicis*] *Quique erat* tres veteres: unus *Qui fuit.* Sed lege *raris amicis.* Sequenti versu pro *isti* meliores *ipsi:* et pro *ipse* tres optimi *iste.* Puto *ipsi Deo:* hoc est, Augusto. Sed subest etiamnum aliquid mendi his versibus. *Idem.*

8 *Quem colis ipse*] Quem suspicis et veneraris. Fortasse Augustum designat. Vel certe, amas: et amicum aliquem denotat suppresso nomine.

9 *Nil ita celabas*] Notatio intimæ familiaritatis ab effectis. *Bersm.* *Ut non ego conscius essem*] Scribe, *cui non ego conscius.* Cum tertio enim casu frequenter jungit hanc vocem Noster. Metam. VI. 588. *Heins.*

10 *Pectoribusque dabas multa tegenda meis*] Tanaquillus Faber in epistolis reponit, ex conjectura, *cuncta tegenda:* jam enim superiori versu dixerat noster, nihil sibi celatum fuisse ab hoc amico. *Idem.*

11 *Cuique ego narrabam*] Lege *narrarem.* Idem.

16 *Omne bonæ et claudunt*] Τὸ *et* abest a plerisque scriptis. Hoc etiam distichon male feriati nescio cujus interpolatoris est. Sequentibus etiam versibus otiosa illa repetitio *τοῦ tamen* suspecta est. *Idem.*

18 *Seu ratio fatum*] Ex Stoicorum sententia, Fatum esse inevitabile dicit. De vi autem, et fati necessitate, vide Gell. lib. VI.

21 *Et si quas fecit tibi gratia vires*] Si quid vales gratia apud Cæsarem. *Mer.* *Vires*] Auctoritatem cum potestate juvandi amicos. *Bersm.*

26 *Principiumque mei*] Puto *Præcipuumque.* Heins.

27 *Nec breve, nec tutum est*] *Leve* Gottorphianus; bene. Τὸ *est* etiam omittunt plerique. At Pont. libro I. 6. 'Nec leve, nec tutum peccati quæ sit origo Scribere.' Sic et ibi veteres nonnulli. *Idem.*

29 *Tempus Illud*] Quo Augustum læsi.

30 *Fit novus ipse dolor*] *Pudor* pr. Vatic. pr. Pal. et tres alii ex melioribus. Quod si admittamus, sequens distichon erit delendum, quod non uno nomine est suspectum; in quo *possunt* pro *possint* veteres plerique: et *cæca nube* pro *nocte* octo antiqui aut novem. *Heins.*

36 *Nomina si factis*] *Facto* plerique; *fatis* Arondelianus. *Idem.* *Nomina si facto*] Si velis nomina rebus respondere.

37 *Quæ si non ita sunt*] Pont. I. 3. pari modo: 'Ut tamen hæc ita sint, munus tua grande voluntas Ad me pervenit.' Proximo versu cum melioribus *suburbana hæc* pro *hic.* Heins.

38 *Suburbana hæc sit mihi terra*] Sit mihi quasi suburbium. Vel non modo, inquit, ad longius proficiscar exilium, sed etiam volo ut suburbana alicujus urbis Scythiæ magis periculosa et

hostibus exposita, quam Tomos, ad majus supplicium, si non loquor vera, sint mihi exilium. *Alium locum*] Quin tu me alio deportandum cures, caussam non dico. *Pont.*

ELEGIA VII.

9 *Ad Musas reverti*] Cicero libros suos vocat veteres amiculos.

11 *Studiis communibus*] Studiis poëticis: quæ mihi tecum communia sunt. *Ecquid inhæres*] Numquid das operam? *Ecquid inhæres*] *Ut quid* duo veteres: et *num* pro *non* sequenti versu unus Vaticanus; quod et Ciofanus notarat. Sed recte *more non patrio;* quia res insolens apud Romanos poëtria. *Heins.*

12 *Non patrio*] Pro externo ac Græco more; propter illud, quod infra sequitur, 'Sola tuum vates Lesbia vincet opus.' Ut intelligamus, lyrica illam scripsisse, Sapphus exemplo, quod genus carminis Latinis hactenus inusitatum et seu peregrinum fuerat. Id quod et Horatius testatur, quum dicit, 'carmina non prius audita.' *Micyll.*

14 *Et raras dotes*] *Caras* prim. Vat. Rottendorph. et Gottorph. *claras* Richelianus; puto, *Clarias dotes.* Superiori versu *cum fatis* scripti omnes et primæ editiones, non *cum facie:* utrumque rectum. 'Natura cum fatis dedit,' pro, Natura et fata dederunt. De facie ejus et forma post aget. *Heins.*

15 *Hoc*] Scilicet tuum ingenium. *Pegasidas ad undas*] Ad fontem Musarum, quem equus alatus Pegasus, pede fodiens, effecit. Fabulam refert Hyginus. Ovid. Metam. IV. Designat autem Ovidius se primum filiam docuisse artem poëticam.

18 *Utque pater natæ*] *Pater nemo* pr. Politian. *pater Veneris* alter ejusdem, et Hamburgensis, et unus Mediceus; duo *venis;* Junianus *juveni;* alius *veni;* duo *nati;* quatuor *venæ;* totidem, *Utque patet venæ:* latet ulcus. *Heins.*

19 *Ignes iidem*] Iidem calores Apollinei: ardores ingenii.

20 *Sola vates Lesbia*] Sola vates Sappho ex Lesbo insula. *Vincet opus*] *Vincat* bene Leidensis. *Heins.*

23 *Dum licuit, tua sæpe mihi*] Puto *tua sæpe tibi:* nam de recitante Perilla proximo hexametro habes. Mox etiam *Sæpe tuis judex,* hoc est versibus, opinor scribendum. *Idem.*

27 *Quia me læsere libelli*] Malim *quo:* vel *extemplo.* Idem.

28 *Facta ruina meæ*] *Facta secuta* sex septemve ex melioribus: duo *fata secuta:* codex Servii *pars bona facta.* Muretus conjiciebat *facta remissa:* nam sequitur, 'Ergo desidiæ remove doctissima causas;' quod probo: atque ita in Epistolis Tanaquillus Faber. *Idem.*

30 *Fœmina nulla Neve vir a scriptis*] Quidam *fœmina non sit Devia, nec;* quod secutus est eruditissimus Gronovius Observat. lib. II. 3. alii scripti *fœmina nulla Devia ne,* vel *de scriptis:* duo *Nec juvenis scriptis.* Idem.

32 *Et tua sacra redi*] An *castra?* ut Epist. Herus, 'In tua castra redi, socii desertor amoris.' *Idem.*

34 *In antiqua fronte*] In fronte jam senio confecta.

35 *Injiciet manus formæ*] Formam

sibi vindicabit, et turpem reddet. *Damnosa senectus*] Senectus quæ juvenes damno afficit.

36 *Strepitum passu non faciente*] Id est, gradu qui non sentitur. Obrepit enim non intellecta senectus.

39 *Sunt et opes modicæ*] *Sunt tibi opes* plerique. *Heins.*

42 *Irus et est subito, qui modo Crœsus erat*] *Cossus* pr. Polit. multi alii *Crassus:* alii aliter: nil muta. Propertius, 'Lydus Dulichio quid distat Crœsus ab Iro?' Superiori versu, pro *Nempe dat et quodcunque*, unus Mediceus, *cuicunque.* Scribe, *Nempe dat has cuicunque libet;* opes nimirum. Pro *et* nonnulli *id.* Posset et legi, *Nempe dat ut quodcunque libet Fortuna, rapitque:* ita et rapit, etiam rapit: sed hoc durius. *Idem.*

43 *Singula ne referam*] *Quid referam* nonnulli: ut Amor. I. Eleg. 5. 'Singula quid narrem? nil non laudabile vidi.' *Idem.*

45 *En ego*] Tollit interdum spiritus poëta, et se ita sperata æternitate sua in medio miseriarum suarum consolatur. *Pont.*

49 *Qui licet*] Invidiosum hoc Cæsari. Repone igitur *Quilibet* cum membranis plerisque, et antiquis editionibus. *Heins.*

51 *Dumque suis victrix septem de montibus orbem*] *Omnem de montibus orbem* Vatic. Polit. et Palat. meliores, cum quinque aliis; bene: duo *totum.* Idem.

53 *Quam studii maneat felicior usus*] Quæ habeas fœliciorem fortunam ex studiis poëticis, quam ego habui.

54 *Qua potes*] *Quam* octo veteres. Vide Notas ad Remed. Amor. vs. 325. *Heins.*

ELEGIA VIII.

1 *Triptolemi currus*] Currum intelligit, quem a Cerere accepit Triptolemus: fabulam refert Lactantius. Ovid. in Met. et in quarto Fastorum. *Mer. Conscendere currus*] *Consistere curru* pr. Pal. pr. Vatic. et unus Mediceus; etiam probe. Sequenti versu pro *ignotam humum* Richelianus *ignaram.* Heins.

2 *In ignotam humum*] Ignotam semini, quia nunquam expertum erat terram. *Pont.*

3 *Medeæ dracones*] Medea post Peliæ necem, fraude interempti, junctis currui draconibus aufugit, dicente Ovidio in Metamorph. 'Quæ nisi pennatis serpentibus isset in auras, Non exempta foret pœnæ.'

8 *Patriæ dulce repente solum*] *Patriæ tecta relicta meæ* Vossianus pro diversa lectione. *Heins.*

9 *Desertæque domus vultus*] Lege *vultum*, ut κακοφωνία vitetur. *Idem.*

10 *Conjugis ora meæ*] *Mihi* Buslidianus: recte. *Idem.*

11 *Stulte, quid hæc frustra*] *Quid hoc* multi veteres. Lege, *quid o:* et vide Notas ad Epistolam primam. Sequenti versu opt. Vatic. et Rottendorph. *tulit*, pro *mihi; Quæ non ulla tulit fertque feretque dies.* Idem.

13 *Augusti numen adora*] *Augustum numen* cum Hafniensi et Medoniano: sic Pont. IV. 6. 'Certus eras pro me, Fabiæ laus, Maxime, gentis, Numen ad Augustum supplice voce loqui.' Et lib. III. 1. 'E quibus ante omnes Augustum numen adora.' Eadem Elegia 'Augusta domus:' ubi perperam *Augusti* in vulgatis. Fast. I. 'Et tuus Augusto nomine dictus avus.' Et lib. V. 'Spectat et Augusto præ-

textum nomine templum.' 'Caput Augustum' sub finem Metamorphoseon. 'Augustæ aures' Pont. I. 3. 'Pax Augusta' Pont. II. 5. 'Augustus Deus' Pont. III. 6. 'Augustum forum' Fast. V. Pont. IV. 5. et 15. *Idem.*

14 *Et quem sensisti*] *Læsisti* ex quinque scriptis: hinc 'læsi principis ira' Trist. IV. 10. et lib. I. 4. 'Ni fuerit læsi mollior ira Dei,' de Augusto. *Idem.*

17 *Possum*] *Possim* unus Italicus. Mox pro *timeo* malim *timeat.* Idem.

19 *Cum jam satiaverit iram*] *Cum se satiaverit ira* Junianus; eleganter. Epistola Acontii, 'Cum bene se quantumque volet satiaverit ira.' *Idem.*

21 *Quod minus est*] Quæ res est minoris momenti, quam reditum concedere. *Mer.* Vel: Interea quod est minus, licet mihi magni sit muneris loco, oro ut jubeat me ex hoc loco quovis gentium migrare. *Bersm.*

23 *Nec aquæ faciunt*] Nec aquæ, aut alia elementa in Scythia mihi prosunt.

24 *Hei mihi perpetuus*] *Et mihi* pr. Vatic. et pr. Palat. bene. Pro *corpora* unus Gallicanus *pectora:* Art. Am. II. 'Aëre non certo corpora languor habet.' Vide Notas ad Epist. XII. 170. *Heins.*

30 *Nova hyems*] Pro principio et prima parte hyemis. Sic est ver novum, adultum, et senescens. *Pont.*

31 *Mea membra tenet*] Tanquam capta occupat, et in sua potestate habet. *B.*

32 *Causa doloris*] *Laboris* pr. Polit. et tres alii. *Heins.*

35 *Veluti spectabile corpus*] Tanquam si esset corpus conspicuum, et dignum spectatu. *Mer.*

36 *Adstans Fortunæ forma videnda meæ*] *Legenda* uterque Polit. pr. Vatic. plurimique alii ex melioribus: Hamburg. *lugenda:* Petri Servii liber *luenda:* an *tuenda?* pro *videnda* tres alii *verenda;* quod arrisit Gronovio in Observationibus II. 3. Præterea *Adstat* meliores. Ego τὸ *legenda* contra optimas membranas non ausim damnare. Videtur enim ad edictum Cæsaris alludere, quo proscriptus erat, quod chartæ consignatum secum avexisse Nostrum est verosimile. *Heins.* *Fortunæ forma meæ*] Qualitas et deformitas illa meæ conditionis.

37 *Cumque locos*] *Locum* scripti. *Heins.*

40 *Quod non offensas, &c.*] Quod non ferro me interficiendo ulciscatur injurias.

41 *Civiliter*] Me legibus puniendo, non vi et armis: sed ut civem tractari decuit.

ELEGIA IX.

1 *Hic quoque*] Hic etiam in Getica ora sunt urbes Graiæ, non lingua et moribus, sed origine.

3 *Huc quoque Mileto*] Milesii Tomon quoque tenuere, quemadmodum etiam Istropolim, aut quemadmodum aliæ quoque Græciæ coloniæ litus Geticum tenuere. Fuit autem Miletus urbs quondam Ioniæ totius, belli pacisque artibus princeps, a Mileto appellata.

5 *Sed vetus huic nomen, &c.*] Hic aperte significat, Tomon locum a cæde Absyrti nominatum: ubi postea urbem condidere Milesii, servato prioris nomine loci.

7 *Quæ cura pugnacis*] Quæ Argo navis facta cura et tutela Palladis armatæ, quam pictam habuit. Aut ingeniose, curiose, et perite factam intellige. Hyginus etiam docet, eam Argo a celeritate Græce appellatam; vel ab Argo ejus inventore.

8 *Per non tentatas*] Primam navem eam fuisse ait, in quam Argonautæ conscenderunt. *Ciof.*

11 *Quem*] Patrem Medeæ. *Mer.* Æetes rex, fuga filiæ cognita, classe celeriter instructa, eam, ut fugientem retraheret, velis remisque insecutus est. *P.* *Tumulo ab alto*] Ab alto colle Getici littoris. *Speculator*] Aliquis ex Argonautis, vel ex indigenis Scythis, qui collem ascenderat, prospecturus an eos, qui rapto aureo vellere aufugerant, ex Colchide aliqui insequerentur.

12 *Hospes, ait, nosco Colchide vela venit*] *Vela dari* plerique veteres cum priscis editionibus. *Colchida* etiam plurimi: opt. Vatic. *Cholchidus: duo vela dedit;* pr. Polit. *vela velit;* Zulichemianus *vela sequi.* Sed frustra. Scribo, *Hostis, ait, nosco, Colchidi, vela, venit.* Ait, Colchidi, hostis venit, nosco vela. Hæc est constructio. Apposite autem perplexa utitur oratione speculator: quod proprium est consternatorum et trepidantium. Vide Notas Fast. II. 370. *Heins.*

13 *Dum trepidant Minyæ*] Argonautæ sic appellati fuere a regiuncula Thessaliæ.

18 *Pallor in attonitæ Virginis ore fuit*] *Ore sedet* tres scripti; quod amplector. Met. II. 'Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:' neque aliter ex Pirckeimeriano sive Arondeliano Gronovius Observat. II. 3. qui adeatur. Vide et quæ noto Remed. Amor. vs. 268. Scribe præterea *attonito virginis ore* cum Gottorphiano; vulgati *attonitæ.* Heins.

20 *Et pater est aliqua fraude morandus*] *Tenendus* pr. Polit. et pro diversa lectione Gottorphianus. Scribe, *Tenemur, Aut pater est aliqua fraude tenendus, ait.* Si quis τὸ *morandus* malit, nil repugno. *Idem.*

23 *Vicimus, inquit*] Meliores magna copia, *Vincimus;* de quo alibi. *Idem.*

32 *Triste retardet iter*] *Moretur* Vatic. Pal. Polit. meliores, et duo alii. Putabam aliquando *justa morentur iter.* Epist. Herus, 'Quæque tuum miror causa moretur iter.' *Retardandi* verbo tamen usus est supra Eleg. VII. *Idem.*

33 *Inde Tomos dictus locus hic*] *Tomus* pr. Vatic. et quinque alii: pr. Polit. et sex alii ex melioribus *Tomis:* recte. Nam et Straboni l. VII. Τόμις est: etsi legisse in eo videatur Stephanus Τομεὺς, qui eandem de Absyrto historiam recenset. Τόμις etiam Constantino Porphyriogenetæ Themat. II. 2. atque ita apud Nostrum quidam veteres Pont. IV. 14. 'Tam mihi grata Tomis.' Hinc Tomita et Tomitanus derivantur. Scaliger *Tomi* emendabat: quomodo Apollinaris Sidonius, 'Et te carmina per libidinosa Notum Naso tener Tomosque missum.' Ptolemæo quoque Τομοί. *Tomos,* Plinio. *Idem.* *Inde Tomos dictus*] A dissectione, seu dilaceratione, a τέμνω *seco.*

34 *Consecuisse sui*] *Subsecuisse* quinque; unus *desecuisse;* Leidensis *præsecuisse:* nil muta. *Heins.*

ELEGIA X.

3 *Nunquam tangentibus æquor*] Septentrionem designat. Ideo autem revera non cadit, quia quum super nos sit polus Arcticus, semper a nobis videtur. Sic Maro: ‘ Arctos Oceani metuentes æquore tingi.’

4 *Barbaria*] *Barbaris* Hamburgensis: sic infra l. IV. 1. 22. veteres codices. *Heins.*

5 *Sauromatæ cingunt fera gens*] Plinius scribit Pontico littori varias gentes appositas; alias Getas, Dacos a Romanis dictos; alias Sarmatas, a Græcis Sauromatas. *Bessique*] Bessi populi fuere Thraciæ finitimi.

7 *Medio Istro*] Medio inter Tomitanam urbem et Sauromata, carent enim navigiis quibus trajiciant.

8 *Liquidus*] Non gelu astrictus. *Bella*] Quia hostes non possunt aquam tranare.

12 *Axe tremente*] Axe nutante nimio vento.

16 *Bima*] Nix duorum annorum.

19 *Pellibus et sutis arcent mala frigora braccis*] Scribe *arcent male;* quicquid libri veteres dissentiunt: neque hic tantum, sed et l. v. 7. ‘ Pellibus et laxis arcent male frigora braccis.’ Vide Notas Fastor. lib. II. 170. *Heinsius.*

20 *Oraque de toto*] Facies tantum non occultatur. *Bersm.*

22 *Candida barba*] Cana seu candida facta gelu, et quasi argenteis ramentis aspersa. *Pont.*

23 *Nudaque consistunt Vina*] Lege *Udaque;* quod Combianus liber confirmat. Virgil. Georg. III. ‘ cæduntque securibus humida vina.’ *Heins.* *Udaque consistunt formam servantia testæ Vina*] Vina quoque nimio frigore gelata, vase fracto, formam ejus retinent.

25 *Ut cuncti concrescant frigore rivi*] *Juncti* quinque veteres; repone *vincti:* quomodo in Rottendorphiano postea inveni. Pont. l. II. 2. ‘ Terraque pacis inops, undaque vincta gelu:’ ubi perperam Ciofanus *junctaque* ex suis codicibus. Pont. III. 1. ‘ Tu glacie freta vincta tenes:’ quæ et illic vera est scriptura. In Priapeis Epigr. LXIII. ‘ Rigetque cruda barba vincta crystallo:’ sic scribe; vulgati *dura juncta crystallo.* Noster supra Eleg. 2. ‘ Vinctus ab assiduo frigore Pontus habet,’ ubi *Ustus* nunc legitur, non male. *Heins.*

27 *Papyrifero amne*] Nilo, papyrum ferente.

28 *Multa per ora*] Septem enim ostiis Pontum influit.

29 *Cæruleos latices*] Aquas fluentes et cæruleas. *Ventis durantibus*] Ventis astringentibus et congelantibus.

30 *Tectis in mare serpit aquis*] *Strictis* unus. Richelianus pro diversa lectione *tacitis;* quod et Bononiensis unus adstruit. Monui Met. xv. 275. *Repit aquis* præterea Arondelianus. *Heins.* *Tectis aquis*] Coopertis ipsa glacie. *In mare*] In Pontum Euxinum.

33 *Per novos pontes*] Novos appellat glaciem, sub qua currit Ister in Pontum. *Subter labentibus*] *Subtus* Zulich. *Heins.*

40 *Summa fuit*] *Fluit* Buslidianus et Vossii alter. *Idem.*

42 *Angustæ aquæ*] Hellespontum designat, cujus angustiæ in latitudinem sunt stadiorum septem.

43 *In auras*] Nam delphini (auctore

Plinio) tanta vi exiliunt, ut plerumque vela navium transvolent vento.

45 *Jactatis alis*] Venti enim a Poëtis finguntur esse alati. *Jactatis alis*] Hinc auster ales. Virgil. VIII. 'Treis imbris torti radios, treis nubis aquosæ Addiderant, rutili treis ignis, et alitis austri.'

47 *Ut marmore*] Plerique veteres *in*. Puto *seu marmore*. Versu proximo pro *findere remus*, *stringere* duo veteres, non male; totidem *fingere*: quatuor *pendere*; forte pro *tundere*: *fodere* Combianus. *Heins.*

50 *Sed pars ex illis*] Lege, *Et pars*. Idem.

55 *Hostis equo pollens*] Sauromatas arbitror designare Ovidium. Plinius enim l. VIII. scribit, Scythas equitatus et equorum gloria strepere.

61 *Pars agitur vinctis*] Pars capta vincitur et in servitutem abripitur. *Pont.*

71 *Non hic*] Thraciæ regio, quæ Istro pelagoque contingitur, nec cœlo læta est nec solo: eorumque quæ seruntur, maligne admodum patiens. *Pampinea umbra*] *Ulmo* unus Mediceus; venuste. Calpurnius, 'Inter pampineas ponetur vitibus ulmos.' *Heins.*

73 *Nec haberet Acontius*] Cydippes et Acontii fabula nota est Ovidii Epistola.

75 *Aspiceres nudos*] Duo *Aspicio*; unus *Aspicies*, pro *Aspicias*. Vide Notas l. I. 1. Prim. Vatican. cum alio, *Aspiceret*; ut ad Acontium referatur. Sed verius puto refingendum, *Aspicere est*. Heins.

78 *In pœnas meas*] *In pœnam meam* plerique. *Idem.*

ELEGIA XI.

1 *Si quis es*] *Quisquis es*, puto, scripserat Noster. *Heins.*

3 *Nutritus lacte ferino*] *Eductus* quinque: pr. Vatic. pr. Polit. et sex alii *et pastus*. Scribe, *es pastus*. Idem.

5 *Quis gradus ulterior Restat*] Quod aliud malum superest, quod iratus mihi cupias accidere?

6 *Cernis abesse malis*] Malim *credis*. Heins.

8 *Mænalis ursa*] *Parrhasis* duo veteres: sic Fast. IV. 'Parrhasides stellæ;' et Met. II. 'Parrhasis erubuit,' de hac ipsa. *Idem.* *Mænalis ursa*] Ursa Arcadia. Callisto enim, quæ postea in ursam mutata dicitur, fuit ex Arcadia.

19 *Vulnera cruda retractat*] Vulnus quod nondum coivit renovat.

21 *In causa facili*] In causa non difficili ad probandum.

25 *Non sum qui fueram*] *Non sum ego quod fueram* cum pr. Vatic. et uno Mediceo. Uterque Politiani et quidam alii *Non sum quod fueram*: nonnulli etiam, *Non sum ego qui fueram*; bene. Propert. Eleg. I. 12. 'Non sum ego qui fueram: mutat via longa puellas.' *Heins.* *Proteris*] Conculcas, pedibus teris. *Inanem umbram*] Umbram sine corpore, id est, me sine ullis viribus.

27 *Hector erat tunc cum bello certabat*] Quo pacto cæso Hectori insultarint Græci invenies Iliad. X. Ὧδε δέ τις εἴπεσκεν ἰδὼν ἐς πλησίον ἄλλον· Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ. 'Ne strato illudas ignobile vulgus Achivum: Egregie functum sit violare pudor. Non ita spirantem quisquam tetigisset in armis: Nunc

impune licet corpus inane premas.' Οὐ γὰρ ἐσθλὸν κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν. Servius tradit, moris fuisse antiquitus ut interemtos hostium duces omnis percuteret exercitus.

28 *Et idem Tractus ab Hæmonio non erat Hector equo*] *At idem* cum pr. Vatic. Deinde *Vinctus ad Hæmonios equos* cum pr. Polit. eodem Vaticano, et Rottendorphii codice, optimoque Mediceo: quo alludunt multi alii, in quibus *Vectus ab Hæmonio equo.* Heinsius.

30 *Hæc simulacra*] Hoc corpus sine viribus, et hanc fictam imaginem. Simulacra enim proprie sunt mortuorum imagines, quæ ex desiderio mortuorum ortæ sunt: ut qui jam defecerant, vivere viderentur. His autem verbis Poëta se quasi mortuum esse designat, nec quicquam præter simulacrum restare significat.

32 *Sollicitare*] Inquietare. *Manes meos*] Animam quæ a meo corpore discessit.

37 *Carnifici*] Crudelissimo homini.

38 *Mersa parum*] *Mœsta* malo cum Barberiniano et Gottorphiensi: tres *mensa;* unus *versa;* Zulichemianus *pressa.* Heins.

40 *Qui falsum lento torruit igne bovem*] Phalarim designat, Agrigentinorum tyrannum: de quo Paulus Orosius.

41 *Quique bovem Siculo fertur*] Perillum dicit. Eum crudelem fuisse Plin. asserit: et Propert. ' Nonne fuit satius tristi servire tyranno, Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo?' Met.

42 *Et dictis artes conciliasse*] Et verbis ornasse munus atque artificium suum, illudque fecisse acceptius. *Pont.* *Et dictis artes conciliasse suas*] Ἡ χάρις οὐ μακρῶν λόγων δεῖται. Nestor apud Eurip. Troad. Formula conciliandi in Plaut. Truc. II. 7. 27. ' Jussit orare, ut hæc grata haberes tibi.'

43 *Munere in hoc usus rerum est, sed imagine*] Hæc sunt Perilli verba ad Phalaridem regem.

52 *Ipse tuum præsens imbue, dixit, opus*] Unus Mediceus melioris notæ, *indue:* sed nihil temere mutandum est. Pro *præsens,* quæ vox est nihili, Gottorphianus *primus* pro diversa lectione. Scribe *princeps imbue opus:* cujus τὸ *primus* interpretamentum est. De voce *princeps,* vide quæ noto Fast. II. 714. *Heins.* *Imbue*] Incipe. Imbuere enim (auctore Servio) est proprie inchoare et initiare. *Mer.* Vel tu primus experire. Nolo hinc discedas impunitus. *Pont.*

54 *Exhibuit geminos ore gemente sonos*] Nugæ sunt de geminis sonis: diu est quod *querulos sonos* reponendos hic vidi; idque quinque veteres confirmant. Trist. V. 1. ' Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære Edere mugitus, et bovis ore queri.' Pro *Exhibuit* tres scripti cum Hamburgensi *Emisit.* Præterea pr. Polit. *ore fremente;* multi alii *tremente:* sed Propert. ' Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo.' Silius libro XIV. de Perillo, ' Ille ubi torreret subjectis corpora flammis Mutabat gemitus mugitibus, actaque veras Credere erat stabulis armenta effundere voces.' *Heins.*

55 *Quid mihi cum*] Quid crudelitatem Phalaridis et Perilli Siculi refero? *Inter Scythiasque Getasque*] *Scythicosque* plerique; alii *Scythicasque,* vel *Scythasque.* Sed verum est quod melioris notæ Vatic. Polit. Combian. et Mediceus agnoscunt, *Scythiamque.* Passeratius ab lib. II. Propertii Eleg. 16. *Scythiasque* legit ex veteri libro: sed non persuadet. Naso Amor. lib. II. 16. ' Sed Scythiam, Cilicasque feros, viridesque Britannos;' pro *Scythas.* Heins.

57 *Utque sitim nostro possis explere cruore*] Hierocles cum Bizantii esset judicio damnatus, et virgis concisus, manante ex corpore lacerato sanguine judicem adspersit, subjiciens illud Ulyssis apud Homerum, Κύκλωψ,

τῇ, πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.

62 *Neptuni minor est ira*] Homer. Odyss. E. et Odyss. N. 'Perpetuo rebus pater Ennosigæus Ulyssis Additus.' *Quam Jovis*] Quam Augusti. *Rescindere*] Noli iterum crimina mea lacerando commemorare et retractare.

63 *Rescindere crimina noli, Deque gravi duras vulnere tolle manus*] *Rescindere vulnera* repone cum melioribus duodecim; nam alterum vix Latinum est. Sed offendi bonos censores, quod τὸ *vulnere* sequenti versu denuo occurrebat; ubi vel invitis libris *ulcere* refingendum. Rem. Am. 'Vulnusque novatum Scinditur.' Met. XII. 'quid me meminisse malorum Cogis, et obductum leviter rescindere vulnus?' quæ vera est scriptura. Libro I. 'Immedicabile vulnus Ense recidendum est.' Ita et locus iste scribendus, ut illic monebimus. *Heins.*

66 *Facta cicatricem ducere*] Imo *Fata* cum prim. Vatic. Combiano, et tribus aliis. *Idem.*

71 *Non est quid timeas : fortuna miserrima nostra est*] *Tuta est* sex septemve veteres. Forte, *Non es, quem timeam : fortuna miserrima tuta est.* Pont. lib. II. 2. 'Tuta petant alii : fortuna miserrima tuta est. Nam timor eventus deterioris abest.' *Idem.*

73 *Neve hoc ego fingere credar*] *Tibi credar* rectius duo veteres: *me credas* Leidensis. *Idem.*

ELEGIA XII.

2 *Longior antiquis visa Mæotis hyems*] Latet mendum. *Tardior antiqua* priscæ editiones. Arondelianus *Largior.* Bersmannus, *meavit Hyems.* Forte *Bootis* vel *Boreis hyems*, ut infra lib. IV. 8. 'axem Boreum' dixit. Sed ne sic quidem satis intelligas quid velit. Sunt qui reponendum contendant, *Longior a vobis versa Mæotis hyems:* hoc est, Hyems Mæotica jampridem a vobis, qui in Italia degitis, versa est: cui conjecturæ assensum præbere non possum. Cogitabam aliquando, *annisque peracta Tardior antiquis visa Mæotis hyems.* Τὸ *Mæotis* etsi non ignoro quomodo defendi hic possit, tamen valde suspectum est. *Heins.* *Mæotis hyems*] Hyems Scythica. *Mer.* *Longior antiquis*] Micyllum torquet diphthongus in voce *Mæotis* correpta; et ille Eleg. lib. I. 1. de Ponto affert hanc lectionem, *Tardior antiquis visa recedit hyems.* Quibus verbis significat, se jam annum in Ponto fuisse, istamque tamen exactam hyemem multo sibi longiorem visam, quam præteritas ac veteres, quibus Romæ vixit. Hæc ille. Ego vocem *antiquis* non alio, quam ad antegressas hyemes referri posse arbitror. Nisi dicamus eam hyemem, de qua hic loquitur, visam senibus Tomitanis tam longam, ut ejus similem non meminerint. De syllaba in *Mæotis* secunda correpta, certandum non puto. *Pont.*

3 *Impositamque sibi*] Æquinoctium vernum describit. *Qui non bene pertulit Hellen*] Aries, qui postea inter sidera collocatus fuit, Phrixum et Hellen per Hellespontum transtulit. Sed Hellen decidisse in Hellespontum, quam ob causam hic Ovidius Arietem dicit non bene pertulisse Hellen.

4 *Tempora nocturnis*] Arietis signum

ingreditur Sol mense Martio, et vernum æquinoctium efficit. *Pont.*

6 *Ruraque quæ nullo nata serente ferunt*] Valde turbant hic libri veteres: pr. Polit. *Rustica quæ nullo terra serente venit:* sic etiam alter; nisi quod is *gerit;* quomodo et alii nonnulli. At pr. Vatic. pr. Pal. et quatuor præterea ex melioribus, *Rustica quæ nullo nata serente venit:* quidam, *Rustica quas nullo terra serente vehit,* vel *gerit:* quidam etiam, *Pomaque quæ nullo terra serente vehit,* vel *rura vehunt.* Sed de pomis nugæ, cum agatur de verno tempore, non autumnali: alii aliter. Puto scribendum, *Rustica quam nullo terra serente dedit;* nam *violam,* pro *violas,* scripti quatuor vetustiores agnoscunt: potest et *gerit* legi, quod in quibusdam exstat. *Heins.*

8 *Indocili gutture*] Non docto gutture: hoc est, quod a nullo doctum fuit nisi a natura. *Vernat*] Vere lætatur, lascivit.

9 *Ut malæ crimen matris deponat*] Ut deponendo in eis cunis et nidis pullos, videatur pia, et velle crimen filii, quem occidit, ea educatione celare, nec mala mater dici. Nota est fabula Prognes, quæ Itym filium interfecit, et patri Tereo epulandum apposuit, ut ulcisceretur vim sorori turpiter illatam. Vide Ovid. Metam. VI.

10 *Sub trabibus cunas*] 'Cunas' hirundinis nidos appellat.

11 *Herbaque quæ latuit*] Frumentum quoque apparere ostendit.

15 *Turgescit*] Tumet, ὀργᾷ. Et Virgilius: 'Zephyrisque tepentibus auras Laxant arva sinus.'

17 *Junctisque ex ordine ludis*] Ludos Megalenses intelligit, qui fiebant VI. Id. Aprilis, vel ut est apud Liv. lib. XXIX. pridie Idus: quod eo die Cæsar Jubam Mauritaniæ regem devicisset. *Ciofan.*

18 *Cedunt verbosi*] Non dicitur jus Romæ eo tempore, quo in scena ludi celebrantur.

19 *Lusus equo nunc est*] *Equis* vel *equi* in multis veterum. Scribe *Usus equi nunc est* cum Combiano, Rottendorphiano, et duobus aliis. Fast. II. 'Nullus adhuc erat usus equi.' Metam. IV. 'Quem nec bella juvant, nec tela, nec usus equorum.' Virgil. Georg. III. 'Sive boum, sive est cui gratior usus equorum.' *Heins.*

20 *Celeri orbe*] Celeri agitatione. *M. Vertitur orbe trochus*] Horat. ad Pisones: 'Ludere qui nescit campestribus, &c. Indoctusque pilæ discive trochive quiescit,' &c. *Vertitur trochus*] *Volvitur* prim. Polit. et sex aut septem alii. *Heins.*

22 *Tingere gaudet aqua*] Romani veteres campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum sudorem pulveremque dilueret.

23 *Studiis distantibus*] Favoribus diversis. *Studiisque favor distantibus ardet*] 'Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem Instigant studiis.' Virgil. V. in certamine navali. Ἐπευφήμησαν δὲ πάντες. Argon. Apoll. IV. vs. 295. Μετ' εὐφημίας ἐβόησαν. Homer. Ξύναυλος βοᾷ χαρᾷ. Eurip. Electr. 'Fremituque secundo.' Virgil.

24 *Cumque tribus resonant terna Theatra Foris*] *Proque tribus* scribendum cum plurimis veterum: hoc est, quod ante dixerat, 'junctis ex ordine ludis Cedere verbosi garrula bella fori.' *Heins.*

28 *Nec fodiantur*] *Vix fodiantur* ex tribus scriptis. *Idem.*

31 *Si tamen incipiunt aliquæ huc adnare carinæ*] Scripti plerique, *Incipiunt aliquæ tamen huc,* vel *Incipient:* Medonianus *Incipiant.* Idem.

32 *Hospitaque in Ponti littore puppis adest*] *Erit* plerique veteres. Scribe, *Incipiant aliquæ tamen huc adnare carinæ, Hospitaque in Ponti littora puppis eat:* vel, *Incipient si quæ;* et *littore puppis erit.* Idem.

36 *Non nisi vicinas tutus araret a-*

quas] *Ararit* scribe, sic sensu exigente: nam *arabit* duo; totidem *ararat*. Pro *tutus* etiam bene *cautus* in Vossiano. Rem. Amor. 'Præterita cautus Niseide navita gaudet.' Claudian. in Eutrop. 'Cautior ante tamen venturum navita Corum Consulit.' *Idem.*

40 *Certe gratior hujus erit*] *Usus erit* priscæ editiones et quidam scripti. Superiori versu pro *Græca* unus Italicus *grata*. Lege *Graia voce*. Idem.

44 *Et fieri famæ parsque gradusque potest*] Quasi dicat: Rumor ille poterit ad partem aliquam, seu gradum veritatis pervenire.

47 *Teque rebellatrix tandem*] De Tiberio intellige hoc loco, non de Druso. Nam Drusus jam multo ante, lapsu equi, perierat. Tiberius autem, occiso paulo ante Quintilio Varo, in Germaniam missus hoc tempore fuit, ut cladem acceptam ulcisceretur, et Germanos in ordinem redigeret. Hunc ergo optat Poëta, devicta, ut ipse ait, rebellatrice Germania, cum triumpho redire, idque se ex aliquo audire posse. *Mer.*

53 *Non velit hoc esse penetrale*] Non velit hanc esse domum.

ELEGIA XIII.

1 *Quid enim fuit utile nasci*] *Gigni meliores*; nisi quod pr. Polit. pr. Vatic. et Medic. *nobis*. Heins.

3 *Miseros exulis annos*] *Miseri* Rottendorph. *Idem.*

5 *Pudor ullus adesset*] *Inesset* plerique. *Idem.*

7 *Quoque loco primum*] Sulmone, quum primum natus fui. *Sum male cognitus*] Sum infœliciter cognitus, malis et infortuniis exilii.

9 *Inque relinquendo*] *Relinquendum* pri. Polit. et duo alii. Scribe, *Jamque relinquenda (quod idem fecere sodales) Tu quoque dixisses tristis in Urbe, Vale*. Heins.

12 *Extremum gelidi misit in orbis humum*] Malim *Getici orbis*. Idem.

13 *Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem*] *Soliti* in nonnullis scriptis. Puto *soliti mihi moris honorem*. Idem.

14 *Vestis ut alba*] Quam induebant qui natalem celebrabant.

15 *Fumida cingatur*] Solebant enim die natali honorem Diis exhibere, et Genio potissimum, cujus aram sertis coronatam thure vaporabant. Tibullus: 'Urantur pia thura focis, urantur odores.' *Mer.*

16 *In igne sonet*] *Crepet* Vossianus; ut in Fastis, 'Et crepet in mediis laurus adusta focis.' Sed lib. IV. 2. 'Thuraque in igne sonant.' *Idem. Sonet*] Nam a sonitu et crepitu, tam thuris quam lauri ardentium, felix omen captabat. *Pont.*

17 *Libaque dem pro te*] *Dem proprie* plerique. Sed prim. Polit. *dem pro me*; quod sequor. *Heins. Libaque dem pro te geniale notantia*] Servius scribit, libum placentam fuisse, quæ farre, melle, et oleo constabat, et apta erat sacrificiis. Eaque die natali discumbentibus apponebant: nemo autem prius gustabat, quam is qui suum natalem celebrabat; omnes autem, qui libum gustassent, bene precari oportebat. Genius Deus est, cujus in tutela ut quisque natus est vivit: sive quod nos genitos suscipiat ac tueatur.

18 *Ore favente*] Εὐφημοῦντι. Favere autem est bona fari.

19 *Non ita sum positus, non sunt ea tempora nobis*] *Non ita suppositus* pr. Vaticanus. Versus est aut mendosus aut adulteratus. Hafniensis, *nec sunt tam prospera nobis.* Heins.

21 *Funeris ara mihi ferali cincta cupressu*] *Cupresso* meliores. Malo etiam *Funebris ara.* Sic ' funebres cupressos,' et ' funebre bellum,' media syllaba correpta dixit Horatius. Sic ' funebria sacra ' Trist. IV. 4. In Ibide tamen, ' Jam stat, ut ipse vides, funeris ara tui.' *Idem.*

22 *Flamma parata rogis*] *Reperta* quinque veteres: pr. Vatic. et quatuor alii *peracta.* Idem.

24 *Nec bona verba*] Tibullus: 'Dicamus bona verba, venit natalis ad aras.' *Mer.*

25 *Si tamen est aliquid nobis, &c.*] Hoc dicit, quia natalem celebrantes, a Diis aliquid petebant.

27 *Pars pene novissima Ponti Euxinus*] *Pontus* multi veteres. Scribe, *Dum me terrarum pars pene novissima Pontus, Euxini falso nomine dictus, habet.* Heins.

28 *Euxinus falso, &c.*] Nam circa Euxinum loca sunt asperrima, et fera, gentesque etiam immites, quum ab inhospitali feritate rectius Axenus appellaretur.

ELEGIA XIV.

1 *Antistes*] Qui alios omnes antecedis, q. προστάτης: ducta appellatione vel a re militari, vel a sacrorum consuetudine. *Bersm.*

2 *Quid facis*] *Qui facis* scripti. *Heins.*

5 *Suscipis*] *Conficis* octo vetustiores: plures *Conspicis;* nec pauci *Colligis,* quod sequor: unus *Excipis;* alius *Exigis.* Idem.

8 *Retine nomen in urbe meum*] *Corpus* major pars veterum; argute et vere. Sic lib. II. de scriptis Virgilianis, ' Nec legitur pars ulla magis de corpore toto, Quam non legitimo fœdere junctus amor.' *Idem.*

11 *Sæpe per externas*] *Extremas* multi; et placet. *Idem.*

13 *Palladis exemplo*] Tertio Fastorum Ovid. ' Aut quia de capitis fertur sine matre paterni Vertice cum clypeo prosiluisse suo:' unde et ἀμήτωρ Græcis dicta; quia Sapientia solius Dei munus sit, et cum voluptate corporis non consistat. Quam ob caussam Musas quoque virgines finxit antiquitas. *Pont.*

15 *Hanc tibi commendo*] Opinor legendum *Hæc:* et sequenti versu *sarcina major erunt.* Heins.

17 *Tres mihi sunt nati*] Tres illos de Arte amandi libros significat. *Contagia nostra*] Nostra mala: nam et ipsi ex urbe ejecti sunt.

18 *Sit tibi turba*] *Sint* Richelianus. *Heins.*

19 *Sunt quoque*] Lege *sint:* nempe, curæ tibi. *Idem.*

20 *De domini funere*] Subita enim relegatione opus illud inemendatum emissum est.

34 *Parvaque vena*] Malim *parcaque.* Sic ' pauperem venam ' et ' divitem' alibi dixit. *Heins.*

37 *Per quos inviter*] *Sustenter* multi veteres. *Idem.*

43 *Sæpe aliquod verbum*] Hic denuo sciolus aliquis importune grassatus est. Sequitur enim mox, 'Verba mihi desunt.' *Idem.*

51 *Qualemcunque legas*] *Igitur* pr. Polit. pr. Vatic. pr. Palat. opt. Medic. et Rottendorphianus: quidam *legis:* liber Petri Servii *tamen.* Idem.

TRISTIUM LIB. IV.

ELEGIA I.

7 *Cantat*] *Cantet* cum scriptis: præcedentia id exigunt. *Heins.*

12 *Arundineo carmine*] Fistulæ cantu.

15 *Abducta Lyrneside*] Abducta Hippodamia Brisei filia. Lyrnesum autem oppidum fuit in ora Trojana, contra Lesbon, Hippodamiæ patria: unde ipsa Lyrnesia appellata est. Excusi quidam habent, *Briseide. Briseide tristis Achilles*] *Lerneside* plurimi ex antiquis: priscæ editiones *Lyrneside:* Arondelianus *Lerneide.* Scribe *Lyrnesside.* Λύρνησσος enim Græcis hoc oppidum, uni Hesychio Λύρνησος est. *Heins.*

16 *Æmonia lyra*] Lyra Achillis Æmonii, hoc est, Thessali. Æmon enim rex fuit Thessaliæ, a quo Æmonia Thessalia cognominata fuit, quæ postea ab ejus filio Thessalo appellari cœpta fuit.

21 *Sola nec insidias inter, nec militis ensem*] Versus haud dubie corruptus. *Inter nec Thracia tela* octo veteres: *interque Threicia tela* decem: unus *intra nec Threicia tela:* Barberinius, *inter crudelia tela:* alius *inter Tirintia tela:* alius item, *interque irentia tela:* Combii, *hominum nec Thracia tela:* alii aliter. Scribo, *Sola nec insidias, Threci nec militis ensem:* vel, *Sola nec insidias, nec iter, nec Threcia tela.* Videtur enim expositus gladiis latronum Thracum fuisse. Pont. lib. IV. 5. de se: 'Sanguine Bistonium quod non tepefecerit ensem, Effectum cura pectoris esse tui.' 'Threcus miles' pro Thracus: sic apud Horatium Epist. I. 16. in vetustissimo Leidensis Bibliothecæ codice scribitur, 'ut nec Frigidior Threcam nec purior ambiat Hebrus:' non *Thracam.* Plura notavimus ad Epist. XIX. 26. Apud Ciceronem lib. I. Officiorum de Alexandro Pheræo, 'in cubiculum veniens, barbarum, et eum quidem notis Threiciis compunctum, destricto gladio jubebat anteire:' quæ fere totidem verbis apud Valerium Maximum habes lib. IX. 13. In Ciceronis codicibus nonnullis Langius et Lambinus *Thræciis* monent legi: atque ita in antiquissimis Curtii libris Franciscus Fabricius se testatur invenisse. Quomodo in Fastis Capitolinis M. LICINIUS M. F. M. N. CRASSUS PROCOS. A. DCCXXV. EX THRÆCIA ET GETEIS IV. NON. JUL. Cæterum in Valerio Maximo quidam Codices *Thracis* habent: ex duobus meis unus vulgatam scripturam agnoscit: alter *Thraiciis.* Legendum ex iisdem isthic loci *Hoc rege inferior Alexander;* non *infelicior*, quod est in vulgatis.

Thræces apud Festum. Vide quæ notamus ad Epist. XIX. 26. Unus Vatic. etiam non male, *nec diri militis ensem.* Sequenti versu *barbariemque*, pro *barbariamque*, multi veteres: monui supra lib. III. 10. *Heins.*

26 *Cum mecum juncti*] *Adjuncti* multi ex præstantioribus. Forte, *ah juncti.* Idem.

29 *Vis me tenet ipsa sacrorum*] *Sororum* sex veteres; quod placet: hoc est, Musarum. Vide Notas Met. IV. 470. ubi 'sorores' pro Furiis ponuntur: nam ex contextu orationis satis agnosci potest ac deprehendi, de quibus sororibus agatur. Duo codices *vis me tenet ipsa locorum.* Infra lib. IV. 10. 'Aonias sorores:' et lib. V. 12. 'novem sorores' dixit. *Idem. Vis me tenet ipsa*] Nequeo hæc studia deponere. *Pont.*

31 *Sic nova Dulichio*] Homerus Odyss. IX. scribit, Ulyssem tempestate actum in Africam ad Lotophagos accessisse, ejusque socios, gustata loto, reditum in patriam oblitos fuisse: quos invitos et flentes coëgit Ulysses navem conscendere. Fuere autem Lotophagi populi in Africa, a loto arbore appellati, cujus fructus sunt magnitudine fabæ, colore croci, tam dulcis, ut advenis incutiant patriæ oblivionem; ut docet Plinius libro decimotertio.

34 *Materiam culpæ suæ*] Malim *curæ suæ:* hoc est, flammæ vel amoris. Vide Notas Rem. Am. vs. 49. *Heins.*

41 *Bacchis*] Phœbas vates Apollinis, quæ Baccho orgia celebrat, furore correpta, qualis mater Penthei, et similes describuntur Metam. III. *Saucia*] Deo plena. *Suum non sentit vulnus*] Non sentit suum furorem.

42 *Dum stupet Idæis exululata jugis*] Prim. Politiani *Idonis.* Lege *Edonis*, et vide Notas Remed. Amor. vs. 593. Superiori versu pro *Bacche*, pr. Vatic. et codex Petri Servii *Bacchis.* Certe Βακχίδες Aristoteli in Problematis, et Plutarcho eædem, quæ aliis Βάκχαι. Hesychius Θυιὰς βακχίς· οἱ δὲ Μαινάς. Pro *Idæis jugis* pr. Polit. pr. Vatic. multique alii cum primis editionibus, *modis:* quomodo Statius Theb. V. 'veluti Teumesia Thyas Rapta Deo, cum sacra vocant, Idæaque suadet Buxus.' Cæterum *Edonis jugis* amplector præ vulgata lectione *jugis Idæis.* Sic 'Edonus Boreas' Maroni Æneid. XII. 'Edonæ hyemes' apud Statium et Claudianum: et 'Edoni venti' apud Valerium Flaccum. Produxit quoque secundam syllabam Horatius, 'non ego levius Bacchabor Edonis.' Quare frustra sunt, qui *Edonius* pro *Edono* reponunt. In *Edonis* tamen ambigua est syllaba, quomodo et in *Sidonis:* sic 'matres Edonides omnes' apud nostrum lib. XI. Met. et apud Propertium, 'Nec minus assiduis Edonis lassa choreis:' cum Lucanus corripuerit, 'Edonis Ogygio decurrens plena Lyæo.' Quo loco Salmasius Solinianis exercitationibus *Odonis* reponi jubet; cum Odones sint populus Thraciæ: sed non meminerat Silium quoque Italicum secundam syllabam corripuisse. Virgilius in Ciri secundam in *Bistonis* producit, 'Sæva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris, Ictave barbarico Cybeles antistita buxo.' Sed fortassis illic reponendum, *Sæva velut Ciconum gelidis Edonis in oris.* Heins. *Dum stupet*] Dum est attonita. *Idæis modis*] Vocibus, vel modis, quibus Bacchi sacerdotes utuntur in Ida monte Cretæ, Matrem Deum clamitantes.

43 *Sacro mea pectora thyrso*] *Viridi thyrso* pr. Vatic. Rottendorph. alter Polit. et octo alii. *Heins. Thyrso*] In sacris Bacchi sacerdotes ejus gestabant thyrsos, hastas pampinis circumvolutas; pampineas hastas vocat Virgil.: ipsi thyrsigeri dicti. *Pont.*

46 *Sentit habere Deos*] *Adesse* septem veteres. Forte *sentit habetve.* 'Habere Deos iratos;' ut apud Pe-

tronium, ‘ Junonem meam iratam habeam.’ Sed distichon est suspectum. *Heins.*

48 *Temporis adversi sic mihi sensus abest*] *Adest* Gottorph. Medonianus *abit;* pr. Vatican. *tempus hebet.* Scribe, *Sensus hebet:* sic alibi, ‘ Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen.’ ‘ Hebes sensus’ apud Ciceronem occurrit. *Idem.*

55 *Meque tot adversis cumulat*] *Cumulant* nonnulli. *Idem.*

60 *Dum miser Euxini littora sæva peto*] *Jussa* bene Medonianus; nisi quod *littora læva* rectius scribetur cum Buslidiano. Trist. I. 2. ‘ Obligor ut tangam lævi fera littora Ponti.’ Pont. lib. IV. 9. ‘ Is quoque, quo lævus fuerat sub præside Pontus:’ quæ et ibi vera lectio. ‘ Sinistrum Pontum’ alibi non uno loco appellat, et passim ad id nomen alludit. *Idem.*

61 *Ut veni*] Posteaquam in Scythiam perveni. *Nec tamen levior*] Nec tamen in præsentia, minori quam antea me afficit pœna. Quasi dicat: Credideram me tantum doliturum, quod patria carerem: sed alia etiam mala non leviora, quæ statim Poëta subjungit, me angunt.

66 *Vera quidem vidi, sed graviora fide*] Combianus et unus Vaticanus optime, *Vera quidem, vera sed graviora fide.* Vide Notas ad Epist. XVI. 39. *Heins.*

68 *Illum*] *Illi* rectius Gottorph. Junianus, et Moretanus codices. *Idem.*

70 *Tutum viribus esse loci*] Aut scribe *turribus;* aut, quod pro diversa lectione in Combiano erat notatum, *mœnibus.* Sic Trist. V. 2. ‘ Vixque brevis tutum murus ab hoste facit.’ *Idem.*

71 *Aspera militiæ certamina*] Juvenis enim Ovidius in Asia militavit.

75 *Tumultus*] Timoris: quod Getæ armati contra nos adventare nunciabantur.

76 *Induimus trepida protinus arma manu*] Combianus longe venustius, *Induimur;* qui Græcismus Nostro valde familiaris. Ausonius Idyll. XXXII. ‘ Ut trabeam pictamque togam mea præmia Consul Induerer.’ Met. XIV. ex veteri libro, ‘ Induitur scalas, lecturum poma putares.’ Ibidem, ‘ dum Martius arma Induitur miles.’ Sic et ibi scribendum puto. *Heins. Trepida manu*] Nos trepidi, festinabundi in timore tanto.

78 *Mœnia lustrat equo*] *Cingit* tres scripti apud me, sed non ex melioribus; quomodo et ex Pircheimeriano, quem ego Arondelianum voco, Gronovius Observat. lib. II. cap. 3. Sed vulgata lectio non est sollicitanda. Pont. I. 2. qui locus huic geminus: ‘ His eques instructus perterrita mœnia lustrat, More lupi pavidas circueuntis oves.’ Virgil. Æn. IX. ‘ Lustrat eques muros, aditumque per avia quærit.’ Silius libro I. ‘ Ipse caput quassans circumlustravit anhelo Mœnia sævus equo.’ *Heins.*

79 *Utque rapax pecudem*] *Prædam* pro diversa lectione Gottorphianus; eleganter: hinc ‘ Prædones lupos’ vocat Met. X. Vox est venatoria. Vide Notas ad Claudiani Fescennina in Nuptias Honorii. Actæon ‘ præda suis canibus’ dicitur Trist. II. *Idem.*

80 *Fertque refertque lupus*] *Fertque trahitque* primæ editiones et præstantiores scripti magno numero; quod mutari non debuit. *Idem.*

81 *Portarum sede receptum*] *Portarum sepe* pro diversa lectione Rottendorph. Moret. Barberin. et Medon. optime: *sepem* pro *septo* dixit. Varro certe l. I. de Re Rustica *sepem, septum,* et *sepimentum,* parum inter se differre ostendit: ‘ cui sepimentum est, quod virgultis solet obseri, sepes ex agresti ligno.’ Vide Notas Met. IV. 89. *Idem.*

82 *Hostis habet*] *Agit* longe elegantius multi ex antiquis: hoc est, quod supra dixerat, ‘ fertque trahitque.’ ‘ Agere’ et ‘ ferre’ frequenter conjungunt historici; apud quos etiam

obvium 'agere prædam,' 'agere captivos,' et similia. Trist. v. 10. 'Cum minime credas, ut avis, densissimus hostis Advolat, et prædam vix bene visus agit.' Seneca Medea Act. III. ex optimo codice Mediceo, 'Ex opibus illis, quas procul raptas Scythæ Usque a perustis Indiæ populis agunt.' Vulgati *petunt*. Idem.

84 *Telo virus habente perit*] *Cadit* Junian. et pro diversa lectione Gottorph. et Rottendorph. Supra lib. III. 'Pars cadit hamatis misere confixa sagittis.' Fast. v. 'Et cecidit telis Hasdrubal ipse suis.' *Idem.*

86 *Fati tempora lenta mei*] *Longa* scripti plerique. *Idem.*

91 *Ipse mihi, quid enim, &c.*] Quod lego ac compono, meo judicio examinandum permitto. Careo enim amicis, quorum cum Romæ essem, in meis carminibus corrigendis judicio uti solitus sum. *Ciof.*

93 *Cui nunc hæc cura laborat*] *Mea cura* quinque. Puto *ea cura;* vel, quod malim, *Cui nunc, mea Musa, laboras? Anne ea Sauromatæ scripta Getæque legent?* Heins.

98 *Inque sinum mæstæ labitur imber aquæ*] Δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι. An hoc etiam de oculorum sinu? Imber enim vehementer depluit.

99 *Qui sim fuerimque recordor*] Alii *quis:* sed Hafniensis et Vossianus *quid sim;* ut Met. II. 'Quid fuerim quid simque vide.' Supra Trist. lib. III. ex antiquis codicibus: 'Non sum ego quod fueram:' atque ita passim. Vide Notas ad Epist. Medeæ vs. 13. *Heins.*

101 *Studiis irata sibique*] *Irata malignis* rectius Hamburg. et quinque alii scripti. Sequenti versu *rogos*, pro *focos*, multi veteres: nil muto. *Idem.*

103 *Atque ea de multis*] *Atque ita* Barberin. Putean. et Buslid. recte: *ea* enim ferri non potest, cum 'ista' sequatur. Supra lib. III. 'Atque ita divellit.' Epist. Leandri, 'Atque ita contactus.' Neque aliter passim Noster. *Idem.*

ELEGIA II.

1 *Jam fera Cæsaribus Germania*] De Tiberii expeditione intelligendum, non Drusi. Nam hic aliquot annis ante in Germania perierat, quam Poëta relegatus fuit. *Micyll.*

2 *Victa potest*] *Potes* Hamburg. et tres alii. *Heins.*

3 *Altaque velantur*] *Velentur;* et mox *sonent* et *inficiantque* meliores scripti. *Idem.*

4 *Thuraque in igne sonant*] Thura etiam cremantur in templis Deorum immortalium. *Inficiuntque diem*] Diem fumo obscurum reddunt, et offuscant.

5 *Adducta securi*] Reducta, ut graviore incidat pondere. Æneid v. 'duросque reducta Libravit dextra media inter cornua cestus.'

6 *Sanguine tingit humum*] *Tingat* cum prim. Vatic. multi alii *pulset;* quod Gronovio placebat Obs. lib. I. 13. Mox *parent* pro *parant* cum Hamburg. et uno Italico. *Heins.*

7 *Donaque amicorum*] Dona, quæ Imperatores templis Deorum sibi faventium; vel dona amicorum, quæ pro Imperatoribus amici ipsorum Diis promiserant. *Pont.* *Dona amicorum*] 'Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi, Dona recognoscit populorum, aptatque superbis Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes.'

8 *Cæsar uterque*] Augustus et Tiberius.

11 *Cum bonis nuribus*] Ego non Tiberii aut Drusi uxores accipio, cum Tiberii quæ erat Julia videlicet, Augusti filia, jam relegata esset: sed Germanici et Drusi junioris, quorum alteri Agrippina, Juliæ et Agrippæ filia, alteri Germanici soror Livia, nupta erat, ut ex Taciti libro primo et secundo manifestum est. Dicuntur autem nurus non tantum a parentibus maritorum, sed et ab avis.

12 *Munera dat*] *Det* meliores; recte: et mox *lætetur* pro *lætatur* iidem; duo tamen *lætantur*. Scribe *lætentur*. Heins.

13 *Et pariter matres*] Ob filios sospites. *Et quæ sine*] Vestales.

16 *Parvaque cujus eram pars ego nuper*] Fuit enim Ovidius eques, et equestri ortus familia.

18 *Non nisi parva venit*] Scribe *tarda venit:* nam 'parva' paulo ante præcesserat. Possit et *sera* legi, vel *rara:* sed prima conjectura magis arridet. *Heins.*

19 *Ergo omnis populus*] *En* duo veteres; unus, *Sic:* metuo ne mendum lateat. *Idem.*

20 *Cumque ducum titulis*] Captivi et loca imaginibus scriptisque in triumphum deferebantur. Propert. 'et titulis oppida capta legam.' *Mer.*

22 *Ante coronatos*] Triumphantis currum trahebant equi candidi quatuor: qui et ipsi lauro coronabantur. *Pont.*

23 *Vultus versos*] Vultus mutatos; nam qui primo fuerant feroces, tunc erant humiles et abjecti. *Pro tempore*] Habita temporis ratione, quod poscit, ut victi ferociam ponant. *Aliis pro tempore versos*] Hoc est, mutatos et dejectos. Malim tamen *mæstos.* Heins.

24 *Terribiles aliis*] Cernet, inquit, populus alios captivos truci vultu, tanquam si essent victores, quod his solet evenire, qui sui sunt immemores.

26 *Noverit illa*] *Ipsa* rectius unus Mediceus; et *Is* pro *Hic* Medonianus versu proximo. *Idem.*

27 *Hic qui Sidonio*] Μίμησις est narrantium, et digito commonstrantium: Hic fuerat hostium summus Imperator. *Pont.*

29 *Lumen miserabile fixit*] *Figit* multi. *Heins.*

33 *Fraude locorum*] Germanum transfugam denotat, qui in hostium insidias præcipitavit Romanos, aut in loca duxit iniqua.

34 *Squallida prolixis qui tegit ora comis*] Veterum plurimi *demissis,* vel *dimissis:* prim. Vatic. et sex alii *promissis;* quod verum est. Sic de Gallis Livius lib. VIII. bello Maced. 'Procera corpora, promissæ et rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi gladii.' Vide Festum in *promissum capillum.* Superiori versu pro *inclusit fraude,* primæ editiones et scripti quidam *illusit.* Heins.

35 *Illo ministro*] Ministrum sacrorum intelligit, ex Druidibus aliquem. Scribit enim Cæsar lib. Commentar. VI. nationem omnium Gallorum esse admodum deditam religionibus; atque ob eam causam qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculisque versantur, pro victimis homines immolare, aut se immolaturos vovere, administrisque ad ea sacrificia Druidibus uti: qui pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse numen Deorum immortalium placari arbitrabantur, publiceque ejusdem generis instituta habent sacrificia. *Mer.* *Illo qui sequitur*] Videtur hoc loco Poëta ad ea alludere, quæ apud Tacitum referuntur libro primo de ingressu Germanici in saltum Teutoburgensem, et de facie locorum, circa quæ Varus cum legionibus suis occisus fuerat. *Micyl.*

41 *Cornibus hic fractis*] *Infractis* duo veteres. Claudianus de Rheno, 'Cornibus infractis adeo mitescere cogit.' 'Infracti adverso Marte Latini' apud

Virgil. Et *erit*, pro *erat*, prim. Polit. ac duo alii. *Idem.*

48 *Purpureus*] In veste purpurea, quam aureis intextam sideribus triumphantes gestabant. *Mer.*

50 *Undique jactato flore*] Item populus Rom. floribus aspergere, coronas et lemniscos projicere solebat in eos, quos cohonestare volebat. *Pont.*

51 *Tempora Phœbea lauro cingentur*] Lege *cingetur*, et refer ad militem laureatum. Poterat alioquin *cingeris* dixisse. Hanc conjecturam confirmat Arondelianus liber, quem, dum hæc eduntur, serus nunc consulo. *Heins.*

52 *Ioque Miles Io magna voce triumphe canet*] Io vox est clamantis, qua triumphantem imperatorem exercitus sequens utebatur. Vide Horat. Od. lib. IV. 2. 'Tuque dum procedis Io triumphe, Non semel dicemus Io triumphe Civitas omnis, dabimusque Divis Thura benignis.'

53 *Ipso sono plausuque*] Nam citharœdorum ac tibiarum turba ad Hetruscæ similitudinem pompæ Imperatorem præcedebant. Hi succincti, coronisque aureis redimiti, suo quisque ordine psallentes canentesque prodibant. *Fremituque calentes*] *Canentum* pr. Polit. pr. Vatic. pr. Pal. et sex alii; recte: duo *canentes:* Combianus non male *paventes.* Heins.

55 *Inde petes arcem et delubra*] Tolle *τὸ et* cum septem scriptis, familiaris Nostro appositio: sic infra Eleg. 4. ex antiquis libris, 'Hæc regio magni penetralia mundi.' *Idem. Arcem*] Capitolium. *Et delubra faventia votis*] Templum Jovis Capitolini: qui favit votis Imperatoris ad bellum exeuntis et pop. Romani. *Mer.*

56 *Laurea vota Jovi*] *Vitta* uterque Polit. pr. Pal. multique alii. Vide Notas ad Fast. II. 30. Pr. Vatic. *laurea juncta:* Junianus et Putean. *laurea serta.* Trist. II. 'Ponet et in nitida laurea serta coma.' Pont. III. 4. 'Quid mirum, sertis exhausto floribus horto, Si duce non facta est digna corona suo?' ita vetus codex. Lucanus lib. X. 'Accipiunt sertas nardo florente coronas.' Propertius Eleg. II. 33. 'Cum tua præpendent demissæ in pocula sertæ;' coronas subintellige: ita enim Charisius legit; et vetustus codex, quo Neapoli sum usus; non *tua serta.* Cornelius Severus, 'Huc ades Aonia crinem circumdata serta.' Hic tamen *τὸ laurea vota* non temere in aliam lectionem mutandum. *Heins. Laurea vota*] In Capitolium quum esset ventum, Imperator victor Diis gratias conceptis verbis agebat. Tum victimæ cædebantur et corona aurea cum pretiosis manubiis et spoliis opimis Jovi dicabatur, et in gremio ejus deponebatur, vel templis dicabatur. *Pont.*

69 *Atque procul Latio*] *Utque* quatuor scripti. Lege *Atque.* Idem. *In orbem diversum*] In Scythiam procul positam ab Italia, quasi ea sit alter orbis.

73 *Illa dies veniet*] Scribe *veniat;* est enim optantis. Sic Trist. III. 5. 'Hunc utinam nitidi solis prænuncius ortum Adferat admisso Lucifer albus equo.' Et, 'Hunc Aurora diem, spectacula tanta ferentem, Quamprimum croceis roscida portet equis.' Et Pont. lib. I. 4. 'Memnonis hanc utinam lenito Principe mater Quamprimum roseo provocet ore diem.' *Heins.*

ELEGIA III.

1 *Magna minorque*] Ursa minor Cynosura dicitur; major, Helice. A Phœnicibus potissimum Cynosura inter navigandum observatur; Sidon quippe in Phœnicia: Major autem a Græcis. *P.* *Utraque sicca*] Neutra occumbit, nec in Oceanum descendit. *Mer.*

5 *Ætheriamque arcem*] Polum arcticum: qui circulus est brevissimus, ab Ursis nominatus, quæ sunt astra vicina polo Septentrionali, atque ideo nequeunt occidendo terram contingere. *P.*

8 *Iliades*] Iliæ filius. *Transiliisse*] *Transiluisse* scripti meliores: ita Noster passim. *Heins.*

9 *In meam dominam*] In meam uxorem. *Nitidos vultus*] Propter stellarum nitorem, quo nihil nitidius.

11 *Hei mihi, cur timui*] *Cur nimium quæ sunt manifesta requiro* primæ editiones et quatuor scripti; bene; nisi mavis *timide:* nam prim. Vatic. et prim. Pal. *timeam;* duo alii *timeo.* Heins.

12 *Cur labat ambiguo spes mea mixta metu*] *Mihi mixta* quatuor; quod præstat: at Arondelianus *spes bona mixta metu;* ut Epistola Canaces, ‘spes bona det vires.’ Malim etiam *victa metu* quam *mixta:* certe in uno Italico *nixa.* Idem.

13 *Crede quod est, et vis*] *Quod vis* quinque veteres. Arondelianus, *quamvis.* Idem.

15 *Quodque polo fixæ*] *Positæ* Vossian. ut Met. II. ‘Quæque polo posita est glaciali proxima serpens.’ *Idem.*

19 *Tanquam præsentibus hæret*] *Præsentis inhæret* septem veteres; recte: vide quæ noto Epist. v. 45. *Idem.*

21 *Ecquid ubi incubuit*] *Ut incubuit* multi veteres cum priscis editionibus; quomodo Noster sæpissime. *Idem.*

22 *Somnus abit*] *Abest* pr. Polit. pr. Vatic. et duo alii. *Idem.*

25 *Et veniunt æstus*] *Tunc veniunt* unus Italic. Combii liber *Conveniunt,* et Barberin. *quæstus;* nam de æstu animi jam egit. Scribe, *Num veniunt questus:* et superiori hexametro, *Num subeunt curæ;* nam multi veteres *Tum:* pr. Pol. *Nec.* Idem. *Æstus*] Sollicitudines. Virgil. Æneid. lib. VIII. 19. ‘magno curarum fluctuat æstu.’

28 *Mæsti signa doloris amor*] Eleganter pro diversa lectione Barberin. *casti doloris:* Leidensis *tacti.* Heins.

29 *Thebana peremtum*] *Cruentum* plerique veteres. Multi etiam *trahi,* pro *rapi,* versu proximo. *Idem.* *Thebana*] Andromache, filia Eetionis Thebarum in Cilicia regis.

30 *Thessalico ab axe*] A curru Achillis Thessali. *Mer.*

41 *Spiritus hic per te*] *Pro te* codex Petri Servii. Lege *prope te:* ut Art. Am. ‘Vel prope te nato lucide Cydne croco.’ Infra IV. 4. ‘Atque meam terram prope sunt funebria sacra.’ *Idem.*

42 *Corpora nostra*] *Pectora* Combii et tres alii. *Idem.*

46 *Tactaque nascenti*] Solebant infantes, simul ac editi essent, humi deponere, et Opem Deam invocare, quæ nascentibus opem ferret. Quos autem alere decreverant, eos humo tollebant, cui rei Deam Levanam præficiebant: quæ scil. pueris de terra levandis præesset. *Pont.*

47 *Denique dum vixi*] *Ut et vixi* primæ editiones et scripti novem: quinque *et ut;* quod placet, si recte

locum distinguis. *Heins.*

57 *Utque proba dignum est*] *Probæ* plurimi ex castigatioribus; optime: regit enim ea vox non secundum minus, quam sextum casum. Adeatur exactissimus Vossius opere Grammatico lib. I. de Constructione cap. 11. Vide et Nonium in ea voce. Virgil. 'magnorum haud unquam indignus avorum.' Idem Æn. XI. 'Huc periture veni, capias ut digna Camillæ Præmia:' sic veterrimus Mediceus aliique multi ex præstantioribus codices, non *Camilla*. Silius lib. VIII. 'Ducit avis pollens, nec dextra indignus avorum Scævola.' Noster Art. lib. III. 'Curia consilii quæ nunc dignissima tanti est:' ita priscæ editiones et scripti nonnulli. Pont. IV. 8. 'At nihil hic dignum poteris reperire pudoris:' sic et ibi vetus codex et plurimi. Met. lib. V. 'utinam modo dicere possim Carmina digna Deæ.' Et lib. VI. 'accedit eodem Digna Deæ facies.' *Idem.*

58 *Addebat veris*] Et vera de me prædicabas; et falsa etiam non pauca veris adjungebas, quo te beatiorem faceres. *Pont.*

62 *Non debet dolor hinc*] Concinnius duo veteres, *Non dolor hinc debet*. Malim etiam *rubor* quam *pudor:* quia 'pudeat' præcessit. *Heins.*

63 *Cum cecidit Capaneus*] Capaneus fuit unus ex septem regibus qui Thebas obsederunt, superbus et Deorum contemptor: qui provocans scilicet Jovem ipsum, eoque invito capturum Thebas se minitans, in oppugnatione Thebani muri a Jove ictus cecidit.

64 *Non legis*] *Num* pr. Vatic. Rottendorph. et duo alii; bene. *Heins.* *Euadnen*] Capanei uxorem. *Erubuisse viro*] Pro, propter virum, aut viri casum. Quasi dicat, Maritum etiam in adversis amavit Euadne, quod in ejus rogum ardentem se nimio amore præcipitavit.

66 *Ipse suis Phaëthon inficiandus erat*] *Tuis eras* Junianus; magis poëtice. *Heins.*

76 *Publica virtutis per mala facta via est*] *Virtuti* rectius legas cum uno Vaticano. Lib. I. 3. 'Et mihi facta via est.' *Idem.*

77 *Ars tua, Tiphy, jacet*] *Latet* Patavinus: scribe *vacet*. Et sequenti versu, *ars tua, Phœbe, vacet* cum Gottorphiano; plurimi alii *vocat;* vulgo *jacet:* 'vacet,' iners ac otiosa sit, nullum usum habeat, nihil habeat quod agat, aut in quo occupetur. Sic Met. VIII. initio 'vacare victoria' dicitur, quæ non est occupata, et in dubio hæret: 'Inter utrumque vacat dubiis Victoria pennis:' ita enim ex vestigiis veterum codicum scribendum videtur. Sic ager 'vacare' dicitur, qui non excolitur: sic 'vacuum novale' Pont. lib. I. 4. Quare præter rem illud Trist. IV. Eleg. 8. 'Tempus erat nec me peregrinum ducere cælum, Nec siccam Getico fonte levare sitim: Et modo, quos habui, vacuos secedere in hortos:' alibi enim laudat *hortos suos*. Quare scribo *vacuum;* hoc est otiosum: *horti* enim *vacui* minus bene dicuntur, *arva vacua* bene: de quibus Met. IV. 341. Sic 'aures vacuæ,' et similia. Lib. II. ad Augustum, 'At si, quod mallem, vacuus fortasse fuisses.' Pont. lib. IV. 5. 'Tempus ab his vacuo Cæsar Germanicus omne Auferet:' ubi nunc legitur *vacuum*. Idem.

81 *Dat tibi nostra locum tituli fortuna*] Malim *titulis*. Idem. *Tituli*] Laudis. *Caputque conspicuum*] Et tua pietas habet quo tollat caput conspicuum.

84 *Et patet in laudes area magna*] *Area lata* primæ editiones; et sex scripti: ut Epist. Penelop. 'Et patet in curas area lata meas.' Malo præterea *En latet;* quomodo unus Vaticanus. *Heins.*

ELEGIA IV.

6 *In Latio foro*] In Romano foro. Messalinum autem hic poëtam arbitror designare.

7 *Quod minime volui*] Maluissem te vero nomine appellare: nunc ab adjunctis et signis te significare cogor. *Pont.*

8 *Ignoscas laudibus ipse tuis*] *Ista tuis* alter Polit. Apud Paterculum, 'Familiare est hominibus omnia sibi ignoscere.' *Heins. Ignoscas laudibus tuis*] Quasi dicat, Laudibus tuis ascribas, si cognosceris signis supradictis.

12 *Posse nocere puto*] *Puta* quatuor veteres concinnius. *Heins.*

13 *Quid enim civilius illo*] Ita meliores: tres tamen *communius*, quod ex Pirckheimeriano, sive Arondeliano, doctissimus probat Gronovius Observat. lib. II. 12. qui videndus. Sic apud Ciceronem Catone Majore, in veterrimo codice meo, 'Cæteris in rebus communem erga Lysandrum et familiarem fuisse;' non *comem*, quod est in vulgatis, sed quia 'de communi bono' mox sequitur, minus placet. Lib. III. 8. 'At quoniam semel est odio civiliter usus.' *Idem. Ipse pater patriæ*] Scribit L. Florus, Augustum ob ingentia facta Dictatorem perpetuum appellatum fuisse, et Patrem Patriæ: tractatumque etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius et reverentius visum fuisse nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum terras coleret, ipso nomine et titulo consecraretur.

21 *Tamen hoc ego crimen habebo*] *Amabo* bene prim. Vatic. et Leidensis. *Heins. Tamen hoc ego crimen habebo*] Quasi dicat, Augustus hoc crimen meum esse dicet, non tuum: ideo non est verendum, ut hanc ob causam ille prosequatur te odio.

23 *Est injuria nostra*] *Nostri* duo veteres. Forte *nostro:* tecum, qui noster es. Sed numeri in hoc versu duriores. Nec multum hæc ad rem faciunt: quare tollantur, licet. *Heinsius.*

25 *Ne sim tibi crimen amicus*] *Amice* plerique veteres. Lege *tibi crimen amico.* Idem.

26 *Invidiam auctor habere potest*] Ego Ovid. possum dici fuisse criminis causa.

29 *Potes hæc meminisse*] *Hoc* primæ edit. et libri scripti. *Heins.*

30 *Me judice*] Me etiam judicante ingenium meum non esse tantum, quantum illi apparebat. *Mer.*

31 *Illo ore*] Illa gravitate orationis suæ, qua nobilitabatur, de versibus meis pronuntiabat judicium suum. *Pont.*

32 *Pars magnæ nobilitatis*] Partem magnæ nobilitatis intelligit eloquentiam, quæ inter cæteras Messalini nobilitates erat magna pars.

34 *Sunt data verba*] Dedit verba, non rem, quemadmodum pater tuus existimabat. Credebat enim me ingenio ad summum dignitatis gradum perventurum, quum in præsentia ejectus sim in exilium præter ejus opinionem. Est autem 'dare verba,' ut Donatus scribit, decipere eum, qui quum rem expectet, nihil invenit præter verba. *Auctori tuo*] Patri tuo, qui tibi auctor fuit hujus amicitiæ, probando ingenium meum, et loquendo honorifice de meis studiis. *B.*

35 *Nec tamen sunt data*] Quamvis dixerim me patri tuo verba dedisse, ne credas tamen me dixisse quod eum deceperim, quod exilii nota affectus fui: quod videtur esse alienum

ab eo quod ille de me senserat. *Sed in omnibus actis, Ultima si demas*] Sed vitam meam probabis, et intelliges me non dedisse verba, si totius vitæ meæ cursum potius quam finem inspexeris.

37 *Scelus esse negabis*] Malim *negaris*. Heins.

39 *Prius obfuit error*] *Plus* nonnulli; male: dixi Pont. lib. II. 3. 9. *Id.*

41 *Coëuntia rumpe Vulnera*] *Rumpam* Vaticanus optimus, optimus Mediceus, et tres alii; sequor: ipse enim rumpit vulnera retractando, quorum mentionem injicit. *Idem.*

45 *Idque Deus sentit*] Me scilicet culpa carere. Deum autem Augustum intelligit. *Lumen*] Vita.

46 *Mihi detractas opes*] Opes mihi ademptas: ut exulibus fieri solet.

51 *Mitius exilium pauloque quietius oro*] *Opto* meliores, et *propinquius*: sequor. Sub finem libri II. 'Tutius exilium, pauloque quietius oro:' ubi *Mitius* et *opto* pari modo in nonnullis veterum. *Heins.*

53 *Tantaque in Augusto clementia*] *Quantaque* alter Politiani et duo alii; bene: et *Hoc* sequenti versu pro *Huc* cum melioribus. *Idem. Tantaque in Augusto est clementia*] De Augusti clementia legito Tranquillum.

58 *Nec placidos portus hospita navis habet*] *Adit* pr. Vatic. et quinque alii castigatiores; bene: tres alii *puppis habet.* Heins.

59 *Quæ prædam sanguine quærunt*] *Quærant* quatuor veteres. *Idem.*

62 *Pene sub ejusdem frigoris axe jacent*] Primæ editiones et scripti quinque *sideris igne.* Combianus et duo alii, *sideris axe*, quod verum est. *Id.*

63 *Ubi Taurica*] Ubi regio illa crudelis, de qua Herodotus libro quarto, et lib. III. de Ponto Eleg. 2.

64 *Cæde pharetratæ spargitur ara Deæ*] *Pascitur* pr. Vatic. pr. Polit. opt. Medic. et Moreti codex pro diversa lectione; nihil verius. Sic et in Virgiliana Æneidos dedicatione, ubi nunc circumfertur, 'Corniger hos aries humiles et maxima taurus Victima sacratos tinget honore focos;' cum in veteri codice Neapolitano Sannasarii legatur *sparget honore*: vix dubito quin reponendum sit *pascet honore.* Val. Flaccus, 'Tum quocunque loco meritas tibi plurimus aras Pascet honos.' Plura ad Claudianum Notis in III. Cons. Honorii vs. 101. et Amor. lib. III. 8. *Heins. Cæde*] Morte hospitum. *Pharetratæ pascitur Deæ*] Deæ Dianæ, quæ tanquam venationis Dea sagittis utitur. Hæc retia ad venandum invenit, ex quo et Dictynna est cognominata. Colebatur autem circa Ephesum, Pontum, Persidem, et Cretam: unde Ephesia, Ctesia, Tauropolia, ac Persea.

67 *Hic*] In Taurica regione. *Virgo Pelopeia*] Iphigenia, filia Agamemnonis, ex Pelopis genere. *Pro supposita cerva*] Pro cerva, quam loco Iphigeniæ subjecit Diana, ut docet Servius in enarratione ejus versus, 'Sanguine placastis ventos, et virgine cæsa.'

69 *Pius an sceleratus*] Unde quum Areopagitarum judicium subiisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam Deæ sapientissimæ sententia absolutus fuit, ut docet Cicero in oratione pro Milone.

71 *Phocæus*] Pylades, ex Phocide regione, filius Strophii: fidissimus ejus et individuus comes.

73 *Tristem ducuntur ad aram*] Barberin. et fragmentum Vatic. pro diversa lectione *Triviæ ad aram;* quod et Vossianus confirmat: recte. Pont. III. 2. locus huic geminus, 'Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram, Evincti geminas ad sua terga manus.' *Heins. Ad aram*] Ad Dianæ Tauricæ, ut de more Deæ sacrificarentur.

76 *Alter ab alterius funere mœstus erat*] Lege *ob alterius funera*, quod Hamburgensis et Strozzæ codex adstruunt cum Regio et Moreti libro: nonnulli *ob funere.* Heins.

78 *Barbara vitta*] Vitta, qua vin-

ciebantur eorum capita, qui Deo alicui immolabantur. Virgilius, 'Et circum tempora vittæ.'

79 *Cum vice sermonum fratrem cognoscit*] Æneid. VI. 'Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis Jam medium ætherio cursu trajecerat axem.'

81 *Deæ signum*] Dianæ simulacrum. *Mer.* *Crudelia sacra perosæ*] Non postulabat Diana sibi hujuscemodi hostiis sacrificari; sed erat Thoantis immanitas, ut ei hospites mactandos censeret. *Pont.* *Læta Deæ signum transtulit*] Eurip. Iphigenia Taur. Quem locum, ut potuimus, ita tamen ut intelligi possit, sic reddimus: 'Thoanta captum callida prendunt via. Sacris refixum postibus læti efferunt Penetrale signum.'

82 *In meliora*] Vide Fab. Eurip. quæ inscribitur Iphigenia. *Mer.* Aufugiens cum fratre Iphigenia, transtulit secum Deæ signum in loca meliora, qua moribus, qua humanitate. *Pont.*

83 *Regio magni pene ultima mundi*] *Magni penetralia mundi* Barberin. et Gottorphianus eleganti appositione. Pontum abstrusam et interiorem orbis partem appellat. Monui supra hoc libro Eleg. II. 55. *Heins.*

85 *Atque meam terram*] Distichon etiam hoc Ovidianæ venæ vix est ut censeatur. *Idem.* *Meam terram prope*] Prope Tomitanam urbem.

88 *Placato Deo*] Placato Augusto, et reconciliato.

ELEGIA V.

1 *Inter sors prima sodales*] *Pars* meliores: tamen in Fastis, 'matris sors ego prima fui:' et Met. XIII. 'Fœmineæ sortis' pro prole fœminea. Sic Epist. VIII. legebam, 'Sors hæc una mihi conjux bene cessit Orestes,' non *pars.* Heins. *Pars prima*] Princeps, inter amicos meos ὁ πρωτεύων.

4 *Infusa Pallade*] Oleo infuso.

5 *Portus fideles*] Amicitiæ munera et confugium. *Mer.* Vel non dubitasti me tueri tuo patrocinio. *Bersm.*

7 *Cujus eram censu non me sensurus egentem*] Unus Vatic. et Buslidianus *censurus.* Vide quæ noto ad Epist. VII. 47. Superiori hexametro lege cum scriptis *Qui veritus non es,* pro *est.* Heins.

9 *Temporis hujus*] Hujus mei infortunii; vel vis adversæ fortunæ. *Mer.*

11 *Tu tamen agnoscis*] Scribe *Te agnoscis:* sic lib. I. 7. 'Hæc tibi dissimulas, sentis tamen optime dici.' *Heins.*

14 *Famæ conciliare*] Immortalitati consecrare.

16 *Intempestivus nominis obstet honor*] *Honos* duo veteres. Scribe *obsit honos.* Heins.

18 *Teque fuisse pium*] *Teque fuisse mei* rectius Combianus et octo alii. *Idem.*

19 *Remis luctare*] Omnem adhibe conatum. Parœmiæ nos admonet, 'remis velisque contendere.' *Pont.* *Remis luctare*] Quod fit adverso flumine. Virg. VIII. 'Advorsum remis superes subvectus ut amnem:' cui contrarium: 'Mitis ut in morem stagni, placidæque paludis Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset:' 'acuto in murice remi Obnixi crepuere.' Æneid. V. Quod luctamen est, ad Ovidii fortunas accedens.

20 *Dum veniet placido mollior aura Deo*] *Veniat* meliores magno numero: nisi quod pr. Vatic. pr. Polit. opt. Medic. et tres alii *venit a placido*. Pro *aura* quatuor *hora;* octo *ira:* quare aut legendum *placido mollior ira Deo*, aut *mollior aura mari*, vel *salo:* ut persistat in figura inceptæ orationis. Vide Notas Fast. v. 648. *Heins.*

24 *Indeclinatæ amicitiæ*] Amicitiæ non imminutæ, sed firmæ.

27 *Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni*] Tò *perenni* parum huc quadrat: et 'perennes' jam præcesserat. Forte, *Sic æquet tua nupta suum probitate parentem.* Heins. *Sic æquet tua nupta virum*] Sic Virgil. Æneid. vi. 'conjux ubi pristinus illi Respondet curis, æquatque Sichæus amorem.' Quod arripuit Stat. Thebaid. ii. 'Tydea jam socium cœptis, jam pectore fido Æquantem curas.' *Virum*] Te maritum. *Mer.* *Sic æquet tua nupta*] Sic uxor tua moribus tuis respondeat: Te probitate et religione æquet. *Pont.*

28 *Rara querela*] Prim. Vatic. *rata;* plurimi *nulla;* etiam bene: apud Martialem 'Lis rara.' *Heins.*

29 *Socius sanguinis*] Frater tuus.

30 *Frater*] Pollux. Et quum Jupiter cœlum Polluci daturus esset, ejus precibus factum est, ut sex mensibus Castor in cœlo esset, totidem Pollux: dicente Ovidio: 'Jamque tibi Pollux cœlum sublime patebat, Quum mea, dixisti, percipe verba, pater: Quod mihi das uni, cœlum partire duobus,' &c. Quod ideo fingitur, quia eorum stellæ ita se habent, ut occidente una, oriatur altera; vel quia alternis diebus lucent. Hyginus scribit Castorem et Pollucem omnium fratrum inter se amantissimos fuisse: quod neque de principatu contenderunt, neque ullam rem sine communi consilio gesserunt: pro quibus officiis eos Jupiter inter notissima sidera constituisse existimatur.

31 *Sic juvenis similisque tibi sit natus*] Forte *sic superet, similisque tibi sit.* Epist. Didus, 'Sic superent, quoscunque tua de gente reportes;' hoc est, superstites sint. *Heins.*

ELEGIA VI.

1 *Tempore ruricolæ*] Hæc quæ sequuntur, apud alios, a superioribus separata leguntur: ut ab hoc loco nova, et quæ ordine sexta sit, elegia incipiat. Nec male omnino, ut mea fert sententia. Nam et sententia alia a superiore est: et cum hæc querelam miseriæ suæ continuat, illa autem impetitionem; hæc promiscue ad omnes amicos sive lectores, illa ad solum eum cujus nomen ex circumstantiis describit, pertinere videtur. *Micyll.*

3 *Lentis*] Flexißilibus.

4 *Duros lupos*] Dura frena. Lupata autem intelligit. Est enim lupatum, frenum asperum, quo equi ferociores coërcentur: sic dictum, auctore Servio, a lupinis dentibus, qui inæquales sunt.

7 *Inda Bellua*] Elephantes, quia paulatim magistris parere consueverunt: nam regem adorabant, genua submittebant, coronas porrigebant, funibus subibant. *Mer.*

9 *Racemis*] Racemi proprie sunt uvæ minores, granis exilioribus; qui plerumque a vindemiatoribus sub pampino latentes fallentesque relicti, post colliguntur.

11 *Tempus et in canas*] Tempore etiam frumenta nascuntur, et ad maturitatem perveniunt. *In canas semen perducit aristas*] Pro *semen* unus Vatic. *semper:* Buslid. *speciem.* Lege *spicam,* vel *segetem* aut *messem.* Pro *perducit* pr. Vatic. et alii plurimi *producit.* Heins.

12 *Ne sint tristi poma sapore facit*] *Cavet* eleganter Leidensis. *Idem.*

13 *Dentem terram findentis aratri*] Multi *terras findentis* vel *scindentis:* Barberin. et opt. Medic. cum duobus aliis et priscis editionibus, *terras renovantis;* et placet. 'Renovare terram,' pro arare, passim veteres et Noster sæpe: ut Met. I. 'Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.' Infra Eleg. 12. 'Fertilis assiduo si non renovetur aratro, Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.' *Terras patientis* pr. Vatic. An forte scribendum, *Attenuat dentem tempus patientis aratri;* ut Amor. lib. I. Eleg. ult. 'Ergo cum silices, cum dens patientis aratri Depereant ævo.' *Idem.*

14 *Rigidos silices*] *Rigidas* meliores magno numero; sic et alibi. *Idem.*

16 *Mæstaque corda levat*] *Domat* Barberin. et fragmentum Vatican. placet. Epist. Phædræ, 'duraque corda doma.' *Idem.*

21 *Nec quæsita tamen spatio patientia longo est*] *Non quassata* unus Vatic. et Arondelianus: sed nil mutandum. *Idem.*

23 *Scilicet et veteres*] Dicit malum vetus sibi ita recens videri, quemadmodum jugum plerumque et frenum juvencis et equis, qui quamvis diu illis assueti fuerint, tamen tanquam novam molestiam plerumque rejiciunt. *Juga sæpe juvenci*] *Juga curva* alter Palat. placet; ita sæpe Noster: quandoque et 'panda juga:' supra hac Elegia, 'Præbet et incurvo colla premenda jugo.' *Heins.*

29 *Est quoque non minimum*] *Non nihilum* Rottendorphianus cum Leidensi, et Combianus pro diversa lectione: *non nimium* quatuor alii. *Idem.*

31 *Fortior in fulva*] Exemplis arguit, multo magis gravare mala vetera quam recentia. *Luctator*] Qui lucta ludit et palæstra. Fuere autem tria athletica certamina, in quibus certabant corporibus suis cursores, pugiles, et luctatores. Alii quinque statuunt, saltum, cursum, discum, jaculum, luctam.

33 *Nitidis arenis*] In campo recenter arena strato.

38 *Quæ mala sunt longa multiplicata die*] *Et mala* recte veteres: unus cum Bersmanni libro *quam;* quomodo et Gronovius conjiciebat. *Longo* etiam *die* nonnulli. *Heins.*

46 *Et qua nulla mihi carior*] Scribo, *qua nemo mihi carior:* nisi malis, *Et mihi qua nil est carius.* Idem.

48 *Sic mala, quæ video, non videoque, nocent*] An urbis facies et sodales absentes pro malo numerat? non puto. Scribe *male nocent:* et adeantur quæ notavi Fast. II. 170. Quidam scripti cum primis editionibus *sic me movent.* Idem.

49 *Quæ me solatur*] *Soletur* meliores. *Idem.*

ELEGIA VII.

1 *Bis me Sol adiit gelidam post frigore brumam*] Alii *gelidæ post frigora brumæ;* sed minime placet illud *me Sol adiit.* Forte, *Bis ver Sol adiit, gelidæ post frigora brumæ:* nam Aries Pisci succedit. *Heins.*

2 *Bisque suum tacto Pisce*] Hoc dicit, quia sol a Capricorno, Aquario, et Piscibus hyemem transigit. *Mer.*

7 *Cur quoties alicui dum chartæ vincula demsi*] *Chartæ sua vincula* plurimi veteres: duo *demsi sua vincula chartæ.* Vide Notas ad Fast. III. 293. Sequenti versu *e multis* meliores, non *ex.* Heins. *Cur quoties alicui*] Ex his duobus versibus facile refelli potest eorum opinio, qui volebant nomen scribentis, et ejus ad quem scribimus, literis jam signatis inscribi: quum aperte hic possimus videre, intus tantum appositum fuisse nomen scribentis.

11 *Ora Medusæ Gorgonis*] Medusæ crines in serpentes mutavit Minerva, quod cum Neptuno in ejus templo concubuit, ejusque caput ad terrendos hostes ægidi imposuit.

13 *Esse Chimæram*] De Chimæræ forma Homerus lib. sexto Iliados ita scribit: Anterius leonem, posterius vero draconem, medio autem capram, atque terribiles ex ore flammarum globos cum spiritu effundentem. Vide Natal. lib. IX. 4.

15 *Quadrupedesque homines*] Lege, *hominum* cum pr. Polit. pr. Vatican. et quatuor aliis: duo *hominis.* Heins. *Quadrupedesque homines*] Centauros. *Cum pectore pectora junctos*] Centaurorum enim pectora humanis pectoribus juncta fuere: habuere enim partem pectoris humanam, partem equinam.

16 *Tergeminumque virum*] Herylum aut Geryonem intelligit, quos tergeminos fuisse docet Virgilius. Justinus scribit, Geryonem non triplicis naturæ fuisse, sed tres fratres tantæ concordiæ extitisse, ut uno animo omnes regi viderentur. Horatius: 'Qui ter amplum Geryonem Tityonque tristi Compescit unda.'

17 *Sphingaque*] Sphinx bellua est pilo fusco, geminis mammis in pectore, muliebri facie, pedibus ac cauda leonis, pennis autem volucris. Ferunt Sphingem juxta Thebas ænigma hospitibus proposuisse: quod satis notum. *Et Harpyas*] Hesiodus duas tantum dicit Harpyas fuisse ex Thaumante et Electra natas, scilicet Ællo et Ocypeten: tertiam addidit Maro, Celæno. Earumque formam ita describit: 'Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris Proluvies, uncæque manus, et pallida semper Ora fame.' *Serpentigerosque Gigantes*] Legitur etiam, *Serpentipedesque Gigantes:* hoc est, Gigantes, quorum pedes in serpentum volumina desinebant. De quibus Macrob. lib. Saturn. I. *Serpentipedesque Gigantes*] *Gigantas* cum Rottendorphiano. Vide Notas Fast. III. 439. *Heins.*

18 *Centimanumque Gygen*] *Gyan* Rottendorph. alii multi *Gygam;* prim. Pal. *Giam:* consule Notas Amor. II. 4. vs. 10. *Idem. Centimanumque Gygen*] Gyges, auctore Hesiodo, Cœli et Terræ filius fuit, fraterque Briarei et Cotti, quorum singulos centum manus habuisse dixit, et capita quinquaginta. Hi Titanes dicti sunt, ac decennale bellum cum Saturni filiis gesserunt. *Semibovemque virum*] Minotaurum denotat, natura duplici: nam usque ad humeros taurus, cætera homo fuit.

ELEGIA VIII.

5 *Ut posito deberem fine laborum*] Forte, *posita deberem fine labori:* 'posita,' ut vitetur ambiguitas. *Heins.*

10 *Rura paterna*] Me, qui sum dominus eorum. Erant autem in Pelignis.

11 *Inque sinu dominæ, charisque nepotibus*] *Sodalibus* primæ editiones et plurimi scripti. Sed distichon etiam hoc vix genuinum est. *Heins.*

14 *Hos ego sic annos ponere dignus eram*] *Canos ponere* pr. Pal. et quinque alii. Sed neque 'anni' neque 'cani' hoc sensu satis Latine ponuntur. Quare refingo *annos condere:* sic 'condere ætatem' apud veteres; ut et 'condere soles.' *Idem.*

16 *Sarmaticis locis*] *Jugis* quatuor libri veteres. *Idem.*

17 *In cava ducuntur*] Navium exemplo, quæ longa navigatione procellis agitatæ, in navalibus reponuntur, se senem dicit placida quiete uti debuisse.

21 *Miles ubi emeritis non est satis utilis armis*] *Miles ut* plerique veteres: et *annis* pro *armis;* recte: nam τὸ *arma* sequitur. Martial. 'Emeritos Musis et Phœbo tradidit annos.' *Idem.*

22 *Ponit ad antiquos*] Milites singuli perfuncti militia, donabantur septenis, pluribusve aliquando jugeribus terræ, quo possent reliquum vitæ agere. Solebant autem, quum a militia discederent, arma alicui Deo suspendere: quam rem non modo milites faciebant, sed etiam gladiatores. Quem morem designat Horatius in Epistol. lib. I. 1. 'Veianius armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro.'

27 *Vacuos secedere in hortos*] Lege *vacuum*, hoc est, otiosum. Vide supra Eleg. III. vs. 77. *Heins.*

33 *Decem lustris*] Quinquaginta annis. Lustrum autem tempus quinquennale.

34 *Parte premor vitæ deteriore meæ*] Ætas enim post annum quinquagesimum solet esse deterior.

41 *Peragenda sub axe Boreo est*] Tolle cum melioribus scriptis τὸ *est.* Heins.

43 *Hæc mihi si Delphos*] Lege *Delphi* cum pr. Polit. quomodo et Scaliger in ora codicis sui: quinque alii *Delphis. Hoc* etiam meliores. *Idem.*

44 *Esse videretur*] *Viderentur* Gott. venuste. *Idem.*

45 *Nil adeo validum est*] Suspectum distichon. *Idem.*

50 *Plus tamen exitii*] Ostendit numen in eo suam vim et potestatem, quod me supra meritum punivit, et quantum collibuit; non quantum mea noxa commeruit. *Pont. Plus tamen exitii*] Malim *exitio:* plus ad exitium contulit. *Heins.*

ELEGIA IX.

4 *Pœnituisse tui*] Pœnituisse ejus, quod in me fecisti. *Mer.* Pœnitet aliquem sui, cum consilia et facta sua damnat, sibique displicet. *Pont.*

6 *Tempora Tisiphonæa*] Tempora flagitiosa, furialia, et nocentia: id est, cupias non dici meo versu, semper flagitiis operam dedisse, et nocuisse,

ut Tisiphone furia. *Mer.* *Cupiasque eradere vitæ Tempora Tisiphonæa*] Hoc est, Fac te damnes, et cupias ex vita tua eradicare, sive penitus, si modo possis, tollere, id quod est Tisiphones proprium, hoc est, invidiam et studium nocendi. Vel: Cupias eradere tempora Tisiphonæa vitæ tuæ, pro studeas abolere, et ex vitæ tuæ rebus actis tollere, ea quæ scelerate aliquando fecisti. *Micyl.*

11 *Omnia mihi jura reliquit*] Quod jus est civi in maledicum et obtrectatorem, hoc mihi Cæsar non ademit. In jus per amicos vocaturum subindicat. *Pont.*

13 *Et patriam, modo sit sospes*] *Modo sospes erit* Vaticanus optimus. Scribe *sospes eat*. Fast. IV. 'sospes eas semper parens.' Vide Notas in Epicedium Drusi, vs. 472. *Heins.*

16 *Et sua tela*] Malim *in sua tela:* hoc est, in arma poëtica. *Idem.*

18 *Siccaque sint oculis proxima signa*] Per signa intelligit Ursam majorem et minorem, quibus Septentrionem designat. 'Sicca' autem appellantur, quia nunquam occidunt.

21 *Ibit in occasum*] Quicquid a me de te dicitur, id cum aliis scriptis meis celebrabitur per totum terrarum orbem. *Pont.*

22 *Hesperiæ vocis*] Carminis Latini. *Mer.* *Testis et Hesperiæ*] Hesperiam vocem intellige, non Latinam tantum, sed eam quæ in Hesperia, hoc est, occidente edetur. Ut sit dictum: Ejus vocis, sive querelæ, quæ in occidente edetur, testis erit Eous, sive is qui in oriente degit: ut sit ἀντίθεσις ejus quod præcedit. *M.*

23 *Trans altas audiar undas*] *Trans latas* antiqui quatuor; quod præstat. *Heins.*

25 *Nec tua te sontem*] *Ne tua* scribe. *Idem.*

26 *Perpetuæ crimen posteritatis eris*] Καὶ τοῖς ἐσσομένοισι πυθέσθαι, Homer. quod et in bonam et in malam partem accipitur.

27 *Et nondum cornua sumsi*] *Nec dum mihi cornua* pr. Vatic. et tres alii: pr. Polit. et duo *nondum mihi:* pr. Palat. *et non mihi.* Heins. *Nondum cornua sumpsi*] Nondum sumpsi calamum et chartam, quibus te petam, ut cornibus taurus feras in arena secum depugnantes. *Pont.*

29 *Circus adhuc cessat*] Nondum taurus in Circo irritatur. Effigies enim hominum ex fœno veste rubra cooperto, fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur. Postea ita luxus inolevit, ut Phœniciis vestibus usi fuerint. *Spargit tamen acer arenam Taurus*] Tamen sese taurus paulatim ad pugnam accendit: quibus verbis inimico idem minatur se facere. *Spargit tamen acer arenam*] *Spargit jam torvus* pr. Vatic. pr. Palat. et tres alii. *Heins.*

31 *Cane, Musa, recessus*] Prim. Vatic. prim. Pal. et septem alii cum primis editionibus *receptus;* bene: ut jam monui Metam. libro primo vs. 340. *Idem.* *Cane, Musa, receptus*] Receptus, seu receptui canere dicimus, cum tubæ signo exercitus e prælio revocatur.

32 *Dum licet huic*] Non lædendo me ulterius.

ELEGIA X.

1 *Ille ego qui fueram*] *Fuerim* pr. Vatic. et tres alii; probe. *Heins.*

3 *Sulmo mihi patria est*] Sulmo oppidum fuit Pelignæ regionis, distans ab urbe millibus passuum 90.

5 *Editus hinc ego sum*] *Hic* meliores. Pro *ut tempora noris*, Richelianus, *si tempora quæris:* nam 'noris' præcesserat. Sic in Fastis, 'Tempora si veteris quæris temeraria damni.' *Heins.*

6 *Quum cecidit fato consul uterque pari*] Hircium et Pansam consules designat, qui apud Mutinam pugnantes contra Antonium, pop. Rom. hostem judicatum, ceciderunt.

7 *Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis hæres*] *Si quis et a proavis usque est*, vel *Si quid*, vetustiores magno numero: alii aliter. Lego, *Si quid id a proavis usque est vetus ordinis hæres.* Amor. lib. III. Eleg. ult. 'Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis hæres.' In Ponticis, 'Si genus excutias, equites ab origine prima Usque per innumeros inveniemur avos.' *Heins. Si quid id, a proavis*] Ordo est: Et sum factus eques non nunc et recens modo munere fortunæ, sed longa successione, et unde a majoribus hæres sum dignitatis equestris. *Fortunæ munere*] Non modo divitiis, quæ sunt bona fortunæ: qui enim quadringenta sestertia possidebant, equestri dignitate donabantur, et 14. ordinibus in theatro spectandi gratia sedebant.

9 *Genito sum fratre creatus*] *Genito jam* rectius in Medoniano: duo alii *genito sine.* Heins.

12 *Una celebrata est*] Idem dies natalis mihi illique celebratus.

13 *Armigeræ festis de quinque Minervæ*] Secundum diem ex quinque Minervæ consecratis designat. Prima enim die ludi gladiatorii, ut sequentibus diebus, non exhibebantur. Fuere autem *quinquatria* Minervæ festa XIII. Cal. April. hoc est, 20. die Martii, dicta a quinquatro die, quod post diem quintum celebrentur. Vide Alex. ab Alex. lib. II. 22. et ibid. Tiraquell. Natus ergo Ovid. XII. Calend. April. scil. 21. Martii.

14 *Qua fieri pugna*] *Quæ* veteres. *Heins.*

16 *Ab arte viros*] Insignes ab arte, accipio eos qui artibus quibuscunque docendis insignes ac celebres tum fuere. *Micyll.*

18 *Fortia verbosi*] Fortia verba vocat, oratorum orationes, propter summam eloquentiæ vim, quæ animos quo vult adducit, et unde vult deducit.

19 *Cœlestia sacra*] Poësin intelligit. *Mer.*

20 *Inque suum furtim*] Quia pater fieri me poëtam nolebat: itaque eo inscio factitabam versiculos. *Pont.*

22 *Mæonides*] Homerus.

24 *Et quod tentabam scribere*] Rectius plurimi ex antiquis *dicere:* nam 'scribere' præcessit. *Heins.*

28 *Liberior toga*] Togam virilem designat, quam nobiles adolescentes apud Romanos sumebant in festo Liberi patris, XVI. Kalend. April. deposita prætexta.

29 *Induiturque humeris*] Pr. Vatic. Junian. et duo alii cum priscis editionibus, *humeros;* quod mihi religioni fuit non monere. Sic et Met. IX. in nonnullis scriptis, 'Induiturque humeros Lernææ virus Echidnæ.' *Heins. Cum lato purpura clavo*] Lato clavo utebantur et nobiliores et senatores, qui ab ea Laticlavi appellabantur. Martialis: 'Dum te posse negas,

nisi lato, Gellia, clavo Nubere, nupsisti Gellia cistifero.'

31 *Jamque decem, &c.*] Jam annum vigesimum compleverat. *Pont.*

33 *Primos honores*] Magistratus qui primo adolescentibus dabantur: ut ædilitas, quæstura, triumviratus, cæterique qui minores dicebantur. Triumvirum hic se fuisse innuit. Cæterum varii fuere hujus nominis magistratus.

34 *Deque viris*] *Eque* scripti potiores: et *opus*, pro *onus*, proximo pentametro. *Heins.*

35 *Clavi mensura*] Mensura vestis senatoriæ, per quam senatoriam designat dignitatem. *Mer.* *Clavi mensura coacta est*] Latus clavus senatorum gestamen proprie erat, quo illi a reliquis ordinibus distinguebantur. Intelligit ergo Poëta, solam dignitatem senatoriam reliquam fuisse, quam adhuc consequeretur: sed ab ea consequenda abstinuisse se, quia id onus humeris suis majus fuisset; eoque mensuram clavi, hoc est, latitudinem, coactam apud se, id est, coarctatam et quasi accisam fuisse. Quod autem supra dixit, 'Induiturque humeros cum lato purpura clavo:' id eo modo accipiendum fortassis, ut dicamus statim post sumptam virilem togam, etiam clavi dignitatem consequutum, veluti spem quandam senatorii ordinis. Sed postea, cum videret se ei honori, vel ut ipse ait, oneri esse imparem, eandem deposuisse. *Micyl.*

37 *Nec mens fuit apta labori*] Nonnulli *erat apta*. Si quid video, scripserat Ovidius, *nec mens satis apta labori:* et *erat*, pro *eram*, versu proximo; quomodo supra, 'Non domus apta satis, non hic cibus utilis ægro.' *Heins.*

40 *Semper amata*] *Amanda* pr. Vatic. *Idem.*

44 *Quæque nocet serpens, quæ juvat herba, Macer*] Multi veterum *juvet.* Lege cum primo Polit. *necet*, et *juvet.* Noster Remed. Am. 'Parva necat morsu spatiosum vipera taurum.' *Idem.* *Quæque nocet serpens*] Æmylius Macer, poëta Veronensis, herbas, serpentes, et volucres carmine complexus est: qui (ut scribit Eusebius) 30. Olympiade in Asia periit. Vide Scalig. poët. lib. VI. 5.

47 *Ponticus Heroo*] Ponticus poëta heroico carmine Thebanum bellum scripsit. *Battus quoque clarus Iambo*] Alii *Bacchus.* Lege *Bassus pede clarus Iambo.* Noster alibi, 'Jungitur herous cum breviore pede.' Et in Fastis, 'heroi res erat ista pedis.' Meminit tam Bassi quam Pontici poëtarum Propertius. *Heins.*

48 *Dulcia convictus*] Convictores mei fuerunt, ὁμόσιτοι.

49 *Numerosus Horatius*] Horatius optimus poëta, vel a copia vel ab elegantia numerosus dictus. Vel etiam a varietate numerorum ac pedum, quos lyrica metra recipiunt. Natus est ante Ovidium annis 22.

50 *Dum ferit Ausonia carmina culta lyra*] *Aonia lyra* quatuor veteres: an *Æolia lyra?* Horatius de se ipso, 'Dicar, qua violens obstrepit Aufidus, Princeps Æolium carmen ad Italos Deduxisse modos.' Æolica enim dialecto lyrici Græci potissimum usi: hinc 'Æolia lyra.' Diximus jam nonnihil ad Amor. II. 18. *Heins.* *Dum ferit*] Dum plectro chordas feriendo cantat: hoc est, dum pariter sonat lyra, et cantat carmina.

51 *Nec avara fata*] Nec Deorum voluntates; quas ideo 'avaras' appellat, quoniam celerius Tibullum rapuerunt, quam fas erat: admodum enim juvenis periit.

52 *Tempus amicitiæ*] Quia periit me puero, aut antequam possem eum videre. Alii tamen volunt, eodem anno, et etiam eadem die cum Ovidio natum. Unde extat Ovidii de ejus morte Elegia.

53 *Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi*] Lege *fuit is;* ut melius conveniat τῷ *illi.* Heins.

65 *Molle, Cupidineis*] Fatetur aperte, se animo nimis molli et effœminato fuisse, cum se nugis illis scribendis dederit. *Pont.*

67 *Minimoque accenderer igne*] *Igni* Rottendorph. *Heins.*

68 *Nomine sub nostro fabula nulla fuit*] Hoc dicit: Nulla unquam de me fuit fabula, vel rumor ullus sinister, quod notatus fuerim infamia. *Mer.*

69 *Pæne mihi puero*] Vix pueritiam egresso, scil. anno circiter 16. cum primam uxorem duceret. *Nec digna nec utilis uxor*] Tres uxores subinde duxit. Cum duabus prioribus fecit divortium: cum tertia diu vixit, quæ exulem non erubuit. *Pont.*

73 *Seros permansit in annos*] *Socios annos* tres libri: ut Epistola Phyllidis, ‘Promissus socios ubi nunc Hymenæus in annos?’ *Heins.*

75 *Filia me mea bis prima*] Turbati numeri, quos ita concinna, *Filia me prima mea bis fœcunda juventa.* Idem. *Filia mea*] Perilla.

78 *Novemque Addiderat lustris altera lustra novem*] Hoc est, ad nonagesimum annum pervenerat.

80 *Matri proxima busta tuli*] Lege *justa tuli:* alterum Latinum vix est. Val. Flaccus lib. v. ‘Tum comiti pia justa tulit.’ Statius Theb. VI. ‘quid inania fertis Justa rogis?’ Theb. XII. ‘Certamen, qui justa ferant, qui funera ducant.’ Sic ‘dare justa,’ Fast. III. ‘Germanæ justa dat ante suæ.’ Lib. VI. ‘Et dederat miseris omnia justa rogis;’ quod male mutant. Statius Theb. IX. ‘certe tumulos supremaque victis Justa dabas;’ ubi male *Busta* nunc legitur. Familiaris ista vox Statio. Lucanus lib. IX. ‘nunquam dare justa licebit Conjugibus:’ quomodo illic veterrimus codex Vossianus. Sic et ‘peragere justa’ Noster; Met. II. ‘injustaque justa peregit;’ quæ ibi vera est scriptura. *Heins.* *Matri proxima busta tuli*] In eodem matris sepulcro patrem condidi.

85 *Si tamen extinctis aliquid nisi nomina restat*] Sensus est: Si tamen aliquid restat defunctis hominibus, præter nomen. Hoc est: Si quis sensus est post hanc vitam, animæque hominum, ut traditur, immortales sunt. *Micyl.* *Nisi nomina restant*] *Restat* ex scriptis nonnullis: et mox *parentales* pro *parentalis.* Heins.

87 *Parentales umbræ*] O animæ parentum meorum.

88 *Sunt in Stygio foro*] Cognoscuntur hominum scelera a judicibus infernis. *M.* Qui sunt Minos, Æacus, Rhadamanthus; hi enim de criminibus eo venientium cognoscunt. *Pont.*

92 *Quæ vitæ quæritis acta meæ*] *Qui* tres scripti; quod præstat. *Heins.*

93 *Pulsis melioribus annis*] ‘Sed enim gelidus tardante senecta Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.’ Virg. lib. v. ‘subeunt morbi, tristisque senectus.’ *Pulsis melioribus annis*] Deteriores anni sunt senectutis, quia multa senem circumvallant incommoda. *Pont.*

94 *Antiquas miscueratque comas*] Nigris albas insperserat.

95 *Pisæa oliva*] Oliva qua apud Pisas coronabantur victores in Olympico certamine.

96 *Abstulerat decies*] Decem Olympiadas; quinquaginta annos.

102 *Ipseque multa tuli non leviora fuga*] Τὸ *Ipseque* mendosum est: *Ipse* optimus Mediceus: alii duo *Ipsaque:* unus *Ipse ego:* pr. Polit. *Ipsa;* recte: nisi quod scribi malo, *A quîs multa tuli non leviora fuga.* De famulis enim et comitibus queritur etiam Pont. II. 7. ‘Recta fides comitum poterat mala nostra levare: Ditata est spoliis perfida turba meis.’ Muretus, teste Ciofano, *Et quæ multa tuli.* Scaliger asterisco locum notarat. Richelianus *Ipsa morte tuli non leviora mala.* Heins.

105 *Oblitusque mei*] *Togæ* idem Ri-

chelianus. *Idem. Oblitusque mei*] Et oblitus pristinæ meæ tranquillitatis naturæque meæ tenerioris, et vitæ molliter actæ.

106 *Insolita cepi temporis arma manu*] *Tum prius* Scaliger. perperam: sic 'temporis vultus' Nostro Metam. XIII. 'Temporis illius vultum referebat Achilles, Quo ferus injusto petiit Agamemnona ferro.' Et 'temporis solatia' apud Auson. Parentalib. 'Admittunt alii solatia temporis ægre;' ita scribe; nam *ægri* perperam legitur: potest et *τὸ temporis* cum *insolita* construi. *Heins. Cepi temporis arma*] Cœpi tempori cedere, et necessitati parere, ut virum fortem decet.

107 *Occultum polum*] Per occultum polum, Australem; per conspicuum vero, Septentrionalem intelligit. Virgilius: 'Hic vertex nobis semper sublimis, at illum Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.' *Mer.*

111 *Circumsonor armis*] *Circumsoner* meliores. *Heins.*

116 *Sollicitæ lucis*] Vitæ, quæ me sollicitum et anxium reddit. *Mer.*

118 *Tu medicina venis*] *Malis* Hafniensis; Hamburgensis *mali* pro diversa lectione: utrumque præstat lectioni vulgatæ. *Heins.*

119 *Ab Istro*] A Tomitana urbe, Istro flumini finitima.

122 *Ab exequiis*] Post mortem.

123 *Detrectat præsentia*] Lacerat viventium opera. *Mer.*

127 *Cumque ego præponam*] *Utque* Junianus. *Heins. Utque ego præponam multos mihi*] Gallum, Tibullum, Propertium.

130 *Non ero tuus*] Non sepeliar totus, aut oblivioni tradar: sed mea fama supra terras sese attollet, fiamque immortalis. *Mer.*

TRISTIUM LIB. V.

ELEGIA I.

1 *De Getico Littore*] De littore Tomitanæ urbis, quæ littori Getico adjacebat. *Nostri studiose*] Duo veteres *missum, studiose.* Heins.

2 *Præmissis quatuor meis*] Libellis Tristium, antea Romam missis.

6 *Materiæ suæ*] Materiæ Poëtæ, quæ est tristis.

7 *Integer et lætus*] *Donec eram lætus* pr. Polit. pr. Vatic. pr. Pal. et duo alii; male: supra, 'Integer hanc potui nuper bene reddere lucem. *Heins. Integer*] Non relegatus. *Læta et juvenilia*] Libros de Arte amandi significat.

9 *Perago præconia*] Sum præco, et scribo. *Subiti casus*] Subitæ relegationis. *Mer.*

10 *Sumque argumenti conditor*] Ipsemet mihi materiam ad scribendum suppeditavi, alii aliunde sumunt; quoniam calamitatis meæ, quam deploro, habeo, præter me, auctorem neminem. *Pont.*

11 *Caystrius ales*] Cygnus ad Caystrum fluvium pervolans.

12 *Ore deficiente*] Deficiente spiritu, vel corpore. *Deflere Dicitur suam necem*] Dicitur plorare mortem suam; quod docet etiam Aristoteles, de Natura animalium, libro nono. At mihi neque hæ aves præ dolore videntur canere, neque cygni: sed quia Phœbo sacri sunt, ut arbitror, divinatione prædití, præsagiunt alterius vitæ bona: ideoque cantant, alacriusque gestiunt ea die, quam superiori tempore. *Mer.*

14 *Ne funus*] Ne relegatio mea. *Eat mihi tacitum*] A me silentio prætereatur. Vel, ne quasi summo cum silentio diem meum obeam. *Mer.*

16 *Præmoneo, nunquam scripta quod ista legat*] Versu hoc, *Quod*, aut perperam huc irrepsisse credo; aut novo atque inusitato modo, pro *ut*, positum esse, dicendum est. *Micyll.*

18 *Atque alii quorum nomina magna vigent*] Pro quo pr. Polit. pr. Pal. pr. Vatic. et quatuor alii ex melioribus, optime, *Aptior ingenium come Tibullus erit:* qui, quin genuinus sit ipsius Nasonis, dubitari non potest. Æmilius Probus in Dione: 'Dion autem præter nobilem propinquitatem, generosamque majorum famam, multa alia ab natura habuit bona: in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas.' Tacitus Annalium lib. VI. 'Artabanum, Scythas inter eductum, ob sævitiam execrati, come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant.' Sic 'comis anus' in Fastis: 'comis amica' et similia passim apud Nostrum. Cicero in Limone, 'Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti, Quiddam come loquens.' *Heins.* *Quorum nomina magna vigent*] Qui sermone omnium celebrantur, et manibus teruntur. *Pont.*

19 *Nos non essemus in isto*] *Non nos* quidam ex melioribus: *ne nos* pr. Pal. quod placet; nisi mavis *nec nos.* Heins.

20 *Musa locuta mea est*] *Jocata* Combii et fragmentum Vaticanum: quomodo et Vossianus pro diversa lectione; vere: sic 'jocosam' Musam suam vocat. Trist. II. 'Vita verecunda est, Musa jocosa mihi.' Lib. III. 3. 'Quodque magis vita Musa jocosa mea est.' Simile mendum apud Phædrum non semel deprehendimus; ut lib. IV. initio, 'hoc sunt jocati modo;' ubi *locuti* perperam nunc legitur. *Id.*

22 *Lusor amoris adest*] Imo *abest* cum melioribus. *Idem.*

23 *Quod superest, socios*] Bene pr. Polit. et Rottendorph. *animos;* ac sequenti versu *nominis sui* non *mei:* pr. Vatic. *animum:* et mox *e vobis* fragmentum Vaticanum. *Idem.*

30 *Numerare potest*] *Valet* Combianus. Mox *quot flavus Tybris arenas* puto; non *flavas.* Idem.

34 *Pieridumque mora*] Opinor præstare *Pieridumque choro:* sic infra Eleg. 3. 'Quique prius mollem vacuamque laboribus egi In studiis vitam Pieridumque choro.' Sic et Pont. I. 6. 'Pieriis invigilate choris.' *Idem.*

36 *Idem fortunæ qui modus*] Desinam lacrymosa scribere, cum desinet causa lachrymarum mearum. *Pont.*

44 *Sit semel illa joco luxuriata meo*] *Joco suo* Hafniensis; placet: nisi quod scribendum puto, *Sat semel illa joco luxuriata suo est.* Tanaquillus Faber in Epistolis, *Sit satis illa malo luxuriata meo*, quod Zulichemianæ membranæ confirmant; in quibus, *Sit semel illa meo luxuriata malo. Semel* quoque non *satis* reliqui castigatiores. Mox *Barbariem* pro *Barbariam* meliores. *Idem.*

47 *Interea nostri quid agant nisi triste libelli*] Puto, *qui dent nisi triste;* nam Combianus *agent.* Sic Pont. lib. I. 1. 'Non minus hoc illo triste, quod ante dedi.' *Idem.*

48 *Tibia ista*] Iste sonus funestus: id est, hoc triste scribendi genus. Solebant autem majores funera ad tibiam efferre. Vide Hier. Magium Miscell. lib. I. 13. Brod. lib. IV. cap. 30.

56 *Tun' fletus inhibes*] Scripti *Tu* sine interrogationis nota. *Heins.*

57 *Quum faceret Nioben orbam*] Niobe Tantali filia fuit soror Pelopis, et Amphionis uxor, quæ septem filios, totidem filias peperit, summo decore præstantes. Tali prole superbiens admodum gloriabatur, se Latonæ præferens numero filiorum. Itaque ira motam fabulæ Latonam ferunt, Apollinique ut Niobes filios, Dianæ ut filias, arcu interficerent mandasse. Vide Ovid. Metam. VI.

59 *Per verba Levare*] *Levari* malo cum uno Patavino. Paulo ante etiam legendum *Num tamen*, pro *Non*. Heins.

60 *Hoc facit, &c.*] Hæc causa facit, ut Progne querulo cantu dolorem levet: quæ fuit filia Pandionis regis Atheniensi. Vide Fab. apud Ovid. VI. et XI. Metam. et Apollodor. lib. III. *Halcyonasque*] Ceyx filius Luciferi habuit conjugem Halcyonem, a qua quum prohibitus ivisset ad consulendum Apollinem de statu regni sui, naufragio periit. Cujus corpus quum ad uxorem Halcyonem delatum fuisset, illa se præcipitavit in pelagus. Et conversi sunt ambo in aves marinas, quæ Halcyones vocantur. Fabulam narrat Ovidius libro undecimo Metamor.

61 *In gelido Pœantius antro*] 'Saxum illud Lemnium clamore Philocteteo funestare.' Cic. de finib. lib. II. ubi hanc fabulam præclare in suos usus transfert. 'Contempla hanc sedem, in qua ego novem hyemes saxo stratus pertuli.' Attius. Μηδὲ σύντροφον ὄμμ' ἔχων. Sophocl. Philoctetes. *Pœantius*] Philoctetes Pæantis filius: Vide Ovidium Metam. XIII. 'Non te Pæantia proles Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet. Qui nunc (ut memorant) sylvestribus abditus antris, Saxa moves gemitu, Laërtiadæque precaris,' &c.

63 *Strangulat inclusus dolor*] Ostendit dolorem compressum graviter hominem conficere.

66 *Si mihi quod prodest, hoc tibi*] Pr. Pol. pr. Vatic. pr. Pal. et tres alii, *Sic mihi quod prodest si.* Forte, *Id, mihi quod prodest, si tibi, Lector obest.* Heins.

70 *Aut quis*] *Quid* unus Vaticanus. Adi Notas ad Epistolam Ariadnes. vs. 86. *Idem.*

71 *Ipse nec hoc mando*] *Ipsa* pr. Polit. et duo alii: quidam *Ipse nec emendo*: pr. Vatican. *Ipsa nec emendo.* Idem.

74 *Ingeniosus eram*] *Ero* multi veteres. Putem *eo:* ut in Amoribus, 'Turpiter huc illuc ingeniosus eo.' *Idem.*

75 *Captatur gloria*] *Captantur sæcula* Leidensis. *Idem.*

76 *Ingenio stimulos*] *Ingenii* meliores. Puto *Ingeniis.* Idem.

78 *Quæ tamen irrumpunt, &c.*] Tamen usque recurrunt; quamvis coner scribendo curas levare, non tamen possum.

79 *Cur mittam quæritis istos*] *Isto* repone. Tanaquillus Faber in Epistolis, *isthoc* pari sensu: ut Romam subintelligas. *Heins.*

80 *Vobiscum cupio*] *Cupiam* Junianus. *Idem.* *Quolibet modo*] Versibus: quandoquidem non licet corpore. *Mer.*

ELEGIA II.

5 *Sufficit*] Durat, sustinet. *Mer.*

6 *Et magis infirmo*] Non, inquit, tempus est, ut magis sim infirmus et invalidus: nam corpus multis malis vexatum occalluit, et assuevit omnia perpeti. Sunt qui legant per interrogationem, *An magis infirmo, &c.* An ideo firmum mihi corpus, quia unde infirmum sit, amplius nihil est?

12 *Tempore*] Diuturnitate temporis. *Mer.* *Grandibus accedunt*] Magna incommoda ab annis incrementum accipiunt, et gravius animum discruciant. Sic Cic. Philipp. v. 'Omne malum nascens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robustius.' *Pont.*

13 *Pœantius*] Philoctetes.

14 *Vulnus ab angue datum*] *Virus* primæ editiones et unus Vaticanus cum Arondeliano. *Heins.* *Pestiferum vulnus*] Sagittam Herculis intellige, hydræ veneno infectam. Nota est fabula. *Pestiferum vulnus ab angue*] 'Cui viperino morsu venæ viscerum Veneno imbutæ tetros cruciatus cient.' Attius. Deinde tamen restitutus est arte Machaonis. 'Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon.' Propert. lib. II. 1. Alii sagittis Herculis, veneno armatis, vulnus accepisse tradunt.

15 *Telephus æterna consumptus, &c.*] 'Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.' *Mer.*

19 *Parte doloris*] *Laboris* sex libri; quod magis arridet. *Heins.*

20 *Exiguum pleno*] Alibi dixit se non fluctibus, sed toto Oceano fuisse obrutum, miseriarum suarum multitudinem et magnitudinem volens exprimere. 'Mare' dixit ἀρχαϊκῶς pro mari. *Pont.*

21 *Multum restabit acerbi*] *Acervi* pr. Pal. pr. Vatican. et tres alii: malim *acervo;* pœnæ, videlicet. *Heins.*

22 *Totius instar erit*] Ostendit tantam esse malorum magnitudinem, ut etiam si quid detrahatur, nihil sibi imminutum videatur.

24 *Quodve soporiferum*] Papaveris sativi tria sunt genera. Candidum, cujus semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur. Alterum nigrum. Tertium genus Tyram vocant.

26 *Quod tenerum pennis aëra pulsat avis*] *Quot* cum scriptis: malim etiam *sulcat.* Heins.

30 *Strictas in mea, &c.*] De nece sibi a comitibus in itinere intentata hæc accipe.

33 *Trajicerer*] In locum clementiorem mitterer ab Augusto. *Est cruenta*] Est capitalis, quod quenquam occiderim.

37 *Quid dubitas, et tuta times*] *Quid tuta* tres antiqui, nervosius. *Heins.*

40 *Subtrahis et fracto*] *Effracto jugo* prim. Polit. et quatuor alii: *efracto* pr. Vatican. Sic 'Effractum ebur' restitui apud Claudianum de bello Gildonico, vs. 136. *Idem.*

43 *Viderit*] Ipse Cæsar providerit, posteaquam a cæteris destituor.

45 *Alloquar en absens absentia numina supplex*] *Alloquor* potiores. Præterea scribendum puto, *præsentia numina;* quod acumen non intellexere insciti librarii. Trist. II. Augustum vocat 'præsentem conspicuumque Deum:' et Pont. lib. I. 3. de eodem, 'Quamque dedere mihi præsentia numina vitam, Non adimat stricto squallidus ense Getes.' Metam. XV. 'Pandite nunc Musæ præsentia numina vatum.' De Baccho Met. IV. 'neque

enim præsentior illo Est Deus.' Cicero Tuscul. Quæst. lib. I. 'Hercules tantus et tam præsens Deus habetur.' Vossii excerpta *cœlestia numina.* Heins. *Alloquor en absens*] Mirum est, quam ob causam hæc quæ sequuntur a superioribus divellant quidam: cum per se posita neque exordium aut caput habeant: et superiores proximi versus omnino cum sequentibus hic cohæreant. Est enim hæc sententia: Quando igitur cæteri vos omnes deseritis me, neque quisquam pro me deprecari sustinet, ego ipse ad aram, hoc est, ad Cæsarem accedam, eumque, licet absentem, absens supplicibus verbis, quatenus fas est hominem cum Deo loqui, alloquar, et orabo, in hunc modum videlicet: O arbiter imperii, &c. *Micyl.*

46 *Cum Jove*] Cum Augusto.

47 *Arbiter, &c.*] *Arbiter*, inquit Festus, dicitur judex, quod totius rei habeat arbitrium ac facultatem.

50 *Non ipso, quem regis*] Tanti faciende, quanti totus simul orbis: par orbi.

52 *Ad pacta tibi sidera*] Ad cælum tibi promissum.

54 *Quod superabit*] *Superare*, superesse, restare.

57 *Nec mea concessa est aliis fortuna*] Nec mihi fortunas meas ademit Augustus; quod exulibus fieri solebat.

59 *Quoniam meruisse videbar*] *Quia me meruisse videbam* pr. Polit. pr. Vatic. pr. Pal. et tres alii ex melioribus. *Heins.*

62 *Scindere puppe*] *Findere* sex; quod mollius. *Idem.*

63 *Deformia*] Littus proprie maris est, ripa fluminis. Interdum generaliter appellatur littus, quicquid juxta aquam est.

64 *Gelido sub axe*] Septentrionali. *Mer.*

66 *Canenti gelu*] Canentia frigora alibi appellavit, quod quasi canitiem terræ inducant. 'Obusta,' quia et frigus urere dicitur.

68 *Graiaque quod Getico*] Propter colonos e Græcia eo deductos. *Victa loquela sono est*] Meliores plerique *juncta:* alii nonnulli cum priscis editionibus *mista.* Nos veram lectionem exhibuimus. Sic infra Eleg. 7. 'In paucis extant Græcæ vestigia linguæ, Hæc quoque jam Getico barbara facta sono.' *Heins.*

70 *Vixque brevis tutos*] *Tutum* rectius Patavin. et Zulichem. Lib. IV. 1. 'Vixque sui tutum mœnibus esse loci.' *Idem.* *Brevis murus*] Id est, humilis, non altus, ἀκυρώτερον. *Pont.*

71 *Pacis fiducia nunquam*] Nunquam certa est pax.

73 *Panthea Charybdis*] *Zanclæa Charybdis:* sic enim Poëtæ eam appellant, ab urbe Siciliæ Zancle, sic appellata a specie falcis. Siquidem (auctore Thucydide) falcem Siculi Zanclam appellant: nam loca ea curva fuisse docet etiam Strabo.

74 *Atque suis ad Styga mittat aquis*] Scribe *aque suis.* Heins.

76 *Leucadii Dei*] *Leucadio Deo* uterque Polit. pr. Vatican. opt. Medic. et Regius: alter etiam Politiani *apta* pro *alta:* an *Leucadio modo?* ut Fast. V. 'Tristia Leucadio sacra peracta modo:' ita enim ibi veteres nonnulli. At Trist. III. 1. 'An quia Leucadio semper amata Deo est?' *Idem.*

77 *Quod petimus*] *Petitur* bene duo veteres; unus *patitur;* multi *patimur.* Idem.

ELEGIA III.

1 *Qua te celebrare poëtæ*] Bacchi festum celebrabatur xv. Calend. Apriles a Poëtis; concitantur enim et ipsi ut sacerdotes Bacchi, atque ideo et hedera coronantur. Ejus sacra Julius Cæsar primus Romam transtulit. De hujus Dei sacris legito Ovid. Fast. III. *Mer.*

3 *Innectunt tempora*] Magnus olim sertorum usus in diebus festis, sacrificiis, symposiis, quia signum lætitiæ. *Pont.*

4 *Et dicunt laudes ad tua vina tuas*] Scribe *ad sua vina:* sic frequentissime Noster. Pro *vina* unus *festa,* alius *jussa.* Forte *musta.* Heins.

5 *Dum me mea fata sinebant*] Quum nondum eram relegatus ab Augusto. Virgil. 'Dum fata Deusque sinebant.'

7 *Stellis Erymanthidos ursæ*] *Cynosuridos* præcipui ex antiquis; et recte. *Heins.* *Erymanthidos ursæ*] Ursæ Arcadicæ, ab Erymantho monte Arcadiæ appellatæ.

18 *Desinit esse Dei*] *Deûm* rectius pro gentili Theologia liber Leidensis. *Heins.*

20 *Quo non exiguo*] *Qua* meliores. *Idem.*

21 *Nec patria*] Thebæ.

22 *Strymona*] Strymon fluvius est, qui in confinio Thraciæ et Macedoniæ ex Æmo decurrit: ibi per æstum maxime grues morantur. Unde Maro eas 'Strymonias' appellavit. *Marticolamque Geten*] Belli cupidos Thracas.

23 *Persidaque, et lato spatiantem*] Persis tota altissimis vallatur montibus, initium capiens a portis Caspiis, qua iter in austrum, atque usque ad mare protenditur: quod ab ea Persicum est appellatum. *Ganges*] Ganges Indiæ fluvius est maximus omnium fluminum, quæ in tribus continentibus memorantur. Vide Plin. lib. VI. 18.

24 *Decolor Indus*] Quidam *discolor:* utrumque probum: dixi ad Metam. *Heins.* *Decolor Indus*] Indiæ populus niger et mali coloris, ob nimium Solis ardorem. Plin. lib. VI. 17. *Mer.*

26 *Stamina*] *Carmina* Strozzæ liber: de qua voce ad Claudianum lib. II. in Eutrop. vs. 458. *Heins.* *Bis genito bis, &c.*] Bis genitum appellat Bacchum, quoniam primum ex Semele, deinde ex femore Jovis in lucem venit: hinc bimater et διθύραμβος dictus.

29 *Quem magna locutum*] Capaneum.

32 *Admonitu matris*] Ad Semelem Bacchi matrem referas, quæ Jovis fulmine conflagravit: quemadmodum Poëta Augusti ictu prostratus est. Vide Natal. lib. v. 13.

33 *Circum tua sacra poëtas*] *Sua sacra* duo Vaticani; ut sæpe apud Nostrum: et *sua vina* paulo ante. *Heins.*

35 *Sic altera degravet ulmum*] *Sic altam* meliores; quod verum est. *Idem.*

36 *Incluso mero*] Vino intus latenti. Hoc ideo dicit, quoniam Bacchus vini usum mortalibus tradidit. 'Laticemque Lyæum.' Virg.

37 *Sic tibi cum Bacchis*] Tradunt Bacchum in exercitu mulierum copiam circumduxisse, armatam hastis pampinis involutis: Silenum quoque pædagogum ac nutritorem, qui ei plurimum ad virtutem et gloriam resque bellicas profuit: Satyrosque etiam, quorum opera in saltationibus ac tragœdiis oblectabatur: eorum enim risu ac joco vitam omnem felicem traducebat. Vide Natal. lib. v. 7. *Satyrorum gnara juventus*] Ita

uterque Politiani: multi *grata* cum priscis editionibus, vel *læta;* alii *graja,* vel *prona,* vel *lecta,* vel *gnara,* vel *ignava,* vel *sacra:* sed perperam. Codex Petri Servii *nava;* ut Pont. lib. I. 10. 'nava juventa,' pro *gnava,* in antiquissimis libris legitur; ubi pari modo variant scripti codices. Calpurnius Eclog. v. 'Jam dudum gnavam potes exercere juventam:' venit enim ἀπὸ τοῦ *navare.* Silius lib. v. 'Laurigeris decus illud avis, navaque juventa Florebat:' ita illo loco vetustissimus codex Coloniensis; vulgati *vana.* Pari modo et alibi non semel in Silio peccatum. *Heins.*

38 *Attonito non taceare sono*] Et sacrificiis celebreris, in quibus hominum clamore et strepitu cymbalorum ac tympanorum omnia resonabant. *Attonito sono*] Sono bacchantum et furentum in tuis sacris. Sic in primo de Arte amandi: 'Sonuerunt cymbala toto Littore, et attonita tympana pulsa manu.'

39 *Ossa bipenniferi*] Sic male cubent. Insignes inter eos in quos animadvertit Bacchus, ferunt Græcum Penthea, cujus fabulam habes apud Ovid. in Metamorph. et Lycurgum Thracem. Ovidius enim scribit Lycurgum Thracum regem fuisse, qui Bacchum Deum esse negabat: ob quod cum donaretur securi vites incidere, crura sibi amputavit. Unde 'bipennifer' appellatur. Ovid. in Metamorph. 'Penthea, tu venerande, bipenniferumque Lycurgum Sacrilegos mactas.'

40 *Pentheos umbra*] Penthei anima. Vide Metam. III.

42 *Clara corona tuæ*] Zulichemianus *Cressa corona;* optime. Vide omnino Notas lib. I. Artis, vs. 557. *Heins.* *Clara corona*] Ariadnen a Theseo in Naxo insula destitutam Bacchus uxorem duxit. Fabulam refert Ovid. in I. de Arte amandi. De Corona vero Ariadnæ legito Hyginum, qui rem multis verbis prosequitur. *Mer.*

43 *Pulcherrime*] Quia ipse Bacchus et Apollo semper juvenes, imberbes, et virginea facie. *Pont.*

50 *Deponat lacrymis*] Scripti plerique *Opponat,* vel *Apponat.* Idem.

54 *Nullaque judicio*] Si nullius vestrum carmen notavi unquam: aut, si in quenquam vestrum mordacem versum nunquam distrinxi.

56 *Proxima non illis*] Si arbitror proxima vestra carmina antiquis non esse inferiora. 'Proxima' autem, aut vicina, aut nuper a vobis edita.

58 *Nomen habere meum*] *Habete* cum melioribus. *Heins.* *Nomen habete meum*] Solo nomine sim vobiscum, quandoquidem corpore non possum propter Augustum: vel, mei memores estote.

ELEGIA IV.

8 *Postulat ille sibi*] *Postulet* malo cum Hamburgensi et Arondeliano. Versu proxime sequenti malim quoque *aprico prato* quam *aperto;* etsi vulgatam minime damnem. Horatius Epist. I. 14. 'Multa mole docendus aprico parcere prato.' Et Arte poëtica, 'Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi.' Od. I. 8. 'cur apricum oderit campum.' Od. III. 18. apud eundem habes 'aprica rura:' et 'apricos flores' Od. I. 26. *Heins.*

12 *Ictus ab angue*] Vel sagitta, ve-

neno hydræ illita, percussus: vel revera a serpente ictus.

15 *Fert tamen, &c.*] Virtutis est, ut secundam fortunam moderate, ita adversam ferre patienter. *Pont.*

17 *Numinis*] Augusti. *Mer.*

20 *Annumerare solet*] *Connumerare* Arondel. *Heins.*

21 *Nam quod opes*] *Jam* nonnulli ex præstantioribus. *Idem.*

23 *Carius ille*] *Carior* multi ex melioribus, ut et priscæ editiones; recte: si distinctione locum erigas. *Idem.*

25 *Te qui comitatus Oresten*] *Comitatur* nonnulli; *comitavit* fragmentum Vaticanum. Vide Notas Trist. lib. I. 8. 31. *Idem. Menœtiaden*] Amicissimum: ut Patroclus, Menœtii filius, Achilli fuit.

26 *Ægiden*] Theseum, Pirithoi amicum, Ægei filium. *Euryalumque suum*] Nisi et Euryali amor notus est carmine Virgiliano.

28 *Sentit abesse sibi*] *Sua* multi veteres. *Heins.*

33 *Contagia*] Consternationem. *Subitæ cladis*] Subiti exilii.

37 *Sensit tamen omnia*] *Sentit* meliores. *Heins.*

40 *Demaduisse*] Valde maduisse, quum scil. in meo complexu hæreres, et ubertim flens, lacrymis tuis eos perfunderes. *Pont.*

43 *Memoremque piumque*] Medonianus *tuumque.* Et mox meliores *tuum solitus jurare suumque.* Heins.

44 *Sive diem videat*] Sive vivat.

48 *Nec sinet ille tuos*] Nec permittet te frustra apud illum collocasse beneficium. Ille enim 'littus arat,' qui operam perdit, et frustra laborat. *Mer.*

50 *Qui bene te novit*] *Norat* tres scripti. Forte, *Cum bene te norit.* Heins.

ELEGIA V.

3 *Laërtius egerat heros*] Malim *egerit.* Heins.

4 *Diem*] Natalem uxoris Penelopes.

5 *Nostrorum oblita malorum*] *Longorum* Buslidianus. *Heins.*

9 *Araque gramineo viridis de cespite fiat*] Genio natalem celebrantes, aram erigebant, quam floreis sertis ornabant. Fœminæ vero Junoni sacrificabant.

11 *Da mihi thura, puer*] Thura, aliique etiam odores, eodem die urebantur. Tibull. 'Urantur pia thura focis, urantur odores, Quos tener e terra divite mittit Arabs.'

14 *Candidus*] Felix. *Mer.*

18 *Navis eat*] *Puppis eat* duo veteres. *Heins.*

24 *Consumatque annos*] *Consumetque* Petri Servii codex. Lege *Consummetque:* quanquam et vulgata lectio bene se habet. Vide Notas Fast. III. 166. *Idem.*

25 *Sed ne contagia fati*] Sed vereor ne fata mea infelicia annorum uxoris felicitatem corrumpant.

32 *Consilium fugiunt cætera pæne meum*] Octo veteres *tuum.* Puto *Consilium suum:* et sequenti versu, *Consilio, commune sacrum cum fiat in ara. Consilium* Rottendorph. et priscæ editiones; quod Ciofano arridebat: frustra. 'Consilio,' data opera. Virg. Æn. libro VII. 'Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem Afferimur.' Livius belli Maced. lib. IV.

'Secutus tamen sua sponte est, velut consilio petitus esset, ut vilior ob ea Regi Hannibal esset:' ubi 'sua sponte' et 'consilio' opponuntur. Sic 'consulto' aliquid facere. Propert. Eleg. II. 34. 'Nec si consulto fulmina missa tonent.' Existimabam aliquando τὸ *Consilio* irrepsisse huc ex superiori versu, et scribendum esse *Ogygia ara*, hoc est, Thebana. *Consiliis* unus Mediceus. Forte pro *Consilii*. Heins.

34 *Fratribus*] Eteocli et Polynici: bella nota sunt Diodori et Papinii monumentis: mutuis enim ictibus cecidere.

35 *Ipsa sibi discors*] Quum Polynicis cadaver impositum fuisset Eteoclis rogo, subito flamma discessit: canente Papinio libro Thebaidos duodecimo: et Lucanus, 'Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit Thebanos imitata rogos.'

38 *Battiades*] Callimachus poëta. [Qui hoc scripserat, s. de fumo in duas partes eunte, in sacris Eteoclis et Polynicis.]

40 *Terga dederis*] Fugeris Italiam versus, ubi erat Poëtæ uxor.

41 *Hæc lux*] Hic dies natalitius.

43 *Edidit hæc mores illis heroibus æquos, Quis erat Eurytion Icariusque pater*] De fœminis agit: quomodo ergo *heroides* in heroas mutatæ? veteres multi *heroidibus*, vel *herodibus*, vel *erroribus*. Bononiensis *hebroidis*. Scribe *heroisin* cum Scaligero, ἡρωΐσιν, qui sic in ora codicis sui emendarat, et cum Salmasio. Tum vide quæ noto Epist. XIII. 137. Statius Sylv. lib. III. ad Uxorem, 'Heu ubi nota fides totque explorata per usus, Qua veteres Latias, Graiasque heroidas æquas?' Sed nondum sanatus est locus. Quænam enim Eurytionis illa filia? Scaliger Antigenen Pelei uxorem intelligebat. Sed quorsum tam obscurum nomen? Scripti veteres, *Eutychion*, *Euchion*, et similia: *Erition* Rottendorphianus, primus Politiani *Eucation*, alter *Eetion* optime et verissime. Andromachen intellige, notissimæ pudicitiæ fœminam. Apud Homerum, Iliad. Ξ. Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος. *Eetionis* nomen quoque varie mendosum apparet in scriptis exemplaribus Fast. lib. IV. 'Et Theben, veteres Eetionis opes:' et Met. XII. ubi 'Eetioneas Thebas' appellat. Vide Notas Fast. IV. 288. Trist. I. Eleg. 5. 'Nec probitate tua prior est aut Hectoris uxor Aut comes extincto Laodamia viro.' Lib. V. Eleg. ult. 'Cernis ut Admeti cantetur et Hectoris uxor.' *Heins.*

45 *Nata pudicitia est, mores*] *Moris*, vel *morum*, vel *secum*, libri veteres; hoc est, tecum; atque ita quoque Tanaquillus Faber in Epistolis: sed *moris* meliores. Latet aliquid. Putem *et mos*: nisi quod 'moribus' mox sequitur. Forte *et honor*, vel *honos*. Idem.

49 *Adversis probitas exercita rebus*] Sic Virgil. 'Iliacis exercite fatis.'

51 *Durus vidisset Ulysses*] Non vidit tantum, sed tulit etiam et perpessus est. Quare scribo, *subiisset*; pro vulgata lectione tamen stant scripti omnes. Pont. I. 5. 'Durius est igitur nostrum, fidissima conjux, Illo, quod subiit Æsone natus, onus.' Sic 'periculum subire,' 'pœnam,' 'laborem,' et similia passim apud Ciceronem aliosque occurrunt. *Heins.*

52 *Sine laude foret*] Sine laude pudicitiæ, quam ipso absente totis 20. annis conservavit, et reditum ejus patienter exspectavit. *Pont.*

53 *Victor Echionias*] Capaneum designat, de quo diximus. *In arces Echionias*] In arces Thebanas. Echion enim fuit unus ex sociis Cadmi, qui cum eo Thebas condidit.

54 *Evadnen*] Uxorem Capanei: cujus mors nota est.

55 *Cum Pelia tot sint genitæ, cur*] Pelius filius fuit Neptuni ex Tyro nympha filia Salmonei regis, ut scribit Homerus. Refert enim hanc con-

suevisse circa ripas Enipei fluminis delectari. Eam Neptunus, sumpta Enipei forma, virginem cepit, et cum ea concubuit, genuitque Peliam et Neleum. Peliæ Thessaliæ regis filiæ fuerunt Asteropæa, Autonoë, Alcestis. *Cur nobilis una est*] *Cur cognita nobis* plerique veteres: nihil muto. *Heins.* *Cur nobilis una est*] Alcestis. Eurip. Alcest. Quod sic Latine reddimus: 'Ast sola conjunx pro suo spondet viro: Alcestis illa, mulier insigni fide Migrare sponte voluit annos in suos Charum maritum.' Hinc Propert. Eleg. II. 6. 'Felix Admeti conjunx, et lectus Ulyssis, Et quæcunque viri fœmina limen amat.'

56 *Misero viro*] Infœlici marito Admeto.

57 *Alter*] Quam Protesilaus: qui cum primus e navi in littus Trojanum descendisset, primus de Græcis est interfectus, quicum nupta erat Laodamia.

59 *Et tua quod malles*] *Mallem* prior Politiani et optimus Mediceus, cum excerptis Vossii. *Implessent* etiam duo. *Heins.*

ELEGIA VI.

5 *Quam si tu tempore nostro*] *Non tempore nostro* pr. Polit. et tres alii; tres *nunc:* sed plerique *tempore duro;* quod et Ciofano probatum. Trist. I. 4. 'Tempore sic duro est inspicienda fides.' Pont. l. II. 6. 'Tu quoque per durum servato tempus amico.' Malim tamen *quam tu si.* Heins.

10 *Deseruit levitas*] Ipse Automedon levis fuisset, si in medio prælio currum Achillis, quem regebat, deseruisset. *Pont.*

11 *Nunquam Podalirius*] *Nunquid* cum Combiano. *Heins.* *Podalirius*] Æsculapius filios reliquit Machaonem et Podalirium, qui arti paternæ dediti, quum ad Trojam cum Agamemnone navigassent, plurimum Græcis in eo bello curandis summo studio vulneribus opitulati sunt, magnam ob id gloriam adepti.

25 *Motum*] Mentem esse commotam. *Agamemnone natum*] Oresten. *Mer.*

26 *Dixisse in Pyladen verba proterva putas*] *Improba verba:* duo *tristia verba:* unus *impia:* alius *aspera;* ut Pont. II. 6. 'Aspera confesso verba remitte reo.' *Heins.* *Verba proterva*] Convitia et contumelias in illum evomuisse, ut insani solent. *Pont.*

27 *Quod vel pulsavit amicum*] *Quod non* plerique: an *ne non pulsarit?* Combianus *quia non pulsarit.* Mox malim *num minus,* pro *non.* Vide Notas ad Epist. Canaces. *Heins.*

29 *Hoc est cum miseris*] Distichon hoc suspectum est. *Idem.*

31 *Ceditur et cæcis*] Solemus etiam obsequi et cedere de via, cæcis transeuntibus. *Et quos prætexta*] Tertium genus hominum designat, quibus etiam obsequimur, magistratibus et consulibus, quos designat per 'virgarum fasces,' qui a lictoribus præferebantur.

32 *Imperiosa*] Plena imperii; vel ostentatrix imperii. *Virgaque*] Vide num virga lictoris potius intelligenda sit hoc loco, qua ille obvios e via submovebat, cum fasces nihil jubere aut imperare soleant, sed insigne tantum

magistratus sint.

34 *Non habet in nobis ullius ira locum*] Solet enim usu venire, ut quos injuriæ invisos faciunt, gratiosos miseriæ reddant; ut est apud Valerium.

36 *Illo, quo quereris*] *Quod* multi veteres: *quod queris* Hamburgensis et Leidensis: *quo reris* pr. Politiani; recte. Pro *minimum minimumque laborum* Gottorphianus pro diversa lectione *minimum de parte:* quod ex suis codicibus probat et in ultima editione exprimendum curavit Naugerius; frustra: elegans est loquendi modus. Sic Penelopes Epistola, 'nimium nimiumque oblite tuorum.' Pro *laborum* etiam *malorum* nonnulli codices vetusti; quod versus proximus videtur requirere: ut jam monuit in Epistolis Tanaquillus Faber. *Heins.*

37 *Celantur arundine fossæ*] Zinzerlingus ex Erfurtano codice *celebrantur* notat; quod verum est: de eo verbo ad Metamorph. l. IV. fabula Thisbes. *Idem.*

38 *Florida Hybla*] Hybla urbs seu mons fuit Siciliæ: ejus ager floribus abundabat, ubi optimi mellis copia.

39 *Gracili Limite formicæ grana reperta*] Æneid. IV. 'It nigrum campis agmen, prædamque per herbas Convectant calle angusto: pars grandia trudunt Obnixæ frumenta humeris,' &c.

45 *Compesce tumores*] *Timores* ex scriptis. *Heins.*

ELEGIA VII.

2 *Æquoreis jungitur Ister aquis*] *Additur* pr. Pol. pr. Vatic. pr. Pal. et multi alii ex melioribus: nonnulli cum primis editionibus, *Ister aditur.* Sed cum Ister ibi se exoneret in Oceanum, τὸ *additur* admittendum duxi. Pont. III. 5. 'His ubi cæruleis jungitur Ister aquis.' *Heins.*

11 *Inter Græcosque Getasque*] Malo *Graiosque* cum codice Combii. *Idem. Inter Græcosque*] Græcorum enim colonia fuit Tomus.

15 *Coryton et arcum*] Custodia sagittarum. Æn. X. 'Corytique leves humeris, et letifer arcus.'

17 *Verissima mortis imago*] Lege *Martis* vel contra auctoritatem membranarum: sic 'Marticolam Geten' vocat alibi. *Heins.*

19 *Stricto cultro*] *Fixo* plerique veteres: ut Fast. II. 'Nec mora, celato figit sua pectora cultro.' *Heins.*

23 *Atque utinam vivat, et non moriatur in illis*] Scribe *vivas,* et *moriaris,* cum Richeliano; conversa ad se oratione, ut metro consulatur: vide quæ notavi ad Epist. X. 75. nisi malis *vivat, non et moriatur.* Pro *vivat* in pr. Vatic. *vidues.* Idem.

25 *Pleno theatro*] Magna hominum frequentia, qui recitationi meorum carminum intersunt in theatro.

29 *Non tamen ingratum*] Homini ingenuo displicere non debet, memoriam sui vigere apud alios.

32 *Pieridesque meas*] *Pieridasque* cum scriptis. *Heins.*

34 *Vulneribusque meis*] Ego, acceptis vulneribus, nihilominus telis sanguine meo ante cruentatis me objicio et offero, dum versus scribere non desisto. *P.*

35 *Euboicis fluctibus*] Undis maris Ægei, quod Euboicam insulam alluit.

36 *Graia Capharea currere puppis aqua*] *Caphaream aquam* pr. Vatic. Combii, Rottendorph. et multi alii ex antiquis, ut et priscæ editiones;

bene: Pont. l. I. 4. ex veteri codice, 'Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas.' Et Pont. II. 6. ex membranis, 'Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto, Quam mea debuerit currere cymba viam?' Præterea unus Bononiensis *Nostra puppis* pro *Graia:* quomodo et Arondelianus. *Heins.* *Caphaream aquam*] Aqua ejusdem maris Ægæi. Quasi dicat, Audet iterum navigare per illud mare, in quo semel naufragium fecit. Est autem Caphareus mons Euboicæ insulæ, Hellespontum versus. Alludit autem Poëta ad naufragium illud, quod Græci Troja redeuntes, circa Caphareum fecerunt, insultante illis Nauplio, propter cædem Palamedis. *Mer.*

39 *Falloque labores*] *Dolores* plerique meliores. *Heins.*

45 *Sive homines, vix sunt homines hoc nomine digni*] *Sive homines specto* Leidensis et Arondelianus. Puto, *Sive homines, hominum vix hi sunt nomine digni.* Idem.

47 *Non metuunt leges*] *Nec* nonnulli. Lege, *Nec metuunt leges, et cedit viribus æquum;* quod magis elegantiæ Ovidianæ respondet. *Idem.* *Sed cedit viribus æquum*] Nullum jus armis est potentius: et quisquis viribus præstat, is æquiora semper et facere et dicere existimatur. *Pont.*

49 *Pellibus*] Rhenonibus et braccis: cæterum ex loco notabis obiter, non solum subligacula, quas ἀναξυρίδας Græce vocant, braccas dici, sed et laxiores vestes, longioresque: talibus enim frigora arceri solent, non iis, quas proprie braccas dici volunt. *Arcent mala frigora braccis*] Ita et scripti. Reponendum tamen, *arcent male.* Vide Notas Fast. II. 170. *Heins.*

51 *Græcæ vestigia linguæ*] *Graiæ* rectius quinque veteres. *Idem.*

53 *Unus in hoc non est populo*] Malim *Ullus* cum uno Bononiensi. Tum *vix est* cum optimo Mediceo et pr. Polit. et sequenti versu pro *Quælibet, Quamlibet;* nam Palat. *Quolibet.* Vide Notas ad Epist. VI. *Idem.* *Qui forte Latine*] Qui possit esse interpres inter Latinum et Tomitanum. *Mer.*

55 *Ipse ego Romanus vates*] *Ille ego* plurimi veteres; et recte: supra l. IV. 10. 'Ille ego qui fuerim tenerorum lusor amorum.' Amorib. 'Ille ego Musarum purus Phœbique sacerdos.' Pont. l. I. 2. 'Ille ego sum, lignum qui non admittar in ullum; Ille ego sum, frustra qui lapis esse velim.' Eleg. 3. 'Ille ego sum, qui te colui.' Et mox, 'Ille ego, qui dixi vestros Hymeneon ad ignes.' *Heins.*

57 *Et pudet et fateor*] Plerique ex antiquis *En pudet;* quomodo et priscæ editiones. *Idem.*

64 *Studii signa sinistra mei*] Forte *sacra sinistra.* Idem.

65 *Sic animum tempusque traho*] Eo modo animus quiescit, et fallitur, et tempus ita producitur. *Reduco*] Removeo tantisper a molestiis. *Mer.*

66 *Semoveoque mali*] *Submoveoque* meliores: multi etiam *dimoveoque.* Heins.

68 *Præmia si studio*] Satis magnum præmium me arbitror consecutum, si tranquillitatem animi subinde carminibus faciendis adipiscar. *Pont.* *Si consequar*] *Consequor* pr. Vatic. et unus Medic. *Heins.*

ELEGIA VIII.

6 *Nostra quibus possunt*] Malo *possint* cum Gottorphiano : duo alii *possent*. Heins.

9 *Ultrix Rhamnusia*] Rhamnusia, quam Græci Nemesin vocant, Dea indignationis credebatur. Indignabatur enim superbos et elatos. *Mer.*

14 *Ille cibo*] *Ipse* meliores. *Idem.*

17 *Sed modo læta manet*] Si manet læta, non est inconstans. Irrepsit hoc verbum ex præcedenti versu : nec tamen satis video quid pro eo debeat reponi, nisi forte, *læta venit*. Idem.

19 *Flos fuit ille caducus*] *Erat* plerique, et recte : nam 'fuit' sequitur. *Idem.*

29 *Exemplo Deum*] Deorum exemplo, qui solent veniam mortalibus concedere. Aut, qui magis prosint, quam obsint. *Et ipse*] Etiam ipse Augustus. *Accessurus est*] Est perventurus in numerum Deorum.

38 *Hæc sunt a primis proxima vota meis*] *Mea est* pr. Polit. quinque alii *mea*. Puto *mihi*. *Heins.*

ELEGIA IX.

4 *Crevisset sine te*] Omnibus paginis te celebrassem.

8 *Si modo nostra ferunt*] *Ferent* quinque veteres : et *legar*, pro *legor*, multi superiori versu. *Heins. Scripta vetustatem nostra ferunt*] Sunt ad posteros perventura.

10 *Hic te maneret honor*] *Hic tibi* plurimi ex antiquis : utrumque probum est. *Heins.*

12 *Post magnos Deos*] Post Jovem et Augustum. Vel Deos appellat Augustum et ejus liberos. *Mer.*

15 *Cumque perhorreret*] *Perhorruerit* septem meliores : quare et mox *spectarit* pro *spectaret* repono ; nam *spectavit* Patavinus. *Heins.*

19 *Seminecem*] Solus post Augustum servasti me. *Pont. Stygia revocasti solus ab unda*] Sic ille apud Comicum : 'Solus ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris.'

22 *Plenius esse*] Quam precari, ut Dii cum Cæsare tibi sint amici et propitii.

23 *Hæc*] Beneficia. *Mer. Argutis*] Eruditis. *Pont.*

25 *Nunc quoque quamvis est jam jussa quiescere*] Turbati numeri : unus Vaticanus et Palat. *Quæ quoque nunc quamvis est jussa quiescere.* Scribe, *Se quoque nunc, (quamvis est jussa quiescere) quin te Nominet invitum, vix mea Musa tenet.* Primæ editiones, *Nunc quoque jam quamvis est jussa:* vix se tenet mea Musa, quin te nominet vel invitum. Pro *quiescere* etiam *silescere* videtur reponendum : sic de ventis supra lib. II. 'Sed modo considunt, intermissique silescunt.' *Heins.*

28 *Luctantem frustra*] *Latrantem* plurimi. *Idem.* *Copula dura tenet*] Copula hic pro eo fune accipitur, quo canes a venatoribus alligati ducuntur; vulgo lassum appellant. Cingulum vero circum collum, melium appellat Varro de Re rustica l. II.

29 *Nondum reserati carceris*] Nondum aperti termini, unde equi incipiunt currere.

30 *Nunc ipsa fronte*] *Pressa fronte* Leidensis. *Heins.*

31 *Sic mea lege data*] An *rata?* Vide Fast. III. 279. *Idem.* *Vincta*] Ligata: imperato scil. sibi silentio. *Mer.*

32 *Vetiti*] Abs te vetiti, qui non pateris nomen tuum in carminibus meis poni.

33 *Nec tamen officio*] Grave est lædi ab amico, et per officium accipere detrimentum. *Pont.*

35 *Si non meminisse putares*] *Nisi non*, vel *nisi me* multi ex scriptis: duo *nisi;* et *meruisse* unus. Lege, *nisi si meminisse putares:* nisi putares me tui esse memorem: 'nisi si' Nasoni usitatum. Adi Notas Epist. IV. 3. *Heins.*

36 *Non prohibet vox*] Gratam animi recordationem non vetas.

37 *Lumen vitale videbo*] *Natale videbo* tres libri: octo *vitale tenebo: solare videbo* Richel. primæ editiones *solare tenebo.* Puto *lumen solare tuebor.* Heins.

ELEGIA X.

13 *Mendax cognomine*] Qui potius est inhospitalis.

14 *Vere terra sinistra*] Vere terra, ut in sinistra parte sita, sic etiam infœlix.

16 *Quæ nisi de rapto*] *Sibi non rapto* omnes meliores. *Heins.* *Quæ sibi non rapto vivere turpe putant*] Herodotus in recensendis Thracum moribus, docet eos e bello atque rapto vivere, idque pulcherrimum ducere.

17 *Tumulus defenditur ipse*] *Defenditur ægre*, multi ex antiquis: recte. *Heins.*

18 *Ingenioque loci*] Situ et natura loci.

19 *Cum minime credas, ut avis*] *Ut aves* rectius scripti nonnulli cum priscis editionibus. Deinde Richel. *Cum bene vix credas.* Heins.

22 *Noxia tela*] *Martia* Vossianus: *tela nociva* Gottorph. pro diversa lectione. Vide Notas Remed. Amor. vs. 45. *Idem.*

23 *Est igitur rarus, qui jam colere audeat*] Quid audeat colere? Scribe *rus qui colere audeat:* quæ vox exciderat ob cognationem posterioris syllabæ in *rarus:* hanc conjecturam postea in Codice Medoniano confirmatam deprehendi, in quo *rus qui colore audeat.* Idem.

28 *Barbara turba*] Getæ, qui una cum Græcis Tomon habitant.

31 *Quos ut non timeas*] *Quorum* pr. Pal. pr. Vatic. et quinque alii. *Heins.*

32 *Pellibus et longa corpora tecta coma*] *Pectora* quidam veteres: at unus Bononiensis cum priscis editionibus *tempora;* quod temere Ciofanus damnarat: nam 'comatos' passim Getas describit, et pellibus operire capita etiamnum solent per septentrionem. *Idem.*

34 *Pro patrio cultu*] Pro habitu Græco, qui est cultior et civilior. *Pont.*

37 *Quia non intelligor*] *Qui* quinque veteres. Puto, *qui non intelligar.* Heins.

49 *Utraque pœna gravis*] Et carere scilicet amicorum consuetudine, et in Scythia vivere.

50 *Forsitan*] Ne absolute affirmando Cæsarem offendat, et injustitiæ coarguat. *Pont.*

ELEGIA XI.

1 *Nescio quis*] Sic per contemptum quandoque loqui solemus, quum indignum quem æstimamus nominemus.

5 *Quam quod cui minime vellem sum causa pudoris*] *Quam quia* nonnulli ex melioribus, et *sim:* quare *rear* etiam proximo versu est legendum. *Heins.*

8 *Principis ira*] Prim. Polit. et opt. Medic. *judicis.* Lege *vindicis:* nam 'judice' sequitur. Vide Notas Fast. VI. 648. *Idem.*

11 *Ipsum*] Me offendisse Cæsarem.

13 *Quassa tamen, &c.*] Hoc exilium est mihi instar procellæ, quo agitor, non submergor. Submersus fuissem, si me interemisset. *Pont.*

16 *Qui merui*] Rectius *Quæ* libri quatuor. *Quam* pr. Palat. *Heins. Vitio meo*] Meo errore.

17 *Facinus non adfuit ullum*] *Illi* octo ex melioribus. *Heins.*

20 *Mite fuit*] *Venit* Hamburgensis: vide Notas Fast. v. 648. *Idem.*

22 *Tuta est*] Non potest perire. *Suo judice*] Augusto judice. Is enim judicavit me non exulem, sed relegatum: quæ pœna mollior erat. *Mer.*

26 *Teque velint*] Id est, velint esse te Deum nobiscum.

27 *Sed ut in mare flumina*] Hoc dicit: Ita meæ, ut populi preces ad Deos perveniunt, quemadmodum et parva flumina mare ita ingrediuntur, ut magna. *Mer.*

30 *Nomine mendaci*] Falso: non enim sum exul. *Pont.*

ELEGIA XII.

5 *Per adversas agitur fortuna*] Nihil frequentius Ovidio, quam conditionem suam comparare cum procellis, tempestatibus, &c. *Pont.*

8 *Festos choros*] Chorus multorum vocibus constat, ut docet Seneca et Macrobius.

9 *Luctibus an studio videor debere teneri*] *Studiis* unus Vatic. Lege *Lusibus an studii:* 'studium' et alibi pro

studio poëtico dixit; ut supra Eleg. I. 'Tot mala pertulimus, quorum medicina quiesque Nulla, nisi in studio est, Pieridumque mora.' *Heins.*

11 *Des licet invalido pectus mihi*] Mihi invalido. Sed rectius legas *hic valido:* hic apud Getas. Deinde versu proximo pro *Anyti rei,* repone *reo* cum prim. Vatic. Combiano, Rottendorph. *Idem.*

12 *Anyti*] Socratis, quem Anytus accusavit. Tres enim fuere Socratis accusatores, Melytus, Anytus, et Lycon. Melytus quidem ob poëtas ei infestus; Anytus ob artifices, atque reipublicæ gubernatores; Lycon denique gratia rhetorum. Accusatio autem habuit se ferme in hunc modum: Socrates injuste agit, juventutem depravans, ac Deos quos civitas putat, ipse non putans, sed alia quædam nova dæmonia. Plato docet eum tanta fuisse sapientia et fortitudine, ut noluerit pro se aut causam dicere, aut quenquam precari. *Mer.* *Fama refert Anyti quale fuisse rei*] Pro genitivo *rei,* malim *reo* legere, dativo casu; ut sit sententia: Quale pectus reo Anyti, hoc est, Socrati fuisse fama refert. Nam et ἀμφιβολίαν lectio hæc tollet, et versui quoque gratiæ aliquantum conciliabit, vitata similitudine casus in utraque cæsura. *Micyl.* *Anyti reo*] 'Αλλὰ καὶ τὸ τρίτον, ὦ Κρίτων, εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ γινέσθω. ἐμὲ δὲ Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δὲ οὔ. Epictet. de Socrate, cap. ultim.

14 *Plus valet humanis*] Versus parum appositus, ac proinde suspectus. *Heins.*

21 *Ingenium longa rubigine læsum*] Vel *plenum* Arondelianus. Forte *rosum.* Idem. *Longa rubigine*] Longa componendi desuetudine. *Mer.*

26 *Ultimus ibit equus*] *Equos* rectius nonnulli. *Heins.*

28 *Cymba vacavit aquis*] *Vacabit* meliores: Hamburg. *vocarit;* recte. Puteaneus *negatur aquis.* Idem. *Vacabit aquis*] Si in ripam subducta, diu hæsit in arenis.

29 *Me quoque despera*] *Despero* cum pr. Pal. et quatuor aliis: et mox *laborum* pro *dolorum* nonnulli. *Heins.*

33 *Ut nunc quoque sumpta*] Nihilominus imperare mihi non potui quin scriberem. *Pont.*

44 *Successus*] Quia mihi male successit.

47 *Tauri fabricator aheni*] Perillus: de quo jam dictum est. *Mer.*

49 *Nil mihi debebat*] *Debuerat* meliores: et mox pro *Sed fugerem,* veteres plerique *Si fugerem,* vel *Cum fugerem.* Heins. *Nil mihi debebat*] Prudentis enim non est, ad id redire, unde detrimentum acceperit.

51 *Studium fatale*] Si regrediar ad studium meum, quod mihi fato quodam nocuit, inveniam arma carmini idonea. *Pont.* *Retentem*] Repetam.

55 *Omnia barbariæ loca sunt*] *Barbarica* prim. Polit. Lege *barbaricæ;* nempe vocis. Sequenti versu pro *omnia sunt Getici,* plerique veteres *omnia quæ possunt,* vel *possint;* nam 'Getice' sequitur: alii, *barbarici* vel *Sarmatici soni.* Hoc quoque distichon in suspectis est. *Heins.*

58 *Nam didici*] *Jam* priscæ editiones et scripti non pauci: rectius. *Idem.*

59 *Nostra teneri*] *Levari* alter Polit. et multi alii; tres *vacare;* quatuor *revelli.* Nil temere mutem. *Idem.*

62 *Parva favilla*] Parvus ignis et cinis est fructus studii mei.

67 *Magistrum*] Me Ovidium.

ELEGIA XIII.

2 *Mittere si quisquam quo caret*] *Mittere rem si quis qua caret.* Heins.

3 *Traxi contagia corpore mentis*] Id est, ipsum corpus præ nimio mentis dolore cœpit male valere.

9 *Ingentia pignora*] Magnas significationes amoris.

10 *Per numeros omnes*] Per omnes modos.

12 *Remque piam præstas*] Officio satisfacis, dum me tueris, meamque causam agis; et interim dum raro scribis, verba mihi negas, absentem non alloqueris crebrius, quod non magni laboris foret. *Pont.*

14 *Nullus nævus*] Quasi dicat, nihil abs te requiram amplius, si hanc velnti ex formoso corpore labem aut maculam unicam sustuleris.

15 *Pluribus accusem*] Pluribus verbis officium tuum accusarem. *Fieri nisi posset*] *Possit* meliores. *Heins.*

19 *Quod precor*] Ut falso de te querar. *Robur pectoris tui*] Mentis tuæ constantiam in me amando, credere nequeo esse labefactatam.

22 *Trinacris Hybla*] Hybla civitas Siciliæ.

27 *Consumere longa loquendi*] *Loquendo* scripti: et pro *sermoni deficiente die* repone *sermonem* cum Rottendorphiano et Puteaneo: prim. Vatic. *sermone.* Vide Notas Amor. I. 8. 93. *Heins.*

30 *Peragant*] Munus linguæ obeant, quod epistola solet efficere.

32 *Versibus hoc paucis*] Lege *hic* cum uno Gallico. *Heins.*

34 *Atque tuis distent*] *Aque* scribendum; ut Caroli Strozzæ viri nobilissimi et humanissimi codex. *Idem.*

ELEGIA XIV.

1 *Quanta tibi dederim nostris monumenta libellis*] *Dederint nostri monumenta libelli* Hamburg. et unus Vaticanus; recte. *Heins.*

2 *O mihi me charior*] Exprimit hunc amorem III. 3. 'Omnia cum subeant, vincis tamen omnia, conjux.'

4 *Tu tamen ingenio*] Versus ex ingenio meo profecti te illustrabunt. *Pont.*

6 *Non potes in mæstos abire rogos*] Non potest fama tua penitus deleri, quemadmodum corpus absumitur rogo.

9 *Nostrorum malorum*] Meæ calamitatis. *In parte*] Cum mecum dolenter feras exilium meum.

11 *Non ego divitias dando*] Distichon notæ minime probæ. *Heins. Plura*] Quam dedi. Intelligit autem famæ immortalitatem.

13 *Perpetui fructum, &c.*] Non in-

termorietur nomen tuum, propter æternitatem scriptorum meorum. *P.*

15 *Adde quod et rerum sola es tutela mearum*] *Solam tutela* pr. Polit. et duo alii: *es rerum sola et* Junian. Scribe, *Adde quod, (ut rerum sola es tutela mearum.)* Heins.

16 *Non parvi honoris onus*] Quasi dicat: Quamvis sit onus et labor res meas tueri, tamen erit magno honori.

19 *Persta*] Persevera in amore conjugali.

23 *Par eadem nostra*] In nostra ruina parem te ostendisti. Vel parem ejus demonstrandæ occasionem habes.

24 *Conspicuum virtus hic tua ponat opus*] Malo, *Tollat onus:* vel, quod præstat, *prodat opus.* Heins. *Conspicuum*] Quasi quandam statuam nunc tibi virtute tua erige, conspicuam omnibus. *P. Virtus*] Tua fides conjugalis.

25 *Esse bonam facile est*] 'Casta est quam nemo rogavit.' *Ubi quod vetat*] *Vetet* meliores. *Heins. Bonam*] Fœminam et uxorem: sed virtus in arduis cernitur.

29 *Quam, &c.*] Quasi dicat: Rari sunt, qui non sequantur fortunam potius quam virtutem. Ex quo designat esse difficile uxori in fide permanere, et fortunam mariti adversam non deserere. Solet enim usu venire, ut quo se fortuna, eo et favor hominum inclinet.

31 *Si tamen est pretium cui virtus ipsa petitum*] *Si qua tamen pretii sibi merces ipsa petiti est*, primæ editiones, pr. Polit. et veteres plerique: quidam *petita est.* Buslidianus *petenti:* pr. Vatican. *Si qua tamen pretium sibi merces ipsa petitum;* atque ita Rottendorph. Lege, *Sic tamen et pretii sibi merces ipsa petiti est, Si qua parum lætis ardua rebus adest.* Tale aliquid requirit sensus. Nihil frequentius hac sententia apud Philosophos. Claudianus, 'Ipsa quidem virtus pretium sibi.' Silius, 'Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.' Piget plura attexere. *Heins. Si qua tamen*] Subaudi, est virtus: hoc est, si quis bonus invenitur, quem non gubernet fortuna, sed virtus ipsa. Quia vix reperitur aliquis qui gratis velit esse probus. *Precium sibi merces ipsa petiti est*] Ipsa virtus est precium sui meriti: quia vir bonus non ducitur fortuna, nec aliud præmium quærit, quam virtutem. Virtus enim per se appetitur. Quibus verbis denotat, optimam uxorem non debere mariti fortunam sequi, sed semper constanter in fide persistere; etiam in rebus adversis. *Si qua tamen*] Ὅπου τὸ συμφέρον ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές. Epictet.

33 *Ut tempus numeres*] Hic denuo nugator aliquis Ovidianam induit personam: in pentametro tamen pro *et loca mirantur* puto scribendum *loca rimatur.* Heins.

35 *Teneat laudabilis ævo*] *Maneat* unus Vaticanus; ut sit appositio: qualis apud Virgilium libro VII. 'locus Ardea quondam Dictus avis, et nunc magnum manet Ardea nomen.' Mox Vossianus *ut Hectoris.* Idem.

36 *Penelopeia fides*] Sic alibi Noster 'Thesea fides.' 'O mihi Thesea pectora juncta fide.' De fide autem Penelopes Homerus et alii multa tradiderunt: inter quæ et nos hæc ita Latine reddidimus: 'Absentem mulier laudat cordata maritum. Illo Penelope nomine clara fuit.' Odyss. XVIII. 253. Εἰ κεῖνός γ' ἐλθὼν τὸν ἐμὸν βίον ἀμφιπολεύοι, Μεῖζόν κε κλέος εἴη ἐμὸν καὶ κάλλιον οὕτω.

37 *Admeti uxor*] Hujus fabulæ meminit Apollod. lib. I. qua nempe ratione Apollo totum annum Admeto servierit. Item lib. III. Tzetz. Chiliad. I. histor. 53. Ovid. Metam. lib. II. fab. 11. Lucian. Dialog. 10. Papinius Stat. lib. VI. *Felix Admeti conjunx, &c.* Propert. Eleg. II. 6. Hinc ludit Juvenal. Satyr. VI. in fine. Claudian. Laude Serenæ Reginæ, vs. 12. *Hectoris uxor*] Sic ipsa apud Eurip.

in Troad. Σὲ δ', ὦ φίλ' Ἕκτορ, εἶχον ἄνδρ' ἀρκοῦντά μοι.

38 *Iphias*] Evadne, Iphiæ filia.

39 *Phylaceia*] Laodamia sic dicta a Phylace Phthioticæ regionis Thessaliæ urbe, quæ sub ejus mariti Protesilai imperio fuit, ut docet Strabo lib. IX. vel a Protesilai avo Phylace, Iphicli patre. *Micyl.*

40 *Iliacam celeri vir pede pressit humum*] *Primo pede* unus Vatic. et alter Palat. ex fide historiæ. In superiori versu non placet illud *Ut vivat fama;* malim *vivat famæ:* sic ' vivere sibi,' ' vivere alteri.' Art. Am. ' sed famæ vigilare juvet.' *Heins.*

41 *At nece nil opus est*] *Morte nihil opus est* plerique veteres: tres *Morteque nil.* Excerpta Vossii, *Nil opus est letho;* bene: Gottorph. *Letho nil opus est;* sic Pont. lib. III. 1. ubi vulgo legebatur *Morte nihil opus est,* veteres nonnulli præferunt *Nil opus est letho.* Vetustiores tamen *Morte nihil opus est:* quare minimum abest, quin censeam reponi debere, *Morte tibi haud opus est.* Mox *puppis eat* pro *navis* multi veteres. Si in promptu fuissent codices hujus operis aliquanto vetustiores castigatioresque iis, qui in manus hactenus nostras inciderunt, poteramus Tristibus recensendis curam magis operosam adhibuisse. Sed cum in nullo Nasonis poëmate pejus nobis prospectum fuerit a membranis antiquis ac fidis, inter sordes exemplarium mendosissimorum diu hærendum esse non duximus; secundis curis elegantissimum poëma curatius illustraturi, si subsidiis aliquanto præstantioribus instruemur. *Idem.* *Nil opus est letho*] Quod ad exempla referendum: Alcestidis scilicet, quæ pro marito Admeto mori sustinuit, ut est apud Euripidem: Evadnes, quæ et ipsa rogum mariti conscendit, eademque se cremari passa est: et Laodamiæ, de cujus obitu et morte supra annotavimus, &c. *Micyl.*

44 *Vela damus*] Quasi dicat: Hæc amore magis impulsus ad te scribenda putavi, quam quod arbitrarer te præceptis et monitis meis egere. *Pont.*

EPISTOLARUM EX PONTO LIB. I.

EPIST. I. BRUTO.

In castigandis hisce libris codices fuere mihi præsto aliquanto vetustiores iis, quos Tristia suppeditarunt, neque illi tamen ejus notæ aut auctoritatis, ut exactam locis male adfectis, qui plurimi passim hic illic occurrunt, medicinam fecerint. Primus omnium commendandum se offert V. Amp. Claudii Sarravii codex Gallicus ante annos octingentos exaratus; sed mendose admodum, nec ille integer, ut qui in Elegia secunda tertii libri deficeret. Proximum vetustate Argentoratæ bibliothecæ exemplar, quod annorum circiter septingentorum senium præ se ferret: in eo liber quartus cum parte tertii desiderabantur. Nec ætate multo in-

feriores, ex Mediceis unus, nobilissimi Rogerii Twisdenii equitis Baroneti itidem unus Anglicus; et Remigii Feschii V. Cl. codex. Post hos primus Vaticanæ, Basileensis secundus, tertius Farnesianæ, quartus Barberinæ, Gottorphianæ quintus, sextus et septimus Hafniensis, Regiæ in Galliis octavus bibliothecæ. Præterea unus Puteanorum fratrum, alter Balthasaris Moreti, tertius V. Cl. Patricii Junii. Hi ante quadringentos, aut quingentos annos exarati. Reliqui notæ recentioris, Thuanei duo, totidem Medicei, Combianus unus, sex Vaticani, duo, quos munificentia V. A. Bernardi Medonii Senatoris Tolosani possideo, tres Vossiani, unus Batavinus, et Leidensis bibliothecæ, et Rottendorphianus, et Boxhornianus, et Arondelius, et a Petro Servio Medico Romano mihi donatus. Denique, quæ negligi nequaquam debent, lectiones diversæ ex optimo veterrimoque libro ad oram Gryphianæ editionis a magno Scaligero notatæ, et aliæ ex Mediceo exemplari, quo Politianus usus fuerat. *Heins.*

P. Ovidii Nasonis De Ponto Liber Primus] Nihil magis inscitum aut barbarum hac inscriptione, quam cave credas ab tersissima nostri Nasonis manu esse. Libri veteres plerique nullam omnino inscriptionem agnoscunt; nisi quod Sarravianus omnium veterrimus et Combianus inter meliores numerandus, sub finem libri secundi, Ex Ponto Liber ii. Explicit. Barberinianus, Explicit Liber Ovidii in Ponto. Opinor Ponticorum, aut Epistolarum Ponticarum titulo libros hosce quatuor a Nasone insignitos fuisse. Trist. v. 2. 'Ecquid, ut e Ponto nova venit epistola, palles?' *Heins.*

Ad Brutum] *Bruto* optimi codices: atque ita semper deinceps per casum tertium: recte; quod semel loco hoc a me moneri suffecerit. *Idem.*

1 *Jam non novus incola*] Incolam non novum se vocat, pro veteri, κατὰ λιτότητα. Nam jam quartum prope annum in Ponto agebat, id quod infra mox apparet Eleg. 8. Cæterum, ut hoc addamus, septem omnino annos in Ponto vixisse poëta videtur: atque intra tres priores ea, quorum titulus est 'Tristium,' scripsisse: reliquis autem, hæc quæ 'de Ponto' inscribuntur, ut ex ipsis libris apparet. *Micyl.*

2 *De Getico littore*] De littore maris Euxini, quod Getæ accolunt.

6 *Hoc clauserit iter*] Fecerit scribendo præcepta amatoria, ne hi quoque de Ponto libelli possint in publicum prodire.

9 *Nec tamen accedunt*] *Non* scripti: et mox pro *Quid veniat*, iidem *Quid veniant;* nisi quod in nonnullis *Qui veniant*, quod Georgio Fabricio arridebat; nequicquam: ego vetustiores sequor. Trist. iii. 7. ad epistolam de Perilla, 'Quicquid aget, cum te scierit venisse, relinquet: Nec mora, quid venias, quidve, requiret, agam.' Eleg. xii. ejusdem libri, 'Sedulus occurram nautæ; dictaque salute, Quid veniat, quæram, quisve, quibusve locis.' Metam. xi. 'Quid veniat (cognovit enim) scitatur.' Virgil. Æn. i. 'Quæ fortuna viris, classem quo littore linquant, Quid veniant cuncti.' Et lib. vi. 'Fare age, quid venias.' Sic et alii scriptores. *Heins.*

15 *Quamvis non sit miserabilis index*] *Quamvis non est* plerique veteres. Versu proximo pro *hoc* malim *hic*, si per antiquos liceat codices. Invenies his in libris non minus triste illo quod jam ante dedi. *Idem.*

17 *Rebus idem*] Eadem est materia hujus operis, quæ est de Tristibus. *Titulo differt*] Differt indice. *Et epistola cui sit*] Differt etiam hoc opus ab eo de Tristibus, quoniam in hoc ad quem scripta sit epistola titulus docet: id vero in opere de Tristibus supprimitur.

19 *Nec vos hoc vultis*] Nec vos vultis

vestra nomina in hoc opere poni, propter Augusti metum. *Sed non prohibere potestis*] *Sed nec* e scriptis multi. *Heins.*

22 *Servatis legibus*] Non scribendo lasciva: id ne facerem, legibus cautum fuit.

24 *Doctus et in promptu*] Brutus enim qui Julium Cæsarem occidit, vir fuit excellens omni genere laudis, et philosophiam Latinis literis prosecutus fuit. *Carmina Brutus habet*] *Scrinia* omnino rectius in Twisdeniano, Combiano, Boxhorniano, et Puteaneo a manu prima; quod in Pirckeimeriano sive Arondeliano Gronovius noster testatus jam est se invenisse Observationibus ad Silvas Statianas. Omnino recte. Bruti enim, præter librum de Virtute Ciceroni, Senecæ, Plutarcho, aliis laudatum, etiam versus extabant, et quidem satis lascivi, ut ex Plinio Epist. lib. III. 5. discimus. Auctor dialogi de claris Oratoribus, 'Fecerunt Brutus et Cæsar carmina non melius quam Cicero; sed felicius, quia illos fecisse pauci sciunt.' *Heins.*

26 *Non tamen arma tuli*] Non tamen bella gessi, ut M. Antonius et Brutus.

29 *Si dubitas de me*] Si dubitas mea causa hos meos libellos excipere. *Laudes admitte Deorum*] Excipe illos Augusti causa, cujus laudes in illis continentur.

31 *Adjuvat in bello*] Est argumentum a minori: Ramus oleæ, quod signum pacis est, adjuvat in bello prætendentem: multo igitur magis debet juvare, non signum, sed ipse auctor pacis, id quod faciunt libri mei. *Micyl.* *Pacatæ ramus olivæ*] 'Paciferaque manu ramum prætendit olivæ.' Æn. VIII.

35 *Æneaden*] Augustum, ab Ænea oriundum, propter patrem Julium Cæsarem, qui genus suum ad Iulum Ascanium Æneæ filium referebat.

36 *Et patriæ pater hic*] Augustus est pater patriæ. *Ipsius ille*] Ille Anchises non nisi Æneæ fuit pater.

37 *Ut limine cogat abire*] Ut Isidis sacerdotes, sistra Ægyptia ferentes, pellat e limine.

39 *Ante Deum matrem*] Quum matri Deum canit tibicen inter sacrificandum. *Cornu adunco*] Tibiam obliquam intellige, dextra parte unum, sinistra duo foramina habentem, quam Mida in Phrygia invenit, ut Plinius docet. *Cornu tibicen adunco*] *Abunco* Argentinus. Puto *obunco*. Met. lib. III. tamen 'adunco tibia cornu' Penthei fabula. *Heins.*

41 *Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ*] Vir doctus in nuperis epistolis pro *Dianæ* reponit *Cybeles:* audacter mehercules, cum nihil sit mutandum. In codicis Twisdenii margine hæc glossa erat adscripta, 'In Aricino nemore juxta Romam habuit Diana templum: ibi erant vaticinatores.' Nihil verius: quomodo et intelligendum esse locum jam vidit sagacissimus Gronovius Observat. lib. IV. 7. *Idem.* *Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ, &c.*] Simpliciter expone: Vaticinator, Dianæ nomine, exigit stipem sive pecuniam a consulentibus, sive iis quibus vaticinia reddit. Et tamen scimus ipsam Dianam nihil tale imperare, hoc est, haud quaquam jubere ut ille pecuniam ab hominibus auferat. Tamen unde se alat non ei deest, ex benignitate videlicet oraculum consulentium. *Micyl.*

42 *Unde tamen vivat vaticinator*] Tamen sacerdos Dianæ, causa Deæ prædicendo futura, donatur victu et donis. Quibus verbis colligit, ut sacerdotes coluntur Deorum causa; sic libros continentes Augusti laudes minime esse ex urbe pellendos, sed potius excipiendos summa veneratione.

43 *Ipsa movent animos*] Hoc dicit: Movemur Deorum causa ad venerandum sacerdotes prædictos; nec debemus putare esse turpe, credulitate nostra sacerdotes venerari Deorum

causa. *Superorum numina*] *Nomina* veteres nonnulli. *Heins.*

45 *Pro sistro, Phrygiique*] Pro sacerdotibus Isidis et Cybeles: quos per sistrum et tibiam e buxo designat.

46 *Gentis Iuleæ*] Augusti ex gente Julia oriundi, ab Iulo Æneæ filio. *Nomina sacra fero*] Complector in meis libellis sacrum Augusti nomen.

47 *Vaticinor*] Sum vates Apollinis et sacerdos. *Locum date*] Sinite me per urbem incedere. *Sacra ferenti*] Mihi portanti nomina gentis Iuleæ.

49 *Nec, quia vel merui*] Quamvis, inquit, in me Augustus sit iratus, non recusat tamen a nobis coli nostro carmine.

51 *Linigeræ Isidis*] Hæc vera lectio, quicquid membranæ inter se pugnant. Vide Notas ad Artem Amator. libro I. 79. *Heins. Linigeræ Isidis*] Isidis cujus sacerdotes lino tecti sacra Deæ celebrabant.

52 *Isiacos ante sedere focos*] Sedere ante altaria Isidis ei sacrificaturi, posteaquam post pœnitentiam Dea placata illi veniam dedit.

53 *Alter*] Scilicet Isiacus sacerdos. *Ob huic similem culpam*] Ob tale crimen. *Privatus lumine*] Privatus oculis tanquam perjurus. Quoties enim per Isidem jurantes fidem non servabant, putabantur a Dea visu privari.

55 *Talia præconia*] Talem vocem fatentium sua crimina, et se ita meritos,

56 *Sua quid valeant numina*] Quid possint Deorum vires. *Teste*] Aliquo nocente, in quem animadverterint.

61 *Cumque sit exsilium magis est*] Ita veteres constanter. Censeo nihilominus scribendum esse, *Quamque sit exilium, magis es mihi culpa dolori.* Nam *τὸ est* versu proximo rursus sequitur, ubi *pœnas* cum Argentoratensi malo, quam *pœnam.* Similis loquendi modus infra Eleg. 4. 'Junctior Hæmonia est Ponto, quam Roma sit Istro.' *Heins.*

62 *Estque pati pœnas*] Rationem assignat, cur magis doleat crimine quam exilio. Quia magis me angit peccatum meum, quam pœna et exilium. *Quam meruisse*] Quam peccatum commisisse, quo videar dignus tali pœna.

63 *Quibus est manifestior ipse*] In quibus Diis ipse Augustus magis apparet, quia a nobis videtur. Vivens enim divinos meruit honores.

65 *Mors faciet certe*] 'Ultima pœnarum mors est.' Lucan.

66 *Ne non peccarim mors quoque non faciet*] Versus hic præter rem est, et præter Nasonianam elegantiam. Præcedens etiam nonnihil suspectus. *Heins.*

67 *Non igitur mirum est, si mens mea tabida facta*] *Si mens mihi* Junianus; tres alii *Nil igitur mirum:* utrumque bene. *Idem.*

68 *De nive manantis*] Contabescit animus meus, et dolore colliquescit, ut nix ad ardorem solis. *Pont. De nive manantis aquæ*] Εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον. Theocr. Idyll. VII. 76. Et Idyll. XXIII. 31. Ἁ δὲ χιὼν, λευκὰ, καὶ τάκεται ἁνίκα παχθῇ.

69 *Vitiata teredine navis*] Hæc vera scriptura est, quam meliores membranæ adstruunt: perperam alii *putredine.* Robertus Constantinus in Lexico voce Ὀζῆνα corrigit *vitiata teredine naris*; insulse. Inter teredinem et tineam hoc interest, quod altera sit marina, altera terrestris. Vide Plinium lib. XVI. 41. 'Teredo' eadem quæ Termes; Græcis τερήδων. Isidorus Etymol. lib. XII. 5. *Heins.*

71 *Roditur rubigine ferrum*] Cato de R. R. 'Ferrum rubigo interficit.'

72 *Carpitur*] Consumitur. *Curarum morsus*] Curas edaces appellat Horat. Gr. θυμοδακεῖς, θυμοβόρους.

77 *Hoc mihi si superi, quorum sumus omnia, credent*] Cave reponas, *quorum sunt omnia;* cum pro recepta scriptura

et codices vetusti, et ipsa ratio pugnent. Adeantur quæ notamus ad librum v. Metam. vs. 343. *Heins.* *Si Superi, quorum sumus*] Si Dii, in quorum sum potestate. Augustum autem latenter intelligit.

79 *In locum vacuum*] In locum carentem arcu Scythico: hoc est, in locum magis quietum, et remotum ab hac Scytharum asperitate. *Scythico ab arcu*] Ab armis Getarum, qui peculiariter arcu utuntur.

80 *Si precor*] *Si precer* meliores. *Heins.* *Duri oris*] Inverecundi oris.

EPIST. II. MAXIMO.

1 *Qui tanti mensuram nominis imples*] Qui nominis magnitudinem æquas ac superas animi nobilitate. Per mensuram autem tanti nominis, Maximi appellationem intellige.

2 *Genus*] Maximorum familiam.

3 *Quamvis cecidere*] Bello Hetrusco, quod gestum est contra Veientes, cum in acie cecidisset Q. Fabius. Vide Florum lib. I. 12. Historiam refert Ov. in Fast. II.

4 *Non omnes Fabios abstulit*] Non prorsus omnes Fabios delevit. Unus enim ex ea gente ob impuberem ætatem domi relictus, propagavit genus ad Q. Fabium, qui mora Hannibalem fregit. Quod factum a Diis fuisse dicit Ovidius, ut Fabius, ad quem scribit, nasceretur. Quidam Herculem apud fluvium Tiberim cum muliere indigena congressum habuisse asserunt, et Fabium virum optimum genuisse. Unde non immerito gens Fabia habuit hæreditaria Herculis sacra.

6 *Quisque loquar tecum*] *Quique* nonnulli veteres: et mox *Hei mihi*, pro *Heu*; bene. *Heins.*

9 *Videris*] Tò *Videris* elegantissimum est. Propertius, Eleg. II. 15. 'Viderit hoc, si quam jam peperisse pudet.' Noster Epistola Medeæ, 'Viderit ista Deus, qui nunc mea pectora versat.' Artis Amator. lib. III. 'Viderit utilitas: ego cœpta fideliter edam.' Lib. II. 'Viderit Atrides: Helenen ego crimine solvo.' Remed. Amor. 'Viderit, Hæmoniæ si quis mala pabula terræ Et magicas artes posse nocere putat.' Et ibidem, 'Nona terebatur miseræ via. Viderit, inquit: Et spectat zonam pallida facta suam.' Fastorum II. 'Viderit, audentes Forsne Deusne juvet.' Trist. V. 2. 'Viderit: ipse sacram quamvis invisus ad aram Confugiam.' Lucanus lib. IX. 'conditor artis Viderit ista Tages.' Statius Theb. III. 'Viderit hoc bello viridis manus.' Petronius, 'Videris tamen, inquit: non ero tui similis.' Neque aliter Cicero et optimus quisque ex ævi aurei scriptoribus. Loca plura adscripsi, ut suas Nasoni elegantias assererem. *Idem.*

11 *Viderit hæc aliquis, tibi me scripsisse, &c.*] Interrogative lego prius distichon, ut sit oratio dubitantis, utrum fateri velit, sive audeat, se ad Maximum de suis rebus ex professo et nomine non celato scribere, an minus; ut posterius distichon quasi per subjunctionem huic respondeat: videlicet, velle atque audere sese. Dubitare autem se fingit, propter Augustum potissime. Deinde etiam, ut attentionem paret, magnitudinem suæ miseriæ tantam esse innuit, ut taceri

ac dissimulari nullo modo possit. *Micyl.*

15 *Hostibus in mediis*] In mediis Getis, qui urbem infestant.

17 *Geminent ut causas, &c.*] Ut duplici causa et via lethum afferant, ferro scilicet et veneno.

20 *More lupi clausas*] Ovilibus enim clausis obambulans lupus insidiari solet.

23 *Veluti vallata*] Veluti circumdata. *Veluti vallata sagitta*] Respicies ad Not. Epist. IV. 159.

25 *Nec fronde nec arbore tecti*] *Læti* non invenuste unus Vaticanus. *Heins.*

29 *Nisi cum stupor*] Nisi cum mentis torpor, et quasi quædam alienatio a sensu.

31 *Felicem Nioben*] Niobe filia fuit Tantali et Taygetæ, uxorque Amphionis. Quæ et orbata viro et filiis, apud urnas eorum in lapidem versa diriguit. Legito Ovid. in Metamorph. *Quamvis tot funera vidit*] Quamvis viderit tot filios mortuos.

32 *Quæ posuit sensum saxea facta malis*] *Mali* Puteaneorum et Moreti exemplar; vere. Trist. IV. 6. 'Mensque mali sensum nostra recentis habet.' Pont. IV. Eleg. ult. 'tantummodo vita relicta est, Præbeat ut sensum materiamque mali:' ita libri veteres. *Heins.*

33 *Vos quoque felices*] Heliades, id est, Solis filias, sorores Phaëthontis dicit: quæ fraterna funera juxta Eridanum deplorantes, conversæ dicuntur in alnos, ut voluit Maro.

35 *Qui non admittor*] *Admittar* sequentia requirunt; atque ita Sarravianus. *Heins.* *Lignum in ullum*] In ullam arborem.

36 *Ille ego, &c.*] Nequicquam etiam cupio in lapidem mutari, ut Niobe.

37 *Ipsa Medusa oculis*] Phorcus ex Cetho conjuge tres habuit filias eximiæ pulchritudinis, Euryalem, Sthenionem, et Medusam. Fabulam refert Ovidius Metam. IV.

38 *Amittet vires suas*] Quia non mutabit me in saxa.

40 *Sit mea pœna*] *Fit* idem Sarravianus aliique nonnulli: et mox *Amittat*, pro *Amittet*, Politiani Excerpta et unus Vaticanus. *Heins.*

41 *Sic inconsumptum Tityi*] Tityi exemplo docet suum dolorem semper renasci. Hic amavit Latonam; propter quod Apollinis telis confixus, et hac pœna damnatus apud inferos afficitur, ejus jecur vultur exedit. *Tityi jecur*] De quo Æn. VI. 'Nec non et Tityon, terræ omniparentis alumnum, Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus Porrigitur, rostroque immanis vultur adunco Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis Viscera, rimaturque epulas, habitatque sub alto Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.'

43 *Medicina publica curæ*] Somnus enim solet esse curarum medicina. Unde Iris apud Ovid. Metam. II. ita loquitur: 'Somne quies rerum, placidissime Somne Deorum; Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.'

45 *Veros imitantia casus*] Cum sint falsa, videntur tamen vera esse.

46 *Et vigilant sensus*] Et mei sensus, inquit, vigilant, somniando ea quæ mihi damnum afferunt.

48 *Captivas in fera vincla manus*] *Ad fera vincla* scripti maxima ex parte. *Heins.*

49 *Imagine somni*] Jucundioribus somniis, quibus interdum deludor. *Somni* dixit per Synæresin pro somnii. Ut Virgil. 'Nec cura peculi.' Ludunt nos somnia in utramque partem. *Pont.*

53 *Sic ubi percepta est brevis et non vera voluptas*] Numeros Nasonianos hic non agnosco. A Patavino verbum substantivum aberat. Forte, *Sic ubi jam percepta brevis nec vera voluptas.* Mox *status iste*, non *ille*, scripti meliores: et postea *pruinosi equi*, non *pruinosæ noctis*; etsi in Amoribus dixe-

rit Noster, 'Longa pruinosa frigora nocte pati.' *Heins.*

54 *Ab admonitu*] Post recordationem patriæ, amicorum, et conjugis, quæ tanquam bona mihi erepta esse doleo.

55 *Caput hoc*] Seipsum designat.

66 *Quam male mutato posse carere loco*] Videtur scribendum *male mutando:* hoc est, qui mutetur cum alio loco quantumvis malo. Hoc est, quod postea est dicturus, 'Nec petito ut bene sit, sed uti male tutius.' Sic lib. II. 2. 'Sit tua mutando gratia blanda loco.' Pont. IV. 14. ex antiquis libris, 'Nulla mihi cura est, terra nisi muter ut ista.' Vide Gronovium Observat. lib. III. 1. Sic Elegia de Nuce, 'solem mutare,' non *vitare*, quod est in multis veterum. Quare frustra sunt, qui hoc loco scribendum contendunt, *Quam male me tuto posse carere loco.* Idem. *Male mutato loco*] Loco exilii ubi sum mutato cum alio loco malo, sed tamen minus turbulento.

68 *Salvo pudore*] Habita pudoris ratione. Quasi dicat, De reditu nullum verbum facies, ni forte velis haberi inverecundus.

69 *Suscipe, Romanæ*] In vulgatis codicibus novæ hoc elegiæ exordium est. Nos vetustissimorum exemplarium auctoritatem sumus secuti. *Heins.*

75 *Magna molimina*] Magna pondera reip. hoc est, detinetur Augustus majoribus oneribus, adeo ut præ illorum magnitudine non possit his locis et meis malis cognoscendis vacare. *Illud numen*] Augustum Cæsarem dicit.

77 *Non vacat*] *Nec* scripti. *Heins.*

79 *Iazyges*] Qui hodie Transylvani.

80 *Taurica*] Tauricam Cherronesum intelligit, ubi Iphigenia Agamemnonis filia, Orestis soror, colebatur: cui et naufragos immolabant, et quoscunque Græcos illuc delatos.

81 *Quæque aliæ gentes*] Ut sunt Iazyges, Getæ, Basternæ, Daci, et Alani Tauris contermini. Est autem ordo: Et non vacat Augusto quærere, quid aliæ gentes faciant; quæ meant, id est, vadunt, celeri equo per dura terga amnis, hoc est, Istri, ubi Ister constitit frigore.

83 *Maxima pars hominum*] Scribe *horum*, vel *harum*, videlicet gentium. Lib. II. 1. 'Maxima pars horum vitam veniamque tulerunt:' ubi *hominum* in nonnullis etiam libris. Proximo versu Polit. Argent. et duo alii *timent;* recte, si *curant* pro *curat* reponas. *Heins.* *Maxima pars hominum*] Quæ gentes supradictæ sunt ita multæ et bellicosæ, ut Romanam potentiam non curent. Ex quo periculum suum ostendit esse maximum.

86 *Quamlibet et longis cursibus aptus equus*] *Quamque libet* prisca exemplaria; quod mutari non debuit. *Heins.*

88 *Quodque sequens*] Alia causa etiam dat Scythis animos, quod propter aquarum penuriam non timent ut eos hostes insequantur.

89 *Ira viri mitis non me misisset in istam, Si satis hæc illi nota fuisset humus*] Alterutrum redundat, aut τὸ *istam* aut τὸ *hæc;* quæ duo nisi barbare non possunt conjungi. Pro *humus* aliquando reponebam *humum;* in istam humum. Nunc parum abest, quin refingendum censeam, *non me misisset in Istrum.* Infra lib. III. 4. 'Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum.' Trist. lib. II. 'Solus ad egressum missus septemplicis Istri:' atque ita passim. Præter flumen Istrum in hoc tractu etiam Ἴστρος oppidum, quod *Istrus* Latinis. Plinio *Istropolis.* Arriani Periplus Ἰστρίαν vocat: quo spectat nummus argenteus apud me cum inscriptione ΙΣΤΡΙΗΩΝ. Fuit autem Milesiorum colonia, ut et Tomi. Pro *viri mitis* cum sex septemve nostris *Dei mitis* reponendum: quod Naugerius in suis quoque invenerat. Deum passim Augustum appellat. *Heins.*

92 *Vitam cui dedit ipse, capi*] *Premi* Polit. Thuan. et duo alii: ut Trist. lib. v. 'Terreor hoste meum pene premente latus.' *Idem.*

94 *Ullis Getis*] Quasi dicat, Non misit me Augustus Tomon, ut a Scythis interficerer.

97 *Nisi quod facere ipse coëgi*] Nisi quod ego illum compuli, scribendo carmina et præcepta amatoria.

99 *Quorum*] Subaudi, Deorum. Augustus enim vivens divinos meruit honores.

101 *Utque diu sub eo, sic sit sub Cæsare terra*] Alii *Roma;* sed neutrum bene: certe 'terra' præcedenti versu jam occurrebat. Quatuor, *Utque diu sub eo sit publica sarcina mundi:* quinque, *sit publica sarcina terræ;* quod in Erfurtano etiam invenerat Zinzerlingus: unus, *sit publica sarcina curæ:* Moreti liber pro diversa lectione *sit publica sarcina rerum:* Sarravianus admodum mendose *Utque diu sub eo, sic sit publicæ saro terræ:* Combianus, *Utque diu sub eis:* alius *sub eo est.* Locus mirifice turbatus: nam versu proximo pro *eat* plurimi etiam veteres *eant.* Timide dico, dico tamen, videri reponendum, *Utque diu subsint huic publica pondera rerum;* videtur enim vox una aut altera excidisse. Paulo ante, pro *justissimus ipse est,* priscæ editiones et scripti satis multi cum Argentoratensi *mitissimus;* quomodo 'Deum mitem' paulo ante appellarat. *Heins.* *Utque diu, &c.*] Et ut olim, inquit, terra fuit sub imperio Cæsaris, sic etiam in posterum semper subjecta sit.

104 *Ora resolve*] Ora aperi, pro me Augustum orando.

105 *Non petit ut bene sit, sed uti male tutius*] *Non pete quod* Puteanus. Unus Vaticanus *Non petit.* Lege *Non petito ut bene sit,* vel *Non petito bene sit.* Scaliger, *Neve pete ut bene sit;* etiam non male. *Heins.* *Sed uti male tutius*] Sed petis ut exulem in loco magis tuto; quod apertius et sequenti carmine indicat.

108 *Squallidus Getes*] Getes immundus, horridus, et impexus.

109 *Subeam pacatius arvum*] Malim *subeant* cum uno Hafniensi, ut ad *ossa* referatur. *Heins.* *Subeam arvum*] Ubi tumuler.

111 *Male compositos*] Male sepultos.

112 *Bistonii equi*] Equi Getarum Thraciam incolentium. Est autem Bistonium stagnum in Thracia.

113 *Si superest aliquis sensus*] Si superest anima post mortem. Animam autem sempiternam esse, primum omnium dixit Pherecydes Syrus, ut est auctor Cic. in lib. I. Tusc. Quæst. *Aliquis post funera sensus*] *Aliquid sensus* cum Argentoratensi et uno Vaticano: sic lib. II. 2. 'Si quid habet sensus umbra diserta.' *Heins.*

114 *Terreat ut manes*] *Et manes* plerique veteres; duo *Terruerit;* totidem *Terreat hic,* quod sequor. *Idem.*

116 *Movissent si tamen ante tuum*] Si tamen, o Maxime, ea flexissent antea mentem tuam. Horat. 'Si vis me flere, dolendum Primum ipsi tibi.'

121 *Non tibi Theromedon*] Intellige de Theromedonte illo crudelissimo, de quo alibi Ovid. ita inquit: 'Theromedonteos ut qui sensere leones.' Ille enim stabula habuit leonum, quos corporibus humanis alebat. *Crudusque rogabitur Atreus*] Et non rogabis pro me crudelem quendam, ut fuit Atreus. Horat. ad Pisones: 'Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.'

122 *Quique suis homines*] Diomedem intelligit, qui habuit equorum præsepia, ob equorum feritatem, ærea: ferreis catenis equi viribus prævalidis vinciebantur: cibis alebantur non his quos terra fert, sed hospitum divertentium carnibus.

125 *Qui vincit semper, victis ut parcere possit*] *Vicit,* et *posset* Sarrav. et tres alii. *Heins.*

127 *Multa metu pœnæ*] Sic Tacit. 'Pœna ad paucos, metus ad plures perveniat.'

133 *Duxi vestros Hymenæon ad ignes*] *Dixi* priscæ editiones cum multis manu exaratis; quod explodit Fabricius, non ego. Sic 'canere Hymenæon,' Met. XII. 'Ecce canunt Hymenæon, et ignibus atria fumant.' Statius Genethliaco Lucani, 'Et vestros Hymenæon ante postes Festis cantibus ipsa personabo.' Claudianus lib. II. Rapt. Proserp. de Jove, 'nimbis Hymenæon hiulcis Intonat:' ita scribendum esse illic jam monui. Cave enim credas ab Hymenæo tonuisse. Terent. Adelph. 'Tibicina et Hymenæum qui cantent:' ubi Donatus, 'sic accipe hymenæum in nuptiis, quemadmodum θρῆνον in funere, vel in sacris hymnum.' *Heins.* *Hymenæon*] Carmen nuptiale. Deum autem nuptiarum posuit pro ipso epithalamio. De Hymenæo alibi plura diximus. *Vestros ad ignes*] Ad vestras tædas, quæ nubentibus præferebantur.

140 *Est inter comites Martia*] Martia hæc, non Catonis, ut hic Merula tradit, sed Maximi uxor fuit, id quod ex primo Taciti apparet, ubi ita legitur: 'Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum electis consciis, et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum, ad visendum Agrippam,' &c. Quod Maximum uxori Martiæ aperuisse, illam Liviæ, C. Nanum id Cæsari, &c. Quod autem eadem filia fuerit Martii Philippi, vitrici Augusti, ex sexto Fastorum patet. *Micyl.*

141 *Matertera Cæsaris*] Ex Julia C. Cæsaris sorore, et M. Accio Balbo nata est Accia Augusti mater, quæ post mariti Octavii mortem Martio Philippo nupsit, qui ab Anco Martio genus traxit. Et ex eodem Philippo, et Acciæ sorore, ac matertera Augusti defuncta, antequam Acciam duceret Philippus, Martiam natam volunt, dicente Ovidio in Fast. Credendum est ergo Ovidium hic significare suam uxorem tertiam de domo Fabiorum, puellam admodum, primo sororem Acciæ, et Augusti materteram, et Martiæ matrem coluisse, deinde ejus filiam Martiam.

143 *Ipsa sua melior fama*] Ipsa, inquit, Claudia melior quam erat ejus fama (parum enim casta ferebatur) non eguisse divino auxilio, si eam Martia et Cæsaris matertera laudassent: quasi dicat: Uxor mea pudicissima est, quandoquidem utitur consuetudine talium matronarum. Historiam refert Livius de bello Punico libro nono, Valerius Maximus lib. v. Lactant. lib. II. 8.

144 *Divina ope*] Auxilio Cybeles, ut suspicionem violatæ castitatis poneret.

146 *Transilienda*] Est silentio prætereunda: quia paulo ante notatus fui infamia, et relegatus propter præcepta amatoria.

147 *Sarcina vestra est*] Erat enim ex Maximorum familia.

149 *Vestras aras*] Vestra auxilia, vos precando tanquam suos Deos.

EPIST. III. RUFINO.

Abest tota hæc epistola a Sarraviano codice. Argentoratensis post proximam epistolam collocabat. *Heins.*

10 *Ut solet infuso vena redire mero*] *Affuso* Twisdenius; quod præstat. Vide quæ notamus ad Artis lib. I. 650. In Epicedio Drusi, 'Aridaque affusa guttura tinxit aqua.' Alludunt huc et duo alii codices, in quibus *effuso mero*. Pro *vena* nonnulli *flamma*, vel *vita*. Forte *Vesta*, pro igni. Silius libro VI. 'Procedit renovata focis et paupere Vesta Lumina prætendens.' *Idem.*

12 *Sint sana*] Sint sine dolore.

13 *Ut multum nostro demas de pectore curæ*] Argent. et quinque alii *nostræ de gurgite curæ ;* eleganter et vere, si quid video. Sic 'gurges vitiorum' Ciceroni. *Heins.*

16 *Vulnera cruda*] Vulnera recentia. Hoc dicit, Recens dolor nullas admittit consolationes.

19 *E molli pulmone*] 'Mollem' probe vocat. Vulnerato enim pulmone homo perimitur : nam spongiosus est, ideoque spiritus capax. *Sanguis*] Sanguis ejectus illato vulnere.

20 *Certo limite*] Vita non ambigua, quia moritur. Ex quo docet causam suam esse perditam et deploratam.

21 *Epidaurius*] Æsculapius qui in Epidauro civitate colebatur.

26 *Aut si sit*] *Aut ut sit* plerique veteres : et *extenuanda*, pro *attenuanda*.

27 *Præcepta*] Rationes quibus usus es in literis tuis.

28 *Pectoris arma*] Consilia e pectore tuo profecta, quibus me obarmo, contra mœrorum morsus. *Pont.*

30 *Quod tua fecerunt scripta retexit opus*] *Texerunt* Patav. et unus Hafniensis. Scribe *texuerunt :* et vide quæ noto initio Remedii Amoris. *Heins.* *Quod tua, &c.*] Quod tu ad me scripsisti. *Retexit*] Destruit. Vel, revocat me ad mœrorem, unde me epistola tua avocarat : vel, obliterat monita tua. *Pont. Mer.*

31 *Sive pium vis hoc, seu vis muliebre vocari*] *Sive hoc muliebre* plerique : nonnulli etiam, *Sive pium jus hoc.* *Heins.*

33 *Fumum de patriis focis*] Homer. Odyss. A. vs. 57. *αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι Ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.* 'Ille solum patriæ mavult, regna aspera saxis, Quam promittentis munera summa Deæ.'

36 *Dulcedine cunctos Ducit*] Rectius duo Vaticani *dulcedine captos.* Met. I. 'Arte nova vocisque Deum dulcedine captum.' Met. XI. 'quarum dulcedine captus Pana jubet Tmolus cithara submittere cannas.' Juvenalis de Statio, 'tanta dulcedine captos Allicit ille animos.' *Heins.*

37 *Quid melius Roma*] Exemplis probat, omnes patriam cæteris locis anteferre solitos esse. *Huc*] In Scythiam. *Mer.* *Scythico quid frigore pejus*] Nomine frigoris, omnia illius barbaræ regionis incommoda complectitur. *Pont.* *Scythico quid frigore pejus*] *Littore pejus* codex Scaligeri et duo alii : rectius etiam hoc. *Heins.*

39 *Cum bene sunt clausæ cavea Pandione natæ*] *Sint* plerique veteres : *sit* Argentinus, Farnesianus, et unus Vaticanus ; optime : nec hanc Micylli conjecturam Fabricius improbare debuit : duo ex nostris cum Aldina editione, *cum bene sit clausa Pandione nata :* verum proxime. *Idem.* *Pandione natæ*] In Aldina editione legitur, *Cum bene sit clausa cavea Pan-*

dione nata, &c. Videlicet ut de sola Philomela intelligatur: hæc enim in sylvis nidificare solet. Sed quid si legas, *Cum bene sit clausæ cavea Pandione natæ?* ut sit sensus: Quantumvis bene est lusciniæ cavea inclusæ, nititur tamen exire in sylvas suas: 'Bene esse,' pro bene ac commode vivere, posito. *Micyl.*

40 *Nititur in silvas quæque redire suas*] *Illa redire* Argent. et decem alii; probe: nisi pro *quæque* mavis reponi *usque.* Heins.

43 *Exilii morsus*] 'Quoniam hæc te cura remordet.'

44 *Cedere*] Amoveri. *Fomentis tuis*] Remediis tuis et consolationibus.

49 *Orbis extremi*] Extremi septentrionis et terrarum. *In arenis*] In Getico littore.

51 *Non dulces educat uvas*] *Herbas* Argent. et multi alii. *Heins.*

61 *Veterum nobis exempla virorum*] Scribe *veterum reorum,* vel invitis membranis; et Notas adi ad Fast. lib. v. 621. *Heins.*

63 *Et grave magnanimi*] *I grave* malim apposita repetitione, si quid video. *Idem.* *Magnanimi Rutili*] P. Rutilius doctus et philosophiæ deditus vir fuit, summæ innocentiæ. Is quæstor Asiam injuriis publicanorum liberavit: sed invidia equestris ordinis, qui tunc judicia exercebat, repetundarum damnatus, in exilium missus est: quum postea ei ob Syllanam victoriam in patriam redire liceret, maluit in exilio esse, quam aliquid contra leges fecisse videri.

65 *Virum*] Rutilium.

66 *Smyrna*] Smyrna urbs fuit Ioniæ ab Amazone Smyrna appellata, quæ Ephesum tenuit: ea urbs est una ex iis, quæ sibi Homeri natales vendicarunt. *Nullo loco*] Nulla alia urbe. Smyrna, inquit, cum sit urbs præclarissima, minorem afferret dolorem in ea exulanti, quam aliæ urbes: quasi dicat, Si quis exul locum gratum quærit, eam urbem præ cæteris eligat.

67 *Non doluit, &c.*] Diogenem intelligit, qui Sinopeus fuit Icesii mensarii filius: quem fugisse aiunt, cum ejus pater publice mensam haberet, ac falso pecuniam signaret. Inde Athenas veniens, Antisthenem secutus est.

69 *Arma Neoclides*] Themistocles Atheniensis Neoclis filius fuit, qui universæ Græciæ magnæ saluti fuit bello Persico. De Themistocle plura legito apud Herodotum, Thucydidem, Justinum, ac Æmilium Probum.

70 *Primam fugam*] Hoc dicit, quia sæpius fugit: sed primo Argos pervenit, ut dictum est.

71 *Pulsus Aristides patria*] Aristides Lysimachi filius Atheniensis, æqualis fere Themistocli, itaque cum eo de principatu contendit.

72 *Quæ prior esset*] Quæ esset clarior, patriane, an sedes ubi exulabant.

73 *Cæde puer, &c.*] Patroclus Menœtii filius, et Actoris nepos, cum in Opunte oppido Locridis luderet astragalis, cum Aphidamantis filio Clisonymo, (vel, ut alii volunt, Eane,) iratus ob surreptos astragalos eum interemit, et in Thessaliam confugit ad Peleum. *Opunta reliquit*] Ex Opuntia urbe Locridis natum esse Patroclum, testatur etiam Homerus.

74 *Thessalicam humum*] Urbem Thessaliæ Phthiam, patriam Achillis.

75 *Exul ab Æmonia*] Mos fuit apud antiquos, ut reus homicidii exularet. In regum tamen legibus lectum est noxios homicidii arietis damno pœnam luere. *Pirenida ad undam*] Ad Corinthiam urbem. De Corintho legito Strab. lib. VIII.

76 *Quo duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua*] Opinor Nasonem scripsisse *Colchas aquas;* ut jam monui Trist. lib. v. 7. nam unus Medic. et prima editio, *Quo duce Colchiacas Argo cucurrit aquas.* Heins. *Quo duce*] Jasone. *Trabs sacra*] Argo navis Palladi sa-

crata. *Colcha aqua*] Per aquam Colchidis regionis. Intelligit autem mare Ponticum, quod Colchos alluit.

77 *Liquit Agenorides*] Agenor rex Phœniciæ jussit Cadmum quærere sororem Europam, lege impia, ut non reverteretur nisi ea inventa: qua diu frustra quæsita, exul Cadmus in Bœotiam venit, ubi Thebas ædificasse dicitur; ut in Met. docet Ovidius. *Sidonia mœnia*] Urbem Phœniciæ Sidona, a piscium ubertate sic dictam: nam piscem Phœnices Sidon vocant.

78 *Poneret ut muros*] Ut urbem Thebanam conderet. *In meliore loco*] In ipsa Bœotia.

79 *Venit ad Adrastum Tydeus*] Tydeus Œnei, cum in Calydone Alcathoum Lycotheumque nepotes occidisset, ex Ætolia Argos aufugit: cui Adrastus benigne suscepto, quodam responso motus filiam Deiphylen uxorem dedit. *Calydone*] Ex Calydone urbe Ætoliæ. *Venit ad Adrastum*] Eurip. Supplic.

80 *Et Teucrum*] Post finem belli Trojani Teucer, morte Ajacis fratris invisus patri Telamoni cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessit, atque ibi urbem nomine antiquo patriæ Salamina condidit. *Veneri grata humus*] Cyprus insula in qua Venus colebatur. *Teucrum*] Eurip. Helen. Quod nos conati sumus Latine reddere: 'Telamone cretus Teucer a Troja redit, Troja cremata. Patrio pulsus solo, A cæde fratris, Pharia visit littora.'

82 *Tybur erat*] Nondum enim Romani propagaverant imperii fines.

83 *Nulli datus omnibus ævis*] Rottendorphianus, *omnibus ex his;* quod placet: *omnibus illis* Arondelianus. *Heins.*

86 *Quæ facit non ita multa*] Quæ tua sapientia consequitur ita multa, ut velles: non enim ea potest dolorem tollere. *Ex dictis tuis*] Ex rationibus adductis.

87 *Si possent*] *Possint* meliores. *Heins.*

89 *Ne me frustra sanare labores*] *Servare* scripti: et paulo ante pro *præceptis posse coire tuis,* unus Hafniensis *fomentis;* quomodo paulo ante vs. 44. *Idem.*

90 *Nec juvet admota*] Alias *juver* legitur, ut sit sensus: Nec æger ipse perditus sive desperatus, juver ope et cura tua admota: quæ lectio melior ac planior est. *Micyl.*

92 *Sed sum*] *Sim* priscæ editiones. *Heins.*

93 *Tua voluntas*] Tuus erga me animus et amor. *Grande munus*] Loco magni muneris.

EPIST. IV. UXORI.

4 *Nec juveni lusus qui placuere, juvant*] *Qui placuere placent* concinnius Thuaneus unus. *Heins.* *Nec lusus*] Ἐπιλυλήσμεθ' ἡδέων. Eurip. in Bacch. 'Nihil pol jam istæ res mihi voluptatis ferunt: Satietas tenet studiorum istorum.' Terent. Hecyr.

6 *Ætatis facta est*] Malim *Ætati.* Heins.

8 *Continuusque labor*] Et assiduus ac quotidianus corporis cruciatus, sollicitudines, angores.

10 *Pylio Nestore*] Nestor ex Pylo urbe Laconiæ. Nestor autem a poëtis tertiam hominum ætatem vixisse fertur, id est, tercentum annos. Plinius tamen in lib. VII. scribit eum pervenisse ad 99. annum. Triginta

videlicet annis, pro una ætate computatis.

13 *Vacuo novali*] Agro sine semine.

14 *Fructibus assiduis*] Et hic *Frugibus* cum Twisdenio et altero Thuaneo. Vide Notas Fast. lib. I. 677. *Heins.*

15 *Ad Circi certamina*] Ad pugnam ludorum Circensium, in quibus aliquando et pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inire solebant, auctore Cor. Tacito. *Mer.* *Certamina*] In genere de omnibus equestribus certaminibus, quæ in Circo fieri solebant, intelligendum. *Micyl.*

18 *Quæ nunquam liquidis*] Est autem ordo verborum: Navis illa, quantumvis firma, solvetur in æquore, quæ nunquam carebit aquis, sicca ipsa, sive in sicco existens. *Micyl.*

19 *Series immensa laborum*] *Malorum* Sarrav. Argent. Scaligeri, et duo alii: in Tristibus, 'Si tanti series sit tibi nota mali.' *Heins.*

21 *Otia*] Quietem et tranquillitatem mentis intellige: vel, quies conservat corporis valetudinem.

23 *Quia venerit*] *Quod venerit* meliores. Proximo versu τὸ *a* Sarrav. Polit. aliique omittunt. *Heins.*

26 *Si modo non*] Si modo, inquit, gesta alicujus clari viri non præponantur factis hominis vilis et abjecti: quasi dicat, si modo non voluerit aliquis labores Jasonis meis præponere: propterea quod majoris est auctoritatis, quam ego.

30 *Utraque terra*] Terra et orienti et occasui subjacens.

31 *Æmonia*] Thessalia, unde solvit Jason. *Ponto*] Colchidi, quæ Ponto adjacet. *Quam Roma*] Quam urbs, unde ad Tomitanam civitatem Istro propinquam perveni.

33 *Primos*] Primarios homines: Castorem scilicet, et Pollucem, Herculem, alios, quos Valer. Flac. enumerat in lib. I.

34 *Deseruere fugam*] *Destituere* vetustiores. *Heins.*

37 *Nec Amyntore natus Quas fugerem docuit*] *Agenore* Sarrav. Argent. Scaliger. et multi alii; ut de Phineo intelligatur; recte: quod Naugerius et Micyllus jam viderunt. Hinc apud Val. Flaccum libro IV. 'magno prognatus Agenore Phineus.' *Heins.* *Nec Agenore*] Intelligit Phineum Poëta, qui Jasoni viam, quam sequeretur, indicavit, et quo pacto petras Cyaneas transiret, ostendit. Vocat autem Phineum Agenoridem etiam Apollonius, ut cum ait: Ἔνθα δ' ἐπάκτιον οἶκον Ἀγηνορίδης ἔχε Φινεύς. *Micyl.*

41 *Illum furtivæ*] Jason, inquit, habuit Medeam, quæ, ejus amore capta, illi ad rapiendum aureum vellus opera, arte, et consilio profuit.

42 *Non didicisset amans*] *Amor* Sarrav. Argent. et tres alii. 'Amoris præceptorem' se passim Noster appellat. *Heins.*

50 *Oscula ferre comis*] *Genis* præstat cum uno Hafniensi et tribus Vaticanis. Superiori versu pro *talem te* quidam *te talem*. Censeo scribendum, *O ego, Di faciant, vel talem cernere possim.* Idem.

54 *Sperato nunquam*] Malim *sperando*; vel *sperato nusquam*. Idem.

55 *Cæsaribus cum conjuge*] Per Cæsares, Augustum et ejus filios, per conjugem vero, Liviam Augusti uxorem intellige.

57 *Memnonis mater*] Aurora Tithoni uxor, materque Memnonis. *Lenito Cæsare*] *Principe* scripti. Proximo versu pro *provocet* duo veteres *provehat*. Forte, *provehat axe*, ut in Amoribus: 'Flava pruinosum quæ vehit axe diem.' *Heins.*

EPIST. V. MAXIMO.

2 *Ut sua verba*] Quamvis exulis et habentis Cæsarem iratum. *P.*

7 *Sic mihi*] Veteres *Et mihi.* Heins.

11 *Animum contendere*] Libet quidem applicare animum ad tales curas: sed non eundem contendere, id est, in talibus curis accurate et cum diligentia versari. Cic. dixit ‘animo contendere.’ *Pont.*

12 *Nec venit in duros*] *Ad duros* in vetustioribus. *Heins.*

14 *Mollior ipse*] *Ille* meliores. *Idem.* *Fato meo*] Mea infelicitate: quasi dicat, Versum facio fortunæ meæ haud dissimilem: hoc est, durum; nam res meæ duræ sunt.

16 *Digna lini*] Digna deleri.

19 *Scilicet incipiam*] Debeo, inquit, mordacius uti lima in corrigendo carmine, et laborare circa unumquodque verbum.

20 *Ut sub judicium*] *Et* vetustiores. *Heins.*

21 *Nisi Lycus in Hebrum Confluat*] Prior in *Lycus* syllaba passim corripitur; etiam apud Nostrum, Pont. IV. 10. Combianus pro diversa lectione *Lixus.* In Patavino *Nilus;* quod amplector: similia habes Amor. lib. II. 17. ‘Sed neque diversi ripa labuntur eadem Frigidus Eurotas populiferve Padus:’ quæ adagii vicem obtinent. Propert. Eleg. I. 12. ‘Tam multa illa meo divisa est millia lecto, Quanta Hypanis Veneto dissidet Eridano:’ sic scribe, non *Quantum.* Idem. *Nisi Lycus in Hebrum Confluat*] Nisi aquam aquæ, hoc est, curam curæ addas. Est autem Lycus flumen ingens, quod in Mæandrum influit, a quo Laodicea Lyco proxima nominatur. Mons urbi imminet nomine Cadmus, ex quo Lycus fluit.

22 *Et frondes Alpibus addat Athos*] Et frondes etiam addant nemora nemoribus.

23 *Parcendum est animo*] Ignoscendum est menti meæ afflictæ, si non facio optima carmina.

24 *Subducunt oneri*] Scribe *subducant,* vel contra libros. *Heins.* *Colla perusta*] Colla labore consumpta; et ita attrita, ut perusta videantur.

25 *Justissima causa laborum*] *Laboris* quidam. Lege, *At puto fructus adest justissima causa labori.* Heins.

26 *Et sata cum multo fœnore*] Sicut ager fertilis, si eum colas, semen creditum multiplicatum reddit, ita ingenium bonum, si cura, meditatio, studium accesserint, longe evadet fœcundius. *Pont.*

28 *Opus*] Libros de Arte Amat. designat.

30 *Et tecum quæro sæpe quid inde petam*] *Et mecum quæro* nonnulli veteres, et *feram:* ut infra, ‘si te distantia longe Pleiadum laudent signa, quid inde feres?’ *Heins.*

32 *Sum fides maxima*] Sum maximum, quod poëtæ sint insani, exemplum: quod quum carminis causa relegatus sim, adhuc carmen scribo.

33 *Sterili ab arvo*] A studiis poëticis, quæ nullum mihi fructum attulere.

44 *Tempus iners*] Tempus sine ulla exercitatione.

46 *Incertas manus*] Manus ignaras victoriæ aut jacturæ.

49 *Moris patrii*] Disciplinæ Romanæ.

50 *Et trahar arte loci*] Et vivam his artibus, quibus vivitur Tomi.

51 *Hoc studium*] Hanc jaculandi artem.

52 *Magis gracili corpore valet*] Magis viget, quam tenue et macilentum

corpus meum.

53 *Cum bene quæsieris quid agam*] Puto, *Cum bene quesierim, quod agam.* Heins.

56 *Hac messem satis est si modo reddat ager*] *Hanc satis est messem* Basileensis et Petri Servii codex. Deinde scripti plerique cum priscis editionibus, *Si mea reddit humus*, vel *reddat.* Idem. *Hanc messem*] Hanc utilitatem, ut mala obliviscar, dum studiis poëticis operam do. *Si mea humus*] Si meum ingenium.

60 *Abest*] Remota est: quia nec gloria, nec spes reditus, aut alia causa mihi offertur, qua debeam facere optima carmina.

61 *Sollicita poliam mea carmina cura*] *Lima* unus Vossianus et Hafniensis: ut supra, 'Scilicet incipiam lima mordacius uti.' *Heins.*

63 *Sed glorior Istrum*] *Si glorior* Putean. alius, *quia:* lege *si glorier.* Mox *Ingenio*, pro *Ingenium*, veteres plerique. *Idem.*

65 *Hoc ubi vivendum est, satis est si consequar arvo*] Tolle priori loco verbum substantivum cum sex scriptis; et repone *consequor* cum melioribus plerisque. *Idem. Ubi vivendum est*] Quasi dicat, Satis erit mihi, haberi poëta apud Scythas: nec est curandum, an parum docte scribam.

67 *Quid mihi diversum*] *Quo mihi* Sarrav. Scaliger. Argent. et quatuor alii; optime. Vide Notas Art. Amat. lib. I. 303. Sequenti versu malim, *Quem Fortuna dedit, Roma sit ille, locum.* Heins. *Quid mihi*] Subaudi, prodest. *Contendere*] Ire. *In diversum*] In Romanam civitatem. *Fama*] Famæ causa. Quid prodest mihi, inquit, laborare, ut fama mea Romam perveniat.

68 *Roma sit ille locus*] Ille locus Scythiæ, quem fortuna mihi assignavit, habeatur mihi pro Roma: quasi dicat, Sufficit mihi, si in Scythia tantum fama mea sit non vulgaris. *Mer.*

69 *Hoc theatro*] Si mihi ab his plauditur, sufficit. *Pont.*

72 *Penna deficiente*] Tot millibus distat. Venti enim a Poëtis alati finguntur.

73 *Procul urbe Quirini*] Longe a Romana civitate; quam Quirinus, hoc est, Romulus, condidit.

74 *Aspicit hirsutos Getas*] Videt Getas hispidos et barbatos: nam sunt sub Ursa majori in septentrionali plaga.

75 *Vix credere possum*] *Possim* Polit. et duo alii: et mox *transiluisse* meliores pro *transiliisse.* Heins.

78 *Res juvat ista nihil*] *Juvet* legendum. *Idem.*

79 *Quo tibi*] Vide Notas Art. Amator. libro I. vs. 303. quibus adde locum Propertii IV. Eleg. 3. 'Nam mihi quo, Pœnis si purpura fulgeat ostris?' ubi perperam *tibi purpura* tunc legitur. *Positus* etiam eleganter. Pont. libro I. 2. 'Non vacat in qua sint positi regione Tomitæ Quærere.' Infra Eleg. 7. 'Ecquis in extremo positus jacet orbe tuorum?' Lib. IV. 6. 'Quale tamen potui de cœlite, Brute, recenti Vestra procul positus carmen in ora dedi.' Eleg. 8. 'Clausaque si misero patria est, ut ponar in illo, Qui minus Ausonia distet ab urbe, loco.' Infra lib. II. 10. 'Ipse quidem positus cum sim sub cardine mundi, Qui semper liquidis altior exstat aquis;' sic et ibi codices veteres: ut et lib. III. 3. 'Effice sit nobis non implacabilis ira, Meque loco poni commodiore velit.' Lib. IV. 2. 'Si quis in hoc ipsum terra posuisset Homerum.' Silius initio lib. III. 'Extemplo positos finiti cardine mundi Victor adit populos.' Sub occasu positi Iberi' apud auctorem Herculis Œtæi. *Idem. Calida Syene*] Syene oppidum fuit supra Alexandriam quinque millibus stadiorum. 'Calidam' autem appellat Syenen, quoniam directe lo-

cata fuit sub tropico æstivo, id est, sub Cancro, in extremo torridæ zonæ.

80 *Aut ubi Taprobanen Indica tingit aqua*] Plerique veteres *pingit*. Scribe *cingit:* quod Moreti codex confirmat. Epist. Acontii, 'Insula Coryciis quondam celeberrima nymphis Cingitur Ægæo nomine Cea mari.' Metam. IV. 'Decolor extremo qua cingitur India Gange.' Epist. Ariadn. 'Omne latus terræ cingit mare.' *Heins. Aut ubi Taprobanen*] Taprobane insula est, quæ distare dicitur ab australissimis partibus, quæ sunt apud Conjacos meridiem versus, septem dierum navigatione. Auctor Strabo lib. XV.

81 *Altius ire libet*] Placet etiam per altiora et cælestia idem probare. *Longe distantia*] Longe remota, tanquam in cælo existentia.

82 *Quid inde feres*] *Feras* meliores. *Heins.*

85 *Tunc quum mea fama, &c.*] Tunc quum damnatus fui: eo enim tempore fama mea periit. *Vosque, quibus perii*] Alloquitur Poëta amicos. Neque illos tacere de se jubet: sed vereri se ait, ne id faciant: quandoquidem hoc vulgare ac tritum est, scilicet, ut adversis rebus laborantem etiam amici deserant. Fama enim, inquit, mea cum domino suo ab urbe fugit, sive abiit, eoque etiam vos amicos arbitror jam mei exilii ac fugæ, quæ mortis instar mihi est, non amplius meminisse.

EPIST. VI. GRÆCINO.

7 *Artibus ingenuis*] Liberalibus disciplinis.

9 *Meliore fide*] Meliore animo, quam tu; aut non vacando magis ulli rei, quam ingenuis artibus: aut quia eas bene intelligis, et fideliter interpretaris.

10 *Militiæque labor*] Ex quo designat eum rei militaris studiosum, et cum per illam licet liberalibus disciplinis operam dare. *Mer. Quam sinit officium*] Scribe *Qua*, ut sit dictum pro quatenus, hoc sensu: Neque quisquam meliore fide sequitur studia humaniora, quam tu, quatenus id quidem per officium et labores militares abs te fieri potest. Nisi quis et *Quam* eodem modo pro, quantum, positum malit. *Micyl.*

13 *Hanc quoque fortunam sensi*] *Hoc quoque* Sarrav. Argent. Twisd. et octo alii: Barberin. *Hoc quoque fortuna;* proxime verum. Scribe *Hoc quoque fortunæ sensi:* idque in primo Mediceo et uno Thuaneo postea inveni. *Heins.*

15 *Tecum tunc aberat*] Hoc est, tu cum tuis solatiis procul eras. *Mentis ægræ*] Quas meæ menti tristi allaturus fueras, si affuisses.

17 *Fer opem precor eminus unam*] Malim *unum;* quod unum superest. Superiori versu rectius unus Vaticanus *Magnaque pars animæ*, quam *animi*, quod est in vulgatis. Infra Eleg. 9. 'Accipe pars animæ magna, Severe, meæ.' Pont. III. 4. ut scribendum et illic, 'Magnaque pars animæ mecum vixistis amici.' Metam. VIII. 'o me mihi carior, inquit, Pars animæ consiste meæ.' Lib. III. 1. 'Ultima pars animæ dum mihi restat ades.' *Heins. Eminus*] Procul a mea regione.

18 *Alloquio tuo*] Tuis verbis et literis.

21 *Nec breve, nec tutum est*] *Neve leve nec tutum* veteres nonnulli. Adi Notas Trist. lib. I. 6. *Heins.*

25 *Si culpa vocanda est*] *Vocandum est* præstat cum altero Thuaneo. *Idem.*

26 *Omnis an in magnos culpa Deos scelus est*] Quis dubitet? sed scripserat Naso, *ad magnos Deos;* vel, quod magis arridet, *Omnis an ad magnos turba scelesta Deos? Ad Deos*] Vide Notas Fast. IV. 310. Trist. lib. II. 'Scilicet in Superis etiam Fortuna luenda est; Nec veniam læso numine casus habet.' *Idem. Omnis at in magnos culpa*] At, inquit, solent Dii magni culpam omnem, hoc est, minimum quodque crimen, scelus maximum ducere. Vel blandiendo Augusto dicit, ne quidem leviter errandum esse dominis: una enim quæque culpa in eos, vel levicula, habetur pro magna.

28 *Ex toto*] Prorsus.

30 *Sola remansit*] Quod ideo fingunt Poëtæ, quia neminem unquam destituit spes.

31 *Hæc facit*] Οὗτος δ' ἀνὴρ Ἄριστος, ὅστις ἐλπίσιν πέποιθ' ἀεί. Eurip. Her. Fur. Cic. ad Famil. 'Optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt.' Et Senec. 'Nemo confidat nimium secundis, Nemo desperet meliora lapsis.' 'Jam tentas remos, post tibi ventus erit.' Κάλλιμος οὖρος. Homer.

33 *Hoc facit ut videat*] Spes etiam facit, ut naufragus in medio mari destitutus, quamvis nullas videat terras, speret se evasurum.

36 *Vena deficiente*] Viribus collapsis. Id enim inter signa mortis enumerat Plin. in VII.

42 *Arguit*] *Arcuit* rectius tres scripti; quod Fabricius damnare non debuit: 'arcere' pro prohibere. Infra lib. III. 3. 'Quam lex furtivos arcet habere viros.' *Heins.*

46 *In bonitate Dei*] In Augusti clementia. *Mer.*

47 *Qui ne difficilis mihi sit, Græcine, precare*] *Labora* Feschianus; quod placet. Deinde *Quæ ne* alter Thuani. ut ad bonitatem referatur. *Heins. Qui ne difficilis mihi sit*] Ita est humanus et misericors Cæsar, ut tamen rogari velit. Ergo roga eum pro me, &c. *Pont.*

48 *Confer et in votum tu quoque verba meum*] *Tu quoque vota* Moreti liber. Puto *tu tua verba* vel *vota*. Mox *incipiant* pro *incipient* duo veteres. *Heins.*

49 *Inque Tomitana*] Sensus est: Et nunquam reditum in patriam impetrem, sed moriar in exilio Tomitano, si non est mihi exploratum, te desiderare reditum meum. *Inque Tomitana jaceam tumulatus*] Locus hic suspicione mendæ non caret. Neque enim hæc cum præcedentibus satis cohærent. Quare aut deesse aliquid putamus, aut verbis ipsis vitium inesse aliquod, aut eosdem hos versus ad finem referendos esse.

50 *Si non liquet*] Si non est manifestum. *Vovere*] Vovendo optare.

EPIST. VII. MESSALLINO.

4 *Hæc me Nasonem*] Malim *Hæc tibi Nasonem.* Heins.

5 *Ecquis tuorum*] Nunquis tuorum amicorum aut clientum. *In extremo orbe*] In ultima septentrionis plaga. *Jacet*] Aut habitat; aut revera tanquam mortuus et prostratus jacet. Hoc autem dicit non sine magno dolore.

6 *Qui precor esse tuus*] Qui Ovidius

cupio ut sim tuus, nec a te destituar. *Mer.*

7 *Dii procul a cunctis*] Faxint Dii, ne quisquam cultorum tuorum has gentes præsens noverit. *Pont.*

8 *Gentis abesse velint*] *Habere* Sarravianus, Argent. Combii, et Moreti : hoc est, procul habeant. *Heins.*

10 *Si vita est mortis habenda genus*] Si exilium meum debet appellari vita.

12 *Grandine pugnet hyems*] *Pulset* rectius decem scripti. Sic 'verberatæ grandine vineæ' apud Horatium. *Heins.*

13 *Nec pomis fœta nec uvis*] Sarrav. Argent. pr. Med. Fesch. multique alii *pomo:* et versu proximo *cesset* pro *cessat* meliores. *Idem.*

17 *Verbis istis*] Quibus dixi me olim fuisse in turba tuorum cultorum.

19 *Utque sit hoc verum*] *Idque sit ut verum* plerique : quidam *Utque sit id verum.* Malim, *Sed sit ut id verum.* Heins. *Mentito*] Quod me tuum esse scripsi. Hoc autem dicit, ne amicum offendat, timentem Augustum lædere.

20 *Gloria nostra*] Si glorior me fuisse tibi amicum.

21 *Cæsaribus notus*] Cognitus Cæsari Augusto, et ejus liberis. Potentium enim amicitiam consectantur omnes.

23 *Nec tamen irrumpo*] Nec tamen illuc accedo, quo non licet : hoc est, non te adeo, nisi verecunde : te enim venerari soleo. Itaque nil faciam te invito.

25 *Utque tibi fuerit*] Quamvis nihil amplius habueris, quam quod atria tua frequentaverim salutandi gratia. *Utque mihi fuerit tecum nihil amplius*] Honesta locutio. Ter. Andr. 'Num quidquam amplius tibi cum illa fuit, Charine ?'

26 *Uno ore minus*] Minus uno homine. *Quam prius*] Quam antea. *Mer.*

28 *Studii causaque faxque mei*] Malim *duxque:* nam in Combiano *fixa.* Lib. II. 3. 'Primus ut auderem committere carmina famæ Impulit : ingenii dux fuit ille mei.' *Heins.* *Faxque*] Et lumen, splendor : aut certe ardor et incitator.

29 *Et lacrymas*] Et subaudi, dedimus ; hoc est, deflevimus carmine, seu oratione.

30 *Et dedimus medio*] Mos in funeribus laudandi defunctos, Romanis vetustissimus.

31 *Tanto mihi junctus amore*] Scribe *tibi* cum Sarraviano, Combiano, Twisdeniano, et Vaticano primæ notæ. Versus subsequens confirmat. *Heins.*

32 *In Atridis*] In Agamemnone et Menelao. *Tyndaridisque*] Et in Castore et Polluce.

35 *Si minus*] Si putas hæc nocitura : hoc est, si arbitraris, hoc quod dico, fratri obesse posse. *Hac quoque me, &c.*] Profitebor, inquit, hac in re mentitum me fuisse : quemadmodum etiam de te dixi, quod fueris mihi amicus.

36 *Potius*] Quam, subaudi, velim quicquam scribere, et affirmare quod obsit fratri.

37 *Et nulla potentia vires*] Nam cum nulla potentia tanta sit, quæ possit prohibere, sive facere, quo minus alicujus alterius amicus aliquando peccet ; neque Augustus ita inhumanus, aut sævus erit, ut propterea fratrem tuum persequi aut odisse velit, quia ego, amicus illius, aliquando peccavi.

41 *Excusabilis*] Quia imprudenter peccavi. *Quod nisi delicti*] Sensus est : Si delicti mei magnitudo tanta esset, ut non posset excusari, Augustus me occidisset, et non relegasset.

42 *Parva relegati*] *Relegari* cum scriptis : et *ista domus* paulo ante pro *illa* Heins.

43 *Qui prævidet omnia Cæsar*] *Pervidet* lege, vel contra libros : Puteaneus *providet.* Sequenti Elegia, 'Cunctaque mens oculis pervidet ista suis ;' quomodo et illic scribendum. Met.

XIV. ubi similiter erat peccatum, 'socerum, qui pervidet omnia, Solem Accipe.' Horatius, 'Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis;' quanquam *prævideas* illic sunt qui legant; non male. Mox *Stultitiam meam* Sarrav. Argent. et tres alii. *Id.*

45 *Quaque ego permisi, &c.*] Hoc est, Pepercit mihi eatenus, sive quantum cum ipse merito atque delicto meo permisi illum, tum etiam causæ qualitas passa est. *Micyl.*

50 *A Jove*] *Ab Jove* puto; ut semper alibi. Vide Fast. I. 236. *Heins.* *Ab Jove*] Ab Augusto.

51 *Ipse suas quamvis vires inhiberet Achilles*] *Ipse suas etiam* Sarrav. et alii multi ex vetustioribus: lege *ut jam.* Infra lib. IV. 8. 'Ut jam nil præstes, animi sum factus amici Debitor.' Epistola Cydippes, 'Durius ut ferro jam sit tibi pectus, Aconti, Tu veniam nostris vocibus ipse petas;' qui locus etiam pessime erat habitus. In Amoribus, 'Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est:' et initio, 'Ut jam nulla tibi nos sit legisse voluptas.' Artis lib. I. 'Ut jam fallaris, tuta repulsa tua est.' Lib. III. 'Ut jam decipiant, quid perditis?' Sequenti versu pro *dabat* Feschianus et quatuor alii *tulit.* Heins. *Suas ut inhiberet*] Quamvis non magno impetu eam emitteret.

52 *Pelias*] Hasta Achillis fraxinea.

53 *Judicium vindicis*] Judicium ultoris Augusti intellige, quod ultus fuit crimen meum admissum, me relegando.

56 *Hoc quoque*] Hoc etiam, ut domum tuam minus colerem, quam deberem: quemadmodum etiam fuit in meis fatis, ut relegarer.

59 *Quæ tua est pietas*] Et cujusmodi tuus est amor erga fratrem. Ostendit autem, Messalino se amicum esse debere causa fratris, quocum magnam sibi fuisse amicitiam docet.

61 *Emeritis*] Amicis jam functis officio erga amicum, et postea quiescentibus; vel valde meritis. Virg. 'Eduræ coryli nascuntur:' ut sit sensus: Quod si de nobis bene meritis debemus semper gratiam referre; ad fortunam tuam fœlicem pertinet novos amicos parare, etiam si nihil de te meriti sunt. Quasi innuat debere Messalinum poëtam sibi novum amicum conciliare, et ipsi favere.

62 *Sic est fortunæ tuæ*] Sic ad te, qui es potens, et uteris fœliciori fortuna quam ego, hoc pertinet. *Promeruisse*] Beneficiis conciliasse et juvisse.

64 *Ut des*] Dandis magis, quam accipiendis beneficiis, amicos paret.

66 *Officii causam pluribus esse dati*] Te esse causam, quod plures beneficia consecuti fuerint. *Mer.*

67 *Quolibet*] Vel in numero amicorum tuorum, vel amicorum fratris tui.

69 *Mala Nasonem Si non ferre doles*] Si non tristaris me Ovidium in exilio inquietissimo versari.

70 *At meruisse dole*] Saltem dole quod meritus sum relegari ab Aug. quasi dicat, saltem dole quod fuerim infelix.

EPIST. VIII. SEVERO.

1 *Neve roges*] *Roga* cum plurimis scriptis. *Heins.*

4 *Summa satis nostri sit tibi nota mali*] Scribe *si tibi;* atque ita Sarravianus: 'satis,' pro satis est. Superiori Elegia, 'Nec tamen irrumpo, quo non licet ire, satisque, Atria si nobis non patuisse negat:' ita plurimi ex scriptis. *Idem.*

6 *Dura bella*] *Dira* Feschianus. *Idem.* *Pharetrato Geta*] Geta populo sagittifero; sagittis enim veneno illitis in bello Getæ utebantur.

7 *Deque tot expulsis*] Et de tot civibus exulantibus. *Solus sum miles in exule*] Solus sum miles pariter et exul; bello scilicet et exilio damnatus.

8 *Cætera turba latet*] *Jacet* Politiani codex et septem ex nostris; recte. Adi Notas Trist. lib. III. 1. 50. Mox *facta scias* pro *leges* Gottorph. et Rottendorph. *Heins.* *Cætera turba*] Reliqui Romani exules præter me. *Turba jacet*] Non armis vexatur.

11 *Binominis Istri*] Istri habentis duo nomina. Danubius enim usque ad Axium oppidum appellatur: inde vero usque ad mare Ister dicitur.

12 *Et positu loci*] Et ipsius loci situ. *Mer.* In arduo scil. et saxoso loco et prope inaccesso. *Pont.*

13 *Ægypsus*] Ægypsus e gente Caspia, quæ nomen portis et mari dedit: ut est auctor Plin. lib. VI.

14 *Proprio nomine dixit*] Hoc est, Ægypsum. *Opus*] Urbem a se conditam.

15 *Hanc trux Odrysiis*] *Hanc ferus* scripti omnes, utrumque rectum. Superiori Elegia, 'Truxque Getes armis, grandine pulset hyems.' *Heins.* *Ferus Getes*] Crudelis et immitis ille populus. *Odrysiis peremptis*] A Getis interfectis incolis ejus oppidi, qui erant ab Odrysia Thraciæ urbe oriundi. *Inopino Marte peremtis*] Incautis ferro superatis.

16 *Et in regem sustulit arma*] Et intulit ac cepit arma in regem civitatis. Vel certe ademit submovitque arma, illum enim noluit interficere, cum reliquas ejus copias in bello occidisset. Vel 'sustulit,' hoc est, distulit arma; nam capta urbe, regem fugientem insequi noluit.

17 *Ille memor magni generis*] *Generis magni* in nonnullis. Twisdenianus, non male, *Ille memor generis, magna virtute quod auget.* Heins. *Ille*] Rex scilicet. *Virtute quod auget*] Quod genus propria virtute ille magis clarum facit.

18 *Adest*] Cum magno exercitu ad oppidum captum revertit.

19 *Merita cæde nocentum*] Morte quam meriti fuerant nocentes Getæ, a quibus oppidum improviso captum dixerat: nam ad unum omnes interemit.

21 *At tibi rex*] Nunc vertit sermonem ad regem qui virtute oppidum Tomo finitimum recepit.

23 *Teque quod et præstat*] Optat etiam Ovidius, ut rex ille sit charus Romanæ civitati et Cæsari.

25 *Sed memor unde abii*] Quia aliquantulum digressus fuerat ab eo quod superius scripserat, a diverticulo ad rem redit.

27 *Scythicas detrusus in oras*] *Stygias oras* Sarravianus, Polit. Argent. Combii, et tres alii: sic infra, 'A Stygiis quantum sors mea distat aquis?' *Heins.*

35 *Nunc marmore tecta*] Vitruvius

lib. v. Post scenam porticus sunt constituendæ, uti, cum imbres repentini interpellaverint, habeat populus quo se recipiat ex theatro. Potes etiam, per theatra tecta marmore, intelligere theatrum M. Scauri, quod maximum omnium quæ unquam fuere humana manu facta.

37 *Gramina nunc campi*] Herbas campi proximi campo Martio.

38 *Stagnaque et Euripi*] Et aquæ stantes in Euripis. Hoc dicit: Et canales ac ductus aquarum, qui Euripi appellantur, mihi subeunt: quas res Romani maximo impendio parabant. *Stagnaque et Euripi, &c.*] Aquam virginem intellige, quam Agrippa ædilis, in agro Luculliano collectam, Romam perduxit, Coss. C. Sentio et Sp. Lucretio. Virgo autem appellata fuit, quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstravit, quas secuti qui foderant ingentem aquæ modum invenerunt. *Micyl.*

41 *Amissos agros*] Agros relictos, non autem ereptos ab Augusto: quod exulibus fieri solebat, non relegatis.

42 *Peligno solo*] In terra Pelignæ regionis; in agro Sulmonensi.

43 *Nec quos pomiferis positos in montibus hortos Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ*] *Piniferis in collibus* scripti præstantiores magno numero. Columellæ lib. x. 'dumosis positi sub collibus horti.' Idem alibi collibus insitos monet debere esse hortos. Pro *Claudia* recte *Clodia* Sarravianus; prima editio *Cludia.* Clodia enim appellabatur hæc via, per quam iter Roma Lucam, Pistorium, et Florentiam fiebat, ut ex Itinerario Antonini discimus; hoc est, per Apenninum: ut jam constet, quinam piniferi colles sint Nasoni, cum Apenninus pinum etiamnum frequentissimam ferat. In Tabula Peutingeriana, 'Ad sextum via Clodia.' In Gruteri Inscriptionibus pag. CCCXCIX. et pag. CCCCXLVI. mentio fit CURATORIS. VIÆ. CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE. GIMINIAE. seu CIMINAE. *Heins.*

44 *Spectat Flaminiæ Claudia*] Alia hoc loco Claudia accipienda videtur, quam quæ Appia via alias dicta fuit. Et videndum, num potius de ea via hoc loco intelligendum sit, quæ proprie Claudia dicta fuit, in parte Hetruriæ, non procul a lacu Cimino, ubi et præfecturæ Claudii, et forum Claudii aliquando fuere. De quibus locis et Plinius meminit lib. III. 5. Ut sit sententia Poëtæ: Se jam neque hortos, sive agros, quos in Pelignis habuit, desiderare, neque eos quos juxta Flaminiam coluit, eo loco ubi Flaminia et Claudia via junguntur. Vide Micyl.

47 *Consita quædam*] Malim *quondam;* atque ita unus Vaticanus. Mox *contingere possit* meliores. *Heins.*

52 *Baculo nixus*] Hærens baculo de more pastorum.

54 *Sub juga panda*] Sub curva juga.

56 *Assuetas illis minas*] Minas quibus assueverunt uti Getæ.

57 *Capulum pressi moderatus aratri*] *Prensi aratri* Sarrav. Polit. et multi alii: sed et vulgata scriptura ferri potest. Trist. III. 10. 'Nec quisquam presso vomere sulcat humum.' *Heins.* *Capulum*] Stivam. *Aratri pressi*] Aratri depressi.

58 *Mota humo*] Proscissa terra.

59 *Purgare arva*] Malas herbas evellere. *Longis ligonibus*] Ligonibus habentibus longum capulum.

60 *Et dare aquas*] Et irrigare.

61 *Unde sed hoc nobis*] Subaudi, opto. *Quos inter*] Inter nos Tomitanos: *Et hostem*] Et Getas qui Tomon infestant.

62 *Discrimen murus facit*] Sic Virg. 'Leti discrimine parvo.'

64 *Fortia fila*] Prosperam vitam, cujus fila non facile rumpuntur.

65 *Campus*] Campi Martii certamina et exercitationes. *Densa modo porticus*] Aliquando tenet te, inquit, porticus aliqua cum hortis nemorosis.

66 *In quo ponis tempora rara*] In quo raro causas defendis: quam rem fœlicitati ascribit. Mart. 'Lis nunquam, toga rara, mens quieta.'

67 *Umbria te revocat, nec non Albana petentem, Appia ferventi ducit ab urbe rota*] *Ducit in arva rota* meliores: et *Umbria nunc revocat.* Pro *nec non* duo *nunc non.* Forte, *Umbria nunc revocat, te nunc Albana petentem.* Heins. *Umbria te revocat*] In Umbriam revertis, quæ in medio Sabiniæ ac Thusciæ olim jacebat. *Albana petentem*] Te euntem in Albanum prædium: Alba autem Marsis finitima fuit in excelso saxo locata.

68 *Ferventi rota*] Veloci curru.

69 *Forsitan hoc optes*] Scribe *hic optes* cum Sarraviano, Politian. et tribus aliis, ac prima editione. *Heins.*

17 *Ah nimium est*] Quia nunquam tibi præstabit Augustus, ut relegatus in agrum tuum perveniam.

72 *Et voti contrahe vela tui*] Et voti tui desiderium restringe.

74 *Pars bona*] Magna pars. Terentius utrumque jungit. Eunuch. I. 2. 'Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.'

EPIST. IX. MAXIMO.

9 *Sæpe refert*] Sæpe repræsentat. *Lusus gravitate carentes*] Jocos ejus minime severos.

10 *Cum liquida fide*] Cum pura et certa fide.

11 *Densius istis*] *Illis* scripti meliores: et postea, *nec fuit ipse comes* pro *ille.* Heins. *Densius*] Crebrius. *Istis*] Id est, temporibus Celsi, quando una eramus Romæ.

12 *Summa fuisse*] Fuisse postrema.

14 *Concidit*] Corruit. Designat autem tempus quo jussit eum Augustus in exilium ire. *In domini caput*] In caput et perniciem meam.

16 *Fortunæ nec fuit ille comes*] Ille a me discedentem fortunam secutus est. Illi enim sunt fortunæ comites, qui quo se illa, eo et ipsi, et eorum favor inclinat.

17 *Mea funera*] Meam calamitatem exiliumque.

21 *Custos invisus*] Celsus mihi infestus, quod custodiebat ne me interficerem.

22 *Continuit*] Remoratus est. *Promptas in mea fata*] Expeditas et paratas ad me interficiendum.

23 *Ira Deorum*] Ira Augusti et ejus liberorum.

25 *Quantum Debeat auxilium*] *Quantum auxilii* in uno Vaticano; rectius. *Heins.*

29 *Cum suis*] Subaudi *viribus. Fratris vires*] Vires fratris Maximi, qui Augusto quoque erat charus.

34 *Nisi te jus dante*] Nisi te ei concedente, ut longa navigatione me adiret. Vel etiam: Non alio, seu nemine nisi te, dante jus longæ viæ; ut sit in gratiam Maximi dictum.

36 *Terrarum dominos Deos*] Augustum ac ejus liberos.

39 *Si modo non census*] *Nec* nonnulli. *Heins. Si modo non census*] Quia dixerat, Celsum non fuisse minorem aliquo ex amicis Maximi, ostendit id verum esse si hominum ingenia et mores consideramus, non fortunas aut majores. *Si modo non census*] Ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα. Theocrit. Idyll. XV. Πολλοὶ γὰρ πλουτοῦσι

κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένονται· Ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα Τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδόν ἐστι, Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει. Solonis vs. apud Plutarchum, in ejusdem vita.

40 *Sed probitas*] Sed virtus. Sic Juven. ' Nobilitas sola est atque unica virtus.'

42 *Cum fugerem*] Cum in exilium proficiscerer. *Quas dedit ipse mihi*] *Ille* meliores. *Heins.*

43 *Raros mores*] Mores nobiles, qui in raris esse solent.

44 *Venturi*] Τοῖς ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Hom.

46 *Hoc solum est isthic, quod licet esse meum*] Ita et scripti. Sed *liquet esse* reponendum: sic Trist. lib. I. 1. simili modo peccatur in libris vetustis, ' Dissimulare velis, te liquet esse meam.' *Heins.*

47 *Ungere corpus*] ' Tarquinii corpus bona fœmina lavit et unxit.' Ennius.

49 *Quod potuit*] *Qui potuit* castigatiores. *Heins.*

51 *Magni funus honoris*] Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

52 *In gelidos fudit amoma sinus*] *Vertit* meliores magno numero. Lege *versit* aut *verxit;* quod est apud Diomedem. Gronovius *vergit,* Observat. lib. II. 7. qui videatur. Sic Met. IV. 506. scribendum monuimus ex sententia doctissimi Grævii, ' vergit furiale venenum Pectus in amborum :' ita utuntur plerumque in sacris inferis hoc verbo scriptores. Male etiam multi ex scriptis *aroma.* Juvenal. ' Et matutino sudans Crispinus amomo, Quantum non redolent duo funera.' Persius Sat. III. ' tandemque beatulus alto Compositus lecto crassisque lutatus amomis.' Noster Trist. III. 3. ' Ossaque cum foliis et amomi pulvere misce.' *Idem.*

54 *Vicina humo*] Terra sepulchro suo contigua, vel Romæ proxima.

EPIST. X. FLACCO.

6 *Sed peragit*] *Et* cum melioribus. Pro *febribus anhelis* Twisdenius *acutis;* quod placet: vox medicis familiaris. *Heins.*

7 *Os hebes*] Os est tardum et impotens ad conficiendum cibum.

11 *Latices epulasque Deorum*] Hic exprimit quid sit nectar et ambrosia.

12 *Gnava juventa*] Scripti plerique *grata,* vel *Graia;* quod posterius amplexus est doctissimus Gronovius: unus ex nostris *flava;* alius *gnara:* Sarrav. Scaligeri et Argent. *nava Juventa;* recte: ita enim scribebant, ut passim in veterrimo codice Silii Italici. Seneca Hercule Œtæo, ' In tempore ipso gnavus occurrit Lichas; ubi veterrimus Mediceus *novus:* hoc est *navus.* Vide Notas Trist. lib. V. 3. 37. *Heins.* *Juventa*] Grati ministri. Imo Hebe, quæ Latinis Juventa dicitur. Fingunt autem Poëtæ Heben Diis ministrare pocula. *Formosa manu*] Candida et pulchra manu. *Mer.*

16 *Delicias ne mala nostra vocet*] Lege *vocent,* cum duobus antiquis. *Heins.*

17 *Scilicet is status est*] Ironice hoc dictum est, ex quo designat se præ nimio dolore non posse deliciis vacare.

21 *Qui cibus est*] Somnus enim corpori multum conducit: unde Ovid. Metam. ita cecinit, 'Somne, quies rerum, placidissime Somne Deorum, Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.'

24 *Quorum materiam dat*] Locus, ubi exulo, est asper; et ideo mihi præbet materiam dolorum.

27 *Parvus in exiles succus mihi pervenit artus*] Malim *Parcus* vel *Rarus*. Deinde *permanet* multi veteres. Forte *permeat*. Heins. *Parvus succus*] Modicus humor et sanguis.

35 *Unda locusque nocent*] Nocet, inquit, aqua et aër, vel loci asperitas.

38 *Vix mens tristitiæ nostra tulisset onus*] Malim *mens mæsta* cum quinque scriptis et priscis editionibus. *Heins.*

39 *Fractæ phaselo*] *Fragili* Barberin. bene: apud Horat. Od. III. 2. 'fragilemque mecum Solvat phaselum.' Prudentius lib. II. contra Symmach. 'Instar erant tenuis cymbæ fragilisque phaseli.' Supra Eleg. 5. 'Nos fragili ligno vastum sulcavimus æquor.' Horatius Od. I. 3. 'Illi robur et æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem.' Et illum imitatus Seneca Medea, 'Audax nimium, qui freta primus Rate tam fragili perfida rupit.' *Idem.* *Tellus non*] Terra mollis, cujus illisu non potest navis frangi: hoc est, locus tutus.

43 *Non finiat*] Non sinat me semper esse exulem.] Non finiat iram: id est, det saltem mitius exilium.

EPISTOLARUM EX PONTO LIB. II.

EPIST. I. GERMANICO CÆSARI.

1 *Huc quoque, &c.*] Disputat hoc loco Merula de Tiberiine ovatione, an de Germanici triumpho, Eleg. hæc intelligenda sit. Scripsit enim hæc Ovid. prox. ante obitum Augusti anno, cum jam quadriennium in Ponto fuisset. Tiberius autem ovavit prox. post cladem Varianam anno, tertio antequam hæc ab Ovidio scriberentur; id quod ex Suetonio apparet. Et de triumpho Illyrico elegiam hanc intelligimus, qui eodem anno, quo hæc a Poëta scripta sunt, gestus fuit, proximo scilicet ante mortem Augusti: id quod ex Suetonio colligitur. Et vide Micyllum hac de re latius disserentem. *M.*

2 *Vix venit*] Vix accedit: quasi dicat, In Scythiam, quo vix ventus Notus potest pervenire, accessit fama Cæsaris triumphi.

6 *Fortunæ verba dedique meæ*] Et decepi fortunam meam.

7 *Nolit ut illa*] *Ulla* cum tribus scriptis legendum. *Heins.*

11 *Quod certus furor est audere fateri*] Quam rem, ut fruatur hac lætitia Poëta invito Cæsare, cum audeam profiteri, insania quædam videtur.

12 *Si vetat*] *Vetet* meliores; et

juvat pro *rigat* versu proximo: de quo dictum Art. Amat. lib. I. 647. *Heins.*

14 *Tenax lappa*] Herba illa adhærens. Quod autem inter segetes nascatur lappa, docet etiam Maro, cum inquit, 'Subit aspera sylva, Lappæque, tribulique, interque nitentia culta.'

15 *Frugiferum Numen*] Numen Cæsaris, quale est Jovis irrigantis et bonas et malas herbas. Per quod victoriam Cæsaris intelligit.

16 *Invita ope*] Gaudio quo nollet me Cæsar affici.

17 *Gaudia Cæsareæ mentis*] *Gentis* videtur scribendum, cum subjungatur, 'privati nil habet illa domus.' Cæsarea gens;' quomodo 'gens Flavia,' 'gens Claudia,' 'gens Æmilia.' *Heins.*

18 *Privati nil habet illa domus*] Cæsarum domus nil habet proprium, sed cum omnibus commune; quasi dicat, Victoriam Cæsar patriæ et civibus suis, non sibi, comparare solet.

19 *Gratia, Fama, tibi*] Famæ gratias agit, quod per eam factus est certior de pompa Cæsarei triumphi.

21 *Indice te*] Te fama indicante. *Visenda ad ducis ora*] Ad videndum Cæsaris conspectum.

27 *Numine cœlesti*] *Lumine* ex tribus scriptis. *Heins.* *Numine cœlesti*] Voluntate divina.

28 *Cum populi vultu, &c.*] Sic ut aspectus cæli serenissimus et jucundissimus, cum hilarissimis populi vultibus congrueret et quasi conspiraret. *Pont.*

29 *Cum magnæ vocis honore*] *Magno* unus Vaticanus. *Heins.* *Cum magnæ vocis honore*] Cum laude eorum militum, quorum virtutes magna voce laudavit imperator, deinde etiam donis militaribus de more donavit.

30 *Bellica dona*] Dona militaria: ut armillas, hastas puras, torques, phaleras, et alia id genus.

31 *Pictas vestes*] Vestes triumphales, quibus triumphantes imperatores utebantur.

33 *Justitiaque sui castos placasse parentes*] Nemo intelligit, ut opinor, quid hæc sibi velint. Sarravianus, Combianus, et unus Mediceus, cum prima editione et Scaligeri Excerptis, *Justitiamque sui caste placasse parentis;* optime: nisi quod priores duo *castæ* mendose: 'caste placare Deos,' ut 'caste colere Deos.' Ciceroni Epist. ad Terentiam 'caste Deos adire:' in leg. XII. Tabb. 'caste sacra facere,' et similia passim in sacris. Vide Notas Fast. IV. 726. Cæterum unice hanc emendationem illustrat noster ipse infra lib. III. 6. de Augusto: 'Principe nec nostro Deus est mansuetior ullus: Justitia vires temperat ille suas. Nuper eam Cæsar facto de marmore templo, Jam pridem posuit Mentis in æde suæ:' unde liquet versu proximo scribendum, *Illo quæ templum pectore semper habet;* nempe Justitia. Vulgati et scripti *quo templum:* nisi quod Arondelianus pro diversa lectione *Illa quæ.* Hæc prælo commissurus eram, cum incidi in magni Scaligeri ad Propertium animadversiones, ubi pari modo Nasonianum locum castigatum offendi, idque sub finem libri tertii. *Heins.* *Parentis*] Augustum vitricum, quem patrem appellat per adoptionem, et Liviam matrem designat.

36 *Roratis rosis*] Rosis rore aspersis, et recentibus, aut mane cum rore collectis.

37 *Protinus argento*] Portata sunt, inquit, de more in ea ovatione triumpho simili, oppida ex argento, ad similitudinem captarum civitatum, una cum viris superatis ab ipso Tiberio.

39 *Fluminaque, et montes, et in altas profluа silvas*] *In altis silvis* plerique veteres. Excerpta Scaligeri, Combianus, et tres alii, *in altis pascua sil-*

vis; quod placet: nisi mavis, *Fluminaque in montes et in altas proflua silvas:* nam Junianus *in montes.* Arondelianus, *Fluminaque et fontes et latis proflua silvis.* Idem.

40 *Cum strue juncta suis*] *Mixta sua* plerique veteres, nisi quod nonnulli *mista suis;* recte. *Heins.*

41 *Deque tropæorum, quod Sol incenderat, auro*] *Incenderet* Sarrav. Argent. aliique nonnulli. Basileensis recte *incenderit.* Præterea unus Vaticanus *Deque triumphato auro:* quomodo in Fastis, 'Deque triumphato viscera tosta bove.' *Idem.*

42 *Romani tecta fori*] Domus finitimæ foro Romano, vel re vera trabes et tecta atrii, quod Cæsar Romanum forum esse voluit, ut eo ad jura simul convenirent, ut docet Appianus. Sane laquearia, quæ postea et in privatis domibus auro tegebantur, post Carthaginem eversam.

43 *Tulisse addita collis Vincula*] Tulisse catenas, quibus eorum colla alligata erant. *Mer.*

44 *Pæne hostes quot satis esse fuit*] Hoc est, tot numero, quot in toto aliquo exercitu hostium satis esset, fuisse: sive qui justum exercitum complere ac facere potuissent. *Micyl.*

46 *In quibus et belli summa caputque fuit*] *Summa caputque Bato* Sarrav. et Scaligeri codex; optime: intellige Batonem Pannoniorum, vel, ut alii, Dalmatarum ducem, cujus Dio, Paterculus, Suetonius, alii meminerunt. Veram lectionem jam vidit Scaliger. qui adeatur ad annum MMXXIII. Chronici Eusebiani. *Tulerunt*, pro *tulere*, versu superiori scripti. *Heins.*

47 *Cur ego posse negem minui*] Capta occasione, hostium exemplo docet sibi etiam sperandum esse Augustum iratum posse placari, et leniorem fieri. *Cæsaris iram*] *Numinis* Sarrav. Scaliger. Argent. et multi alii: Polit. cum quibusdam *principis.* Idem.

48 *Deos*] Augustum et Tiberium. *M.*

49 *Pertulit hoc*] *Huc* Polit. et sex alii: reliqui magna ex parte *hic.* Heins. *Pertulit hoc idem nobis, Germanice, rumor*] Tiberio ascribuntur a Merula falso, quæ de Germanico ejus filio adoptivo, et ex fratre Druso nepote, a Poëta dicuntur. Est enim hæc apostrophe ad ipsum Germanicum, qua Poëta, velut alloquens illum, ostendit se eadem fama, qua de Tiberii triumpho audierit, etiam de Germanici expeditione in Germaniam, et de oppidis ab eo aliquot jam captis, audivisse. Vaticinatur igitur et illi similem triumphum de Germanis ei quem Tiberius de Illyricis modo gessit, &c. Quare quæcunque deinceps ad finem usque dicuntur, omnia ad Germanicum referenda erunt. Cui Poëta et longos annos optat, victoremque in Capitolium scansurum dicit, eademque gaudia exhibiturum patri, (adoptivo scilicet, Tiberio; nam verus pater Drusus jam multo ante in Germania perierat,) quæ ille antea suis parentibus, Augusto scilicet et Liviæ, exhibuisset. Atque eum se triumphum carmine tum celebraturum ait, itidem ut hunc Tiberii, de quo in præsentia agitur, si modo vitam eo usque perduxerit. Ex quo loco etiam illud non obscure colligi potest, Ovidium ante mortuum esse, quam Germanicus de Cheruscis et Chattis triumphavit. Triumphavit autem Germanicus Coss. C. Celio et L. Pomponio Flacco, qui annus post obitum Augusti quartus fuit. *M.*

50 *Oppida sub titulo nominis esse tui*] *Sub titulos* castigabat Muretus; male: nam illa Tibulli, 'Ite sub imperium sub titulumque lares,' longe alia significatione dicuntur. *Heins. Sub titulo isse*] Esse subjectos titulo, in quo erat tuum nomen.

52 *Ingenio loci*] Natura loci, ut puta in montibus sita.

53 *Cætera*] Omnes virtutes intellige, et bellicas artes.

55 *Sunt quædam oracula vatum*] Repone, vel sine auctoritate veterum librorum, *sunt quiddam:* hoc est, sunt aliquid. Vide Notas Art. Amator. lib. III. 755. Proximo versu, pro *Nam*, malim *Jam*. Heins.

57 *Tarpeias scandere in arces*] *Scandere turres* quinque veteres. Forte *rupes*. Propert. 'Tarpeium nemus et Tarpeia in rupe sepulchrum.' Ita legebat parens meus, non *Tarpeiæ turpe*. Idem.

58 *Equis*] Equis triumphalibus. Quatuor enim equi albi, currum triumphalem trahentes, etiam lauro coronabantur.

61 *Jam nunc hæc a me*] Ordo est: O maxime juvenum et bello et toga, jam nunc nota quæ a me vaticinante dicta sunt. Vel manda memoriæ hoc meum vaticinium.

65 *Imbuero Scythicas sagittas*] *Induero* Leidensis: 'Induere pectora telis' habes Amor. lib. II. 10. *Idem*. *Imbuero Scythicas sagittas*] Madefecero Scytharum jacula meo sanguine.

67 *Me salvo*] Me in patriam reducto per te: vel me incolumi, et non interempto a Scythis. *Dabitur templis*] Templis dicabitur. Coronæ enim triumphaturis in templis deponebantur. *Dabitur tua laurea templis*] *Dabitur tibi* concinnius multi ex scriptis: a te vel per te dabitur. *Heins.*

68 *Omina mea*] Mea vaticinia. *Bis dices, &c.*] Narrabis me bis vera tibi vaticinatum fuisse, et quod triumphum adeptus fueris, et quod me servaveris: de triumpho Tiberii, de quo Eleg. 2. lib. IV. et de tuo, Germanice, qui eventurus est.

EPIST. II. MESSALLINO.

2 *Pulsus ad Euxini sinistra*] Relegatus in Pontica regione, quæ ingredientibus in parte sinistra apparet.

8 *Licet*] Quia si Poëta est exul, ejus carmina non sunt relegata cum Poëta.

9 *Non ego concepi*] Non cogitavi, non in animum induxi. Rationem autem assignat Poëta, qua ostendit non tanta esse ejus crimina, ut mereantur cum eo carmina sua relegari: siquidem non bella gessit contra Jovem, quemadmodum gigantes. Est autem ordo: Non ego concepi clara sidera posse tangi mea manu, si Ossa tulisset Pelion: hoc est, si Ossa mons habuisset Pelion montem superimpositum.

10 *Tangi posse*] Posse violari, quemadmodum voluere gigantes.

11 *Nec nos, Enceladi*] Enceladus Terræ filius fuit: quem fulmine ictum, Ætnæque suppositum, scribit Virgil. in Æneid. III.

13 *Nec quod Tydidæ*] Nec etiam Venerem violavi, quemadmodum Diomedes.

15 *Sed quæ me perdere solum Ausa sit*] Sed quod crimen mihi tantum nocuerit, non aliis. Nam quæ aliis nocent, majora sunt crimina, quam ea quæ sibi tantum. Ex quo designat, ut sæpius dixit, peccatum suum errorem potius dicendum, et ideo dignum venia.

18 *Hæc duo nomina*] Imprudentis, scilicet, et timidi.

21 *In totum nomen Iuli*] In omnes ex gente Julia.

23 *Sed licet arma feras*] Malim *ferox*, ut ad τὸ *mineris* referatur. Pro *efficies*, versu proximo, Polit. et Arondel. *efficias*. Heins.

25 *Puppis Achæmeniden*] Notum est

quemadmodum Achæmenides, comes infœlicis Ulyssis, in Sicilia Æneæ navem ascendit, seque ac Trojanos omnes liberavit a Cyclopum sævitia, ut elegantissime describit Virgil.

26 *Myso duci*] Telepho regi Mysiæ, provinciæ Phrygiæ, quæ adjacet Hellesponto: cujus historiam abunde diximus in primo de Remedio amoris. *Pelias hasta*] Hasta Achillis. Hoc igitur et sequenti exemplo Augustum sibi inimicum minime timendum esse colligit Poëta: siquidem hostes sæpenumero etiam benigni extitere in eos quos oderant.

27 *Templi violator*] *Temerator* Feschianus; rectius. Festus, 'Temerare, violare sacra et contaminare, dictum videlicet a temeritate.' Apud Virgil. 'Ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ.' Propert. IV. Eleg. 10. de ara Herculis, 'Hæc nullis unquam pateat temeranda puellis:' ita scribe: *veneranda* male illic extat. Tibullus III. Eleg. 5. 'Non ego tentavi nulli temeranda virorum Audax laudandæ sacra docere Deæ.' Noster Fast. I. ex vestigiis vetustissimi libri, 'Ne temerent puros exanimata focos.' In Ibide tamen, 'Utque Jovis Libyci templum violare parentes.' Apud Velleium quoque lib. II. 'Omnia pretio temerata, vendente rempublicam consule;' ubi *temperata* nunc legitur. *Temerare*, corrumpere: sic 'fluvios temerare venenis' Nostro Met. VII. et 'corpora nefandis dapibus temerare' Met. XV. Tacitus Histor. IV. 53. 'injectæ fundamentis argenti aurique stipes, et metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ. Prædixere haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato.' Adi Notas Amor. lib. I. 8. 19. *Heins.*

29 *Dixerit hoc aliquis*] Respondet huic quæstioni. Posset enim aliquis dicere, Exemplis probas, poëta, minime timendum esse offensum Augusti numen: ego vero consilium tuum censeo non esse tutum, ab inimico salutem et bona petere. Quod et fatetur Ovidius: sed addit, se cogi quasi in tempestate in quemvis portum confugere. *Pont.*

30 *Mea navis*] *Puppis* Polit. et sex alii. *Heins.*

31 *Fortuna miserrima tuta est*] Quia nihil miseriæ accedere ad summam potest: nec enim summa foret. *Pont.*

33 *Qui rapitur fatis*] Nonnulli ex antiquis omittunt hoc distichon, quidam proximum. Alii ex ambobus unum faciunt, utroque mediorum versuum omisso. Ego utrumque distichon superfluum et tollendum esse censeo. Certe in Sarraviano ita legebatur, *Qui rapitur....Porrigit spinas duraque saxa....* hiatu in priore ac posteriore versu relicto. *Heins.*

36 *Porrigit ad spinas duraque saxa manus*] Qui, inquit, fatis rapitur, solet cuicunque loco etiam aspero manus admovere, ut majus periculum evitet. In vetustissimo exemplari hoc carmen ita legitur, *Sæpe creat molles aspera spina rosas;* ut sit sensus: Ex spinis sæpe nascitur rosa, hoc est, ex tristi fato plerumque nascitur lætum. Quibus verbis designat, posse accidere, ut adversa Poëtæ fortuna, si confugerit ad hostes offensos, mutetur in melius.

37 *Accipitrem metuens*] *Accipitremque timens* vetustiores; sed si superiores versus tollantur, vulgatæ lectioni non est movenda controversia. *Heins.*

38 *Audet in humanos*] *Ad humanos* scripti. *Heins.*

40 *Infestos canes*] *Infestas* Combii et Feschii; ut sæpe alibi Noster. Vide Notas Met. III. 140. *Idem.*

42 *Vocibus obde forem*] *Obde seram* veteres quinque. Vide Notas Art. Am. II. 636. *Idem.*

44 *Tarpeio tonante*] Jove Capitolino.

45 *Legatus*] Vel nuncius, vel orator.

47 *Jam prope depositus*] Confectus;

exanimatus; sepultus: sic Plaut. 'Vino depositus,' id est, Vino sopitus.

48 *Si modo servor*] *Server* nonnulli. *Heins.*

49 *Pro rebus*] Pro rebus meis afflictis.

50 *Principis æterni*] Augusti immortalis.

56 *Non est confessi*] Causam assignat, cur non tentet se a Messalino defendi, ut ex eo probet se non ob eam causam venerari hominis linguam. *Confessi causa rei*] Causa mea, quam confessus sum esse infirmam.

57 *Erroris origine factum*] *Imagine* rectius multi: sic lib. III. 3. 'Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres.' *Heins.*

58 *Tale monere*] *Movere* cum melioribus plerisque. *Idem.*

59 *Vulneris id genus est*] Causam assignat, cur inter excusandum erroris mentionem fieri non utile esse innuat. Appellat autem crimen, quo Augustum læsit, vulnus, idque insanabile esse dicit.

60 *Tutius esse puto*] *Putem* cum Hafniensi. Sequens distichon nonnihil est suspectum. *Heins.*

62 *Cineres meos*] Quasi dicat, velle posse celari cineres suos, ut ejus crimen etiam cum eo lateat.

63 *Quasi me nullus deceperit error*] Fatendum est me peccasse. *Ut vita fruar*] Fortasse Augustus iratus, mihi vitam, quam concessit, adimeret.

65 *Vultusque remiserit illos*] Hoc est, vultus illos severos et graves, quorum nutu sive intuitu totum imperium commovetur, deposuerit atque exhilararit. *Micyl.*

71 *Pulvinaria*] Accipe pro thalamo, sive conjugio, quod pulvinariorum nomine appellat, adulandi gratia, tanquam de Diis loquens, quibus in templis pulvinaria sterni solebant. *Micyl.*

72 *Filius*] Tiberius Liviæ filius et Augusti per adoptionem. Hic autem, ut diximus, domuit totum Illyricum, quod intra Italiam, regnumque Noricum, et Thraciam, et Macedoniam, interque Danubium flumen et sinum maris Hadriatici patet. Quas ob res triumphus ei decretus est, quem distulit, mœsta civitate clade Variana.

73 *Præterit ipse suos*] Aliam causam assignat, ob quam Augustum lætum esse docet. Animum, inquit, majorem annis gerit Germanicus nepos Tiberii ex fratre Druso, sed filius per adoptionem. Is postea annum agens quartum atque trigesimum, diuturno morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspicione, fraude Tiberii, ministerio vero et opera Cn. Pisonis, qui sub idem tempus Syriæ præerat. Auctor Tranquil.

74 *Nec vigor est Drusi nobilitate*] Fortior atque animosior est quam pro ætate sua. Nec Drusus nobilior est quam fortior, sed pariter excellit animo ac nobilitate. Drusum autem intellige, non patrem Germanici, fratrem Tiberii, is enim multis ante annis perierat in Germania: sed Drusum Tiberii ex Agrippina filium, cujus uxor Livia fuit, Germanici soror. Vide Tacitum lib. IV. Mox per nurus, intellige Agrippinam Germanici, et Liviam Drusi, uxores: per neptes et nepotes, Germanici ac Drusi junioris liberos: ut fuere, ex Germanico quidem Caligula, qui Tiberio successit; Agrippina, quæ primum Domitio nupsit, unde Nero natus fuit, mox Claudio imperatori cohabitavit; item Nero et Drusus, qui post a Tiberio interempti; Julia et Drusilla, de quibus Tacitus lib. II.

75 *Adde nurus, neptesque pias, charosque nepotes*] *Adde nurum neptemque pias natosque nepotum* Sarravianus, Polit. et tres quatuorve alii. Argent. Scaliger. multique præterea, recte, *Adde nurus, neptesque pias, natosque nepotum:* quidam etiam *natosque nepotis*, vel *nepotes.* Juliæ in Pandataria exulantis non meminit, nec Juliæ

neptis. Neptes intellige Agrippinam Germanici uxorem, et Livillam Drusi filiam. Nurus intellige Antoniam Drusi uxorem, Livillam, quam dixi, filiam Drusi: utpote Caii Cæsaris uxorem, et Æmiliam Lepidam Lucio Cæsari destinatam, quæ et nurus Cæsaris propterea in veteri inscriptione Bergomensi appellatur. Nati nepotum sunt, quos Augustus videre potuit, Germanici liberi et Drusi, quorum ante meminit. Plinius lib. v. 13. auctor est Augustum eo, quo supremum obiit diem, anno M. Junium Syllanum neptis suæ nepotem jam vidisse genitum. *Heins.* *Charosque nepotes*] Caium, Lucium, et Agrippam, Juliæ et Agrippæ filios intellige. Vel Germanici junioris liberos accipe, sub nepotum nomine, ut crebro reperies apud auctores.

76 *Cæteraque Augustæ membra*] Per membra domus Augustæ, cæteros propinquos et familiares intelligit. *Membra domus*] Plinius etiam eleganter membra domus appellat 'partes domus.'

77 *Adde quieti Subdita montanæ brachia Dalmatiæ*] Parum Latine dicitur *Dalmatia quieti subdita:* quare aut *Quiriti subdita* scribendum, aut *Pineti,* quicquid pro vulgata lectione stant membranæ veteres. Codex Regius *quieto;* Sarrav. *quietis.* Pines dux Dalmatarum a Batone proditus. Sed cum *Pinnetem* vocet Velleius, Πίννην Dio, priorem conjecturam duco veriorem. *Heins.* *Pæonas*] Hi Pæones a Græcis, a Romanis Pannonii dicebantur, et ab illis inter Illyrios numerabantur. *Adde triumphatos*] Non de Dalmatico Augusti triumpho accipi debet; qui statim post devictum Antonium et Cleopatram actus fuit, annis prope quadraginta antequam hæc ab Ovidio scripta sunt: sed de Illyrico Tiberii, qui proximo ante obitum Augusti anno gestus est: id quod et particula *modo* innuit, quod Pæonas modo triumphatos inquit; quasi dicas, nuper, aut etiam eodem hoc anno.

79 *Nec dedignata est*] Illyrii quoque sub Alpibus agebant, imasque valles earum, et quædam quasi claustra custodiebant, abruptis torrentibus implicati. In hos expeditionem suscepit ipse Augustus, fierique pontem imperavit. Vide Florum.

80 *Famulo vertice*] Capite subdito: ad pedes Tiberii se prosternere et victum fateri.

82 *Tempora Phœbea virgine nexa tulit*] Scribendum est, utcunque membranis dissentientibus, *Penea virgine,* nam Daphne Penei fluminis filia. Noster Met. I. 'Nympha precor Penea mane: non insequor hostis.' Doctissimus Gronovius ad Statium ex Pirckheimeriano codice, *Phœbea conjuge:* at Phœbus ipse Met. I. ad Daphnen, 'quoniam conjux mea non potes esse, Arbor eris certe, dixit, mea.' Martialis ad Apollinem, 'Fer rata vota patri: sic te tua diligat arbor:' sic legendum ex optimis membranis, non *uxor.* Heins. *Tempora nexa*] Caput circumdatum. *Phœbea virgine*] Laurigera corona. Alludit autem ad Daphnem virginem amatam a Phœbo, quæ postea mutata fuit in laurum.

83 *Quem euntem*] Quem Augustum triumphantem, et proficiscentem ad Capitolium. *Vobiscum*] Cum sua prole, et te Messallino, quem tanquam unum ex ducibus Augusti, hic Poëta innuit tunc prosequutum fuisse triumphantem imperatorem. *Mer.* *Quem pia vobiscum*] Per prolem, Tiberii filium accipio, Drusum, qui currum patris comitatus fuerit, cum cæteris ducibus, quos hic sub voce *vobiscum* intelligit. Nam ut de Tiberio et Actiaco triumpho accipiamus, repugnat temporum ratio, id quod supra quoque monui: et item quod sequitur, 'Digna parente suo, nominibusque datis.' Neque enim adhuc nomina Cæsaris aut Augusti acceperat Ac-

tiaco triumpho Tiberius. At si de Druso intelligamus, tam de Cæsaris appellatione quam de proprio nomine intelligere licet, quasi qui se dignum Druso patruo, et item Cæsarum gente gereret. Quare et superius, 'Cæsareum pedem,' non Augusti pedem, sed Tiberii expono, qui tum Cæsaris nomen, ab Augusto jam pridem adoptatus, gerebat. *Comitavit euntem*] Malim *ovantem*. Suetonius in Tiberio: 'Rhætico atque Vindelico bello gentes Alpinas, Pannonico Breucos et Dalmatas subegit. Germanico quadraginta millia dedititiorum trajecit in Galliam: quas ob res et ovans et curru urbem ingressus est.' Paria habes apud Dionem l. LV. *Heins.*

84 *Nominibusque datis*] Malim *ratis*. Germanicus nomen suum non una de Germanis victoria ratum fecit: hunc atque Drusum una cum Tiberio triumphasse post bellum Pannonicum confectum ex Dione discimus, etsi Drusus ipsi bello non interfuisset. *Idem.* *Nominibusque datis*] Et digna nominibus ab Augusto ipsis impositis. Omnes siquidem Cæsares dicebantur, tam filii quam nepotes.

85 *Fratribus assimilis*] Proles similis Cupidinibus, qui inter se sunt fratres. Intelligit enim Cupidinum simulacra, qui fuere in æde Veneris Genitricis: sunt tamen qui per fratres, naturalium filiorum Augusti, Caii et Lucii simulacra intelligant: qui tanquam nepotes et successores Julii Cæsaris, in æde Veneris Genitricis, sub ipsius Cæsaris simulacro locati fuere, et per piam prolem accipiant Tiberium ac Drusum privignum, adhuc infantes. Vel ut alii volunt, similis Castori ac Polluci fratribus.

86 *Divus Julius*] Appianus lib. II. de Bellis civilibus auctor est, Julium Cæsarem erexisse Veneri Genitrici templum. Hic per *Julium* intelligimus ejus simulacrum fuisse in aliquo loco eminentiori ipsius templi Veneris: aut certe statuam ejus equestrem, quæ erat supra limen ædis Veneris Genitricis.

87 *His*] Subaudi, Augusti conjugi, liberis, et cæteris. *Quibus omnia cedere debent*] Quasi dicat, Quibus neminem magis lætari victoria parta et triumpho credendum est.

89 *Venit in certamen amoris*] Certat in amando Cæsare: hoc est, cum reliquis de amore contendit erga Augustum, et nemini concedit in amore Messallinus.

90 *Hac parte*] In hoc certamine. *Parte secundus erit*] *Eris* multi veteres. *Heins.*

91 *Hanc colit ante diem per quam decreta merenti*] *Colet* Sarrav. et *quamque decreta:* plurimi *quamquam:* Argent. *quamquam decreta parenti:* nonnulli etiam *Hanc colis*, vel *Hunc.* Forte, *Hunc colis, ante diem per quem decreta merenti:* ut de Tiberio intelligatur, qui Messalino lauream ante diem decreverit. Certe Valerium Messalinum Pannoniæ præfectum huic bello interfuisse Dio testatur: nec dubium quin inter legatos Tiberii fuerit, quibus hoc bello confecto ornamenta triumphalia impetrarit ab Augusto, teste Suetonio et Dione; hoc est, quod 'vobiscum comitavit ovantem' paulo ante dixerat, tecum nempe et cum cæteris legatis: nam et Messalam Corvinum Messalini patrem jam senem a Tiberio adolescente observatum fuisse testis est Suetonius: ut verisimile sit, ipsi quoque Messalino eum favisse. *Idem.* *Hanc colit*] Hanc Augusti prolem veneratur Messalinus. Vel hanc lauream et victoriam Augusti, seu lætitiam. Ut dicat: Ipse Messalinus colit hanc lætitiam, per quam et ipse postea etiam lauream meruit: quasi dicat, ipsum quoque lætum debere sibi etiam opem ferre in hujusmodi lætitia apud Augustum, cujus et ipse particeps fuit. *Ante diem, per quem decreta*] Ante

tempus et annos Messalini: juvenis enim admodum triumphavit. Ordo est: Per quam laurea decreta merenti ante diem venit comis honoratis.

93 *Felices quibus hos*] *Quibus O* Sarrav. et unus Vatic. *Heins.*

94 *Ducis ore*] Ore Augusti. *Deos æquiparante*] Diis simili. Triumphantes enim Jovis optimi maximi ornatu decorati, sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, et toga picta, et corona triumphali, laureaque, curru aurato per urbem vecti, in Capitolium ascendebant. *Mer.*

96 *Pacis inops*] Hostilibus incursionibus obnoxia. *Juncta gelu*] Perpetua glacie concreta.

97 *Si tamen hoc audis*] *Hæc* meliores. *Heins.*

101 *Hoc petit et frater, quamvis*] Hoc est, Idem hoc etiam, videlicet ut pro me Augustum depreceris, frater tuus abs te petit: nisi quod aperte hoc non facit, illud metuens, ne ea deprecatio tibi fraudi sit apud Augustum. *Micyl.*

104 *In turbæ parte tuæ*] In parte tuorum clientum.

105 *Male usos*] Quia ingenii et carminum causa relegatus sum.

106 *Artibus exceptis*] Exceptis libris de Arte amandi: quasi innuat, Messallinum in reliquis ejus ingenium probasse, in artibus vero amatoriis componendis damnasse semper.

109 *Sic igitur vestræ vigeant*] *Vivant* Barberin. malo *vireant.* Vide Notas ad lib. I. Raptus Proserpinæ Claudiani. *Heins. Penetralia*] Sacra et Dii.

110 *Cæsaribusque*] Et Augusto, Tiberio, Druso, Germanico, et reliquis.

112 *Eximar ut Scythici de feritate loci*] *Eximat* Sarrav. aliique nonnulli. *Eximat me* Argent. Lege, *Eximat ut Scythici me feritate loci.* Heins.

113 *Sed tendit in ardua virtus*] Malim *tendat.* Idem.

115 *Nec tamen, &c.*] Facultatem impetrandi demonstrat ex humanitate et facilitate Cæsaris, quam e contrariis exaggerat. Non ages cum homine fero et inhumano, quales Polyphemus et Antiphates. *Pont.*

116 *Antiphatesve*] Antiphates fuit Læstrygonum rector.

123 *Qui quoniam patria*] Malim *a patria:* et superiori versu *Venit et ad partes,* pro *vires.* Heins.

124 *Ante ipsos Deos*] Ante Augustum et liberos.

125 *Quos colis ad superos*] Singulis familiis Dii peculiares et peculiaria sacra erant. Sacerdotum autem partes orare pro aliis. *Pont. Perfer mandata*] *Hæc fer* rectius plerique veteres: et mox *in mea verba* pro *ad* Polit. et Moret. *Heins. Sacerdos*] Amicus et charus Augusto, uti sacerdotes Diis. *Mer.*

EPIST. III. MAXIMO.

1 *Nomen virtutibus æquas*] *Imples* Scaligeri codex et alii nonnulli: ut lib. I. 2. 'Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.' *Heins.*

3 *Quid enim status hic a funere differt*] Quid enim hæc conditio exulis aliud est, quam mors quædam? Est autem hoc per parenthesim dictum: quia statim subjungit se Maximum coluisse usque ad extremum vitæ,

hoc est, usque ad tempus illud quo relegatus fuit.

5 *Non aversatus*] *Non inficiatus* alter Medonii. Mox, pro *si modo vera fatemur*, forte rectius reponatur *fatendum:* in qua locutione multus est Lucretius, aliique optimæ notæ auctores. *Heins.* *Non aversatus*] Non rejiciens. *M.* Dum me quamvis relegatum et calamitosum pro amico agnoscis. *Pont.*

9 *Cura quid expediat prior est*] *Prius* scripti. *Heins.*

11 *Nec facile invenies*] *Invenias* Argent. et sex alii. *Idem.*

12 *Virtutem precium, &c.*] Qui existimet virtutem esse per se expetendam, non autem præmii gratia. Quam rem Juvenal. ita reprehendit: ‘Quis enim virtutem amplectitur ipsam, Præmia si tollas.’

13 *Ipse decor recti*] Ipsa virtutis pulchritudo.

15 *En detrahe menti*] *Et* Argent. et duo alii: quinque cum Twisdenio *nil.* Scribe, *i, detrahe;* ut monui Amor. III. 3. Pro *quod prodest* si refinxeris *quo prosit*, reddideris versum molliorem. Amor. ‘Me miserum monui, quo paucas prosit in horas.’ *Idem.*

16 *Nemo petendus erit*] Nemo invenietur, qui velit virtutem colere.

18 *Computat articulis*] *Supputat* scripti meliores. *Heins.* *Solicitis articulis*] Digitis hominis soliciti et curiosi in ratiocinando. In digitis enim computatio fieri solebat.

19 *Illud amicitiæ quondam venerabile numen*] Sic Cicero, ‘Fructum,’ inquit, ‘amicitiæ, ipsam intelligo amicitiam.’ *Venerabile nomen*] *Numen* Sarrav. *Heins.*

20 *Prostat*] Venale est, tanquam meretrix. Non enim homines amicitia ducti amicos eligunt, sed utilitate: et eo pacto videntur amicitiam prostituere, hoc est, ad meretricandum præbere.

21 *Non ut torrentibus undis*] *Non cum* Barberin. Lege *non, ceu torrentibus undis.* Heins.

26 *Aura secunda*] Sic Horat. Od. I. 5. ‘nescius auræ fallacis.’

27 *Tumuerunt æquora vento*] Unus Voss. *notho;* unus Hafniens. *morbo.* Forte *Coro.* Heins.

29 *Nosse fateri*] *Videri* meliores. *Idem.*

33 *Te, nihil exacto*] Ordo est, Probitas et officium sua sponte juvant te fatentem, exacto nihil nisi nos peccasse. *Exacto*] Alicui exigenti an ego peccaverim. Vel certe adverb. ut *exacto* pro exacte accipias: et est magna laus Maximi, quod Poëtæ amici crimen quantum potest nititur celare: nec nisi instanter requisitus etiam eum peccasse asserit. *Exigere* enim est, per vim aliquid petere. Vel, *exacto peccasse*, hoc est, per vim errasse: quasi aliqua vi me ad peccandum impulsum. Vel peccasse *exacto*, scilicet tempore, hoc est, præterito. Alii legunt *Ex acto* hoc est, ex facto tantum peccasse, non voluntate.

34 *Officiumque*] Et officium tuum erga amicos. Sensus est: Verum est quod dixi, te esse dignum non petere ab aliis exemplum permanendo in fide erga me, sed dare aliis: quia te juvant et probitas et officium erga amicos: quod sponte sua præstatur, non precibus, aut præmio aliquo.

37 *Turpe putas abici*] *Abigi* scribendum vel contra fidem membranarum. *Heins.*

41 *Cerne quid Æacides*] ‘Ingemit Æacides, pleneque affusus amore, Omnia, ait, solvam, dulcis amice, tibi. Teque colam inferiis, non mortis honore carebis. Attollam factis digna tropæa tuis.’ Adi Homer. Iliad. Ψ.

42 *Instar et hanc vitam*] Puta igitur, et meam hanc vitam instar mortis esse: hoc est, me quoque pro mortuo habe: et ut Achilles Patroclo, ita tu mihi officium amicitiæ præsta. *Micyl.*

43 *Pirithoum*] Hujus meminit Virg. Æn. VI. 'Nec vero Alceiden me sum lætatus euntem Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque. Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.'

44 *A Stygia quantum mors mea distat aqua*] *Stygiis aquis* plerique veteres. Scribe, *A Stygiis quantum sors mea distat aquis:* nil certius. In Tristibus, 'Sorte nec ulla mea durior esse potest:' atque ita alibi passim. Val. Flaccus lib. II. 'Ductor, ait, quod, virgo, tibi nomenque genusque Quæ sors ista, doce.' Simili errore *mors* et illic nunc legitur. *Heins.*

45 *Juvenis Phocæus*] Pylades Strophii Phocensis filius. *Phocæus Oresti*] *Orestæ* Sarrav. et unus Vatican. bene. Vide Notas Epist. Hermiones. *Heins.*

49 *Qui prius esse solebas*] *Quid* Sarrav. Argent. et tres alii: duo *quod;* recte. Adi notas ad Epist. Medeæ. *Idem.*

54 *Sic eadem prodest causa*] Sic eadem causa prodest mihi, quia mihi succurris defendendo, nec tanquam victus me deseris, sed magis reluctaris et illi repugnas. *Nocet*] Quia illa mihi adversatur et superat, tenetque in exilio.

55 *Juvenis rarissime*] *Carissime* plerique veteres; septem *juvenum carissime.* Lege *juvenum rarissime;* vel cum Politiani codice, *juvenum clarissime.* Heins.

56 *Stantis in orbe Deæ*] Fortunæ superpositæ rotundo lapidi; quoniam instabilia sunt ejus munera.

57 *Non sunt hæc*] *Non sunt ea* meliores. *Heins.*

60 *Humeris fulta carina tuis*] *Ruina* bene Sarrav. Argent. et sex alii: ut in illo apud Nostrum, 'Te mea supposita veluti trabe fulta ruina est:' atque ea lectio priorem editionem meam jam occuparat. Tamen alius eam sibi postea vindicavit. Lucanus lib. VIII. 'Tu, Ptolemæe, potes Magni fulcire ruinam.' Sic *carina* pro *rapina* nunc legitur perperam in Elegia de obitu Mæcenatis, inter Catalecta Scaligeri, 'Irreligata ratis nunquam defessa rapina It redit in vastos semper onusta lacus.' Val. Flaccus libro VII. 'ratis infandis quos sola rapinis Sævaque pascit hyems.' *Idem.*

63 *Cæsaris alti*] Ad altitudinem seu fastigium imperii referendum est. *Pont.*

67 *Tua littera*] Tua epistola. *Mer. Tunc tua me primum*] Non antea. Quid enim solaretur, quem nondum sontem comperisset? *Mer.*

68 *Læsum Deum*] Augustum offensum.

70 *Ante tuos ortus*] Antequam nascereris: tunc enim patre tuo utebar familiariter.

74 *Nunc tibi cogor onus*] *Me tibi cogit* veteres plerique; sed non probo. *Heins. Vetus onus*] Vetus amicus tibi molestus et onerosus: qui tuis in pueritia mea fui oblectationi.

76 *Qui non inferior*] *Quæ* meliores. *Heins.*

77 *Ut auderem committere carmina famæ*] Ut auderem carmina mea in publicum edere.

81 *Ut una*] *Ut unus* meliores; et recte. *Heins.*

83 *Ultima Italis ora*] Ubi navem conscendi. Significat autem Brundusium, vel aliud oppidum.

87 *Inter confessum medius dubieque negantem Hærebam*] Tò *medius* abest a Sarraviano et duobus aliis: Voss. *dubius:* alius *medie.* Lege cum Argent. et Barber. *Inter confessum dubie dubieque negantem.* Heins. *Inter confessum*] Non affirmabam nec negabam verum esse, quod ad te de casu meo rumor pertulerat.

89 *Exemploque nivis, quam mollit aquaticus Auster*] Diu est quod *solvit* scribendum vidi; idque fragmentum Vaticanum confirmat. Metam. III. 'Quippe color nivis est, quam nec vestigia duri Calcavere pedis, nec

solvit aquaticus Auster.' Hinc et *nives solutæ* passim apud Nostrum. Lucanus lib. IX. 'calido non ocyus Austro Nix resoluta cadit.' Lib. IV. 'Riphæas huc solve nives;' sic et alibi idem. *Heins.*

91 *Hæc igitur referens*] *Repetens* velit reponi vir doctus: hoc est recordatus, ut ille interpretatur. Atqui vulgata scriptura eundem sensum habet. Vide quæ notamus ad Epistolam Œnones. Idem vir doctus in epistolis paulo post castigandum censebat, *Respicias veterem lapsis in rebus amicum;* nihilo felicius: nam *Respicis antiquum amicum,* quod in vulgatis est, minime sollicitari debet. Antiquus amicus enim idem, qui et vetus, optimis scriptoribus dicitur. Sic proxima Elegia, 'Tu comes antiquus, tu primis junctus ab annis.' *Idem. Hæc referens*] Hæc igitur animo tuo subjiciens tecumque reputans. *Pont.*

93 *Lapsis in rebus*] *Lassis* meliores omnes hoc loco: vide Notas Trist. lib. I. 8. 35. *Heins.*

95 *Optandi*] Eligendi pro tuis commodis.

96 *Commoda mille precor*] Scribe *precer.* Heins.

97 *Sed si sola mihi dentur tua vota*] Sed si solum mihi daretur optandi copia ejus rei quam cupis.

100 *Hæc prima*] Scilicet, ut esset parens salva cum Cæsare.

EPIST. IV. ATTICO.

4 *An languida cura*] An amor debilitatus longo tempore? *Deserit partes suas*] Suum officium. *Mer.*

16 *Curæ erat*] Nam in eo laborabas, ut putarem mea carmina a te emendata populo placere, et tuum judicium tanti facerem, quanti judicium totius populi. *Mer. Hoc pretium curæ*] Recentes labores meos in carminibus, hoc dulci pretio, approbatione videlicet tua, compensabam et solabar. *Pont.*

17 *Lima rasus liber esset amici*] *Amice* quinque aut sex veteres: in duobus ultimæ duæ literæ τοῦ *amici* erasæ. Scribe *lima amica,* et adi Notas Trist. lib. I. 8. 65. *Heins. Lima amici*] Tua et amici hominis castigatione ac judicio.

18 *Non semel facta litura*] Non semel, sed sæpius expunxi, quæ tu non probabas.

19 *Nos fora viderunt pariter*] Nos eodem tempore in forum descendimus, auspicaturi causas forenses. Solebant enim adolescentuli Romani togam sumere, et barbam ponere, eloquentiamque in foro auspicari. Dicebantur ipsi tyrones, et illa actio tyrocinium. *Nos porticus omnis*] Una etiam deambulabamus sub porticibus Romanis.

20 *Nos cunctis curva theatra locis*] *Junctis locis* reponendum: ut plerique scripti. Proximi sedebamus in theatris. Prior Thuanus *terna theatra:* sic supra Trist. IV. 'Proque tribus resonant terna theatra locis.' *Heins. Nos via*] Sacram viam intellige. *Curva theatra*] Theatra sinuosa. *Junctis locis*] Locis finitimis.

25 *Longa dies citior*] *Citius* Sarrav. Argent. et sex alii: et pro *tempore,* iidem *sidere.* Heins.

26 *Erit*] Nonnulli *erat.* Puto, *eat.* Sic Met. I. 'euntem Detinuit sermone diem.' *Idem.*

27 *Nec Babylon æstus*] *Æstum* scripti potiores. *Idem. Nec Babylon æstum*] Nec in Babylonia civitate calor ingens erit, quam Semiramis condidisse dicitur, fuitque caput Chaldæarum gentium: ibi est maximus calor propter australem et orientalem plagam finitimam.

28 *Calthaque*] Caltha violæ genus est gravis odoris, et Maro caltham luteolam appellat; quam et eandem esse cum calendula crediderim. *Pæstanas rosas*] Rosas nascentes apud Pæstum oppidum, quæ sunt gravioris odoris quam caltha. Pæstum enim oppidum fuit Lucaniæ, a Græcis Possidonia appellatum, a Doriensibus conditum, ut docet Plinius. Virgilius: 'Biferique rosaria Pæsti.' *Mer.*

30 *Non ita pars fati*] Hoc est, pars aliqua meæ fortunæ prospera non ita periit, ut credam te mei oblivionem cepisse.

33 *Tueare sodalem*] *Tutare* meliores omnes. *Heins.*

EPIST. V. SALANO.

SALANO] Ita scripti potiores, cum SOLANO perperam legatur hactenus: quatuor veteres SALINO. *Heins.*

1 *Condita verba*] Verba composita. *Disparibus numeris*] Versibus elegis.

7 *Modico usu*] A parva consuetudine.

9 *Euxino Ponto*] *Extremo* Polit. Combii, et multi alii. Tum paulo ante pro *junctus ab usu* duo veteres *cognitus usu.* Heins.

11 *Brevem fieri mihi Cæsaris iram*] *Salvi Cæsaris* Sarrav. Argent. prim. Med. aliique complures. Sic supra Eleg. III. sub finem, 'Ut tibi sit salvo Cæsare salva parens:' tres alii *salvo mihi* cum Twisdeniano. *Idem.*

13 *Moribus tuis*] Tuæ benignitati: hujusmodi enim vota manant a benignis moribus.

15 *Doctissime*] Malim *mitissime* cum fragmento Vaticano: *justissime* Arondel. *Heins.*

17 *Vix hæc invenias totum (mihi crede)*] Augustam pacem non tantum, quæ ab Augusto parta sit accipio, ut Merula, sed et sacram venerabilemque: perinde ut augusta templa, augusta loca dicimus, hoc est, sacra et veneratione digna. *Mic.*

19 *Tu tamen hic scriptos*] *Huc structos* Sarrav. duo *instructos;* tres *hos structos.* Reliqui omnes ferè, *hic structos.* Scribe *hic ductos.* 'Ducere' et 'deducere versum' Nostro familiare. Trist. v. 1. 'Ipsa nec emendo; sed ut hic deducta legantur. Non sunt illa suo barbariora loco.' Supra, 'Inque tot adversis carmen mirabitur ullum Ducere languenti me potuisse manu.' Et Trist. I. 10. 'Sæpe maris pars intus erat: tamen ipse trementi Carmina ducebam qualiacunque manu.' Pont. IV. 2. 'Ducitur et digitis littera rara meis.' 'Deductum carmen' Nostro Pont. IV. 1. et Virgilio in Bucolicis. *Heins.*

22 *Plaudis*] Gratularis. *E rivo*] Ex parva poëticæ facultate. *Magna facis*] *Trahis*, eleganter, unus Vatican. *Heins.*

24 *Vix sibi cum miseros*] Sensus est: Grata sunt et læta quæ pro me facis: quamvis vix credibile sit, miserum

quemque posse ulla re gaudere, et illi eam placere. Vel hoc dicit: Gratum est a te probari carmen meum, quod tuo judicio aliquid esse existimo; nam meo judicio nihil est quod credam. Vix enim in hac miseria mihi ipsi placeo, nedum carmina mea.

28 *Tantæ sumere molis onus*] *Opus* meliores plerique. *Heins.*

29 *Gravitasque nitorque*] Gravitas ad rerum magnitudinem, nitor vero ad pulchritudinem et nobilitatem illarum refertur.

30 *Nec potui cœpti pondera ferre mei*] Nec potui æquare versu meo rerum magnitudinem: quia non respondebat carmen meum rebus gestis, quæ erant majores meo versu.

31 *Illic quam laudes*] In describendo tamen hujusmodi triumpho, quamvis non ita eleganter rei magnitudinem assecutus sit, laudandam tamen esse dicit voluntatem officiosam.

32 *Materia debilitante jacent*] *Debilitata* meliores: et *Quod si forte liber*, non *Qui:* et *Hoc tibi facturo*, pro *Hæc.* Heins.

33 *Liber*] Carmen meum de triumpho Germanici.

37 *Non ego laudandus*] Docet, ne videatur arrogans, libellum suum non esse laude dignum: sed si qua laus accesserit hujusmodi operi, id adscribendum esse candori et ingenio ipsius Salani.

42 *Participem studiis*] *Studii* meliores; neque aliter scriptores Latini. Et versu proximo iidem codices *comes antiquus*, pro *antiquis.* Heins.

45 *Te dicente prius*] Te prius declamante. *Fit protinus impetus illi*] Vis eloquentiæ subito in Germanico exoritur: et excitatur cupiditas dicendi et te æquandi.

46 *Teque habet*] Et habet in te studiis prævium et ducem quasi alterum præceptorem.

47 *Cum tu desistis*] *Desisti* cum melioribus, pro *desiisti.* Heins. *Mortaliaque ora quierunt*] 'Mortalia' appellat, ut ostendat Salanum mortalem, Germanicum vero Cæsarem divum fuisse.

48 *Tectaque*] *Clausaque* veteres multi, cum nonnullis editionibus. *Heins.*

49 *Juvenis*] Germanicus.

52 *Spemque docens doctæ vocis amicus habet*] Hæc nihili sunt: quinque veteres *decens.* Scribe *Spemque decens doctæ vocis amictus habet.* In ipso amictu ac toga decenter complicata jam spes est eruditæ vocis. Quintilianus aliique artis oratoriæ magistri non minimum referre nos docent ad commendationem oratoris, ut togam decenter componat. Superiori etiam versu recte libri veteres *silens adstat*, non *silent.* Hæc jam ante multos annos in codice meo castigaram, quem postea peregrinatione a me suscepta, dum domo absum, sororis meæ maritus Gulielmus Gœsius, vir ordinis apud Batavos nostros Senatorii, Typographis edendum tradidit. Ut mirer exstitisse nuper, qui sibi vindicaret hanc castigationem. *Heins.*

53 *Ubi pulsa mora est*] Quando silentium, quod aliquandiu tenuit, rupit. *Atque os cæleste solutum*] Et Germanici divinum os loqui cœpit.

59 *Ingeniis junctis*] Ingeniis conjunctis et colligatis in aliqua disciplina. Ingeniorum enim similitudo amicitias conglutinat.

60 *Servat studii fœdera sui*] Et retinet conjunctionem illam, quæ est in ipsis studiis et disciplinis.

65 *Distat opus nostrum*] Quia tu vacas eloquentiæ, ego vero poëticæ facultati. *Fontibus ab iisdem*] Ab iisdem Musis.

67 *Thyrsus enim vobis*] Per 'thyrsum,' oratoriam facultatem intelligit: per 'lauream,' poëticam. Quasi dicat, Vos Bacchi stimulis agitamini, nos Apollinis: quibus tamen utrisque suus calor est, suusque impetus. *Micyl.*

70 *Sic venit a nobis in tua verba nitor*] Ab arte poëtica: a qua non alienus

est orator. Ita enim Cic. I. de Oratore: 'Est enim finitimus oratori poëta, numeris astrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac pene par,' &c.

73 *Pro quibus ut maneat*] Sit sensus: Pro quibus comprecor, ut ille de quo censeris, hoc est, in cujus amicitia ac familiaritate tanquam certa aliqua classe censeris ac numeraris: sive de cujus fama ac dignitate tua quoque dignitas augetur ac crescit, tibi amicus maneat ad finem vitæ usque tuæ: idemque succedat in imperio suis habenis, hoc est, sibi debitis ac destinatis non Augusto, cui jam tum successor destinatus erat Tiberius: sed vel Tiberio ipsi, vel ipsius filio Druso. Vel rursum: 'De quo censeris,' pro, quem modo possides, qui nunc tuus est, et velut pars quædam census tui, sive earum rerum de quibus censeris. Vel, de cujus gratia et favore tua dignitas et æstimatio pendet. *Mic. Pont.*

75 *Succedatque suis orbis moderator habenis*] *Tuis habenis* magna ex parte veteres. Pro *moderator* unus Hafniensis *moderamen;* argute: ut imperium Germanico voveat ac apprecetur: succedat tuis habenis ac regimini orbis moderamen. Putean. et unus Thuan. *moderandus;* veterrimus Sarravianus *moderatus.* Heins.

EPIST. VI. GRÆCINO.

1 *Quem præsens*] *Qui* Sarrav. et Patav. *Heins.*

3 *Præbet mihi litera linguam*] Carmen meum est mihi loco linguæ, ad salutandum amicos.

6 *Et mala me meritis ferre minora doles*] Ita scripti constanter: neque tamen conveniens homini amico est ista tam immanis asperitas mentis, ut doleat pœnam Nasoni ab Augusto irrogatam esse infra ejus meritum. Quare assentior Tanaquillo Fabro reponenti *doces* pro *doles.* Heins.

7 *Vera facis, sed sera meæ*] Ordo verborum sic habet: Facis tu quidem convicia vera culpæ meæ, sed sera tamen. Quare remitte aspera verba, hoc est, desine crimen objicere mihi confesso, &c. *Micyl.*

9 *Ceraunia*] Ceraunia montes sunt altissimi Epiri. Dicuntur quoque Acroceraunia. Lucanus libro quarto: 'Scopulosa Ceraunia nautæ Summa timent.'

12 *Qua mea debuerit currere cymba via*] *Quam viam* unus Hafniensis et unus Vossianus, recte. Vide Notas Trist. v. 7. 36. *Heins.*

17 *Quod soles animo semper precari*] Quam rem semper mente et corde oras: ut scilicet probes omnia tua facta Cæsaribus.

18 *Cæsaribus*] Augusto, Tiberio, Druso, ac cæteris.

25 *Non ita vixerunt*] Non ita sequuti sunt casum, deserendo se in adversis. *Strophio atque Agamemnone nati*] Pyladem et Orestem optimos et charos amicos designat: fuit enim Pylades Strophii Phocensis filius.

26 *Ægidæ*] Thesei filii Ægei, Pirithoi amicissimi.

28 *In quorum plausus*] In quorum lætitiam et favores. *Tota theatra sonant*] Tota theatra resonant, quum de illis tragœdiæ compositæ recitantur.

32 *Non erit surda*] Intelliget grati-

tudinem meam, aut intelliget se laudari a me: vel, non frustra officiosus in me eris.

35 *Lapso, Græcine, fidelis*] Meliores *lasso.* Heins.

36 *Impetus iste*] Iste ardor mihi favendi. *In longas moras*] In longum tempus.

37 *Remo tamen utar et aura*] Tamen tuo auxilio et favori addam etiam preces et exhortationes meas.

38 *Admisso subdere calcar equo*] *Alterno equo* Argent. ut de equis desultoriis agat. Propertii Vertumnus lib. IV. 'Est etiam aurigæ species Vertumnus, et ejus Trajicit alterno qui leve pondus equo.' Manilius, 'Nec non alterno desultor ludere dorso Quadrupedum, et stabiles poterit defigere plantas, Per quos vadit equos.' Lucifero alternus equus dabatur. Cassiodorus: 'Equi desultatorii per quos Circensium ministri missus denunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur.' *Heins.*

EPIST. VII. ATTICO.

5 *Sed me timor ipse malorum, &c.*] Non de præsentibus malis exilii tantum intelligendum, sed de quibuscunque: ut sit sensus, Sed timor, quo subinde alia atque alia mala, eaque ex omni parte timeo, facit ut multos supervacaneos metus habeam. *Micyl.*

14 *Incitat umbra metum*] Scribo *incutit;* neque aliter pro diversa lectione Barberinianus: Sarravii codex *immutat;* mendose. 'Terrorem,' 'timorem,' 'pavorem,' 'metum incutere' passim apud Ciceronem et Livium. *Heins.*

19 *Observare Deos, ne quid*] Puto Deos observare, ne quid mihi amice, hoc est, prospere atque fœliciter, cedat: fortunæque vix posse verba dari; hoc est, imponi: ut verbum *puto* ad utrumque colon adhibeatur. *Micyl.*

22 *Constans et bene certa nocet*] Nunc non est amplius mutabilis aut levis, sed constans et firma in nocendo mihi.

23 *Cognitus oris*] *Creditus* in Arondeliano. *Heins.*

24 *Nec numerus nostris casibus esse potest*] *Nec fraus in nostris casibus* Argent. et decem alii; quæ lectio magis arridet. Sarrav. mendose, *Nec planis nostris casibus esse potes.* Idem.

25 *Cinyphiæ segetis*] Cinyps fluvius est Garamantum. Mela scribit fluvium esse in Libya, per uberrima arva cadentem, a quo Cinyphiæ segetes appellantur a poëtis, hoc est, Libycæ; Libya enim ob maximam frumenti copiam, horreum fuit Romanorum.

33 *Perscribere versu*] *Destringere* Twisdenianus; pro strictim recensere: eleganter. Glossa ejus, 'i. e. exprimere et narrare.' *Heins.*

34 *Ilias longa*] Longum opus, ut est Homeri Ilias de bello Trojano.

35 *Non igitur vereor, quod te rear esse verendum*] *Quo te* nonnulli veteres. *Verear qua terrear* Sarrav. et Scaliger. tres *quia.* Heins.

41 *Vulneror ictu*] *Verberor* Argent. et Feschii. *Idem.*

44 *Appia*] Via illa ab Appio censore strata et cognominata.

45 *Serie calcata malorum*] *Cæcata* meliores omnes magno numero. *Laborum* etiam Argent. et duo alii. *Heins.*

49 *Et sine labe peracta est*] Τὸ *est* abest a Sarrav. Argent. Twisden. et quatuor aliis. *Idem.*

52 *Pro nobis muta fuit*] Quia nemo amicus pro me imperatorem oravit, ut ignosceret. *Mer.* Vel deprecatio et supplicatio meorum nihil effecit, ac veluti muta ac nulla fuit. *Pont.*

53 *Adjuvat aliquos*] *Aliquem* meliores; *aliquid* pr. Medic. Thuan. *alios;* etiam bene: Sarrav. *aliquo.* Scribe, *aliqua.* Vide Notas Trist. III. 4. 75. Versu proximo, pro *hoc absens,* quatuor *absentis caput.* Heins.

57 *Fit fuga temporibus levior*] Levius solet esse supplicium, quando exules abeunt expectato tempore navigationi apto. Aliis vero incommodis meis hoc etiam accessit, quod fugatus sum tristi sidere.

58 *Arcturum subii*] Tempore quo Arcturus magnos imbres parabat, cœpi navigare. Arcturus autem stella est in cauda majoris Ursæ locata. Exoritur undecim diebus ante autumni æquinoctium, octavo Kalendas Octobris, id est, die vigesimoquarto Septembris. *Pleiadumque minas*] Dictas autem putant ab eo quod est πλέειν, id est, navigare: hæ numero septem dicuntur. Vergilias autem nostri dixere, quod post ver exoriuntur. Oriuntur autem quarto nonas Apriles.

59 *Hyemem placidam*] Placidam tempestatem.

62 *Spoliis meis, &c.*] De comitibus itineris sive profectionis intelligo hunc locum, quorum perfidia bonis aut rebus quibusdam suis spoliatus fuerit Poëta: nam alibi satis clare significat, nihil sibi a Cæsare præter patriam ademptum fuisse. *Micyl.*

64 *Sub ambobus polis*] Sub polo arctico et antarctico.

66 *Ultima tellus*] Tellus Pontica. *Mer.*

68 *Finitimo sub hoste jacet*] Manet sub hoste vicino. Quasi innuat, ubique terrarum esse pacem a Cæsare partam, præterquam in terra ubi exulabat.

71 *Temperie cœli corpúsque animusque*] Oportet locum eligere temperatum, ad salubritatem corporis conservandam, et per consequens etiam mentis.

74 *Palus*] Aqua palustris: vel quæ defluit ex Mæotide palude, eaque salsa.

75 *Animus tamen omnia vincit*] Tamen omnia hæc incommoda supero animi fortitudine.

77 *Sustineas ut onus*] Generaliter et γνωμικῶς dictum puto, ut sit quasi quædam illatio ad superiora: perinde ac si dicat, Quare cum tanta mala mea sint, necesse est ut sim erecto animo ac forti, propterea quod pondera sive onera gravia sustineri aliter non possint, quam si quis erecto vertice connixus, ea in se suscipiat. *Micyl.* *Nitendum vertice recto est*] *Vertice pleno est,* Sarrav. Scalig. Argent. et octo alii; recte: vide Notas Amor. II. 11. 41. *Cadet* etiam pro *cades* versu proximo ex scriptis plurimi; et recte: de onere loquitur. *Heins.*

80 *Vivere ne nolim deficiamque facit*] *Cavet* repone ex melioribus. *Idem.*

81 *Nec vos parva datis*] Acquiescimus etiam, inquit, vestris solatiis, o amici; quorum præsidia et fidem in malis meis et rebus dubiis cognovi.

83 *Nec in æquore desere navem*] *Desine* veteres quatuor: adi Notas Art. Am. II. 725. *Heins.*

84 *Judiciumque*] Quia judicasti me dignum venia, aut defensione tua, et tua amicitia: vel quod Cæsar mihi ignosceret.